
I Z














I Z


ECCE·ANC
ILLA·TEL
DATA·EST
MICHI·OM
TE·FRVC
TV·VENT



I. 392. e.

D. CÆCILIVS

CYPRIANVS

OPE VETERVM LIBRORVM
REPVRGATVS, ET LIBRIS
AVCTVS,

GVL. MORELLII DILIGENTIA ET LABORE.

II 392 xe





Collegio S. Societatis JESV posnaniæ,
Stan. Schedzinskij Sufrag. dicauit.

II. 392 e.

pro Communi
Theologo

PARISIIS, M. D. LXIIII.

Apud Gul. Morellium, in Græcis typographum Regium.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Inscripta Cat. Collegij Posn. Soc. Jesu

I Z



Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

~~IV 7.8.5~~

II. 392. e.

D. CÆCILIVS

CYPRIANVS

OPE VETERVM LIBRORVM
REPVRGATVS, ET LIBRIS
AVCTVS,

GVL. MORELLII DILIGENTIA ET LABORE.

II 392. e





Collegio S. Societatis JESV posnaniæ,
Stan. Schedzinskij Sufrag. dicauit.

II. 392 e.

pro Communi
Theologo

PARISIIS, M. D. LXIIII.
Apud Gul. Morellium, in Græcis typographum
Regium.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Inscriptus Cat. Colleg. Posn. Soc. Jesu

PAR Priuilege du Roy il est defendu à tous imprimeurs & libraires quels qu'ils soyent en ce Royaume, de n'imprimer, ne faire imprimer aucuns des liures qui auroyent premierement esté imprimez & mis en lumiere par Guillaume Morel imprimeur & libraire dudict Seigneur es lettres Grecques: ou par luy notablement corrigez & emendez, en quelque langue que ce soit: ne si ailleurs estoyent imprimez, iceux vendre ne distribuer, de cinq ans prochainement suyuants apres ladicte impression premiere, ou de deux ans apres l'impression desdicts liures corrigez, sur peine de confiscation desdicts liures & d'amende arbitraire, comme appert par les lettres de ce, données à sainct Germain en Laye, l'vnziesme iour de Iuillet Mil cinq cens cinquante cinq, signées par le Roy. Clause, & sellées du grand seel dudict Seigneur, verifiées & publiées par le Preuost de Paris ou son lieutenant, le vingt-neufiesme de Iuillet oudict an. Confirmé par le feu Roy François dernier decedé, par lettres données à Bloys, le dixhuictiesme de Ianuier, Mil cinq cens cinquante neuf: & par le Roy Charles à present regnant, par la declaration en forme d'edict qu'il en a à ceste fin faict publier à Paris.

S.D.1205.III
BIBLIOT. UNIWERSYT. w POZNANIU
1148712
N. 406 6900
1934.1259

VETERVM THEOLOGORVM, ET SCRIPTORVM ALIORVM TESTIMONIA ET ELOGIA DE CYpriano Carthaginiensi episcopo, & martyre.

VITA CYPRIANI PER PONTIVM EIVS DIACONVM.

CYPRIANVS religiosus antistes, ac testis Dei gloriosus, etsi multa conscripsit, per quæ memoria digni nominis superuiuat, etsi eloquentiæ eius ac Dei gratię larga fœcunditas, ita se copia & vbertate sermonis extendit, vt vsq; in finem mundi fortasse non taceat: tamen quia operibus eius ac meritis etiam hæc prærogatiua debetur, placuit summatim pauca conscribere, non quod aliquem vel gentilium lateat tanti viri vita, sed vt ad posteros quoq; nostros incõparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur, vt ad exemplum sui literis dirigatur. Certè durum erat, vt, cum maiores nostri plebeiis & catechuminis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrij ipsius veneratione dederint, vt de passionibus eorum multa, aut, vt prope dixerim, pene cuncta conscripserint, quæ ad nostram quoque notitiam qui nondum nati fuimus peruenirent, Cypriani tanti sacerdotis & tãti martyris passio, & quæ dum vixit gesserit, non parerent, quæ quidem tanta atque tam magna & mira sunt, vt magnitudinis contemplatione deterrear, & imparem me esse confitear ad proferendum digne pro meritorum honore sermonem, nec posse sic prosequi facta tam grandia, vt quanta sunt tanta videantur: nisi quod numerositas glorioſa sibimetipsa sufficiens, alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quod & vos de eo multum, aut si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti vel facta eius cognoscere: in qua parte facundiæ viribus deficimus. deficimus dico: facũdia enim ipsa deficit digna facultate, quæ desiderium vestrum pleno spiritu satiet. Ita vtrinque grauiter vrgemur: ille nos virtutibus suis onerat, vos precibus fatigatis. Vnde igitur incipiam? Vnde exordium bonorum eius adgrediar? nisi à principio fidei & natiuitate cælesti? siquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est: fuerint licet studia, & bonæ artes deuotum pectus imbuerint, tamen illa prætereo. nondum enim ad vtilitatem vitæ, sed seculi pertinebant. Postquam ergo sacras literas didicit, & mũdi nube discussa in lucem sapiẽtiæ spiritalis emersit, si quibus eius interfui, si qua de antiquioribus eius operibus comperi, dicam: hanc tamen petẽs veniam, vt si quid minus dixero (minus enim dicam necesse est) ignorãtiæ meæ potius, quam illius gloriæ derogetur. Inter fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur. tunc enim posse idoneũ fieri pectus, & sensum ad plenam veritatis capacitatem peruenire, si concupiscẽtiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ tenore calcaret. Quis vnquam tanti miraculi meminit? nõdum secunda natiuitas nouum hominẽ splendore toto diuinæ lucis induerat, & iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde, quod maius est, cum dilectione nouitatis pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod inuenit promerendo domino profutura, distractis rebus suis, ad indigentiam multorum sustinendã, tota propria prædia dispẽsans. duo bona simul iunxit, vt & ambitionem seculi sperneret, qua perniciosius nihil est: & misericordiam quam Deus etiam sacrificiis suis præfert, quam nec ille qui legis omnia mandata seruasse se dixerat, fecit impleret, præproperata velocitate pietatis, pene ante cœpit perfectus esse, quam disceret. quis oro de veteribus hoc fecit? quis de antiquissimis in fide senibus,

quorum mentes & aures per plurimos annos diuina verba pulsauerant, tale aliquid impendit quale adhuc rudis fidei homo, & cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis ætatem, glorioſis & admirādis operibus perpetrauit. Nemo metit statim vt seuit: nemo vindemiā de nouellis scrobibus expressit: nemo adhuc de nouiter plantatis arbusculis matura poma quæsiuit. In illo omnia incredibiliter cucurrerunt: præuenit, si potest dici (res enim fidem non capit) præuenit messis semētem, vindemia palmitem, poma radicem. Aiunt apostolorum literę, debere neophytos præteriri, ne stupore gētilitatis nondum fundatis sensibus adhærente, aliquid in dominū nouitas inerudita peccaret. ille fuit primus, & puto solus, exēplo plus fide posse, quam tempore promoueri. Etsi in apostolorū Actis eunuchus ille describitur, qui toto corde crediderat à Philippo statim tinctus, non est similis comparatio. Ille enim & Iudæus erat, & de templo veniens, prophetam legebat Esaiam, & sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat: hic de imperitis gentibus veniens, tam matura fide cœpit, quanta pauci fortasse profecerunt. Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. parum dixi, presbyterium & sacerdotiū statim emeruit. Quis enim non omnes honoris gradus crederet tali mente credenti? Multaque adhuc plebeius, multaque iam presbyter fecit, multaque ad veterum exempla iustorum imitatione consimili prosecutus, promerendo Deo totius religionis obsequia præstitit. nam & sermo illi de hoc fuerat vsitatus, vt si quem prædicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri, propter quæ facta Deo placuisset. si Iob Dei testimonio glorioſus, dictus est verus Dei cultor, & cui in terris nemo compararetur, faciendum dicebat ille, quicquid Iob ante fecisset: vt dum & nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium prouocemus. Contemptis ille dispendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, vt nec pietatis temporalia damna sentiret. Non illum penuria, non dolor fregit: non vxoris suadela deflexit, non proprij corporis dira pœna concussit. Permānsit in suis sedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata deuotio, nullo diaboli tentantis impetu cessit, quo minus dominum suum fide grata, etiam inter aduersa benediceret. Domus eius patuit cuicunque venienti: nulla vidua reuocata sinu vacuo, nullus debilis gressu, non illo baiulo vectus est: nullus nudus auxilio de potentioris manu, non illo tutore protectus est. Hæc debent facere, dicebat, qui Deo placere desiderant. Et sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum. Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri iusti, & laudabilis memoriæ Cæciliani, & ætate tunc & honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à seculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni obseruantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non iam vt amicum coæqualis sectæ, sed vt nouæ vitæ parentem. Denique ille demulsus eius obsequiis, in tantum dilectionis immensæ meritis prouocatus est, vt de seculo excedens, accersitione iam proxima, commendaret illi coniugem ac liberos suos, & quem fecerat de sectæ communione participem, post modum faceret pietatis hæredem. Longum est ire per singula, numerare cuncta eius facta onerosum est. Ad probationem bonorum operum solum hoc arbitror satis esse, quod iudicio Dei & plebis fauore, ad officium sacerdoti & episcopatus gradum adhuc neophytus, & vt putabatur, nouellus, electus est. quanuis in primis fidei suæ adhuc diebus, & rudi vitæ spiritalis ætate, sic generosa indolis reluceret, vt etsi nondum officij, spei tamen fulgore resplendens, imminentis sacerdotij totam fiduciam pollicetur. Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum cum in dilectionem eius & honorem totus populus inspirante domino profiliret, humiliter ille secesſit, antiquioribus

quioribus cedens, & indignum se titulo tanti honoris existimans, vt dignus magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur excusat, quo tunc ardore plebs æstuans fluctuabat, spiritali desiderio concupiscens, vt exitus docuit, non episcopum tantum: in eo enim quem tũc latenti diuinitatis præsagio taliter flagitabat, non solummodo sacerdotem, sed & futurum martyrem requirebat. Obsederat fores domus eius copiosa fraternitas, & per omnes aditus sollicita charitas circuibat. Potuisset fortasse tunc illi apostolicum illud euenire quod voluit, vt per fenestram deponeretur, si iam cum Apostolo etiam ordinationis honore similaret. Erat videre ceteros omnes suspenso & anxio spiritu expectare venturum cum gaudio nimio excipere venientem. Inuitus dico, sed dicam necesse est: quidam illi restiterunt, vt & vinceret: quibus tamen quanta lenitate patientiæ, quàm beniuolenter indulsit, quàm clementer ignouit, amicissimos eos postmodum & inter necessarios computans, mirantibus multis? Cui enim posset non esse miraculo, tam memoriosæ mentis obliuio? Exinde quemadmodum se gesserit, quis referre sufficiat? quæ illi pietas? qui vigor? misericordia quanta? censura quam sobria? Tantum sanctitatis & gratiæ ex ore eius lucebat, vt aduocaret intuentium mentes grauis vultus & lætus, nec seueritas tristis, nec lætitia nimia: sicque admixta vtrinque temperies, vt esset ambigere, vereri plus, an diligi mereretur: nisi quod & vereri & diligi merebatur. sed nec cultus fuit dispar à vultu: temperatus & ipse de medio. Non illum superbia secularis inflauerat, nec tamen prorsus adfectata penuria sordidarat. Quia & hoc vestitus genus à iactantia minus non est, quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem circa pauperes episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? viderint, quid faciant pietatis antistites, seu quos ad officium boni operis instruxit ipsius ordinis disciplina, seu quos sacramenti religio communis ad obsequium exhibendæ dilectionis artauit. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit. Statim denique pro talibus meritis etiam proscriptionis gloriam consecutus est. Nec enim aliud oportebat, quam vt eum qui intra secretam conscientiæ latebram religionis & fidei toto honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet. Posset quidem tum pro velocitate qua semper omnia consecutus est, etiam martyrij circa eum debita corona properare, maxime cùm & suffragiis sæpius repetitis ad leonem postularetur, nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset: etsi ad summa veniendum, & nisi imminentes ruinæ ope tam fœcundi pectoris indigerent. Finge enim tunc illum martyrij dignatione translatum: quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum, velut frænis quibusdam dilectionis domini coërceret? quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem hæreticos, schismaticos vnitatem, filios Dei pacem, & euangelicæ precis legem, per quem gentiles blasphemi repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur? à quo Christiani meliores adfecti circa amissionem suorum, aut quod magis est, mortem ipsam pro fide passuri, consolarentur, spe futurorum? vnde sic misericordiam, vnde patientiam discceremus? Quis liuorem de venenata inuidiæ malignitate venientem, dulcedine spiritalis remedij salutarem exhiberet? Quis martyres tantos exhortatione diuini sermonis erigeret? Quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrij superstites reseruatos, incentiuo cælestis tubæ animaret? Bene, bene tunc & fere Dei prudentia contigit, quod vir tam necessarius, tam multis & tam bonis rebus à martyrij cõsummatione dilatus est. Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem,

vt nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodum paſſus eſt: quam paſsionem vtiq; ex more vitaret, ſi ante vitaſſet. Fuit vero formido illa, ſed iuſta formido, quæ dominũ timeret offendere: formido, quę pręceptis Dei mallet obſequi, quàm ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides diuinis admonitionibus mancipata, credit ne ſi domino latebram ſuggerenti non paruiſſet, etiam ipſa paſsione peccaret. Puto deniq; etiã nunc aliqua de dilationis vtilitate dicenda, tametſi iamdudum pauca perſtrinximus. Per hęc enim quæ videntur poſtmodum ſubſecuta, ſequitur vt probemus ſeceſſum illum, nõ hominis puſillanimitate conceptum, ſed ſicuti eſt, vere fuit diuinum. Vaſtarat Dei populum perſecutionis infeſtæ inſolens atque acerba graſſatio: & quia omnes decipere vna fraude non poterat artifex hoſtis, quacunque miles incautus prodiderat latus nudum, diſparitate ſæuiendi ſingulos diuerſa ſtrage deiecerat, debebat eſſe qui poſſet ſaucios homines varia expugnantis inimici arte iaculatos, adhibita medicinæ cæleſtis medela, pro qualitate vulneris vel ſecare interim, vel fouere: ſeruatus eſt vir ingenij præter cetera etiam ſpiritalis temperati, qui inter reſultantes conlidẽtium ſchiſmatum fluctus eccleſiæ, iter medium librato limite gubernaret. Nonne hæc, oro, conſilia diuina ſunt? hoc fieri ſine Deo potuit? viderint, qui putãt poſſe fortuito iſta contingere. Eccleſia illis clara luce reſpondet, & dicit, Ego ſine Dei nutu, neceſſarios reſeruari non admitto. non credo. percurramus tamen cetera, ſi videtur. Erupit poſtmodũ lues dira, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia, innumeros perimens populos, à ſua quemque ſede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuaſit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere ſuos impiè, quaſi cum illa peſte morituro etiam mortem ipſam aliquis poſſet excludere. Iacebant interim tota ciuitate, iam non corpora, ſed cadauera plurimorum in miſericordiam viſentium, contemplatione ſortis mutuæ flagitabant. Nemo reſpexit aliud præterquam lucra crudelia: nemo ſimilis euentus recordatione trepidauit: nemo fecit alteri quod fieri ſibi voluit. quid inter hæc egerit epiſcopus Chriſti & Dei, qui pontifices mundi huius tanto plus pietate, quanto religionis veritate præceſſerat, ſcelus eſt præterire. Adgregatam primo in loco vno plebem de miſericordiæ bonis inſtruit: docet diuinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum profint officia charitatis. Tunc deinde ſubiungit, non eſſe mirabile ſi noſtros tantum debito charitatis obſequio foueremus: eum perfectum poſſe fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit, qui malum bono coniungens, & diuinæ clementiæ inſtar exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro inſequentium ſe ſalute orauerit, ſicuti monet dominus & hortatur, qui oriri facit iugiter ſolem ſuum, & pluuias ſubinde nutriendis ſeminibus impertit, exhibens cũcta iſta non ſuis tantum, ſed etiam alienis: qui ſe Dei etiam filium eſſe profitetur, oportere vt exemplum patris imitetur. Reſpondere inquit, nos decet natalibus noſtris, & quos renatos per dominum contuit, degeneres eſſe non congruit, ſed probari debere potius in ſobole traducem boni patris æmulationem bonitatis, & multa alia & quidem magna præter ea quę temperandi voluminis ratio non patitur prolixiori ſermone replicari: de quibus hoc tantum dixiſſe ſatis eſt, quod ſi illa gentiles pro roſtris audire potuiſſent, forſitan ſtatim crederent. Quid Chriſtiana plebs faceret, cui de fide nomen eſt? Diſtributa ſunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum miniſteria: multi qui anguſtia paupertatis beneficia ſumptus exhibere non poterant, plus ſumptibus exhibebant, compenſantes proprio labore, mercedem diuitiis omnibus chariorem. Et quis non ſub tanto doctore properaret inueniri in parte aliqua talis militiæ, per quam & placeret Deo patri, & iudici Chriſto, &

sto,& tam bono interim sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est non ad solos domesticos fidei: fiebat plus aliquid, quam de Thobiæ incomparabili pietate signatum est. Ignoscat ille, & ignoscat interim,& frequenter ignoscat, aut vt verius dixerim,merito concedat: tametsi ante Christum plurimũ licuit,plus aliquid licuisse post Christum,cuius temporibus plenitudo debetur. Necatos ille & à rege proiectos sui tantum generis colligebat.His tam bonis & tam piis actibus exilium superuenit. hanc enim vicem semper repræsentat impietas, vt melioribus pessima restituat. Et quid sacerdos Dei proconsule interrogante responderit, sunt acta quæ referant. Excluditur interim è ciuitate ille qui fecerat bonũ aliquod pro ciuitatis salute:ille qui laborauerat ne viuẽtium oculi paterentur infernę sedis horrorem. Ille inquam,qui excubiis pietatis inuigilãs, pro nefas, ingrata bonitate prouiderat,ne omnibus tetram ciuitatẽ relinquẽtibus,multos exules deserta Respub. ac destituta patria sentiret. sed viderit hoc seculum, cui inter pœnas exilium computatur. Illis patria nimis chara, & totus adfectus est in parentes:nos & parentes ipsos,si contra Deum suaserint, abhorremus. Illis extra ciuitatẽ suam viuere, grauis pœna est: Christiano totus hic mũdus vna domus est: vnde licet in abditum & abstrusum locum fuerit relegatus, admixtus Dei sui rebus, exilium non potest computare. Adde quod integre Deo seruiens, etiam propria in ciuitate peregrinus est. dum enim se à carnalibus desideriis continentia sancti spiritus abstinens, conuersationem prioris hominis exponit,etiam inter ciues suos, aut prope dixerim, inter parentes ipsos vitæ terrestris, alienus est. Accedit, quod si hæc alias pœna posset videri,in huiusmodi tamen causis atque sententiis quas ad probandæ virtutis experimenta perpetimur, non est pœna quæ gloria est. Sed esto sane nobis pœna exilium.Illis vltimum crimen, & pessimum nefas etiam ipsorum conscientia testis adscribat,qui possunt innocentibus inrogare quod putant pœnam. Nolo nunc describere loci gratiam, & deliciarum omnium paraturam iuterim transeo. Fingamus locum illum situ sordidum, squalidum visu, non salubres aquas habentem, non amœnitatem viroris, non viciniam litoris, sed vasta rupe siluarum inter inhospitas cautes deserta admodum solitudinis auia mundi parte summotum. Posset licet talis locus habere nomen exilij,quo Cyprianus sacerdos Dei venerat, cui si hominum ministeria deficerent,vel aues vt Heliæ,vel vt Danieli angeli ministrarent: absit vt aliquis cuilibet minimo dum modo in confessione nominis constituto, aliquid defuturum æstimet. Tantum abest,vt Dei nominis pontifex ille,qui misericordiæ semper rebus institerat, vllis bonorum opibus indigeret. Iam nũc, quod secundo posueram loco, cum gratiarum actione repetamus: Prouisum esse diuinitus etiam pro animo tanti viri apricum & competentem locum, hospitium pro voluntate secretum, & quicquid adponi ei ante promissum est, qui regnum & iustitiam Dei quærunt. Atque vt omittam frequentiam visitantium fratrum, & ipsorum inde ciuium charitatem, quæ repræsentabat omnia quibus videbatur esse fraudatus, admirabilem visitationem Dei non præteribo,qua antistitem suum sic in exilio esse voluit de secutura passione securum, vt eminentis martyrij pleniore fiducia non exulem tantummodo Curubi, sed & martyrem possideret. Eo enim die quo primum in exilij loco mansimus(nam & me inter domesticos comites dignatio charitatis eius elegerat,exulem volũtarium, quod vtinam & in passione licuisset) adparuit, inquit,mihi nondum somni quiete sopito iuuenis vltra modum hominis enormis,qui cum me quasi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis procõsulis admoueri,qui vt respexit,adnotare statim cœpit in tabula sententiam quã non sciebam:nihil enim de me solita interrogatione quæsierat:

sedenim iuuenis qui à tergo eius stabat, admodũ erat curiosus videre quicquid fuerat adnotatũ: & qui id verbũ proferre non poterat, nutu declarante monstrauit, quid in literis tabulę illius haberetur. manu enim expansa & cõplanata, ad spathæ modum, ictum solitæ animaduersionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram: rogare cœpi & petere cõtinuo, vt dilatio mihi vel vnius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerẽ. Et cũ preces frequẽter iteassem, rursus in tabula cœperat nescio quid adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate, iudicis mentẽ quasi iusta petitione cõmotam. sed & ille iuuenis qui iamdudũ de passionis indicio, gestu potius quàm sermone prodiderat, clãdestino idẽ nutu, cõcessum esse in crastinum quod petebatur, cõtortis post inuicẽ digitis, significare properauit. Ergo quãuis nõ esset lecta sentẽtia, qui etsi de gaudio dilationis acceptæ, læto admodũ corde gauderẽ, metu tamẽ interpretationis incertę sic tremebam, vt reliquiæ formidinis cor exultans adhuc multa trepidatione pulsarent. Quid hac reuelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? ante illi prædicta sunt omnia, quæcunq; postmodũ subsecuta sunt. Nihil de Dei verbis imminutũ, nihil de tam sancta promissione mutilatum. Et singula deniq; secundũ quod ostensa sunt, recognoscite. Dilationẽ petit in crastinum, cũ de passionis sententia cogitaretur: postulãs vt res suas die illo quo impetrauerat, ordinaret. Hic dies vnus significabat annum, quo ille post visionem acturus in seculo fuerat. Nam vt manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. diem autem domini etsi annũ in diuinis literis legimus, promissioni tamen futurorum, debitum illud tempus accipimus. Vnde nihil interest, si nunc sub diei significatione solus annus ostensus est: quia illud plenius esse debet, quod maius est. Quod vero nutu potius & non sermone explanatum est, repręsentationi temporis seruabatur sermonis expressio. solet enim tunc verbis quodcunque proferri, quoties quicquid profertur impletur. Nam & vere nemo cognouit, quare hoc ei ostẽsum fuisset, nisi postquam eodem die quo id viderat, coronatus est. Medio nihilo minus tempore, imminẽs passio pro certo ab omnibus sciebatur: Passionis tamẽ dies certus ab eisdem omnibus quasi ignorantibus tacebatur. Sane & in scripturis tale aliquid inuenio. Nam Zacharias sacerdos, promisso sibi per Angelũ filio, quia non crediderat, obmutuit, ita vt de filij nomine scripturus potius quam relaturus, nutu tabulas postularet. Merito & hic vbi Dei nũcius passionem antistitis imminentem nutu potius expressit, & fidem admonuit, & sacerdotem muniuit. Dilationis autem petendæ ratio de ordinatione rerum, & de voluntatis dispositione veniebat. Quæ vero res illi, aut quæ voluntas ordinanda, nisi ecclesiastici status? Summa idcirco accepta dilatio est, vt quicquid circa pauperũ fouẽdorũ suprema iudicia disponẽdum fuerat, ordinaretur: & puto propter nihil aliud, immo vero propter hoc tantũ, etiã indulgẽtia ab ipsis qui eiecerãt & qui occisuri erãt, admissa est, vt præsens & prẽsentes pauperes nouissimæ dispẽsationis extremis, & vt plenius dixerim, totis sumptibus releuaret. Ordinatis ergo tã pie rebus, & pro volũtate dispositis, proximabat dies crastinus. Iam de Xisto bono & pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab vrbe nuncius venerat. Sperabatur iam iamq; carnifex veniens, qui deuota sanctissimæ passioni colla percuteret: & sic erant omnes dies illi cotidiana expectatione moriẽdi, vt corona singulis posset adscribi. Cõuenie bant interim plures egregij & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculari nobilitate generosi, qui propter amicitiã eius antiquã, secessum subinde suaderẽt: & ne parũ esset nuda suadela, etiã loca in quæ secederet, offerebãt. Ille vero iã mundũ suspensa ad cælũ mẽte neglexerat: nec suadelis blãdientibus

adnue-

adnuebat. Feciſſet fortaſſe tũc etiã quod à plurimis & fidelibus petebatur, ſi & diuino imperio iuberetur. Sed nec illa ſublimis tãti viri gloria, ſine præconio tranſeunda eſt: qua iã ſeculo tumeſcẽte, & de fiducia principũ infeſtationem nominis anhelante, ille ſeruos Dei, prout dabatur occaſio, exhortationibus dominicis inſtruebat, & ad calcandas paſsiones huius temporis, contemplatione ſuperuenturæ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit ſacri cupido ſermonis, vt optaret ſic ſibi paſsionis vota contingere, vt dum de domino loquitur, in ipſo ſermonis opere necaretur. Et hi erant cotidiani actus deſtinati ad placentem Deo hoſtiam ſacerdotis, cum ecce proconſulis iuſſu ad hortos eius, hortos inquam, quos inter initia fidei ſuæ venditos, & de Dei indulgentia reſtitutos, pro certo iterum in vſum pauperum vendidiſſet, niſi occupari in paſsione vitaret, cum militibus ſuis princeps repente ſubitauit, immo vt verius dixerim, ſubitaſſe ſe credidit. Vnde enim poſſet tanquam improuiſo impetu mens præparata ſubitari? Proceſsit ergo iam certus expungi quod diu fuerat retardatum: proceſsit animo ſublimi, & ſereno, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in craſtinum, ad domum principis à prętorio reuertebatur, cum ſubito per Carthaginem totam ſparſus rumor increbruit, productum eſſe iam Thaſcium, quem præter celebrem opinionis notitiam, etiam de commemoratione præclariſsimi operis nemo non nouerat. Concurrebant vndique verſum omnes ad ſpectaculum, nobis pro deuotione fidei glorioſum pariter & dolendum. Receptum eum tamen, & in domo principis conſtitutum, vna nocte cõtinuit cuſtodia delicata, ita vt conuiuæ eius, & chari in contubernio ex more fuerimus. Plebs interim tota ſollicita, ne per noctem aliquid ſine conſcientia ſui fieret, ante fores principis excubabat. Cõceſsit ei diuina tunc bonitas vere digno, vt Dei populus etiam in ſacerdotis paſsione vigilaret. Forſitan tamen quærat aliquis, quæ cauſa fuerit à prætorio reuertendi ad principem. Et volunt hoc ſcilicet quidam de ſuo tunc proconſule noluiſſe. Abſit vt in rebus diuinitus geſtis ſegnitiam ſiue faſtidium proconſulis conquerar. Abſit vt malum hoc intra conſcientiam religioſæ mentis admittam, vt de tam beatiſsimo martyre ructus hominis iudicaret. Sed craſtinus dies ille, quem ante annum dignatio diuina prædixerat, vere craſtinus eſſe debebat. Inluxit denique dies alius, ille ſignatus, ille promiſſus, ille diuinus, quem ſi tyrannus ipſe differre voluiſſet, nunquam prorſus valeret: dies de conſcientia futuri martyris lætus, & diſcuſsis per totum mundi ambitum nubibus, claro ſole radiatus. Egreſſus eſt domum principis, ſed Chriſti, & Dei princeps, & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus eſt. Sic autem comitatui eius infinitus exercitus adhærebat, quaſi ad expugnandam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit tranſitus ſtadij. Bene vere, & quaſi de induſtria factum, vt & locum congruentis certaminis præteriret, qui ob coronam iuſtitiæ conſummato agone currebat. Sed vbi ad prætorium ventum eſt, nondum procedente proconſule, ſecretior locus datus eſt. Illic cum poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſederet (ſedile autem erat fortuito linteo tectum, vt & ſub ictu paſsionis, epiſcopatus honore frueretur) quidam ex teſſerariis quondam Chriſtianus res ſuas obtulit, quaſi vellet ille veſtimentis ſuis humidis ſicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam vt proficiſcentis ad Deum martyris ſudores iam ſanguineos poſsideret. Cui ille reſpondit, & dixit, Medelas adhibemus querelis, quæ hodie forſitan non erunt. Mirum, ſi contempſit laborem corpore, qui mortem mente contempſerat. Quid plura? ſubito proconſuli nunciatus eſt, producitur, admouetur, interrogatur de ſuo nomine, ſe eſſe reſpondit, & hactenus verba. Legit itaque de tabula iam ſententiam iudex, quam nuper in viſione non legerat: ſententiam ſpiritalem

non temere dicendam: sententiam episcopo tali, & tali teste condignam: sententiam glorioſam, in qua dictus est sectæ suæ signifer, & inimicus deorum, & qui suis futurus esset documento, & quod sanguine eius inciperet disciplina sanciri. Nihil hac sententia plenius, nihil verius: omnia quippe quæ dicta sunt, licet à gentili dicta, diuina sunt. Nec mirum vtique, cum soleant de passione pontifices prophetare. Signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat: Inimicus deorum, qui idola destruenda mandabat: Documento autem suis fuit, qui multis pari genere secuturis, prior in prouincia martyrij primitias dedicauit. Sanciri etiam cœpit eius sanguine disciplina: sed martyrum qui doctorem suum imitatione gloriæ consimilis æmulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt. Et cum exiret prætorij fores, ibat comes militum turba, & nequid in passione deesset, centuriones, & tribuni latus texerant: ipse autem locus æqualis est, vbi pati contigit, vt arboribus ex omni parte densatis sublime spectaculum præbeat. Sed per enormitatem spacij longioris visu denegato, per confusam nimis turbam personæ fauentes, in ramos arborum repserant, ne vel hoc illi negaretur, vt ad Zacchæi similitudinem de arboribus videretur. Sed iam ligatis per manus suas oculis, moram carnificis vrgere tentabat, cuius munus est ferrum, & labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam precioſi viri mortem clarificationis hora matura, centurionis manum concesso desuper vigore firmatam, permissis tandem viribus expediret. O beatum ecclesiæ populum, qui episcopo suo talis, & oculis pariter & sensibus, & quod est amplius, publicata voce compassus est, & sicut ipso tractante semper audierat, Deo iudice coronatus est. Quanuis enim non potuerit euenire, quod optabant vota communia, vt consortio paris gloriæ simul plebs tota pateretur, quicunque sub Christi spectantis oculis, & sub auribus sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui testem legationis quodam modo literas ad Deum misit. Sic consummata passione perfectum est, vt Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas in Africa primus imbueret: quia & talis esse post apostolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quanuis ex bonis, & sacerdotibus, ad passionem veniſſe memoratur, licet semper Deo mancipata deuotio dicatis hominibus pro martyrio deputetur: Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam domino consummante profecit, vt in ciuitate ipsa, in qua taliter vixerat, & in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam sacerdotij cęlestis insignia glorioso cruore decoraret. Quid hoc loco faciam, inter gaudium passionis & remanendi dolorem? in partes diuisus animus, & angustum nimis pectus adfectus duplices onerant. Dolebo, quod non comes fuerim? sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? sed doleo, quod comes non sim. Verum vobis tamen & simpliciter confitendum est, quod & vos scitis, in hac me fuisse sententia. Multum ac nimis multum de gloria eius exulto: plus tamen doleo, quod remansi.

ACTVS PASSIONIS CYPRIANI, CVIVS PONTIVS MEMINIT.

TEMPORE Valeriani & Gallieni, cum glorioſum nomen Christi à gentilibus exosum, intentione maxima conaretur auferri, & esset persecutio apud vrbem Romam: beatissimus Cornelius pontificatum prædictæ vrbis summis virtutibus præditus tunc regebat: comprehensúsque à præside, & diuturnis tormentis adflictus, gladio finiuit temporalem vitam, percepturus à Deo sine fine perpetuam.

petuam.Sed cum hoc odium fuisset etiam in Libycis terminis inrogatũ:multi Christianorum populi mallentes transitoriam vitam amittere, & illa quæ à Deo promissa sunt,adipisci, diuersis tormentis adflicti consummabantur. Ferunt etiam tunc à præside clibanum calcis accensum,& in ore illius prunas cum thure exhibitas,& præsidem dicere Christianis,Eligite à duobus vnum, aut thura super his carbonibus offerte Ioui,aut in calcem demergimini.Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christum Dei filium Deum fatentes,iecerunt in ignem,& inter vapores calcis puluerei sunt demersi: quos sibi Christus consecrauit. In his autem diebus cum talia gererentur, beatus antistes Cyprianus Carthaginiensem regebat ecclesiam. qui comprehensus à gentilibus sedente Paterno proconsule in ciuitate,iniquis tribunalibus præsentatur. Cui Paternus ait,Nobilium imperatorum ad me scripta venerunt, vt hi qui diis ceremonias execrantur immolare,ad sacrificandum compellantur inuiti. Exquisiui de nomine tuo,quid respondes? Sanctus Cyprianus respondit, Nullos deos noui,nisi vnum & verum, qui fecit cælum & terram & quæ in eis sunt. huic Deo nos Christiani deseruimus: hunc deprecamur diebus ac noctibus, & pro salute populi, & pro statu imperatorum vestrorum. Proconsul dixit,Ergo in hac voluntate perseueras,vt non sacrifices?Sanctus Cyprianus respondit, Bona voluntas quæ Deum nouit, mutari non potest. Proconsul dixit,Iussum est etiam vt & presbyteros requiram,volo ergo scire per te,qui sunt presbyteri qui in hac ciuitate consistunt. Sanctus Cyprianus respondit, Legibus vestris bene atque vtiliter censuistis, nos delatores non esse. itaque eos exhibere non possumus. Sed nec ipsi se vltro offerunt, cum hoc scriptura sancta prohibeat.à te enim quæsiti inuenientur.Proconsul dixit, Iussum est vt nulla conciliabula faciant,neque cœmiteria ingrediantur. quod qui facere deprehensus fuerit,capite plectatur.Sanctus Cyprianus respondit, Fac quod tibi præceptum est. Et post hæc ductus est in exilium beatus martyr per præceptum Aspasij proconsulis, in ciuitatem Corubitanam. Post dies autem multos regressus de exilio,habitabat in hortis suis.Cúmque ibidem moraretur,venerunt ad eum duo principes ex officio proconsulis Galerij Maximi:& leuantes eum in curriculum suum,duxerunt ad proconsulem in locum vbi pro reparanda sanitate degebat. Et collectus ab adstatore officij,secessit in hospitium eius in vicum qui dicebatur Saturni,& habitabat ibi. Conuenit autem ad eum omnis populus fratrum. Quod cum comperisset beatissimus martyr,præcepit custodiri puellas, quæ aduenerant audire verbum Dei: quoniam ante ostium principis manebant ob amorem martyris glorioſi. Mane autem facto oblatus est beatus Cyprianus proconsuli. Quem intuitus ait,Tu es Thascius Cyprianus qui te Papam sacrilegę mentis hominibus prębuisti?iusserunt te sacratissimi imperatores sacrificare:consule tibi ne pereas. Sanctus martyr respondit, Ego sum Cyprianus: Christianus sum, & diis sacrificare non potero:tu vero quod tibi præceptum est fac.in re enim tam iusta,nulla consultio est. Tunc iratus proconsul dixit, Diu sacrilega mente vixisti,& plurimos tibi nefariæ cõspirationis homines adgregasti, & inimicum te diis Romanis & sacris religionibus constituisti. nec te pij sacratissimíque Imperatores ad consensum ceremoniarum suarum reuocare potuerunt, & ideo cum sis nequissimi criminis auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his quos scelere tuo tecum adgregasti. sanguine tuo sanciẽtur disciplinæ.Et his dictis decretum ex tabella recitauit,Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet. Sanctus Cyprianus hæc audiens dixit, Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur absoluere. Et cum duceretur,populus fratrum plangens & eiulans dicebat,Et nos cum eodem decollemur. Perductus autem glorioſus martyr, exuit se lacernum bir-

rum, quem indutus erat, complicans, & posuit ad genua sua. Dein tunicam tulit, & diaconibus tradidit. Et stans in lineis expectabat speculatorem: cui & viginti aureos dare præcepit. Fratres vero flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra. Ligatis quoque manicis ad ceruicem à Tulliano presbytero, ipse sibi manu propria oculos texit: & sic gladio percussus, occubuit. Huiusque corpus propter gentilium curiositatem, cum magna turba populi in proximo collocatum est. Sed ne à gentilibus tolleretur, nocte adueniente, ex eodem loco vbi positum fuerat, sublatum est: & inde cum cereis & scholaribus in area cuiusdam Candidi procuratoris, cum magno triumpho sepultum est. Tale martyrium beatus Cyprianus Carthaginiẽsis episcopus expleuit pro nomine domini nostri Iesu Christi: cui est gloria in secula seculorum. Amen. Corubitana ciuitas dicitur, vbi in exilium fuit. Vicus vbi in domo principis officiorum habitauit, dicitur Saturni, inter Veneriam & Salariam. Atrium quoq; proconsulis dicitur Sauciolum. Locus in quo decollatus est, vocatur Sexti. Sepultus est in areis Macrobij Candidi procuratoris, quæ sunt in via Apellensi iuxta Piscinas. Passus est XVIII. Cal. octobris. Galerius Maximus proconsul post dies paucos discessit è seculo.

PASSIO BEATI CYPRIANI EPISCOPI CARTHAGINIENSIS, PER PAVLum diaconum edita. III.

TEMPORIBVS Valeriani iniquissimi Imperatoris, fuit in Carthagine, quę est in Africa, glorioſissimus vir, nomine Cyprianus: qui primo quidem rhetoricam docuit: deinde à quodam presbytero nomine Cæcilio, conuersus ad fidem Christi, nomen quoque sortitus est Cæcilius: qui omne culmen gestiens adsequi Christianæ religionis, perfectionem quam Christus consulenti iuueni de vita æterna deprompserat, secutus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit, vt nudum mater ecclesia susciperet, quem nudum mater carnea terræ edidisset: veraciter perspiciens, non posse perfecte in inenarrabili Dei sapientia philosophari, terrenis cupiditatibus innixum. Nanque ita Dei ineffabili sapientiæ cõtemplandæ se tradidit, vt toto orbe prope notissimus, sole clarius extent eius innumera volumina, quæ in euangeliis & aliis voluminibus optime perorauit: chronicam quoque valde vtilem composuit, & exhortatorias ad multos sanctorum epistolas, in quibus ardorem fidei velut bonus demonstrauit athleta. Post multum vero temporis, vt non abdita maneret lucerna sub modio, sed vt luceret instar stellę, spiritalis solis, posita est super candelabrum, vt præsentes & secuturi agnoscerent, non debere doloribus momentaneis cedere, quibus perpetua beatitudo fixa maneret. Denique comprehensus à ministris Paterni proconsulis Carthaginiẽsis, ante eum in quoddam secretarium adductus est, cui ita dixit, Sacratissimi imperatores Gallienus & Valerianus ad me literas dirigere dignati sunt, in quibus sanxerunt, vt omnes homines, deos quos Romani adorant, debeant adorare: & qui contempserint hoc præceptum, gladio feriantur. Audiui vero, quod tu deorum cultum pro nihilo ducas: vnde hortor vt consulas tibi & deos honores. Cyprianus respondit, Christianus ego sum, & nullos alios deos noui, nisi vnum & verum Deum, qui creauit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Huic Deo Christiani seruimus: hunc nocteque dieque deprecamur pro omnibus, etiam pro imperatoribus. Paternus proconsul dixit, Si in hac voluntate perseueraueris,

ueris,peſsima morte peribis.Sanctus Cyprianus epiſcopus reſpondit, Bona voluntas eſt, quæ Deum timet : & ideo non poteſt immutari. Paternus proconſul dixit, Quia in hac voluntate permanes,ſecundū præcepta principum, exilio deputādus es.Sanctus Cyprianus reſpondit,Exul non erit, qui Deum in mente habebit:quoniam *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Paternus procon ſul dixit ad eum,Antequam proficiſcaris,dic vbi ſint presbyteri,qui in hac ciuitate eſſe dicuntur,vel ſimiles tui.Sanctus Cyprianus reſpōdit, Bene atque viriliter legibus veſtris ſanxiſtis, nullos delatores fore debere: idcirco à me prodi non debent,ſed à vobis inueniantur:quia & hoc cenſuiſtis,vt nullus ſe offerret.Proconſul dixit,Ego à te cum tormentis eos exquiram. Sanctus dei reſpondit,Per me non prodentur.Proconſul dixit,Pręceptum principum eſt, ne qui Chriſtiani conciliabula faciant,vel cœmiteria ingrediantur: & ſi quis hoc violauerit,gladio animaduertatur.Sanctus Dei reſpondit,Fac quod tibi præceptum eſt.Cum ergo videret animum eius immutabilem in religione diuina,fecit eum in ciuitate Curubitana exulari,vbi aliquandiu exemplo boni operis multis profuit, nemini obfuit. Cúmque ibi domino in ſanctitate deſeruiret,mortuus eſt Paternus proconſul. Et ipſe de exilio regreſſus,in quodam hortulo commanebat. Cúmque de eo perlatum eſſet ad Galerium Maximum,qui Paterno ſucceſſerat, miſit duos miniſtros, & iuſsit eum ad ſe adduci. Qui cum veniſſent ad eum, leuauerunt eum in curru ſuo, & ad Galerium Maximum perduxerunt. Qui cum vidiſſet eum,ait,Tu es Thaſcius Cyprianus? Sanctus Cyprianus reſpondit, Ego.Galerius proconſul dixit,Tu es quem Chriſtiani Papam ſuum nominant?Sanctus Dei reſpondit, Ego. Proconſul dixit,Iuſſerunt tibi principes noſtri adorare deos. Sanctus Dei reſpōdit, Non faciam. Proconſul dixit,Melius facies,ſi ſaluti tuæ conſulas,& deos non contemnas. Sanctus Dei reſpondit, Salus mea & virtus mea Chriſtus dominus eſt, cui ſine fine ſeruire deſidero. Proconſul dixit, Vicem tuam doleo,& vellem conſulere tibi.Sanctus Cyprianus reſpondit,Conſultum mihi melius non eſſe quæro,quam vt Deum meum adorans, ad ipſum tota mentis auiditate feſtinem : quoniam *non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Iratus Galerius proconſul ait, Diu ſacrilega mente vixiſti,& nefariæ cōſpirationis homines adgregaſti tibi, & inimicum te diis & ſacris religionibus eorum præbuiſti: & non æquiſsimis conſiliis principum adſenſum vnquam præbuiſti,ſed ſemper auctor iniqui nominis & ſignifer extitiſti,& propterea ceteris quos ſceleri tuo adgregaſti,exemplum eris, & in ſanguine tuo diſcent diſciplinam.Tunc ergo dictauit ſententiam,dicens,Thaſcium Cyprianum diis libamina offerre renuentem,gladio animaduerti placet. Cúmque duceretur ad decollandum, ſequebatur eum multitudo populi, & alij clamabant, Moriamur ſimul cum ſancto epiſcopo. Et cum peruenisſet in locum qui dicitur Sexti, quarto ab vrbe miliario, expoliauit ſe birro, & tradidit carnificibus. Dalmaticam vero tradidit diaconis, & ſtetit in linteis, expectans ſpiculatorem. Et dum ille adpropinquaſſet, iuſsit ſuis, illi dare viginti aureos. Cúmque proſtrauiſſet ſeſe in terram,orauit cum lachrimis, & à fratribus linteamina offerebantur, vnde oculos ſibi tergebat. Et cum ſurrexiſſet ab oratione,ſententia ex tabella recitata eſt,ita, Thaſcius Cyprianus gladio feriatur.Et ſtatim reſpondit ſanctus Dei,Amen, Et ceruicem obtulit gladio,temporalémque vitam finiuit, recepturus à Deo ſine fine perpetuam. Sic ergo beatus Cyprianus ſubſecutus eſt fide glorioſa ſanctum Cornelium,eodem martyrij genere,eodem paſsionis die, licet non eodem anno,deuicto diabolo,triumphator migrauit ad cælum. Et ſicut ſcriptum eſt, *Quomodo in vita ſua dilexerunt ſe,ita & in morte non ſunt ſeparati.* Ambo fide clari, ambo conſtantia inuicti, ambo martyrio glorioſi. Nos ergo

fratres oremus omnipotentem Deum, pro sereniſsimo imperatore Carolo, quatenus qui beatum Cornelium papam & martyrem de Romanis partibus ob munimen ſui, cunctorúmque fidelium ſibi, proximari fecit, ac nos de tam magno patrono honorauit, per ſuffragia huius incliti martyris beatitudine perennis vitę ſibi conceſſa, ſanctorum omnium, quos venerabiliter excoluit, conſortia adipiſci mereamur perpetuo obtinenda, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre viuit & regnat Deus in vnitate ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

PASSIO CYPRIANI, EX ANTIQVIS LIBRIS DESCRIPTA. IIII.

PASSIO Cypriani ex die qua martyrium tulit. Ordo autem martyrij hac lectione demonſtratur & declaratur. Cum Cyprianus ſanctus martyr electus à deo de ciuitate Curubitana in qua exilio datus erat, ex prȩcepto Paſsij Paterni tunc procon ſulis clariſsimi viri regreſſus eſſet, ex ſacro reſcripto ſpecialiter hoc & perſonaliter remiſso, in hortis ſuis manebat, & ad diem omnimodis veniri ſicut ei oſtenſum erat, ſperabat. Idem cum illic demoraretur, repente idibus ſeptembribus Thuſco & Baſſo conſulibus, venerunt ad eum principes duo, vnus ſtrator officij Galerij Maximi proconſulis viri clariſsimi, qui Paſsio Paterno ſucceſſerat, & ali⁹ equi ſtrator qui eſſet à cuſtodiis officij eiuſdem clariſsimi viri, & in curriculum eũ impoſuerunt, & ambo eum tenuerunt. & in Sexti tulerunt, vbi idem Galerius max. proconſul, bonæ valitudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat. Eundémque Cyprianum idem Galerius max. proconſul, vir clariſſ. alia die, id eſt craſtina, offerri ſibi præcepit, & ita idem Cyprianus cum principe & ſtratore officij max. proconſulis clariſſ. viri, ſeceſſit, & in hoſpitio eius cum eo in vico Saturni inter Veneriam & Salariã manſit. Illic ante ianuam vniuerſus populus fratrum manſit. Et cum hoc Cyprianus comperiſſet, caſtigari puellas præcepit, quoniam in vico omnes ante ianuas hoſpitij principis iacebant. Et ita altera die, id eſt XVIII. kal. octobris mane multa turba conueniebat Sexti. Et ſecundum prȩceptum Galerij max. proconſulis, clariſſ. viri, in atrio ſedenti Sauciolo oblatus eſt. Quo oblato idem Galerius max. procos clariſſ. vir, Cypriano dixit, Tu es Thaſcius Cyprianus? dixit, Ego ſum. Galerius max. procos. dixit, Tu papatem te ſacrilegæ mentis hominibus exhibuiſti? Cyprianus dixit, Ego. Galerius max. procos. clariſſ. vir conlocutus cum conſilio, ſententiam vix ægre dixit verbis huiuſmodi, Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos tibi nefariæ conſpirationis homines adgregaſti, & inimicum te conſtituiſti diis Romanis & religionibus ſacris. Recte pij & ſanctiſſ. principes noſtri Valerianus & Gallienus Auguſti, & Valerianus nobiliſsimus Cæſar, ſecta feliciſsimorum temporum ſuorum obdurati furoris ad cerimonias percolendas bonámque mentem habendam, tanto tempore non potuerunt te reuocare: & ideo quod nequiſsimi criminis auctor & ſignifer deprehenſus es, quo tu ſcelere docuiſti, ipſo documento peribis, vt quoniam tuo adniſu durauit ſacrilega contumacia, tuo ſanguine ſanciatur diſciplina. Et decretum ex tabella recitauit, Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet.

PASSIO

PASSIO CYPRIANI MARTYRIS ET EPISCOPI CARTHAGINIENSIS, per Prudentium. v.

PVNICA terra tulit, quo splendeat omne quicquid vsquã est,
Inde domo Cyprianum, sed decus orbis, & magistrum.
Est proprius patriæ martyr, sed amore, & ore noster.
Incubat in Lybia sanguis, sed vbique lingua pollet:
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit,
Dum genus esse hominum Christus sinet, & vigere mundum,
Dum liber vllus erit, dum scrinia sacra litterarum,
Te leget omnis amans Christum, tua Cypriane discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in prophetas,
Fontibus eloquij te cælitus actus inrigauit.
O niue candidius linguæ genus, ô nouum saporem,
Vt liquor ambrosius, cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fouet, & pererrat artus:
Sic Deus interius sentitur, & inditur medullis.
Vnde bonum subitum terris dederis pater reuela.
Deerat apostolicis scriptis opulentus executor,
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quò mage cruda hominum præcordia perpolita nossent,
Siue timoris opus, seu mystica, vel profunda Christi.
Vnus erat iuuenum doctissimus, artibus siniſtris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulchra,
Quo geniale tori ius solueret æstuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Christus,
Discutit & tenebras de pectore, pellit & furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti,
Iámque figura alia est, quam quæ fuit oris & nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in seueram,
Deflua cæsaries compescitur ad breues capillos,
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Viuere iustitiæ Christi, & penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus vsque episcopale
Prouehitur solium Doctor, capit & sedile summum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus,
Constituere simul pœnam capitis Deum fatenti,
Milia terrigenum spurcissima iusserant sacrari,
Contrà, animos populi Doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei precium quis sumere degener timeret,
Esse leuem cruciatum, si modo conferat futura,
Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis, & diem perennem.
Omne malum volucri cum tempore transuolare cursim,
Nil graue quod peragi finis facit, & quietem donat,
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Séque caput gladio summittere, sanguinem dicare,
Qui sociare animam Christo velit, vt comes sequatur.

His vbi corda virûm Christo calefacta præparauit,
Ducitur ante alios Proconsule perfurente vinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis abditis reposta,
Conscia tartareæ caliginis, abdicata soli:
Clausus in his specubus, sanctus Cyprianus, & catena
Nexus vtranque manum, nomen patris inuocat supremi:
Omnipotens genitor Christi, Deus, & creator orbis:
Christe parens hominis, quem diligis, & vetas perire:
Ille ergo vipereis, quem tu bonus oblitum venenis
Criminibus variis tinctum miseratus abluisti,
Iámque tuum fieri mandas, fio Cyprianus alter,
Et nouus ex veteri, nec iam reus, aut nocens, vt ante,
Si luteum facili charismate corpus expiasti,
Vise libens tenebris ergastula cæca dissipatis,
Eripe corporeo de carcere, vinculísque mundi
Hanc animam liceat fuso tibi sanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia iudicem tyranni,
Neu sciat inuidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam,
Ne cadat impatiens pœnæ, titubet ne quis tuorum,
Incolumem vt numerum reddam tibi, debitúmque soluam.
Vocibus his dominum permouerat, influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenij, stimulis vt pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, & fidem tueri.
Fama refert, foueam campi in medio patere iussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam.
Saxa recocta vomunt ignem, niueúsque puluis ardet,
Vrere tacta potens, & mortifer ex odore flatus,
Adpositam memorant aram fouea stetisse summa,
Lege sub hac, salis aut micam, iecur & suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte inruerent in ima fossæ:
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite puluereo mersos liquor aridus vorauit,
Præcipitémque globum fundotenus implicauit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes,
Candida massa dehinc dici meruit per omne seclum.
Lætior interea iam Thascius ob diem suorum,
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Dogmatis, atque loci iussus genus, Christianus inquit,
Seruo salutiferi mysteria consecrata Christi.
Ille sub hæc, Satis est iam criminis, ipse confitetur
Thascius, ipse Iouis fulmen negat, expedite ferrum,
Carnificis gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Fleuit obire virum mœsta Africa, quo docente facta est
Cultior, eloquio cuius sibi docta gloriatur:
Mox tumulum lachrimans struxit, cineréque consecrauit.
Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cæli,
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.

Differit,

Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyæ populos tantum regit, exit vsque in ortum
Solis, & vsque obitum, Gallos fouet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit vltimis Hiberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis,
Instruit hic homines, illic pia dona dat patronus.

QVALITER SANCTORVM MARTYRVM CYPRIANI, SPERATI, PANTALEONIS RELIquiæ Lugdunum adeptæ sint.

RECTOR magnificus, piúsque princeps
Augusto Carolus decore fultus,
Sceprrum nobile Francicum regebat,
Subiectos populos pie gubernans,
Lectos æquora iusserat secare,
Eoumque ducem viros adire,
Dum pacem colit ac studet quieti,
Et famam cupit eleuare regni.
Ac iam propitio sibi tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,
Ingressu reduci salum petentes
Intrarunt Libycos repente fines,
Qua Carthago graui iacens ruina
Deflet præteritę decus iuuentæ,
Quondam diues opum choruſca bello,
Florens conciliis, fideque pollens:
At nunc Barbaricis subacta frænis,
Et prisco penitus honore nuda,
Vix vitam tenuem gemendo ducit,
Curis anxia, seruiens tributis.
Hic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt verenda templi,
Cernunt vt tua Cypriane martyr
Seruaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum tuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo sancte caput tibi recisum est.
Et mox ædituis precando flexis
Pandunt sarcophagum, certántque sacros
Artus stringere linteis paratis:
Committúntque sacro corpus locello,
Sperati quoque martyris beati,
Necnon Pantaleonis ossa raptim
Tollunt, cuncta simul ligántque pannis,
Ac tantas loculis gazas recondunt.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec feri metuunt pericla ponti,
Portantes domino pios alumnos,
Quorum cuncta preces tremunt profunda.
Egressis Arelas opima portu

Occurrit placido, sinúque læto
Fessos accipit ac fouet benigne,
Gaudentes reditu solóque nato.
Illic eximias opes ouanti
Deponunt animo, stupente portu
Terrenis solitos patere fluctus,
Cæleſtes subito tulisse gazas.
Quod mox comperit optimus sacerdos
Lugduni placidam tenens cathedram
Sollerti studij calore flagrans,
Intentísque sacris rebus vbique
Leidradum prece supplici serenum
Regem postulat, impetrátque raptum,
Vt rite sacra Martyrum piorum
Nostris manibus ossa conderentur.
Et nunc ad placidam Iohannis aram,
Qui Christum vitrea resperſit vnda,
Dignis cultibus & honore claro,
Florens inclite Cypriane dormis.
Sed quæso vigiles vigilque nostris
Intendas precibus, fiasque nobis
Clemens & validus Dei patronus,
Soluas crimina, conferásque vota.
Sit quæso memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne verbum
Ceruicem gladio dedit secandam:
Sed Christum recinit, silere nescit.
Hanc Christus iugiter benignus audit,
Vel sacro populos stilo excitantem,
Hæreſes ve prauas deosque falsos,
Verbi fulmine funditus cremantem:
Hanc & pro populo & patrono nostro
Semper quæsumus audiat rogantem,
Pastorem foueat gregem propaget,
Det munus fidei, decus salutis.
O doctor sacer, ô beate martyr,
Serua pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuúmque festum
Dictis extulit & honore compsit.
O triplex honor, ô triforme culmen:
O tres magnifici piique testes,
Sit nobis triplici, ô fauens precatu,
Pollens vnica trinitas per æuum.

SERMO D. AVGVSTINI, DE SANCTO CYPRIANO MARTYRE. VI.

SERMONEM à nobis debitum, auribus & cordibus vestris exigit tam grata & religiosa solennitas, qua passionem beati martyris celebramus. Tristis proculdubio tunc ecclesia fuit, & non damno cadentis, sed desiderio recedentis, semper cupiens videre præsentem tam bonum rectorem atque doctorem.

Sed

Sed quos adflixerat sollicitudo certaminis, consolata est corona victoris,& nunc non solum sine vlla tristitia, verum etiam cum ingenti lætitia, cuncta quæ tunc gesta sunt, legendo recolimus, diéque isto nobis gaudere concessum est,non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, sed expectamus hilariter redeuntem. Placet ita vniuersam illam fidelissimi, & fortissimi,& glorioſissimi martyris passionem cum exultatione recordari præteritam, quam tunc fratres sustinuere futuram. Primo itaque quod pro fide confessionis Christi in exilium Curubin missus est,non sancto Cypriano ali quid nocitum, sed multum illi præstitum ciuitati. Quo enim ipse mitteretur, vbi ille non esset, propter cuius testimonium mittebatur? Christus ergo,qui ait, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, Matth.28. in omni loco membrum suum accipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O stulta infidelitas persequentis. Si quæris exilium quo Christianus iubeatur ire,prius si potes,inueni vnde Christus cogatur exire. De patria sua, in alienam te arbitraris excludere hominem Dei: in Christo nusquam exulem,in carne vbique peregrinum. Sed iam memorare & considerare delectat post illud,quod Cyprianus non senserat, sed inimicus putabat exilium, quid ex ordine passionis ipsum cõsecutum sit. Cum enim Cyprianus sanctus martyr electus à Deo de ciuitate Curubitana,in qua exilio præcepto Passij Paterni proconsulis missus fuerat,regrederetur,in hortis suis manebat. Et inde cotidie sperabat venire ad se,sicut ostensum erat illi. Quid iam fremeret persecutoris impetus aduersus cor semper paratum,accedente etiam domini reuelatione firmatum? Quando enim desereret patientem, qui non est passus præoccupari nescientem? Iam ergo quod ad eum passioni exhibendum duo missi sunt,qui eum etiam secum in circulum leuauerunt,in medióque posuerunt, & hoc diuinæ admonitionis fuit, vt gaudens recoleret ad eius se corpus pertinere,qui inter iniquos reputatus est. Christus nanque inter duos latrones ligno suspensus,ad exemplum patientiæ præbebatur. Cyprianus autem inter adparitores ad passionem curru portatus,Christi vestigia sequebatur. Quid illud,quod cum in alium diem dilatus apud custodes esset,atque illuc se multitudo fratrum ac sororum congregans,pro fratribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit, quanta intentione considerandum,quanta laude prædicandum,quanto præconio commendandum est? Vicina corporis morte,non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis,& cura tuendi dominici gregis, vsque ad extremum vitæ huius diem mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris, manus iam proxima cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat futurum, vt esse non obliuiscereturepiscopum, magis curans quam rationem pastorum principi de commissis sibi ouibus redderet,quam quid infideli proconsuli de fide propria responderet. Amabat quippe eum, qui Petro dixerat: *Amas me? Pasce oues meas.* Ioan. 21. Et pascebat oues eius, pro quibus sanguinem fundere illum imitans properabat. Custodiri puellas præcepit,sciens se non solum habere simplicem dominum, sed etiam versipellem aduersarium. Itaque aduersus leonem aperte frementem, in confessione virile pectus armabat, aduersus insidiantem lupum in gregem sexum fœmineum muniebat. Ita vere sibi consulit, qui Deum iudicem cogitat, apud quem causam gestæ huius vitæ,atque ab illo sibi muneris iniuncti quisque dicturus est. Vbi omnis homo recipit, sicut testatur Apostolus,quæ per corpus gessit,siue in bonum,siue in malum. Ita si- 1.Cor. 5. bi consulit,qui ex fide viuens, & satagens, ne ab extremo præoccupetur die, extremum computat omnem diem,& sic deus placidos mores perducit vsque ad extremum diem. Ita sibi beatus Cyprianus episcopus misericordissimus, & martyr fidelissimus consulebat, & non sicut eum lingua subdola diaboli

per os possessi animæ impij iudicis monere videbatur, dicens, Consule tibi. Cum enim eius immobilem mentẽ videret, quando ei dixit, Iusserunt te principes ceremoniari: respondítque ille, Non facio, adiecit & ait, Consule tibi: ipsa est lingua subdola diaboli, & si non huius qui nesciebat quid loqueretur, illius tamen qui per eum loquebatur. Loquebatur enim proconsul non tam secundum principes homines, quorum iussa sibimet iniuncta iactabat, quàm secundum principes potestatis aëris, de quo Apostolus dicit, *Qui operatur in filios diffidentiæ.* Quem, per huius quoque linguam operari Cyprianus nouerat, quod ipse non nouerat. Nouerat, inquam Cyprianus, cum à proconsule audiret, Consule tibi, quod caro & sanguis dicebat stolide: hoc diabolum dicere subdole: atque intuebatur in vno corpore duos, istum oculis, illũ fide. Volebat eum iste mori, volebat ille coronari. Proinde circa istum placidus, circa illum cautus, huic aperte respondebat, & illum vincebat. Fac, inquit, quod tibi præceptum est. In re tam iusta nulla est consultatio. Dixerat quippe ille, Consule tibi. Consulit enim qui consilium vel impertit, vel quęrit. Sed consul non à Cypriano consilium accipere volebat, sed eum potius, vt à se acciperet admonebat. At ille, In re, inquit, tam iusta, nulla est consultatio. Non adhuc consulo, quia non adhuc dubito. Abstulit enim mihi dubitationem ipsa iustitia. Iustus autem vt securus moriatur in carne, certus viuit in fide. Præcesserunt Cyprianum multi martyres, quos flagrantibus exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat. Et erat vtique iustum, vt quos veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur. Ergo in re tam iusta, nulla est consultatio. Quid ad hæc dicamus? quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum? In quid erumpat cor nostrum, & os nostrum, nisi in ipsam venerabilis martyris vltimã vocem? Cum enim Galerius Maximus decretum ex libello recitasset, Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet, respondit ille, Deo gratias. Habentes igitur de rei tantę memoria præsentis loci, festiuitatem solennissimi diei, propositionem saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris & nos dicamus, Deo gratias.

Ephes. 2.

D. GREGORII NAZANZENI THEOLOGI
IN CYPRIANVM ORATIO.

PARVM defuit quin Cyprianus nos effugisset: ô iacturam grauem, idque vos tolerare oportuisset, quibus vir hic præ cunctis aliis admodum mirabilis exsistit, quem & annuis festiuitatibus honoratis & diebus: Cyprianus, inquam, cuius etiam ab obliuiosis in aliis meminisse necessarium foret, si saltem optimorum præcipue memoria est habẽda, & quorum recordatio sancta pariter est & vtilis. verum cum vsura debitum reddemus, dummodo adeo abundantes videamur, & non penitus indigi simus & pauperes, tametsi valde pauperes exsistamus. sed scio, quod nobis ob procrastinationem & inopiam parcetis. cumque vir ille in omnibus magnanimis fuerit & philosophus, vel solum ideo gratias agemus, quod haudquaquam nos effugerit: gratias autem agemus, quoniam id dignum est. exordiendum autem tãquam ob bonũ vestrum reuertamur, ac pulchras Dei mensuras, qui omnia pondere & mensura definit & dirigit, ex quiete ad sermonem, ex martyris amatore ad martyres, ex remissione corporali ad conuiuium spiritale. Proinde desiderauimus vos ô filij, à vobisque desiderabamur, id enim credo: videre patris beneuolẽtiam, quod mihi accidit dico, quod vero vobis testor: tantisperq; inter nos seiuncti fuimus, donec absentia desiderium cognosceremus, & illius sumeremus experimẽtum, quemadmodum pictores tabulas, iterũ sumus regressi. Quàm

magnum

magnum memoriæ incentiuum est consuetudo, etiam perbreuis iis qui moribus præditi sunt gratiosis, ac Dei clementiam imitantur. Et cur, cum Christi simus discipuli, qui se propter nos ad serui vsque formam exinaniuit, ac cum peregrini rerum essemus cælestium ad seipsum congregauit, inuicem amplecti haud deberemus & fouere? spiritusque vnitatem in vitæ custodire vinculo? quæ legis ac prophetarum caput exsistit. Proinde vnicum beneficētiæ ac primum hoc est, vt ocysime in mutuos ruamus amplexus: nequaquam enim dilationem fert zelus, ac iis qui desiderio laborāt, tota vita dies est vnicus. Secūdum autem quod & maximum est, ne post festum demum curramus, aut martyrum priuemur celebritate, necnon deliciis & refrigeriis quæ inde nobis proueniunt. Ego enim inter alia plane me segniorem esse fateor, & omne desiderium deposui, postquam me addixi Christo: nec quic quā eorum me attollit quæ aliis iucunda sunt & adpetūtur. non diuitiæ deorsum trahentes & rotantes, non voluptates ventris, ac satietas iniuriæ parens: non vestitus mollis circunfluens, non gemmarum gratia splendens, non auditus præstigians, non olfactus effœminans, non populi & theatri plausus insaniens, quos iampridem adpetentibus reliquimus: non quæcunque gustus nostri primi, ob quem periimus, sunt fœtus: sed & magnam eorum ignauiam esse scio, qui his se vincere, ac animæ generositatem vilibus his corrumpi sinunt, rebusque fugitiuis non secus ac stabilibus adhibent mentem. at ego in re hac admodum insatiabilis sum, illamque amplector, & adfectum hūc meum magnifacio, vt martyrum oblecter honoribus, ac certantium exultem sanguine. aliorum sint certamina & victoriæ, mihi autem curæ sunt coronæ: adeo gloriam illam præripio, adeoque recta facta mihi domestica facio. Proinde omnibus martyribus festiuitates sunt peragendæ, omnibusque prōpte & lingua, & auditus, & intellectus aperiendus, tam illis qui aliquid de istis dicunt, quàm qui audiunt, omniaque minora quam illorum putanda sunt certamina. Ita enim res se habet, quod cum multa sint quæ nos ad meliora producunt, ac multa quæ ad virtutem erudiunt, verbum, lex, prophetæ, apostoli, Christi passiones ipsæ, martyris primi qui in crucem ascendit, ac me secum deduxit, vt peccatum meum illic adfigeret, de serpente triumpharet, lignum sanctificaret, voluptatem superaret, Adam rursus saluaret, imaginem ruinam minantem reuocaret: inter tanta tamen & talia, non minus nos martyres instruunt, quum holocausta sint rationalia, sacrificia perfecta, oblationes acceptæ, veritatis præconia, mendacij infamatio, legis spiritaliter intellectæ adimpletio, erroris dissolutio, malitiæ persecutio, peccati submersio, mundi expurgatio. Tuum autem Cypriane nomen & opera plus mihi quàm martyrum aliorum sunt venerabilia. siquidē nulla inuidia erga martyres instigat, mirabiliterque à virtute tua superor, ac memoria releuor, & tanquam numine adflatus, voluptate corripior, ac modo quodam martyrij particeps fio, certaminique communico, & totus ad te transmigro. forte propter sermonum domesticitatem, quibus tantum alios superas, quantum ea quæ naturæ sunt rationalis bruta. Cooperatur autem, haud scio quo nam modo, amor inter conuenientes, non minus in rebus aliis, quam inter sanguine iunctos, forte etiam propter mutationem ingentem & admirandā, quæ sermone etiā & exemplo melior exsistit. quoniā sol diu nubibus obtectus lætius splendet. sed & ver post hyemis tristitiā est acceptius, iucundior & tranquillitas blanda ac mare quietum post seditiones ventorum & perturbationem aquarum litoribus adludens. Hic Cyprianus ô viri, quo vos qui nostis iucūdiores reddamini ob memoriam, qui vero ignoratis id quod pulcherrimum est ex nostris discatis narrationibus, necnon communē gloriam Christianorum. Hic inquam, ingens olim Carthaginis nomen, nunc autem orbis vniuersi, diui-

tiis clarus,potentia conſpicuus,genere cognitus. magnum enim nobilitatis indicium, quod in ſenatu clariſsimus erat & præcipuus flos iuuentutis, naturæ ſtatua,eloquentiæ princeps,tam illius quæ ad philoſophiam,quam quæ ad aliam ſpectat doctrinam, idque in quamcunque volueris partem, ita vt non minus in vnoquoq; varietas quam ſubtilitas admirationi exſiſteret, ſeu potius in ſingulis, doctrinæ vniuerſæ excellentia ſumma. vel vt manifeſtius diſtinguam, alios quidem varietate, nonnullos vero ſublimitate, quoſdam etiam vtroq;,omnes autem omnibus ſuperabat. Sermonũ equidem, ſermones ſunt teſtes, quos multos ille & præclaros nobis ſuppeditauit, poſtquam Dei clementia,qui omnia facit,& in melius diſponit, ſtudia ad meliora tranſtulit,rationis defectum effugit. Ad ea vero quæ ſequũtur,haud ſcio quo pacto ſermone vti,aut qualis fieri debeam. quomodo enim, nõ longum extenderem ſermonem,illumque penitus intempeſtiuum,ſi omnia Cypriani geſta recenſere vellem? quomodo autem non magnopere præſentes offenderem, ſi de his reticerem? vt igitur per viam mediam inter tempus & audiẽtium deſiderium incedam,ita mihi faciendum eſſe videtur,vt alia quidem ſcientibus relinquam,quo ignorantes doceant,ſi ſaltem ſunt quidam,vt vtrinque pariter, tam ij qui geſta illius docent, quàm qui diſcunt, emolumenti quid capiant. Quando quidem viri illius ſolum meminiſſe, ſanctificatio eſt, maximumq; ad virtutis exhortationem incitamentum eſt ſermo. breuiter igitur vnius aut alterius ex geſtis eius mentionem faciemus, præcipue illarum quæ nec data opera poſsibile eſſet vt obmitterentur. Prioris itaque vitæ eius meminero,& quæ ſalutis ei via,ac quæ vocatio, mutatio præterea fuerit ad melius. Ceterum admodum ingeneroſum foret & puſillanimum, ſi cenſeretur, quod pugil ob memoriam iniuria adficeretur rudiorem. Nam hoc pacto nec Paulus ille magnus nobis eſſet laudandus, & Matthæus publicanus inter peſsimos habendus eſſet, quemadmodum & Cyprianus ipſe. hic enim priorum perſecutionum ſuarum meminit, zeliq; immutationis, quo ex prioris vitæ comparatione,magis benefactorem glorificaret. ille autem in diſcipulorum numero publicani ſibi nomen impoſuit,tanquam aliquid,quod inter honoranda eſſet inſigne. Cyprianus vero longo ſermone ſui ipſius malitiam infamia notauit, quo & Deo confeſsionem fructificaret, ac multis qui ſe à prauitate conuertunt, via ad ſpem fieret meliorem. Quæ igitur prauitas? & conſiderate qualis ac quàm magna. Dæmonum cultor erat, qui poſtea diſcipulus Chriſti: necnon perſecutor amarulentiſsimus, qui magnus veritatis pugil euaſit: ſed & verbo & opere noſtram perturbabat viam, quoniam ambobus excellebat, qui & ambobus poſtea optimus fuit Chriſtianus. Quãtum vero malum fuit magia, his omnibus coniuncta? quæ inter reliqua eius opera notiſsima erat. necnon corporis inſatiabilitas, quæ & eos qui inter alios ſapientes ſunt,inſanus reddere poteſt, ac deterius ſapere cogit, non ſecus ac pullus indomitus rationem eripiens. Ceterum ſermo nobis ad caput ipſum venit, verum non ideo quiſpiam ad priora Cypriani reſpiciẽs, voluptatibus capiatur,ſed poſterioribus potius continens eſſe diſcat. Virgo quędã erat nobilis & decora,ob corporis elegantiam amore, propter morum vero præſtantiam æmulatione digna: nam & forma erat conſpicua, animi autem virtute longe præſtantior. Huius pulchritudo fama diuulgata,iuuenem confeſtim amore ſauciauit. audite virgines,& vna exultate,immo quę ſub matrimonij iugo eſtis caſtæ ac caſtitatis amatrices. ſiquidem narratio hęc vtriſque ornamento erit. virgo igitur illa adeo forma erat ſpecioſa, vt diuini Dauid carmen illi congrueret, dum ait, *Omnis gloria filiæ regis ab intra.* erat enim ſponſa Chriſti electa. pulchritudo ſingularis,ſtatua animata,aſylum oblationis,templum inacceſſum,hortus concluſus,fons ſignatus,vt aliquid illi à Salomone

lomone quoque accinatur. ſolo enim Chriſto erat reſeruata. huius amore magnus captus eſt Cyprianus, vnde & quomodo ignoro, nã illa penitus tutam ſe & decore obſeruabat. tangũt enim oculorum faces intangibilia etiã. inſtrumentũ enim ſunt expeditiſsimum, & nulla ſatietate implendum. ac non ſolum captus eſt, ſed & ſollicitauit. Proh ſtoliditatis, quod illam prædari ſperabat, ſeu potius imprudentiæ. proinde is qui tale quid audebat, & ad audendum perſuadebat, ille idem erat, qui ſub initium contra primam creaturam in paradiſum proſerpſit: & medius inter angelos ſtetit, Iob exquirens: tandemq́ue propter eandem audaciam à domino deſtructus eſt & interfectus, quod eum tentare auderet, qui tentationi nequaquam ſubiacet. ſiquidẽ Dei adparentia, ſecundus illi Adam viſa eſt, ac ideo illum eſt adortus. ignorabat enim cum hominem̃ adgrederetur, quod incideret in Deum. Quid mirũ igitur, ſi per Cyprianum, etiam animam ſanctam & corpus non tangendum tentaret. Ille igitur tentabat, ſed nullo vtebatur internuncio: nõ muliercula aliqua, iam pridem ad negocium tale apta, ſed dæmone quodam, & corporis & voluptatum amatore: quoniam virtutes defectrices & inuidæ, admodum celeres ad miniſterium ſunt tale, ac multos ruinæ ſuæ ſocios quærunt. erat autẽ conciliationis merces, ſacrificia, libationes, & per ſanguinem ac nidorem placatio. talis enim merces debetur ijs qui talia largiũtur. At illa poſtquam malum ſenſit, ac inſidias cognouit: puræ enim animæ ac Deo forma ſimiles, celeriores ſunt ad venationem euitandam, quam dæmon ad perſequendum, licet valde ſit verſutus, conatuq́; verſipellis. Quid igitur facit? & quid contra prauitatis molitur opificem? Omnibus aliis obmiſsis, ad Deum confugit, ac ſponſum ſuum contra cupidinem execrandam protectorem facit. qui & Suſannam liberauit, & Teclam ſaluauit: hanc quidem à ſenibus amarulentis, illam autem à Proco tyranno, & patre magis etiam tyranno. & quiſnam ille erat? Chriſtus, qui & ſpiritus increpat, & eos qui in ſubmerſionis periculo erant ſubleuat, & pedeſter per mare ambulat, & dæmonum legiones in profundum præcipitat, & liberat iuſtum ex lacu, leonibus pro cibo expoſitum, & manuum extenſione feras ſuperantem. liberat & prophetam profugum, à ceto deuoratum, qui in viſceribus etiam fidem ſeruabat. ſaluat etiam in flamma pueros Aſſyrios, cum rogum angelus refrigeraret, ac tribus ſe quartum adiungeret. Hæc & plura alia cum commemoraſſet, virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini opem ferret, ieiuniiq́ue & humi cubationis pharmacum obiecit, ac interim pulchritudinem tanquam inſidiatricem tabefecit, quo ſubtractione materiæ, paſsionum flammas conſumeret, ſimulq́ue Deum humilitate placauit. ſiquidem ex cunctis rebus nulla magis quam aduerſitate colitur, ac lachrimis clementiã retribuit. Ceterum noui, quod reliqua narrationis deſideratis: pro virgine enim anxij eſtis, nec minus pro amatore, ne deſiderium amborum in malum deſinat. ſed confidite: cupido enim fidei hoſpes efficitur, ac virginem ſibi ipſi deſponſat amator. à Chriſto deſponſatur, & cupidinum flamma eſt extincta, veritatis autem accenſa. qualiter & quo nam modo? atqui narratio mihi dehinc ſuauiſsima erit. Vicit virgo, vincitur dæmon: tentator ad amatorem accedit, victum ſe prædicat: contẽnitur, contemptus indignatur, ac contemptorem vlciſcitur. vltio autem quænam fuit? in cultorem ipſum immigrat, quo malũ malo pelleretur, & rabie rabiei medicamen fieret. à virgine enim repellitur, nõ ſecus ac machina à muro firmo & generoſo, ob verba & orationes profugus, ac cum eo qui illum miſerat luctam iniit. pro miraculi, rurſus ad mittentem reuertitur, & tanquam Saul alterum ſuffocare nititur. Quid igitur? amator inſipiens, & obſeſſus moderatus: mali ſolutionem quęrit, inuenit. omnis enim qui angitur, ingenioſus exiſtit. & quænam fuit ſolutio? ad virginis Deum confugit, quemadmodũ Saul

ad citharam & pulsationē Dauid:ad pastorē illius accedit,purgatur quemadmodum à cupiditate, propter plagam:ita & à spiritu maligno propter fidem in Christum,transfertque desiderium,diu tamen ei creditum non est, sed repulsam tulit.res enim incredibilis videbatur & admiranda, Cyprianum aliquando Christianis adnumerari, etiam si omnes homines Christi sequerentur fidem.Immutatur igitur.argumētum vero cōuersionis manifestum, quod publice libros proposuit magicos, ac de malo thesauro, necnon infirmitate sua triumphum agit, prædicat stultitiam, splendidam ex illis concitat flammam, igni longam deceptionem consumendam exponit, quæ vnicæ carnis flammæ nullam opem ferre potuerat.à dæmonibus deficit,Deo redditur domesticus. O gratia quanta est,Deum malo amore, & spiritu inuenit. Ouis sacra fit,caulæ sacræ: & vt ego à quodam audiui, minister etiam, multis rogatus vt in humilitate ob arrogantiam philosopharetur priorem. Inde pastor factus est, & fere ex pastoribus optimus & probatissimus. non enim Carthaginiensium ecclesiæ præsedit soli,seu Africæ, quæ ex illo & per illum celebris in præsentem vsque diem est facta, sed & Hesperiæ vniuersæ, immo orienti fere ipsi, ad finem vsque meridiei & septentrionis, quocunque ille admiratione sua peruenit. Sic Cyprianus factus est noster. hæc signorum & portentorum Deus peregit. Hæc ille fecit, qui Ioseph per fratrum insidias in AEgyptum perduxit, ac illum per mulierem probauit, & frumenti distributione glorificauit, ac in somniis instruxit, quo illi in terra aliena fides adhiberetur,& à Pharaone honoraretur, paterque multorum fieret milium. propter quos AEgyptus adfligitur, mare scinditur, pane pluit, sol sistitur, promissionis terra sorte diuiditur.nouit enim sapiētia diuina, à longe etiam magnarum rerum iacere fundamenta, contrariaque contrariis dispensare, quo plus miranda exsistat. Proinde ex Cypriani rebus pulcherrimis ad perfectæ laudis mensuram hęc sufficerent.nunc autem obmissa tot sunt & talia, vt si nihil ex prædictis ad laudem supereesset, reliquis tamen omnes vincere posset. Nam vt media obmittam,veluti pecuniarum contemptum,superbiæ dissolutionem, corporis castigationem & puritatem, pristinis motibus contrariam, vestitus moderationem, sublimitatem in conloquiis, pariter & humanitatem, ita vt ex æquo tenuitas abesset & cōtumacia. humi cubationes, vigilias.nam licet tardius hæc didicisset, longe tamen præuenientes superauit in sermonibus disceptationem, quibus virtutes omnes docuit,& dogmatum ignorantiam purgauit,ac hominum vitas ornauit,& principalis ac regiæ trinitatis deitatem detruncatam, à quibusdam vero coartatam in pristinam dignitatem reduxit,in pietatis terminis vnitatis & connumerationis permanens. Hæc igitur propter multitudinem contraham, ac per vitæ illius dissolutionem orationē etiam dissoluam. Insaniebat cōtra nos Decius, ac omnes pœnarum formas excogitabat.quædam igitur ex grauibus præsentia erant. alia vero in futurum expectabantur. æque autem decertabat, vt & Christianos tolleret, & priores persecutores sæuitia superaret. seu potius vt Christianos omnes, aut Cyprianum solum tolleret, & coram tribunali sisteret. Quantum enim pietate & gloria virum præcellere nouerat, tantū etiam sibi victoriam splendidiorem & clariorem fore putabat,si illum superasset.solum enim hunc ex Christianis supereesse,quem si vicisset, eadem etiam opera eos philosophia ipsa,ac sermonibus,necnon lingua prius priuare posse.Inde ipsos qui illis essent muniti,mutos & ratione cassos seducere pulcherrimū stratagema fore censebat:nequaquam recte seu pie ita cogitans, sed potius contra rationem omnem,necnon consilia sua & conatus proprios.quod quidem & res ipsa ostendit. postquam enim Cyprianus adgressionem omnem ac tentationem viriliter ac generose repulisset,non secus ac petra marina incursiones aqua-

nes aquarum, tandem in exilium à Decio est pulsus. Verum nequaquam illi curæ erat generositas sua, nec ideo oblectabatur quod esset saluatus, neque corporis securitatem ignominiæ, aut animę periculum quieti præferebat: sed potissima eius cura erat, ne despiceret illos qui eo tempore periclitabantur, cum non esset qui eos ad certamina instrueret & hortaretur. siquidem non paruas sermo vires habet ad confirmandum animos eorum qui iam in virtutis stadio vestes deponunt. ac ideo corpore quidem aberat, spiritu vero aderat, certantesque certando adiuuabat. verum cum lingua opem ferre nequiret, scriptis tamen succurrebat. & quomodo? aliptes factus est, licet exul esset, adhortationesq; conscripsit, & quæ pietati conuenirent literis mandauit, ac ita solus ipse plures fere per epistolas martyres fecit, quam omnes alij qui laborantibus adsistebant. Persuadebat enim non patriam, nō genus, non opes, non potentiam, non aliud quid terrenum, veritati præferendum esse, necnon virtutis præmiis, quę recondita essent iis qui pro bono decertarent: illamque negociationē optimam esse, vt pauco sanguine regnum emeretur cælorum, ac gloria sempiterna pro rebus acciperetur temporariis. vnicam enim patriam sublimibus esse, Hierusalem nempe, quæ mente percipitur, & non eas quę paruis terminis circunscribuntur, ac multos incolas permutant. vnicum præterea generis esse splendorem, vt imago conseruaretur, & primo exemplari adsimilaretur, quantum illac pertingere conceditur iis qui carne sunt ligati, & qui paruum boni defluxū susципere possunt. Sed & vnicam esse potentiam cōtra malignum, fortitudinem, & animæ in certaminibus pro pietate vim inexpugnabilem & inuictam, quando malitia aduersus virtutē decertat, munduque contra mundum, solubilis nempe contra permanentē, & amarus agonothetes contra pugiles generosos, necnon Belial contra Christum instruitur. Propter hæc itaque gladium contemnendum esse persuadebat, ignemque frigidum esse censendum, ac feras truculentissimas cicures esse putandum, famem vero supernas existimandas esse delicias, lachrimas autem domesticorum, necnon luctus & vlulationes negligēdas esse tanquam maligni inlecebras, ac diuini itineris impedimenta. hæc enim virilium generosorum & prudentium intellectu animarum esse propria. sed & exemplum prope erat, ille idem qui hæc dicebat, ac scribebat, omniaque contemnebat, vt solum Christum lucrari posset. Cyprianus igitur cū ita sentiret, talibusq; cogitationibus armatus esset, pugiles quamplurimos ad certamina instruebat. at quam mercedem inde retulit? largissimam & glorioſissimam. Martyr post omnes quos præmiserat est factus, caputque illi ense est detrūcatum, ita vt multis experimentis hanc tādem adponeret coronidem. Sic ad Christum deducitur, sic ad Christum transfertur, qui antea impietate abūdauerat, longe tamen pietate tū maior. Cyprianus magnus persecutor, & coronæ susceptor, non minus mutatione quam virtute admirabilis. Siquidem non tam magnum est typum seruare boni, quàm pietatē induere nouam. hoc enim consuetudinis est, illud vero consilij sani. & huius quidem exempla sunt multa, illius vero pauca. Proinde in enarrandis illius miraculis parumper adhuc sermoni indulgebimus, quo tanto gratificemur pugili. tales igitur viri fuere actiones, taliſq; certaminis modus. Postquam vero vitam finiuit, si ita loqui fas est, & non potius rem illam ad Deum profectionem, aut desiderij impletionem, seu vinculorum dissolutionē nominare oportet, miraculis etiam hic claruit, priori vita admodum dignis. erat nomen Cypriani apud omnes celebre, & non solū apud Christianos, sed illos etiam qui aduersæ partis erāt. probitas enim apud cunctos pariter venerabilis exsistit. corpus vero latebat, eratque thesaurus ille apud mulierculam quandam pietate feruidam, idque tempore longo: siue quia Deus deuotam illam honorare voluerit, ac ideo

illi martyrem conceſſerit: ſiue quia deſiderium noſtrum exercere deſtinauerit, num ægre laturi eſſemus, ſi martyrum priuaremur reliquiis? Cum vero martyrum Deus nequaquam ferret, vt omnium bonum, vnius ſolum priuatum eſſet, neque commune in illius gratiam damno adficere vellet, per reuelationem corpus publicauit, idque fœminæ cuidam tali honore dignæ manifeſtauit, quo & mulieres ſanctificarentur: ac quemadmodum Chriſtum antea pepererunt, diſcipuliſq; ex mortuis reſurrectionem annunciauerunt, ita nunc quoque vna Cyprianum oſtendit, altera vero ob communem vtilitatem exhibuit. hoc ex illius bonis vltimum fuit. ita igitur ille in medium proceſsit, admodum dignus ne vltra lateret. quomodo autem corpus furto ſubtractum ſit, nequaquã explicare refert, quoniam ſermo noſter longe corporis honoribus melior eſt & ſublimior. hæc apud vos dicta ſufficiãt. Haud enim ſcio, num plura reſtent dicenda. nam ſi longum etiam ſermonem extenderemus, nequaquam tamen digne illius virtutes enumerare poſſemus, neque ea quæ vnuſquiſq; de viro illo præſumit. hæc igitur breuiter percurrimus, vt debitum illius honorem, vel parumper delibaremus. reliqua vero à vobis ipſis adiiciantur, quo & vos aliquid martyri offeratis, veluti dæmonum purgationem, morborum diſſolutionem, futurorũ cognitionem: omnia poteſt Cyprianus, & puluis cum fide, quemadmodum norunt ij qui ſunt experti, ac miraculum ad nos vſque tranſmiſerunt, temporiq́ue tradiderunt futuro. quin potius maiora his offeratis, & qualia eos decent qui illum rite venerantur, corporis nempe exinanitionem, animę eleuationem, prauitatis declinationem, virtutis incrementum: virgines carnis contemptum, mulieres ornatum, virtutis magis quam corporis. Iuuenes contra animi paſsiones virilitatem, ſenes conſilia ſana, magiſtratus legum æquitatem, qui in exercitu ſunt manſuetudinem, eloquentes quod rationi conuenit. quin & ex noſtris dicam, qui ſacerdotes religionis cultum, qui ex populo ſunt obedientiam, qui in luctu conſolationem, qui proſpere agnut timorem, diuites diſtributionem, pauperes gratiarum actionem. omnes contra malignum & amarulentum perſecutorem aciem inſtruant, ne adparens feriat, ne deliteſcens ſagittet, ne ſicut tenebræ impugnet, ne ſicut angelus lucis inludat, & ad perditionis ſuffuretur barathrum. Graue eſt oculis capi, ac lingua vulnerari, necnon auditu ineſcari, iraq́; feruidum ſuccendi, ac guſtu ſeduci, & tactu emolliri, armiſq́ue ſalutis pro mortis vti armis. opus eſt vt fidei muniamur ſcuto, & maligni inſidiis reſiſtamus, vt cum Chriſto vincamus, & vna cum martyribus decertemus, quo magnam illam vocem audiamus, *Venite benedicti patris mei, hæredes eſtote regni vobis parati.* vbi lætantium cunctorum eſt habitatio, necnon eorum qui choream ſaltant indeſinentem, vbi ſonus eſt feſtiuitatẽ peragentium, voxq́ue exultationis, ac deitatis inluſtratio perfectior & purior, quàm ea qua nunc in ænigmatis & vmbris fruimur. His ſi Cyprianus veneratus fuerit, magis gaudebit quàm omnibus rebus aliis. hæc in vita adhuc præſens docebat, ac nunc abſens omnibus, noſtra annunciat voce. quam ne quaquam deſpicietis, ſi ſaltem tolerantia illius, necnon pro veritate certamina ac legatio hæc mea vobis curæ fuerint. Proinde hæ tibi diuinum & ſanctum caput à me ſint primitiæ, hic tibi ſermonum & certaminum honor, non oleaſter Olympicus, non laurus ludicrum Delphicum, non pinus Iſthmica, non apium Nemæum, quibus ephebi remunerabantur infelices, ſed ſermo qui admodum peculiaris eſt cultoribus ſermonis. quod ſi certaminibus & ſermonibus tuis eſt dignus, hoc mihi ſermonis erit præmium. tu vero nos ab alto propitius reſpice, noſtrumq́ue ſermonem ac vitam dirige, & ſanctũ ouile hoc paſce, aut vna rege, ac reliqua quantũ poſsibile eſt ad meliora diſpone, mõleſtoſq́ue lupos ſyllabarum & verborũ venatores illos abige, ac ſanctæ

ctæ trinitatis, cui nunc adstas, splendorem nobis perfectiorem & clariorem gratificare, quam adoramus, quam glorificamus, de cuius nos republica sumus, adorantes patrem in filio, filium vero in spiritu sancto, cui & paulo post adsistemus, sinceriores & illæsi in ipso Christo domino nostro, cui omnis gloria, honor, & imperium in secula, Amen.

IN NATALI SANCTI CYPRIANI, SERMO BEATI MAXIMI EPISCOPI Taurinensis. VIII.

IN MARTYRIO Beatissimi Cypriani, fratres charissimi, vniuersa nobiscum Christi exultat ecclesia, quam in omne gaudium, & cælestis eruditio sermonis instruxit, & munere triũphalis sanguinis decorauit. Fuit enim in eo sicut compertum habemus, & contra errores diaboli, spiritalis sapientiæ plenitudo, & aduersum persecutiones mundi, Christiani pectoris infatigata constantia. Quis non huiusmodi virum quantis valet præconiis prosequatur, cuius eloquentia inspirata diuinitus, & ecclesias docuit, & seculum confutauit? Vere hic mirabilis, atque omnium vbique studiis celebrandus, quem sanctitas sacerdotem, peritia doctorem, fides martyrẽ consecrauit. *Preciosa*, inquit Dauid, *in conspectu domini mors sanctorum eius.* Videte charissimi, inquantum venerabilis Cyprianus, etiam propheticam supergressus est laudem, cuius in conspectu domini non solum mors, sed & vita exstitit preciosa. Moriendo nanque proprium Christo sanguinem dedit, viuendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cælo martyras adquisiuit. Quid hoc clarius sacerdote? qui inter hominum turbas gloria cælestis conuersationis emicuit, atq; inter angelicos cœtus, & sua factus est & aliorum morte conspicuus? Iustissime hic cum patriarcha Dauid cantauit domino Deo suo dicens, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo.* Exultauit itaque cor eius in Deo viuo, cum morientis ac morituri seculi vanitate despecta, totum se diuinis mancipauit obsequiis. Exultauit & caro eius in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris, sed piis pro religione suppliciis cõsecrata migrauit. Hic est ille euangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo noua & vetera, qui veteris nouique testamenti vnum atque idipsum mysterium prædicans, ecclesias Christi locupletissima disputatione ditauit. Incorruptilis atque indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam domini sui numulariis fœnerans, quotidie in corde fidelium cælestium diuitiarum sanctam conquirit vsuram. Quid igitur fratres tãto speciosius viro, cuius hæc est regula & mensura sermonis, vt inter varias hominum causas motusq; diuersos, nunc affectione patris, nunc auctoritate doctoris cõsoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tantoque denique decore sacerdotium vitamque suam vir fidelissimus adornauit, vt doctrinã suam subsequentibus confirmaret operibus, dominicam illam sententiam tenens, *Qui docuerit & fecerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Quã magnus hic, quamq; præcipuus in regno cælorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, & mors Deo deuota sublimat? Nec immerito fratres, tanto cum honore nominis eius memoria, per amplissima mundi spacia celebratur, quia per vniuersum orbem ad firmamentum fidei nostræ, & passio eius & doctrina profecit.

DE CYPRIANO

FIRMIANVS LACTANTIVS DIVINARVM INSTITVTIONVM, LIB. IIII. CAP. I.

VNVS præcipuus & clarus exſtitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſsione quæſierat, & admodum conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuaui, & quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, vt diſcernere nequeas, vtrúmne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit.

EVSEBIVS CHRONICO.

OLYMPIADE CCLIX. anno tertio anno domini CCLIX. Cyprianus primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginiẽſis epiſcopus, martyrio coronatur.

D. HIERONIMVS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

CYPRIANVS Afer, primum glorioſe rhetoricam docuit: exinde, ſuadente presbytero Cæcilio, a quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit: ac poſt non multum temporis, electus in presbyterum, etiam epiſcopus Carthaginiẽſis conſtitutus eſt. Huius ingenij ſuperfluum eſt indicem texere, cũ ſole clariora ſint eius opera. paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno principibus, perſecutione octaua, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno.

IDEM HIERONYMVS EPISTOLA AD PAVLAM.

TERTVLLIANVS creber eſt in ſententiis, ſed difficilis in loquẽdo. Beatus Cyprianus inſtar fontis puriſsimi, dulcis incedit & placidus: & cum totus ſit in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis, de Scripturis diuinis nequaquam diſſeruit.

ET COMMENTARIIS IN IONAM, CAP. III.

PROPONAMVS nobis beatum Cyprianum, qui prius idololatriæ adſertor fuit, & in tantam gloriam venit eloquentiæ, vt oratoriã quoque doceret Carthagini: audiſſe tandem ſermonem Ionæ, & ad pœnitentiam conuerſum, in tantam veniſſe virtutem, vt Chriſtum publice prædicaret, & pro illo ceruicem gladio flecteret.

M. MARVLVS DE INSTITVTIONE bene beateque viuendi, lib. II.

CYPRIANVS Damaſcenus, primũ quidem magus & gẽtilis, deinde vero epiſcopus Chriſtíq; martyr. Cum enim totis maleficorum viribus Iuſtinam virginem in amorem Aglaï iuuenis qui eam deperibat, pellicere molitus fuiſſet, & dæmones re infecta reuerſi, nullum ſibi in ipſam peccandi locum relictum dixiſſent, eo quod crucis munimine Chriſtiana fœmina caſtitatem ſuam protegeret, cõtinuo relictis dæmoniis Chriſtianorum religionem ſequi decreuit. Baptizatus ergo tantum fide & ſanctitate profecit, vt ad epiſcopatũ promoueri meruerit, & martyrio coronari. Idem igitur qui magus fœminam vincere nullo modo potuit, Chriſtianus factus, tyrannorũ tormenta facile ſuperauit.

IDEM

ELOGIA.

IDEM LIBRO QVINTO.

CYPRIANVS Carthaginiensis episcopus, cuius multa religiose & eleganter scripta extant, Carthagine passus est sub Valeriano & Gallieno principibus. Hic ob Christianam adsertionem primo in exilium actus, deinde reuocatus, cum edictum quo capite cædēdus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil præ se tristitiæ ferens. Deinde suis præcepit, vt spiculatori à quo percuti deberet, quinque & viginti aureos mercedi darēt, quasi beneficium ab eo, non interitum accepturus. itaque oculos ipse sudario tegens, extensam ceruicem gladio subiecit, & coronam accepit martyrij, tam animi constantia in patiendo clarus, quam eruditione in docendo.

IOAN. TRITTHEMIVS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

CYPRIANVS Ecclesiæ Carthaginiensis in Africa episcopus, vir doctus atque sanctissimus, multis annis Rhethoricam gloriose docuit, & in omni literatura seculari doctor magnificus fuit. Deinde persuadēte presbytero Cæcilio, à quo sortitus est cognomen, ad fidem Christi conuersus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit. Ac non multo post in presbyterum electus, etiam episcopus ordinatus est. Qui cum in diuinis scripturis studiosus esset, ad ædificationem fidelium multa vtiliter edidit, & subiecta volumina Latino sermone cōscripsit, videlicet, De gratia Dei ad Donatum. Contra Demetrianum. De pietate & eleemosyna. De laude martyrij. De zelo & liuore. De bono patientiæ. De mortalitate. De virginitate. De lapsis. De sacramento calicis. De vnitate fidei. De oratione dominica. De vanitate idolorum. De vita clericorum. De duobus montibus. Ad Antonianum de Nouato. De Iudæis ad Quirinum, libros duos. Ad Cornelium papā Epistolas octo. De aleatoribus. Ad Iubaianū. Epistolarum ad diuersos librū vnum. Sed & alia multa composuisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt. Libellus de duodecim Abusionibus seculi, Cypriano à pleriſq; adscriptus, phrasin eius non redolet. Passus est tandem sub Valeriano, eo die quo Cornelius Romæ, sed non eodem anno, videlicet anno domini CCXLVIIII. Indictione XII. XVIII. Kal. Octobris.

DE LIBRO SEV EPISTOLA AD DONATVM. I.

AVGVSTINVS DE DOCTRINA CHRISTIANA, LIB. IIII. de generibus dicendi loquens.

IN POPVLO graui nec illa suauitas *orationis* delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter & grauiter ornarentur. Est tale aliquid in epistola B. Cypriani: quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, vt sciretur à posteris quam linguam doctrinæ sanitas ab ista redundantia reuocauerit, & ad eloquētiam grauiorem modestioremque restrinxerit. qualis in eius consequentibus literis secure amatur, religiose adpetitur, sed difficile impletur. Ait ergo quodam in loco, PETAMVS HANC SEDEM, &c. Non dicuntur ista, nisi mirabiliter adfluentissima fœcunditate facundiæ, sed profusione nimia grauitate displicent. qui vero hæc amant, profecto eos qui non ita dicunt, sed castigatius eloquuntur, non posse ita eloqui existimāt, non iudicio ista deuitare. Quapropter iste vir

ſanctus, & poſſe ſe oſtendit ſic dicere, quia dixit alicubi: & nolle, quoniam poſtmodum nuſquam.

AD DEMETRIANVM II.

CAELIVS LACTANTIVS FIRMIANVS LIB. V.

ALIVD eſt accuſantibus reſpondere, quod in defenſione aut negatione ſola poſitum eſt: aliud inſtituere, quod nos facimus: in quo neceſſe eſt, doctrinæ totius ſubſtantiam contineri, non defugi hunc laborem, vt implerem materiam quā Cyprianus non executus eſt in ea oratione, qua Demetrianum ſicut ipſe ait, oblatrantem atque obſtrepentem veritati redarguere conatur: qua materia non eſt vſus, debuit. Non enim ſcripturæ teſtimoniis, quam ille vtique vanam, fictam, commentitiam putabat, ſed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cū ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis pauliſper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tanquam debuit, eiq; paulatim lucis principia monſtrare, ne toto lumine obiecto caligaret. Nam ſicut infans, ſolidi ac fortis cibi capere vim non poteſt, ob ſtomachi teneritudinem, ſed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus veſci fortioribus poſsit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana teſtimonia offerri, id eſt philoſophicorum & hiſtoricorum, vt ſuis potiſsimum refutaretur auctoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum, vt iis ſolis contentus eſſet quibus fides conſtat, acceſsi Deo inſpirante vt ego facerem, & ſimul vt viam ceteris ad imitandum pararem.

DE ECCLESIAE VNITATE. VII.

AVGVSTINVS TOM. QVINTO.

SIMPLICITAS magis quam duplicitas eccleſiæ placuit vniuerſæ toto terrarum orbe diffuſæ. Cui Cyprianus ipſe quale teſtimonium perhibeat, audi ex Epiſtola quam de Vnitate conſcripſit: *Auelle*, inquit, *radium ſolis à corpore, &c.*

DE ORATIONE DOMINICA. VIII.

HILARIVS IN MATTHAEVM.

DE ORATIONIS ſacramento neceſsitate nos commentandi Cyprianus vir ſanctæ memoriæ liberauit.

AVGVSTINVS TOMO VII.

LEGITE aliquando intentius eius *orationis dominicæ* expoſitionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cui eſt titulus, DE DOMINICA ORATIONE.

IDEM TOM. II.

LEGIMVS eis etiam librum beatiſsimi martyris Cypriani de Oratione dominica, & oſtendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores noſtros pertinent, quibus recte viuimus, à patre noſtro qui in cælis eſt eſſe poſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio, à diuina gratia decidamus.

DE

ELOGIA.

DE MORTALITATE. IX.

EVSEBIVS IN CHRONICO.

ANNO Christi CLV. Pestilens morbus totius orbis multas prouincias occupauit, maximéque Alexandriam & AEgyptum, vt scribit Dionysius, & Cypriani de Mortalitate testis est liber.

AVGVSTINVS. TOM. VII.

SCRIPSIT librum de Mortalitate Cyprianus, multis ac pene omnibus qui ecclesiasticas literas amant, laudabiliter notum. Idem Augustinus Epistolæ nomine citat contra secundam Pelagianorum Epistolam.

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS. X.

CITAT Augustinus Epistolæ nomine, libr. IIII. ad Bonifacium contra Epistolas Pelagianorum.

DE ZELO ET LIVORE. XII.

HIERONYMVS IN COMMENTARIIS EPIST. AD GALATAS.

SCRIPSIT & beatus Cyprianus librum de Zelo & liuore valde optimum: quem qui legerit, non dubitabit adnumerare operibus carnis, inuidiam.

AVGVSTINVS. TOM. VII.

IPSA inuidia quantum malum est, non quæramus alios testes: sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de Zelo & liuore dominus verissima intonuit, & salubria præcepit. Legamus ergo Epistolam Cypriani de Zelo & liuore, & videamus quantum malum sit inuidere melioribus, cuius mali originem ab ipso diabolo extitisse, memorabiliter docet, Z*elare*, inquit, *quod bonum videas, &c.*

DE DISCIPLINA ET HABITV VIRGINVM. XIII.

AVGVSTINVS DE DOCTRINA CHRISTIANA LIB. IIII.

DE GENERE temperato *orationis*, est apud Cyprianum virginitatis illa laudatio, *Nunc nobis ad virgines sermo est, &c.* & alio in loco in fine Epistolæ, *Quomodo*, inquit, *portauimus imaginem eius*, &c.

IDEM Augustinus de doctrina Christiana, citat & locum illum, *Si quis pingendi artifex*, &c. in dictionis grandis exemplum, itémque alium ex Ambrosio, subiungitque, Verum ex eo quod ambo egerunt dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe inuecti sunt in eas quæ formam pigmentis colorant, vel potius decolorant.

DE LAPSIS. XIIII.

EVSEBIVS ECCLES. HISTORIAE VII.

CYPRIANVS & De Lapsis librum magnificentissime scriptum edi-

dit, in quo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse à Christi visceribus tradidit.

CITAT & Augustinus Epistolæ nomine, tomo secundo. Item Fulgentius ad Thrasymundum.

AD CORNELIVM DE CONFESSIONE. XVI.

EVSEBIVS IN CHRONICO.

ANNO domini CLIIII. Romanæ ecclesiæ episcopatum post Fabiani glorioſam mortem, vicesimus suscepit Cornelius. qui & ipse martyrio coronatus est. Extant ad eum Cypriani octo Epistolæ.

DE LVCII REDITV. XXVIII.

IDEM EVSEBIVS IN CHRONICO.

ANNO domini CLVI. Lucius XXI. Romanæ ecclesiæ episcopatum tenet menses octo, post quem Stephanus ann. III. Extant ad vtrunque Cypriani Epistolæ.

DE SACRAMENTO DOMINICI CALICIS. LXVIII.

AVGVSTINVS DE DOCTRINA CHRISTIANA LIB. IIII.

BEATVS Cyprianus submisso dicendi genere vtitur in eo libro vbi de Sacramento calicis disputat. Soluitur quippe ibi quæstio in qua quęritur, Vtrum calix dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum est. Post principium ergo Epistolæ, iam soluere incipiens propositam quæstionem, *Admonitos autem vos sciatis*, inquit, &c. Hæc & alia quæ sequuntur huius Epistolæ, submissæ dictionis modum seruant, quod facile est explorare legentibus.

AD IVBAIANVM. LXX.

CITAT Hieronymus aduersus Luciferianos his verbis, Ad Iubaianum quoque de hęreticis rebaptizandis scribens, in fine libelli sic locutus est, *Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate scripsimus*, &c. Expenditur & hæc epistola apud Augustinum libro III. & V. contra Donatistas de Baptismo, tomo. 7.

AD QVINTVM. LXXI.

AVGVSTINVS LIB. II. DE BAPTISMO CONTRA Donatistas auctoritatem Cypriani ad erroris sui confirmationem citantes.

NON me terret auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani: magnum quidem meritum nouimus Cypriani episcopi & martyris: sed nunquid maius quam Petri apostoli & martyris? de quo idem Cyprianus in Epistola ad Quintum ita loquitur, *Nam nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit*, &c.

SENT-

ELOGIA.

SENTENTIAE EPISCOPORVM LXXIII.

AVGVSTINVS TOMO SEPTIMO.

QVICQVID de Cypriani venerabilis martyris, & de quorundam orientalium literis inferendum putasti, quod eis placuerit, apud Hæreticos & schismaticos datum improbare baptismi sacramentum, nihil impedit causam nostram, si eam ecclesiam nostram retineamus quam non deseruit Cyprianus, etiam cum multi eius collegæ in hanc sententiam consentire noluissent. nam & in ipso Concilio dixit, *Neminem iudicantes, nec à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.* Eodem tomo singulæ sententiæ episcoporum expenduntur, lib. III. contra Donatistas.

AD STEPHANVM. LXXVI.

HIERONYMVS ADVERSVS LVCIFERIANOS.

VERVM si voluerint hi qui ab Hilario instituti sunt, & oues sine pastore esse cœperunt, de scripturis ea proferre, que beatus Cyprianus ob hæreticos non rebaptizandos in Epistolis suis reliquit, sciant illum hæc non cum anathemate eorum qui se sequi noluerant, edidisse. Siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraïerant: sed hortatum potius fuisse propter Nouatum, & alias tunc hæreses multas enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur. Sermonem denique suum, quem super hac re ad Stephanum Romanum pontificem habuit, tali fine compleuit, *Hæc ad conscientiam tuam frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione protulimus,* &c.

DE ALEATORIBVS. XCVI.

HVIVS libri Cypriani meminit præter Tritthemium abbatem, Landulfus à Columna Carnotensis in Breuiario historiali, bonámque eius partem ibidem describit. item Iacobus Philippus Bergomas in supplemento Chronicorum, & præter hos Antoninus, & recentiores multi chronographi.

DE SINGVLARITATE CLERICORVM. CV.

LANDVLFVS A COLVMNA CARNOTENSIS IN BREVIARIO historiali, de Origene loquens.

HIC inter alia volumina quæ edidit, codicem de singularitate clericorum composuit, in quo de cohabitatione mulierum vitanda pudicitiáque seruanda pulcherrime loquitur in hunc modum, *Quia de fœminarum commemoratione,* &c. bonámque huius libri partem illic describit. In chronicis item Antonini idem habetur, & apud Lazardum Cælestinum.

DE reliquis censuram habes in obseruationibus quas toti operi subiecimus.

QVAE OBSERVANDA VISA SVNT IN superioribus de Cypriano veterum testimoniis.

PER PONTIVM] *De hoc ita Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum,* Pontius diaconus Cypriani, vsque ad diem passionis eius cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vitæ & passionis Cypriani reliquit. Vt ad exemplum sui literis dirigatur] *In quibusdam codicibus hæc non leguntur. Duo valde anti-*

qui habent. Veneratione dederint] *alias,* debuerint. Paſsio, & quæ dum vixit geſſerit] *Alia lectio reperitur,* Paſsio præteriretur, qui & ſine martyrio habuit quæ doceret, quæ quidē tanta, &c. Numeroſitas glorioſa] gloriarum, *alias legitur.* Vel facta eius cognoſcere] *In codice Romano legitur,* Vel facta eius, etſi interim viua verba tacuerunt, in qua parte ſi dixero nos opibus facundiæ defici, minus dico. Facundia enim, &c. *Vt cudimus vetera exemplaria habent.* Vos precibus fatigatis] *ita in antiquis libris. alij,* Vos nos auribus fatigatis. Ad vtilitatem vitæ, ſed ſeculi pertinebant] *Ita manuſcripti. alias,* Ad vtilitatem niſi ſeculi pertinebant. Lucis induerat] *legitur &,* lucis oculauerat. *& mox,* Cum de lectione diuina quædam iam non pro conditione nouitatis, ſed pro fidei feſtinatione, &c. Ad indigentiam multorum] *Hic locus ita excuſus eſt in Romano,* Ad indigentiam pauperum ſuſtentandā tota precia diſpenſans. Suis prętulit] *ita legendum eſt. excidit enim* T V *ſyllaba.* In illo omnia incredibiliter cucurrerunt] *alias,* incredibilia. Præuenit meſsis ſementē] *In Romano codice eſt,* Præuenit, inquā, tritura ſementē. Statim emeruit] *Alij libri,* acceipit. Non iam vt amicum coæqualis ſectæ] *alias,* Non iam vt amicū animæ coæqualem. Nec lætitia nimia] *alias,* Nec comitas nimia. Oportere vt exemplum patris imitetur] *In Romano eſt,* Cur non exēplum patris imitatur? Ignoſcat ille, & ignoſcat interim] *ſic veteres libri illa tamen lectio non diſplicet,* Ignoſcat iterum. Illis patria nimis chara] *Alia lectio,* Nobis patria minus chara, & commune nomen eſt, qui parentes ipſos, &c. Sed vaſta rupe ſiluarum] *In Romano legitur,* ſed rupes vaſtas ſiluarum. Summa idcirco accepta dilatio eſt] *Ita legitur hic locus in Romano,* Suprema accepta dilatio eſt, vt quicquid circa pauperum fouendorum curam ſupremo iudicio diſponendū fuerat, ordinaretur. Niſi occupari in paſsione vitaret] *alias,* Niſi inuidiam de perſecutione vitaret. Animo ſublimi & ſereno] *alias,* & erecto, hilaritatem præferens & corde virtutem.

IN ACTV PASSIONIS.

ASPASII Proconſulis] *alij nominant hunc proconſulem Paßium Paternum.* Præcepit cuſtodiri puellas] *Alibi eſt,* caſtigari. Qui te Papam] *legitur etiam,* Qui Papatem. *qua voce etiam auctor libri de Aleatoribus eſt vſus.* Dein tunicam] *Paulus diaconus* Dalmaticam *vocat.* Qui & viginti aureos dare præcepit] *Marulus,* Quinque & viginti *numerat.* Corubitana ciuitas] Curubitana, *alij melius.*

IN PASSIONE PER PAVLVM DIACONVM.

BENE Atque viriliter] *In Actu paßionis eſt,* Vtiliter. Per me non prodentur] *alias,* perdentur. Vicem tuam doleo] *In quibuſdam libris eſt,* Vitæ tuæ doleo. Dalmaticā vero] *In Actu paßionis,* Tunica *vocatur.* Et ſtetit in linteis] *in eodem Actu,* Et ſtetit in lineis. Pro ſereniſsimo imperatore Carolo] *Carolum magnum dicit, cuius etiam iuſſu hiſtorias ſanctorum in ſingulis eorum feſtiuitatibus legendas in eccleſia, digeßit & ſcripſit hic Paulus diaconus.*

IN PASSIONE EX ANTIQVIS LIBRIS.

PASSIO Cypriani] *In vetuſtiſsimo codice, tempus notatur initio,* IIII. kal. ſeptembr. Thuſco & Baſſo conſulibus. Alius æqui ſtrator] in *duobus codicibus legitur,* Eque ſtrator. Et ambo eum tenuerunt] *Codex vnus,* teguerunt. *forte pro* texerunt, *id eſt contexerunt ne videretur, & à Chriſtianis in via eriperetur.* Eundemque Cyprianum] Eum denique, *in libro quodam eſt.* Caſtigari iuſsit] *alias,* cuſtodiri. Et ſecundū præceptum Galerij Max.] *Reliquum paſsionis in antiquo*

vno

Vno codice ita scribitur, Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit, Sacratissimi imperatores Valerianus & Gallienus literas ad me dare dignati sunt, quibus pręceperunt eos qui non Romanã religionem colũt, debere Romana cerimonia cognoscere. Exquisiui de nomine tuo, quid mihi respondeas? Cypria nus dixit, Christianus sum & episcopus: nullos alios deos noui, nisi vnũ & verũ qui fecit cælũ & terrã, mare & omnia quæ in eis sunt. Huic Deo Christiani deseruimus. hũc precamur diebus ac noctibus pro nobis, & pro omnibus, & pro incolumitate ipsorũ imperatorum. Paternus procõsul dixit, Et in hac volunta te perseueras? Cyprian. episcop. dixit, Bona volũtas quæ deũ nouit, immutari nõ potest. Paternus dixit, Poteris ergo secundũ præcepta Valeriani & Gallieni exul proficisci? Cyprianus dixit, Proficiscor. Paternus proconsul dixit, Nõsolũ de episcopis, sed de presbyteris mihi scribere dignati sunt. volo ergo scire ex te, qui sunt presbyteri qui in hac ciuitate cõstituti sunt. Cyprianus episc. dixit, Legibus vestris bene atque vtiliter cẽsuistis, delatores non esse. Et ea itaque quę à me detegi & deferri nõ possunt, in ciuitatibus suis inueniẽtur. Paternus procõsul dixit, Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit, Ip si à te exquisiti inueniẽtur. Paternus procõsul dixit, A me inueniẽtur. Præceperunt etiã ne in aliquibus locis cõciliabula faciant, neque cœmiteria ingre diantur. si quis itaque hoc tam salubre præceptum non obseruauerit, capite plectetur. Cyprianus episcopus dixit, Præcepisti. Cum Cyprianus sanctus martyr electus deo, ciuitate Curubitana, in qua exilio expręcepto Aspasij Pa terni proconsulis datus fuerat, regrederetur, in hortis suis manebat. & cum illic demoraretur, de repente idibus septembribus Thusco & Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo, vnus ex officio Galerij max. proconsulis, qui Pasio Paterno successerat: alius vero equistrator à custodiis eiusdem officij, & ambo eum in curriculo leuauerunt, & Sexti tulerunt, vbi idem Galerius maximus proconsul, bonæ valitudinis recuperandæ gratia secesserat: & ita Cyprianus ductus ad principem & ad stratorem eiusdem officij Galerij max. proconsulis. Et illic cum essent in vico qui dicitur Saturni, inter Veneriam & Salariam, mansit ibi vniuersus populus fratrum: & cum hoc episcopus Cyprianus comperisset, castigari puellas præcepit, quoniam omnes in vico ante ianuam hospitij principis mãserant. Et altera die XVIII. kal. octobr. mane multa turba conueniebat ad Sexti secundum præceptum Galerij max. proconsulis, & ita idem Galerius max. proconsul Cyprianum offerri ibi præcepit in atrio Sauciolo sibi sedenti. Atque idem oblatus est ei Cyprianus. Galerius max. proconsul dixit Cypriano episcopo, Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus dixit, Ego sum episcopus. Galerius max. proconsul dixit, Tu papatem te sacrilega mẽte hominibus præbuisti? Cyprianus episcopus dixit, Ego. Galerius max. proconsul dixit, Iusserunt te sacratissimi imperatores cerimoniari. Cyprianus dixit, Non facio. Galerius max. proconsul dixit, Consule tibi. Cyprianus episcopus dixit, Fac quod tibi præceptum est. nam in re tam iusta nulla est consultatio. Galerius max. procos. dixit consilio vix ægre sententiam, Diu sacrilega mente vixisti, & nefarios tibi conspirationis homines adgregasti, & inimicum te diis Romanis & sacræ religioni constituisti, nec te pij & sacratissimi principes ad sectam cerimoniarum suarum reuocare potuerunt signifer deprehensus es, ipse documentum cum his quibus scelere tuo sancietur disciplina. Decretum ex tabella recitauit, Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet. Cyprianus dixit, Deo gratias. Post eius sententiam populus fratrum dicebat, Et nos cum eo decollemur. Cyprianus in Sexti agrum perductus est, & ibi se lacernum birrum expoliauit, & diaconibus tradidit, & in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere: & dum veniisset spiculator, iussit suis vt eidem spiculatori aureos XX. darent. Linteamina &

manilia à fratribus ante eum mittebantur, & ita Cyprianus manu sua oculos sibi texit. Et cum lacinias manuales ligare sibi non posset, Iulianus presbyter & Iulianus subdiaconus ligauerunt: & ita Cyprianus passus est, eiusque corpus propter gentilium curiositatem, in proximo positum est, & ad cereos & scholares inde per noctem sublatum est in areas Macrobij Candidi procuratoris quæ sunt in via Mappilienſi iuxta piscinas, & illic in Mappilia positum est in pace: & post diem Galerius max. decessit.

IN PASSIONE PER PRVDENTIVM, ET VERSIBVS DE RELIQVIIS B. CYPRIANI.

IMBVIT palatum] *In vetusto libro,* Inrigat. Animos populi] *Antiquus liber,* Animas. Se fore principium pulchræ necis] *Primus enim Cyprianus martyrium tulit, episcoporum Carthaginiensium, vt ait Pontius eius diaconus.* Leidradus prece supplici] *Fuit hic Leidradus* LI. *archiepiscopus Lugdunensis, tempore Caroli magni: & post eum Agobardus* LII. *de quo in extremis hisce versibus: qui & in catalogo sanctorum confessorum recitatur.*

IN SERMONE S. AVGVSTINI.

CVRVBIN] *Antea* Turibin, & Turibitana *scriptum erat. ex iis quæ supra posita sunt, restitui* Curubin & Curubitana. Passij Paterni] *Alias* Aspasij Paterni. *scripturam in manu scriptis inuentam secuti sumus.* In circulum leuauerunt] *Actus passionis habet,* In curriculum. *& idem Augustinus mox, Currum adpellat.* Iusserunt te principes ceremoniari] *In manu Augustini actum passionis fuisse eum quem postremum notaui, hæc verba, & quod sequitur,* Deo gratias, *indicant, vt non immerito eiusmodi adnotata fuerint.*

IN GREG. NAZANZENI CONCIONE.

QVANTVM vero malum sit magia] *Cyprianos duos chronographi quidam adserunt, vt Vincentius & Antoninus: idemque Marulus sentire videtur, cuius verba supra descripsimus: tradúntque illi Cyprianum prius magum, passum esse sub Decoletiano: alterum autem sub Valeriano. Marulus vero magum Damascenum appellat, & cum Iustina Damasci (Antiochiæ quidam) passum esse: alterum vero Carthaginiensem. Nazanzenus hic Carthaginiensem & magum eundem facit, vt & plurimi alij: sed peculiariter tradit, sub Decio passum esse, quod præter omnium reliquorum sententiam adfert.* Huius amore magus captus est Cyprianus] *Iustinam hanc Marulus & Chronographi vocant: & Cyprianum non sibi eam magicis dicunt artibus sollicitasse, sed Aglaio cuidam tradunt: hanc vero Christianam fuisse, & signo viuificæ crucis omnem dæmonum incantationem auertisse & inritam fecisse: ex eoque Cyprianum ex mago Christianum factum esse, catechesi & institutione Anthimi cuiusdam.* Et Teclam saluauit] *Huius Teclæ Cyprianus sæpe meminit, cuius historiam pauci norunt. ideo hic breuiter actum passionis eius vt describitur, subiungam, vt quæ de ea sparsim in hoc opere adtinguntur facilius intelligi possint.* Hæc de ciuitate Iconio à beato Paulo apostolo instructa est. Quam mater cernens Christianam & nuptias repudiare, pergens ad iudicem recusauit filiam suam Christianam viuam esse, ac vt cæteræ mulieres terrerentur, debere ardere. Quam sibi cum iussisset iudex adduci, & propositum eius didicisset, rogum fecit parari, vt illam incenderet. Rapta igitur ab adparitoribus

toribus vt in focum iactaretur, sponte pyram ascendit, & signo crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit. Subito facta inundatione pluuiarum, gnis extinguitur, & beata virgo inlæsa virtute superna eripitur. Nudata vero beata virgo, emittuntur in eam leones & vrsi. sed nulla ferarum eam lædere præsumpsit. Deinde in fossam, vbi serpentes adunati & collecti fuerant cum mergeretur, signo crucis facto insiliuit: sed nec ab eis vllo pacto læsa est. Adligatur duobus tauris ferocissimis ferro candente stimulatis, vt eam discerperent: qui diruptis funibus vagabundi nil mali passam reliquerunt. Post multa certamina, duplici corona virginitatis & martyrij prædita, dormiuit in Domino. Insanibat contra nos Decius] *Philippos patrem & filium Imperatores à Pontio Cypriani diacono, Christianos factos Decius cum interfecisset, ob odium eorum in Christianos crudelem persecutionem mouit, in qua Fabianus pontifex Romanus in Vrbe Roma martyrio coronatur: & post eum Cornelius, & innumeri alii: non autem Cyprianus. Omnes enim consentiunt historici, Cyprianum sub Valeriano & Gallieno passum esse. Itaque Nazanzeni notetur, quod etiam doctissimis accidit,* MNHMONIKON AMAPTHMA.

INDEX OPERVM B. CYPRIANI, QVO HIC ORDINE CVSI SVNT.

AD Donatum.	pag. 1
Ad Demetrianum.	7
Ad Fortunatum de exhortatione martyrij.	15
Ad Moysem & Maximum, de confessione eorum.	27
Ad Clerum & plebem, de Aurelio lectore.	29
Ad Martyres, de martyrio.	30
De Ecclesiæ vnitate.	32
De Oratione Dominica.	41
De Mortalitate.	52
De opere & eleemosynis.	59
De bono patientiæ.	68
De Zelo & Liuore.	76
De disciplina & habitu virginum.	81
De Lapsis.	89
Epistola presbyterorum Roman. ad Cyprianum, de confessione.	100
Ad Cornelium Papam de confessione.	103
Ad Cornelium, de pace Lapsis danda.	105
Ad Cornelium, contra hæreticos.	107
Ad Cornelium, de Nouatiano & Nouato.	116
Ad Cornelium, quod ad confessores scripserit.	117
Ad Cornelium, quod accusationem non receperit.	118
Ad Cornelium, quod recte Papa creatus sit.	119
Ad Cornelium, de confessoribus ad vnitatem ecclesiæ reuersis.	120
Ad Rogatianum, de obseruatione disciplinæ.	121
Ad plebem de quinque presbyteris schismaticis.	123
Ad Epictetum & plebem Assuritanorum, de Fortunatiano.	125
Ad Clerum & plebem Furnitanorum, de tutore.	127
Ad Lucium papam, de reditu ab exilio.	128
Ad Maximum & Nicostratum, de vnitate.	129

Ad Maximum, Vrbanum & ſocios ad eccleſiam reuerſos. 130
Presbyteris Romæ, vt ſcripta cum aliis communicent. 131
Ad eoſdem, quæ in perſecutione egerit. 131
Ad eoſdem, vt fratribus qui erãt in carcere, ſubueniatur. 132
Ad Lucium, de literis acceptis. 133
Ad Felicem, Paulum & plebem, de Martiale & Baſilide. 134
Ad Fidum, de infantibus baptizandis. 137
Ad Eucratium, de Hiſtrione. 139
Ad Rogatianum de diacono contra Epiſcopum contendente. 140
Ad presbyteros & diaconos, vt diligentiores ſint. 141
Ad Cornelium, de reuerſis ad Eccleſiæ vnitatem. 143
Ad Cornelium, de quibuſdam ſchiſmaticis. 144
Ad Stephanum de Martiano Arelatenſi hæretico. 144
Firmiliani ad Cyprianum contra Stephanũ de Baptiſmo. 146
Maximi, Vrbani, & ſociorum ad Cyprianum. 154
Ad clerum, de presbyteris qui temere lapſis pacem dederant. 155
Ad Martyres & Confeſſores, qui pacem dari petierant. 156
Ad plebem, quid ad eum martyres de lapſis petierint. 157
Ad clerum, pro lapſis & catechumenis. 158
Ad clerum, de iis qui Euchariſtiam feſtinant. 159
Ad clerum, non eſſe temere dandam pacem lapſis. 159
Ad Calidonium, quid ſuper lapſis egerit. 160
Ad clerum Romæ conſiſtentem, de morte Vrbici. 160
Ad clerum, de Optato hypodiacono, & Saturo lectore. 161
Ad Fortunatũ, de his qui per tormenta ſuperantur. eadem.
Ad clerum, de cura pauperum. 162
Seagrio & Rogatiano in carcere conſtitutis. 163
Quod idola dij non ſint. 164
Pomponio, de virginibus Deo dicatis. 168
Ad Antonianũ, de Cornelio & ſchiſmatico Nouatiano. 170
Moyſi & Maximo, de confeſsione eorum. 178
Ad clerum, quod inſtanter ſit orandum in aduerſis. 179
De Celerino confeſſore lectore ordinato, ad clerum & plebem. 182
Plebi Thibaritanæ, vt Chriſti confeſsionem integram ſeruet. 184
Ad Magnum, de iis qui in lecto gratiam conſecuntur. 188
Cornelio papæ, de Polycarpo Adrumetino. 190
Florentio Puppiano, de obtrectatoribus. 191
Ad clerũ, de Numidico cõfeſſore, presbytero ordinato. 194
Cæcilio, de ſacramento dominici calicis. eadem.
Moyſi & Maximo, de laude martyrij. 200
Iubaiano, de baptiſmo hæreticorum. 208
Ad Quintum, de hæreticis baptizandis. 216
Ianuario & aliis quibuſdam, de iis qui ab hæreticis tincti ſunt. 217
Sententiæ epiſcoporum octoginta octo, de hæreticis baptizandis. 219
Pompeio, contra epiſtolam Stephani. 226
Magno, de Nouatiano hæretico, & de iis quos baptizauerit. 230
Stephano de Concilio ſuper iis qui apud hæreticos baptizantur. 234
Moyſis & Maximi & aliorum ad Cyprianum. 235
Nemeſiani, Datiui, & ſociorum ad Cyprianum. 238
Felicis, Iaderis, & ſociorum apud metallum Siguenſe, Cypriano. 239
Ad Vigilium de Iudaïca incredulitate. 239
Aduerſus Iudæos qui inſecuti ſunt Chriſtum. 243

Succeſſo,

Succeſſo, de perſecutionibus. 247
Ad Quirinum, aduerſus Iudæos libri duo. 248
Ad eundem, de diſciplina Chriſtiana. 268
Ad clerum vrbicum, de confeſſoribus. 291
Confeſſorum epiſtola ad Cyprianum, de pace data. 293
Calidonij ad Cyprianum, de iis qui ſacrificarunt. eadem.
Celerini ad Lucianum, pro Numeria & Candida. 294
Luciani Celerino, quod ſibi mandatum ſit vt pacem daret. 295
Celerini reſcriptum Luciano. 296
Presbyteris & diaconis Romæ conſiſtentibus, de pace à Paulo martyre data. 297
Presbyterorum & diaconorum reſcriptum Cypriano. 298
Celerini epiſtola aduerſus lapſos. 299
Ad clerum, de iis qui temere lapſis communicant. 300
Calidonio & Herculaneo, de Feliciſsimo peruerſo. 301
Ad clerum, de iuuandis confeſſoribus in carcere. 302
De aleatoribus. 303
De diſciplina & bono pudicitiæ. 306
Nouatiano hæretico, quod lapſis venia non neganda. 311
Ad martyres & confeſſores in metallo conſtitutis. 318
Calidonij, Herculanei & Victoris, presbyteris. 320
Ad Numidas, de redemptione fratrum ex captiuitate Barbarorum. 321
Ad clerum, de ſuo ſucceſſu. 322
Plebi, de vitandis homini Chriſtiano ſpectaculis publicis. 323
Ad Fortunatum, de duplici martyrio. 326
De ſingularitate clericorum. 342
Ad Cornelium papam, de cardinalibus operibus Chriſti. 363
In ſymbolum Apoſtolorum. 414
De montibus Sina & Sion, aduerſus Iudæos. 435
Oratio pro martyribus. 440
Oratio, quam Cyprianus ſub die paſsionis ſuæ dixit. 441
De duodecim abuſionibus ſeculi. 443
De reuelatione capitis Iohannis Baptiſtæ. 451
Diſpoſitio cœnæ Cypriani. 454
Cypriani Geneſis. 458
Sodoma. 461
De cruce Domini. 464
Ad quendam Senatorem ex Chriſtiana religione ad idolorum ſeruitutem reuerſum. 464

INDEX OPERVM CAECILII CYPRIANI

EO ORDINE QVO ANTEA ERANT IMPRESSA, ET IN Epiſtolarum libros, Tractatus, Sermones, & Libellos diuiſa.

EPISTOLARVM LIBRO PRIMO CONTINEBANTVR HAE, QVORVM initium ſubditur, & quota pagina in hac editione reperias.

COGNOVIMVS frater. ad Cornelium, de perſeuerantia fidei, ſeu confeſsione. pag. 103
Statueramus quidem. ad eundem, de iis qui ob tormentorum metum à fide defecerunt. 105

Legi literas tuas frater. ad eundem epistola confortatoria. 107
Cum in vnum conuenissemus. ad Felicem & Paulum, de Martiali & Basilide hæresiarchis. 134
Et iam pridē vobis. ad Rogatianū & ceteros, de obseruatione disciplinæ. 121
Pro tua religiosa diligentia. ad Magnum, de iis qui in lecto gratiam consequuntur. 230
Grauiter & dolenter motus. ad Epictetum & plebem Assuritanorū, de Fortunatiano episcopo. 125
Quanquam fratres charissimi Briccius. ad plebem, de quinque presbyteris schismaticis. 123
Grauiter commoti sumus. ad plebem & clerum Furnitanorum. de Victore, qui Faustinum presbyterum tutorem nominauit. 127
Pro dilectione tua. ad Eucratium, de histrione. 139
Legimus literas tuas frater. ad Pomponium, de virginibus. 168
Cum simul in concilio essemus. ad Ianuarium & ceteros, de iis qui apud hæreticos baptizantur. 217

LIBRO SECVNDO.

Ad quædam disponenda. ad Stephanum de concilio. 204
Bene admones Donate. ad Donatum Cyprianus, de sua conuersione. 1
Quanquam sciam frater. ad Cæcilium de sacramento dominici calicis. 194
Et cunctos vos pariter. ad Moysen & Maximum, & c. de confessione eorum. 27
In ordinandis clericis. ad clerum & plebem, de Aurelio lectore ordinato. 29
Exulto letus & gratulor. ad martyres, de martyrio. 30
Quanquam bene sibi conscius. presbyteri & diaconi ad Cyprianum. 100
Et cum diligentia. ad Cornelium, de Nouatiano & Nouato schismaticis. 116
Et religiosum nobis. ad eundem, de Ethippo. 117
Quod seruis Dei & maxime. ad eundem, de vnitate ecclesiæ. 118
Venerunt ad nos. ad eundem, de hæreticis. 119
Egisse nos & agere. ad eundem epistola congratulatoria. 120

LIBRO TERTIO.

Et nuper quidem. ad Lucium papam, de exilio reuersum. 128
Cum frequenter charissimi. ad Maximum & Nicostratum de vnitate. 129
Lectis literis vestris. ad Maximum & Vrbanū, & c. ad ecclesiam reuersos. 130
Quales literas. ad clerum, & presbyteros Romæ consistentes. 131
Quoniam comperi fratres. ad eosdem epistola, in qua se à maledicis expurgat. eadem.
Quanquam sciam vos fratres. ad eosdem, vt iis fratribus qui in carcere sunt, omnis humanitas exhibeatur. 132
Exultantibus nobis. ad Lucium, & c. epistola, in qua de acceptis literis gratias agit. 133
Legimus literas tuas. ad Fidum, de infantibus baptizandis. 137
Grauiter & dolenter commoti sumus. ad Rogatianum, de diacono qui contra episcopum contendit. 140
Optaueram quidem fratres. ad presbyteros & diaconos, vt diligentiores sint circa religionis administrationem. 141
Quantam sollicitudinē. ad Cornelium, de nonnullis ad ecclesiā reuersis. 143
Ne quid minus ad pœnam. ad eundem, de quibusdam schismaticis. 144
Faustinus collega noster. ad Stephanum, de Martino Arelatense. 144

Certi

Certi sumus frater. Maximus, Vrbanus, & c. ad diuum Cyprianum. 154
Diu patientiam meam. ad clerum. de quibusdam presbyteris, qui temere pacem lapsis dederunt. 155
Sollicitudo loci nostri. ad martyres & confessores, qui lapsis petierunt pacem dari. 156
Ingemiscere vos & dolere. significatio ad plebē de petitione super lapsis facta per martyres. 157
Miror vos fratres. ad clerum, propter lapsos & catechumenos, ne vacui exirent. 158
Legi literas vestras. ad clerum, de iis qui ad pacem festinant. 159
Dominus loquitur & dicit. ad clerū, non esse temere pacē lapsis dandam. 159
Accepimus literas tuas. ad Calidoniū episcopū, quid super lapsis egerit. 160
Cum de excessu boni viri. ad clerum Romæ consistentem. eadem.
Ne quid conscientiam vestram. ad clerum, de lectore Saturo, & hypodiacono Optato. 161
Scripsistis fratres. ad Fortunatum & ceteros, de iis qui per tormenta superarantur. eadem.
Saluto vos fratres. ad clerum, de cura populi. 162
Gloria quidem vestra. ad martyres confessores epistola, in qua virtutum laudem extollit. 318

LIBRO QVARTO.

Saluto vos fratres. ad Seagrium & Rogatianum in carcere constitutos, epistola consolatoria. 163
Accepimus primas literas. ad Antonianum, de Cornelio & Nouatiano. 170
Gloriam fidei. ad Moysen & Maximum, & c. qui in persecutione fidem seruauerunt. 178
Quanquā sentiam. ad clerum, de deprecando Deū pro peccatis nostris. 179
Agnoscenda & complectenda. ad clerum & plebem, de Celerino confessore lectore ordinato. 182
Cogitaueram quidem. ad Thibaritanos, epistola exhortatoria. 184
Quæsisti etiam, & c. ad Magnum. de iis qui in lecto gratiā consequuntur. 188
Legi literas tuas. ad Cornelium epistola, in qua de literis se purgat. 190
Ego te frater. ad Florentium Puppianum epistola, in qua se purgat quod obtrectatoribus crediderit. 191
Nunciādū vobis. ad clerū, de Numidico cōfessore presbytero ordinato. 194

TRACTATVS VARII.

Oblatrantem te. contra Demetrianum tractatus, in quo demonstrat auctor, mala multiplicari, quod ab idololatris Deus non coleretur 7
Disciplina custos. tractatus de habitu virginum. 81
Cū moneat domin°. aduersus Nouatianū schismaticū, de ecclesię vnitate. 32
Quod idola dij non sint. tractatus, quod vnus Deus sit. 164

VARII SERMONES.

Multa & magna. sermo de pietatis opere & eleemosyna. 59
Zelare quod bonum videas. sermo de zelo & liuore. 76
De bono patientiæ locuturus. sermo de bono patientiæ. 68
Et si apud plurimos. sermo de mortalitate. 52
Pax ecce dilectissimi. sermo de lapsis. 89
Euangelica præcepta. sermo de oratione dominica. 41

CYPRIANI

LIBELLI VARII.

Desideraſti Fortunate. ad Fortunatum, de exhortatione martyrij. 15
Obtemperandum fili. ad Quirinum, aduerſus Iudæos. 248
Chriſtum primogenitum eſſe. ad eundem, aduerſus Iudæos. 256
Pro fide ac deuotione tua. ad eundem, de præceptis dominicis. 268
Scripſiſti mihi frater. ad Iubaianum, de hæreticis baptizandis. 208
Quanquam plene. ad Pompeium contra epiſt. Stephani. 226
Retulit ad me frater, ad Quirinum. 216
Cum in vnum Carthag. Sententiæ epiſc. de hæreticis baptizandis. 219

SVSPECTA AC NOTHA.

Probatio capitulorum. de montibus aduerſus Iudæos. 435
Narrat Ioſephus. de reuelatione capitis Ioannis Baptiſtæ. 451
Mihi quidem fideliſsime papa. in ſymbolum Apoſtolorum. 414
Promiſeram quidem. de ſingularitate clericorum. 342
Solent matres. ad Cornelium papam, de cardinalibus operibus Chriſti. 363
Et ſi incongruens. ad Moyſen, de laude martyrij. 200
Aliquas officiorum meorum. de diſciplina & bono pudicitiæ. 306
Cogitanti mihi. ad Nouatianum, de Lapſis. 311
Hagios, hagios. orationes D. Cypriani. 440
Sermonem à nobis. Auguſtini ſermo, de S. Cypriano. in Prolegomenis.
Multifariam. ad Fortunatum, de duplici martyrio. 326

OPERA CYPRIANI QVAE AD SVPE-riora in hac editione acceſſerunt, præter Prolegomena.

Firmiliani, ad Cyprianum, aduerſus Stephanum de Baptiſmo. 146
Moyſis & Maximi & ceterorum confeſſorum ad Cyprianum. 235
Nemeſiani, Datiui, Felicis & Victoris ad Cyprianum. 238
Felicis, Iaderis, Poliani, Cypriano. 239
Ad Vigilium de Iudaïca incredulitate. 239
Aduerſus Iudæos qui inſecuti ſunt Chriſtum. 243
Succeſſo, de perſecutionibus. 247
Ad clerum vrbicum, de confeſſoribus. 291
Confeſſorum ad Cyprianum, de pace data. 293
Calidonij ad Cyprianum, de iis qui ſacrificarunt. eadem.
Celerini ad Lucianum, pro Numeria & Candida. 294
Luciani Celerino, quod ſibi mandatum ſit vt pacem daret. 295
Celerini reſcriptum Luciano. 296
Ad presbyteros Romæ conſiſtentes, de pace à Paulo martyre. 297
Presbyterorum & diaconorum reſcriptum Cypriano. 298
Celerini epiſtola aduerſus lapſos. 299
Ad clerum, de iis qui temere lapſis communicant. 300
Ad Calidonium & Herculaneum, de Feliciſsimo. 301
De aleatoribus. 303
Calidonij, Herculanei & Victoris, presbyteris. 320
Ad Ianuarium & alios, de redemptione captiuorum. 321
Ad clerum, de ſuo ſucceſſu. 322
De ſpectaculis vitandis Chriſtiano. 323
De duodecim abuſionibus ſeculi. 443
Cœna Cypriani. 454
Geneſis. 458
Sodoma. 461
De cruce domini. 464
Ad ſenatorem ex Chriſtiana religione ad idola reuerſum. 465

CAECILII

CAECILII CYPRIANI, AD DONATVM.

ARGVMENTVM. *Promiserat Donato se rescripturum, vt habiturus esset post susceptum Baptismum: quod hac epistola facit, indicans quantum mutatus sit ab eo qui fuerat: tandem exposita rerum huius mundi inconstantia, in quo sit adquiescendum tradit. Veteres omnes, & præcipue Augustinus, hanc Cypriani primam epistolam numerant.*

BENE admones, Donate charissime: nam & promisisse me memini, & reddendi tempestiuum prorsus hoc tempus est, quo indulgente vindemia, solutus animus in quietem, solennes ac statutas anni fatigantis inducias sortiatur. Locus etiam cum die conuenit, & mulcendis sensibus ac fouendis, ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna consentit. Hîc iocundum sermonibus diem ducere, & studentibus fabulis in diuina præcepta conscientiam pectoris erudire. Ac ne colloquium nostrũ arbiter profanus impediat, aut clamor intemperans familiæ strepentis obtundat, petamus hanc sedem. Dant secessum vicina secreta, vbi dum erratici palmitum lapsus, nexibus pendulis per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hîc studia in aures damus: & dum in arbores & in vites quas videmus, oblectãte prospectu, oculos amœnamus, animam simul & auditus instruit, & pascit obtutus. Quanquam tibi sola nunc gratia, sola cura sermonis sit, contemptis voluptariæ visionis illecebris, in me oculus tuus fixus est, tam ore quam mente, totus auditor es: & hoc, amore quo diligis. Ceterum quale vel quantum est, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenij angusta mediocritas, tenues admodum fruges parit: nullis ad copiam fœcundi cespitis culminibus ingrauescit. Aggrediar tamen, facultate qua valeo. Nam & materia dicendi facit mecum. In iudiciis, concione pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione iactetur: cum de domino & de deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta, sed fortia: nec ad audientiæ popularis illecebrã culto sermone fucata, sed ad diuinam indulgentiam prædicandam, rudi veritate simplicia. Accipe quod sentitur antequàm discitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur: sed compendio gratiæ maturantis hauritur. Ego cum in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cumque in salo iactantis seculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuo posset, vtque in nouam

vitã lauacro aquę ſalutaris animatus, quod prius fuerat exponeret: corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quid impoſsibilis, aiebam, tanta cõuerſio eſt, vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit. Alta hæc & profunda penitus radice, ſederunt. Quando parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit? Et qui precioſa veſte conſpicuus in auro atq; in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, eſſe priuatus & inglorius non poteſt. Hic ſtipatus clientum cuneis, & frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe, cum ſolus eſt. Tenacibus ſemper illecebris neceſſe eſt vt ſolebat, vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet ſæpe mecum. nam vt ipſe quàm plurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me poſſe non crederem: ſic vitiis adhærentibus obſecundans eram, deſperatione meliorum, malis meis, velut iam propriis ac vernaculis adfauebam. Sed poſtquam vndę genitalis auxilio, ſuperioris æui labe deterſa, inexpiatum pectus ac purum, deſuper ſe lumen infudit: poſtquam cęlitus ſpiritu hauſto, in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patêre clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare quod prius difficile videbatur: geri poſſe, quod impoſsibile putabatur: vt eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium viueret: Dei eſſe cœpiſſe, quod iam Spiritus ſanctus animaret. Scis profecto, & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis, quídue contulerit mors iſta criminũ, vita virtutum. Scis ipſe, nec prędico. In proprias laudes odioſa iactatio eſt: quanuis non iactatum poſsit eſſe, ſed gratum, quicquid non virtuti hominis adſcribitur, ſed de Dei munere prædicatur, vt non iam peccare, cœperit eſſe fidei: quod ante peccatum eſt, fuerit erroris humani. Dei eſt, inquam, dei eſt, omne quod poſſumus: inde viuimus, inde pollemus, inde ſumpto & concepto vigore, hîc adhuc poſiti, futurorum indicia prænoſcimus. Sit tantum timor, innocentiæ cuſtos, vt qui in mentes noſtras indulgentiæ cęleſtis adlapſu clementer dominus influxit, in animi oblectãtis hoſpitio iuſta operatione teneatur, ne accepta ſecuritas indiligentiã pariat, & vetus denuo hoſtis obrepat. Ceterum ſi tu innocentię, ſi iuſtitiæ viam teneas, inlapſa firmitate veſtigiis tuis: ſi in deũ viribus totis ac toto corde ſuſpẽſus, hoc ſis tantũ quod eſſe cœpiſti, tantũ tibi ad licentiã datur, quãtũ gratię ſpiritalis augetur. Nõ enim (qui beneficiorum terreſtrium mos eſt) in capeſſendo munere cęleſti, menſura vlla vel modus eſt. Profluens largiter ſpiritus, nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia refrænatur: manat iugiter, exuberat affluenter. Noſtrum tantum ſitiat pectus, & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus. Inde iam facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, virtute ſincera, voce pura, in medulla adolentium poſſe venenorum virus extingue re: animorum deſipientium labes reddita ſanitate purgare: infeſtis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnãdis hominibus immerſerint, ad confeſsionem minis increpantibus cogere: vt recedant, duris verberibus vrgere: conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur. Occulta plaga, & pœna manifeſta. Ita quod eſſe iam cœpimus, acceptus ſpiritus

licen-

licentia sua potitur: sed quod nec dum corpus ac membra mutauimus, adhuc carnalis aspectus seculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis est, non tantum ipsum esse subtractum pernicioſis contactibus mundi: vt quis expiatus & purus, nulla incursantis inimici labe capiatur: sed adhuc maiorem & fortiorem viribus fieri, vt in omnem aduersarij grassantis exercitum, imperioso iure dominetur. Atque vt illustrius veritate patefacta, diuini muneris indicia claresçant, lucem tibi ad cognitionem dabo: malorum blandientium caligine absterſa, operti seculi tenebras reuelabo: paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem. Speculare inde rerum infra te iacentium facies, & oculis in diuersa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam seculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, maiore lætitia quod euaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella vbiq; diuisa. Madet orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cum publice geritur. Impunitatem sceleribus adquirit, non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo. Iam si ad vrbes ipsas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendas omni solitudine tristiorem. Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robusta pingueſcit, vt saginatus in pœnam charius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est. Scelus non tantum geritur, sed docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est, vt perimere quis possit: & gloria est quod peremit. Quid illud oro te, quale est, vbi se feris obiiciunt, quos nemo damnauit ad bestias? Ætate integra, honesta satis forma, veste preciosa, viuentes in vltroneum funus ornantur. Malis suis miseri etiam gloriantur. Pugnant ad bestias, non crimine, sed furore. Spectant filios suos patres: frater in cauea & soror præsto est. & spectaculi licet precium largior muneris apparatus amplificet, vt mœroribus suis mater interſit. Hoc prò dolor, mater & redimit in tam impiis spectaculis tamque diris, esse se non putant oculis parricidas. Conuerte hinc vultus ad diuersi spectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conspicies, quod tibi & dolori sit & pudori. Cothurnus est tragicus, prisca carmine facinora recenſere. de parricidiis & inceſtis horror antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne seculis transeuntibus exoleſcat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse quod factum est. Nunquam æui senio delicta moriuntur: nunquam temporibus crimen obruitur: nunquam scelus obliuione sepelitur. Exempla fiunt quæ esse iam facinora destiterunt. Tunc delectat in mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo: quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari: videre contra fœdus iusque nascendi, patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares: honor omnis & vigor sexus eneruati corporis dedecore mollitur: plusque illic placet, quisquis virum in fœminam magis fregerit. In laudem creſcit ex crimine, & eo peritior, quo turpior iudicatur: spectatur hic prò nefas, & libenter. Quid non potest suadere qui talis est? Mouet sensus, mulcet affectus, expugnat

boni pectoris conscientiam fortiorem. Nec deest probri blandientis auctoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum suum non magis regno quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem: nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentiũ raptum ministris auibus prosilire. Quære iam nunc, an possit esse qui spectat, integer, vel pudicus. Deos suos quos venerantur, imitantur: fiunt miseris & delicta religiosa. O si & possis in illa sublimi specula substitutus, oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare. Aspicias ab impudicis geri, quod nec possit aspicere frons pudica. Videas quod crimen sit & videre: videas quod vitiorum furore dementes, gesisse se negant, & gerere festinant. Libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec ipsis possunt placere qui faciunt. Mentior, nisi alios qui talis est, increpat: turpis turpes infamat, & euasisse se conscium credit, quasi conscientia satis non sit. Iidem in publico accusatores, in occulto rei: in semetipsos, censores pariter & nocẽtes. Damnant foris, quod intus operantur. Admittunt libenter, quod cum admiserint, criminantur. Audacia prorsus cum vitiis faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quę loquuntur huiusmodi, ore illo. quicquid iam voce delinquitur, minus est. Sed tibi post insidiosas vias, post dispersas orbe toto multiplices pugnas: post spectacula vel cruẽta, vel turpia: post libidinum probra, vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta, quorum quo secretior culpa, maior audacia est: forum fortasse videatur immune, quod ab iniuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte. Plura illic quæ detesteris inuenies: magis oculos tuos inde diuertes. Incisæ sint licet leges duodecim Tabulis, & publico ære præfixo iura præscripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur. Innocentia, nec illic vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum. Hasta illic & gladius, & carnifex præsto est. Vngula effodiens, eculeus extendens, ignis exurens. Ad hominis corpus vnum, supplicia plura quàm membra sunt. Quis inter hęc vero subueniat? Patronus? sed præuaricatur & decipit. Iudex? sed sententiam vendit. qui sedet crimina vindicaturus, admittit: & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant vbique delicta, & passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subiicit: ille falsum capitali fraude conscribit: hîc arcentur hæreditatibus liberi: illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, vtrobique grassatur in mendacium criminum prostitutę vocis venalis audacia: cum interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est: de quæsitore, de iudice, pauor nullus. Quod potest redimi, non timetur: esse iam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor? quæ esse integritas possit? vbi qui damnent improbos desunt? Soli ibi qui damnentur occurrunt. Sed nos videamur eligere fortasse peiora, & studio destruẽdi per ea oculos tuos ducere, quorum tristis atque auersandus aspectus, ora & vultus conscientiæ melioris offendat: iam tibi illa quæ ignorantia secularis bona opinatur, ostẽdam. Illic etiam fugienda conspicies. Quos honores putas esse, quos fasces, quam affluentiã in diuitiis, quam potentiam in castris: in magistratu pur-

puræ

purę ſpeciem in principatu, licentiæ poteſtatem, malorum blandientium virus occultum eſt, & arridentis nequitiæ facies quidem lęta, ſed calamitatis abſtruſæ illecebroſa fallacia: inſtar quoddam veneni, vbi in letales ſuccos dulcedine aſperſa, calliditate fallendi ſapore medicato, poculum videtur eſſe quod ſumitur: vbi epota res eſt, pernicies hauſta graſſatur. Quippe, illum vides, qui amictu clariore conſpicuus, fulgere ſibi videtur in purpura. Quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium faſtus prius pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia, ſtipatus clientium cuneis ante pręceſſit, vt ipſum etiam ſalutatum, comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? Neque enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. Horum denique videas exitus turpes: cum auceps temporum palpator abſceſsit, cum priuati latus nudum deſertor aſſecla fœdauerit: tunc laceratæ domus plagæ conſcientiam feriunt: tunc rei familiaris exhauſta damna noſcuntur, quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæſita eſt. Stulta prorſus & vana iactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet magiſtratus. Sed & quos diuites opinaris, continuantes ſaltibus ſaltus, & de confinio pauperibus excluſis, infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes: quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingętium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues: hos etiam inter diuitias ſuas trepidos cogitationis incertę ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet: ne inimica cuiuſque locupletioris inuidia calumnioſis litibus inquietet. Nō cibus ſecuros ſomnúſve contingit. Suſpirat ille in conuiuio, bibat licet in gemma: & cum epulis marcidum corpus, torus mollior alto ſinu condidit, vigilat in pluma. Nec intelligit miſer, ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia: auro ſe alligatum teneri, & poſsideri magis quàm poſsidere diuitias. Atque ò deteſtabilis cęcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo. Cum exonerare ſe poſsit & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio eſt: cum indigentibus nulla partitio: et pecuniam ſuam dicunt, quam velut alienam, domi clauſam ſollicito labore cuſtodiunt. Ex qua non amicis, nō liberis quicquam, non ſibi denique ipſis impertiunt. Poſſident ad hoc tantum, ne poſsidere alteri liceat. Et ò nominum quanta diuerſitas: bona appellant, ex quibus nullus illis, niſi ad res malas vſus eſt. An tu vel illos putas, tutos illos ſaltem inter honorum infulas & opes largas, ſtabili firmitate ſecuros, quos regalis aulæ ſplendore fulgentes, armorum excubantium tutela circunſtat? Maior illis quàm ceteris metus eſt: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore, ſublimitas. Sit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur: quàm ſecuros non ſinit eſſe ſubiectos, tam neceſſe eſt vt non ſit & ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua, quos facit eſſe terribiles. Arridet, vt ſæuiat: blanditur, vt fallat: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat. Fœnore quodam nocendi, quàm fuerit amplior ſumma dignitatis & honorum, tam maior exigitur vſura pœnarum. Vna igitur placida & fida tranquillitas. Vna ſolida, & firma, & perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſeculi turbinibus extractus ſalutaris portus ſtatione fundatus, ad cęlū oculos tollit à terris, & ad domini munus admiſſus, ac deo ſuo mēte iam proximus, quicquid apud ceteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam iacere conſcientiam gloriatur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſeculo

poteſt, qui ſeculo maior eſt. Quàm ſtabilis, quàm inconcuſſa tutela eſt, quàm perennibus bonis cæleſte præſidium, implicantis mundi laqueis ſolui: in lucẽ immortalitatis æternæ de terrena fece purgari: videre quæ in nos prius infeſtantis inimici pernicies inſidioſa graſſata ſit. Plus amare compellimur quod futuri ſumus, dum & ſcire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc preciis, aut ambitu, aut manu opus eſt, vt hominis ſumma vel dignitas, vel poteſtas elaborata mole pariatur. Et gratuitum, de deo munus, & facile eſt. Vt ſponte ſol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita ſe ſpiritus cæleſtis infundit. Poſtquàm auctorem ſuum, cælum intuens anima cognouit, ſole altior, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod eſſe ſe credit. Tu tantum quem iam ſpiritalibus caſtris cęleſtis militia ſignauit, tene incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam. Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio. Nunc cum deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat. Quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla iam poterit, cum ſemel pectus cæleſtis ſagina ſaturauerit. Iam tibi auro diſtincta laquearia, & precioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia, ſordebunt: cum ſcieris te eſſe excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc eſſe potiorem, quam dominus inſedit templi vice, in qua Spiritus ſanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, luminemus luce iuſtitiæ. Non hæc vnquam procumbet in lapſum ſenio vetuſtatis, nec pigmento parietis, aut auro exoleſcente fœdabitur. Caduca ſunt quęcunque fucata ſunt: nec fiduciam præbent poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis non habent veritatem. Hoc manet cultu iugiter viuido, honore integro, ſplendore diuturno. Aboleri non poteſt nec extingui, poteſt tantum in melius corpore redeunte formari. Hęc interim breuibus, Donate chariſsime. Nam etſi facilem de bonitate patientiam, mentem in deum ſolidam, fidem tutam ſalutaris auditus oblectat: nihilque tam tuis auribus gratum eſt, quàm quod in deo gratum eſt, moderari tamen dicenda debemus, ſimul iuncti, & ſæpius locuturi. Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus eſt ocioſum, quicquid inclinante iam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hunc diem læti, nec ſit vel hora conuiuij, gratiæ cæleſtis immunis. ſonet Pſalmos conuiuium ſobrium. vt tibi tenax memoria eſt, vox canora, aggredere hoc munus ex more. magis chariſsimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.

CAECILII

CAECILII CYPRIANI, AD DEMETRIANVM. II.

ARGVMENT. Respondet ad obiecta Demetriani, quòd Christianis imputari non debent ea calamitates quibus tum mundus vrgebatur: docétque mala multiplicari, non ideo quia Christiani deos non colerent, sed quòd ab idololatris verus deus non coleretur.

OBlatrantem te & aduersus deum, qui vnus & verus est, ore sacrilego & verbis impiis obstrepentem, frequenter, Demetriane, contempseram, verecundius & melius existimans, errantis imperitiam silentio spernere, quàm loquendo dementis insaniam prouocare. Nec hoc sine magisterij diuini auctoritate faciebam, cum scriptum sit, *In aures imprudentis noli quicquam dicere, nequando audierit, inrideat sensatos sermones tuos.* & iterum, *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis fias illi.* Et sanctum quoque iubeamur intra conscientiam nostram tenere, nec inculcandum porcis & canibus exponere, loquente domino & dicente, *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos: ne inculcent eas pedibus suis, & conuersi elidant vos.* Nam cum ad me sæpe studio magis contradicendi, quàm voto discendi venires, & clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere, quàm nostra patienter audire: ineptum videbatur congredi tecum, quando facilius esset & leuius, turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quàm tuam rabiem tractatibus coërcere. Certe & labor irritus, & nullius effectus est, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto: cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire. Hæc considerans, sæpe conticui, & impatientem patientia vici, cum nec docere indocilem possem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæuiant, quodq; imbres & pluuias serena longa suspendant, nobis imputari: tacere vltra nõ oportet: ne iam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat quod tacemus: & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere. Respondemus igitur & tibi Demetriane, pariter & ceteris quos tu forsitan concitasti, & aduersum nos odia tuis maledicis vocibus seminando, comites tibi plures radicis atque originis tuæ pullulatione feciſti, quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem. Nam qui ad malum motus est mendacio fallente, multo magis ad bonum mouebitur veritate cogente. Dixisti per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia ista quibus nunc mundus quatitur & vrgetur, quod dij vestri à nobis non colantur. Qua in parte, quia ignarus diuinæ cognitionis, & veritatis alienus es, illud primo in loco scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus stare quibus prius

Prouerb. 9.

Matth. 7.

ſteterat, nec vigore & robore eo valere quo antea præualebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de ſcripturis ſanctis prædicationibusque diuinis documenta promentibus, mundus ipſe iam loquitur, & occaſum ſui, rerum labentium probatione teſtatur. Non hieme nutriendis ſeminibus, tanta imbrium copia eſt: non frugibus æſtate torrendis, ſolita flagrantia eſt: nec ſic verna temperie ſata læta ſunt, hæc adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda ſunt. Minus de effoſsis & fatigatis montibus eruuntur marmorum cruſtæ: minus auri & argenti, opes ſuggerunt exhauſta iam metalla, & pauperes venæ breuiantur in dies ſingulos, & decreſcit in aruis agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocẽtia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitiis cõcordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. Putáſne tu tantam poſſe ſubſtantiam rei ſeneſcentis exiſtere, quanta prius potuit, nouella adhuc & vegeta iuuenta pollere? Minuatur neceſſe eſt, quicquid fine iam proximo in occidua & in extrema deuergit. Sic ſol in occaſu ſuo, radios minus claro & igneo ſplendore iaculatur. ſic declinante iam curſu exoletis cornibus, luna tenuatur: & arbor quæ fuerat ante viridis & fertilis, areſcentibus ramis fit poſtmodum ſterili ſenectute deformis. Et fons qui exundãtibus prius venis largiter profluebat, ſenectute deficiens, vix modico ſudore diſtillat. Hæc ſententia mundo data eſt, hæc Dei lex eſt, vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant: vt infirmentur fortia, & magna minuantur: vt cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur. Hæc Chriſtianis imputas, quod minuantur ſingula, mundo ſeneſcente? quid ſi & ſenes imputent Chriſtianis, quod minus valeant in ſenectute? quod non perinde vt prius, vigeant auditu aurium, curſu pedum, oculorum acie, virium robore, ſucco viſcerum, mole membrorum? & cum olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc poſsit ad centenarium numerum peruenire? Canos videmus in pueris: capilli deficiunt, antequam creſcant: nec ætas in ſenectutem deſinit, ſed incipit à ſenectute: ſic in ortu adhuc ſuo, ad finem natiuitas properat. ſic quodcunque nunc naſcitur, mundi ipſius ſenectute degenerat: vt nemo mirari debeat, ſingula in mũdo cœpiſſe deficere, quando totus ipſe iam mundus in defectione ſit, & in fine.

Quod autem crebrius bella continuant, quod ſterilitates & fames ſollicitudinem cumulant, quod ſequẽtibus morbis valetudo frangitur, quod humanum genus luis populatione vaſtatur: & hoc ſcias ſatis eſſe prædictum, in nouiſsimis temporibus multiplicari mala, & aduerſa variari: & appropinquante iam iudicij die, magis ac magis in plagas generis humani, cenſuram dei indignantis accendi. Non enim, ſicut tua falſa querimonia & imperitia, veritatis ignara, iactat & clamitat, iſta accidunt, quod dij veſtri à nobis non colantur, ſed quod à vobis non colatur Deus. nam cum ipſe ſit mundi dominus & rector, & cuncta arbitrio eius & nutu gerantur: nec quicquam fieri poſsit, niſi quod aut fecerit, aut fieri ipſe permiſerit: vtique quando ea fiunt quæ iram Dei indignantis oſtendunt, non propter nos fiunt à quibus Deus colitur, ſed delictis & meritis veſtris inrogantur, à quibus Deus omnino nec quæritur, nec timetur: nec relictis vanis ſuperſtitionibus, religio vera cognoſcitur, vt qui Deus vnus eſt omnibus, vnus colatur ab omnibus & rogetur. Ipſum denique audi loquentem, ipſum diuina inſtruentem nos pariter ac monentem: *Dominum deum tuum adorabis*, inquit, *& illi ſoli ſeruies.* & iterum, *Non erunt tibi dij alieni abſque me.* & iterum, *Nolite ambulare poſt deos alienos, vt ſeruiatis eis: & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum, ad diſperdendos vos.* Propheta item Spiritu ſancto plenus, conteſtatur & denunciat

Lucæ 4. Exod. 20. Hiere. 7.

iram

iram Dei dicens, *Hæc dicit Dominus omnipotens, Eo quod domus mea deserta* Aggæi.1.
est, vos autem sectamini vnusquisque in domum suam, propterea abstinebit cælum
à rore, & terra subtrahet procreationes suas: & inducam gladium super terram,
& super frumentum, & super vinum, & super oleum, & super homines, & su-
per pecora, & super omnes labores manuum vestrarum. Item Propheta alius
repetit, & dicit, *Et pluam super vnam ciuitatem, & super aliam non pluam.* Amos.4.
pars vna compluetur, & pars super quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur
duæ & tres ciuitates in vnam ciuitatem, potandæ aquæ causa, nec satiabuntur:
& non conuertimini ad me, dicit Dominus. Indignatur ecce Dominus & iras-
citur, & quod ad Deum non conuertamini, comminatur: & tu miraris
aut quereris in hac obstinatione & contemptu vestro, si rara desuper plu-
uia descendat, si terra situ pulueris squaleat, si vix ieiunas & pallidas her-
bas sterilis gleba producat: si vineam debilitet grando cædens, si oleam
detruncet turbo subuertens: si fontem siccitas statuat, aërem pestilens
aura corrumpat, hominem morbida valetudo consumat: cum omnia ista
peccatis prouocantibus veniant, & plus exacerbetur Deus, quando nihil
talia & tanta proficiant? Fieri enim ista vel ad disciplinam cõtumacium,
vel ad pœnam malorum, declarat in Scripturis sanctis idem deus dicens,
Sine causa non percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt. Et Propheta
deo deuotus ac dicatus ad hæc eadem respondet, & dicit, *Verberasti eos,* Hiere.5.
nec doluerunt: flagellasti eos, nec voluerunt accipere disciplinam. Ecce inro-
gantur diuinitus plagæ, & nullus Dei metus est. Ecce verbera desu-
per, & flagella non desunt, & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si
non intercederet rebus humanis vel ista censura, quanto adhuc maior
hominibus esset audacia facinorum impunitate secura? Quereris quod
minus nunc tibi vberes fontes, & aurę salubres, & frequens pluuia, & fer-
tilis terra obsequium præbeant: quod non ita vtilitatibus tuis & volup-
tatibus elementa deseruiant. Tu enim deo seruis, per quem tibi cuncta
deseruiunt? famularis illi, cuius nutu tibi vniuersa famulantur? Ipse de
seruo tuo exigis seruitutem, & homo hominem parêre tibi & obedire
compellis: & cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio vna moriendi,
corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali iure, &
pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo postmodum
recedatur: tamen nisi tibi pro arbitrio tuo seruiatur, nisi ad voluntatis
imperium pareatur, imperiosus & nimius seruitutis exactor flagellas, ver-
beras: fame, siti, nuditate, ferro frequenter & carcere adfligis & crucias:
& nõ agnoscis deum dominum tuum, cum sic exerceas ipse dominatum?
Merito ergo incursantibus plagis non desunt dei flagella, nec verbera:
quæ cum nihil isthic promoueant, nec ad Deum singulos tanto cladium
terrore conuertant, manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma,
& pœna perpetua: nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hîc
Dei indignantis terror auditus est, qui per Prophetam clamat & dicit,
Audite sermonem domini filij Israel, quia iudicium est Domini aduersum incolas Oseæ.4.
terræ, eo quòd neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei est super terram,
sed execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffusum est
super terram: sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum vni-
uersis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus cæli: &
deficient pisces maris, vt nemo iudicet, & nemo reuincat. Indignari se deus di-
cit & irasci, eo quòd agnitio dei non sit in terris, & Deus non agnoscatur
nec timeatur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudum, crudelitatis,
blasphemiarum, impietatis, & furoris, Deus increpat & incusat: & ad in-
nocentiam nemo conuertitur. Fiunt ecce quæ verbis Dei ante prædicta

sunt: nec quisquam fide præsentium, vt in futurum consulat, admonetur. Inter ipsa aduersa, quibus vix coartata & concluſa anima respirat, uacat malos esse: & in periculis tantis, non de se magis, sed de altero indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male viuendo mereamini: quasi non omnia ista quę accidunt, minora adhuc sint & leuiora peccatis vestris. Qui alios iudicas, aliquando esto & tui iudex: conscientiæ tuæ latebras intuere. immò quia nullus iam delinquendi, vel pudor est, & sic peccatur quasi magis per ipsa peccata placeatur: qui perspicuus & nudus à cunctis videris, & ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut auaritia rapax es, aut iracundia sæuus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut liuore inuidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus: & miraris in pœnas generis humani, iram dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur? Hostem quereris exurgere, quasi, etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit. Hostem quereris exurgere, quasi non, etsi externa de barbaris arma & pericula comprimãtur, ferocius intus & grauius de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domesticæ impugnationis tela grassentur. De sterilitate autẽ & fame quereris, quasi famem maiorem siccitas quàm rapacitas faciat: quasi non de captatis annonarum incrementis, & preciorum cumulis, flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris cludi imbribus cælum, cum sic horrea cludantur in terris. Quereris nunc minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem & luem criminaris, cum peste ipsa & lue vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, & in defunctis auaritia inhiat, ac rapina: iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij: fugientes morientium funera, & adpetentes spolia mortuorum: vt adpareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint dum curantur, euadere. Nam perire ægrum voluit, qui censum pereuntis inuadit. Tantus cladium terror, dare non potest innocentiæ disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur. Prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio est. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille qui non rapit, dãnum & dispendium proprium sentiat: sic vnusquisque rapere festinat. In latronibus est vtcunque scelerum aliqua verecundia: auias fauces & desertas solitudines diligunt: & illic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur. Auaritia palàm sæuit, & ipsa, audacia sua tuta, in fori luce abruptæ cupiditatis arma prostituit. Inde falsarij, inde venefici, inde in media ciuitate sicarij, tam ad peccandum præcipites, quàm impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet inuenitur. De accusatore vel iudice metus nullus. Impunitatẽ consequuntur mali. dum modesti tacent, timent cõscij: veneunt iudicaturi. Et idcirco per Prophetã diuino spiritu & instinctu, rei veritas promitur: certa & manifesta ratio monstratur, Deum posse aduersa prohibere: sed ne ille subueniat, merita peccantium facere. *Nunquid*, ait, *non valet manus domini, vt saluos vos faciat, aut grauauit aurem, vt non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos & deũ separant: & propter delicta vestra, auertit faciem suã à vobis, ne misereatur.* Peccata itaq; & delicta reputẽtur, conscientię vulnera cogitentur: & desinet vnusquisq; de deo & de nobis conqueri, si quod patitur, intelligat se mereri. Ecce idipsum quale est, vnde nobiscũ maxime sermo est, quod nos infestatis innoxios, quod in contumeliã dei impugnatis atque opprimitis dei seruos.

Hiere. 42.

Parum est, quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum, vita vestra macu-

maculatur: quod ſuperſtitionibus falſis religio vera ſubuertitur, quod Deus omnino nec quæritur, nec timetur: adhuc inſuper & Dei ſeruos, maieſtati ac nomini eius dicatos, iniuſtis perſecutionibus flagellatis. Satis non eſt, quod tu ipſe Deum non colis, adhuc inſuper eos qui colunt, ſacrilega infeſtatione perſequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis: & cum ceteri, qui non tantum iſta inepta idola, & manu hominis facta ſimulacra, ſed & portenta quædam & monſtra venerantur, tibi placeant, ſolus diſplicet dei cultor. Fumant vbique in templis veſtris hoſtiarum buſta, & rogi pecorum: & Dei altaria, vel nulla ſunt, vel occulta. Crocodili, & cynocephali, & lapides, & ſerpentes coluntur: & Deus ſolus in terris, aut non colitur, aut non eſt impune quod colitur. Innoxios, iuſtos, deo charos, domo priuas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis, gladio, ignibus punis. Saltem contentus eſto dolorum noſtrorum compendio, ac ſimplici ac veloci breuitate pœnarum. Admoues laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia: nec feritas atque immanitas tua, vſitatis poteſt contenta eſſe tormentis: excogitat nouas pœnas ingenioſa crudelitas. Quæ eſt hæc inſatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido ſæuitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe, aut eſt crimen, aut non eſt. Si crimen eſt, quid non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſequeris innocentem? torqueri enim debui, ſi negarem. Si pœnam tuam metuens, id quod prius fueram, & quod deos tuos non colueram, mẽdacio fallente celarem, tunc torquendus fuiſſem, tunc ad confeſsionem criminis vi doloris adigendus: ſicut in quæſtionibus ceteris torquentur rei, qui ſe negant crimine quo accuſantur, teneri: vt facinoris veritas, quę indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero cum ſponte confitear, & clamans crebris ac repetitis identidem vocibus, Chriſtianum me eſſe conteſter, quid tormenta admoues confitenti, & deos tuos non in abditis & ſecretis locis, ſed palàm, ſed publice, ſed in foro ipſo, magiſtratibus & præſidibus audientibus, deſtruenti: vt & ſi parum fuerat, quod in me prius criminabaris, creuerit quod & odiſſe, & punire plus debeas: quod dum me Chriſtianum celebri loco & populo circunſtãte pronuncio, & vos & deos veſtros, clara & publica prædicatione confundo? Quid te ad infirmitatem corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem deſtrue, diſceptatione ſi potes vince, vince ratione. Vel ſi quid diis tuis numinis & poteſtatis eſt, ipſi in vltionem ſuam ſurgant, ipſi ſe ſua maieſtate defendant. Aut quid præſtare colentibus poſsint, qui ſe de non colentibus vindicare non poſſunt? nam ſi eo qui vindicatur, pluris eſt ille qui vindicat, tu diis tuis maior es: ſi autem iis quos colis, maior es, non tu illos colere, ſed ab illis potius coli debes & timeri vt Dominus. Sic illos læſos vltio veſtra defendit, quomodo & clauſos ne pereant, tutela veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis: pudeat tutelã de iis ſperare, quos tu tueris. O ſi audire eos velis & videre, quando à nobis adiurantur & torquenter ſpiritalibus flagris, & verborum tormentis de obſeſsis corporibus eiiciuntur: quando eiulantes & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe quæ dicimus. Et quia ſic deos colere te dicis, vel ipſis quos colis crede: aut ſi volueris & tibi credere, de te ipſo loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit. Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas,

timeri ab eis quos tu times: quos tu adoras, videbis sub manus nostras stare vinctos: & tremere captiuos, quos tu suspicis & veneraris vt dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris & audieris deos tuos, quid sint, ad interrogationes nostras statim prodere: ac præsentibus licet vobis, præstigias illas & fallacias suas non posse celare. Quæ ergo mentis ignauia est, immo quæ desipientium cæca & stulta dementia, ad lucem de tenebris non venire? & mortis æternæ laqueis vinctos, spem nolle immortalitatis excipere? non metuere Deum comminantem & dicentem, *Sacrificans diis, eradicabitur, nisi Domino soli:* & iterum, *Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & incuruatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis?* Quid te ad falsos deos humilias & inclinas? quid ante inepta simulachra & figmenta terrena, captiuum corpus incuruas? Rectum te Deus fecit, & cum cetera animalia prona & ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status, & ad cælum atque ad Deum tuum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige: in supernis Deum quære. Vt carere inferis possis, ad alta & cælestia suspensum pectus adtolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente quem colis, sternis? Quid in ruinam diaboli, per ipsum & cum ipso cadis? Sublimitatem serua qua natus es: perseuera talis qualis à Deo factus es. Cum statu oris & corporis, animum tuum statue. Vt cognoscere Deum possis, te antè cognosce. Relinque idola, quę humanus error inuenit. Ad Deum conuertere, quem si imploraueris, subueniet. Christo crede, quem viuificandis ac reparandis nobis pater misit. Lædere seruos Dei & Christi, persecutionibus tuis desine, quos læsos vltio diuina defendit. Inde est enim quod nemo nostrum quando adprehenditur reluctatur, nec se aduersus iniustam violentiam vestram, quanuis nimius & copiosus sit noster populus, vlciscitur. Patientes facit de secutura vltione securitas. Innocentes, nocentibus cedunt. Insontes, pœnis & cruciatibus adquiescunt, certi & fidentes, quòd inultum non remaneat quodcunque perpetimur: quantóque maior fuerit persecutionis iniuria, tanto & iustior fiat & grauior pro persecutione vindicta. Nec vnquam impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, vt non statim diuinitus vindicta comitetur. Vt memorias taceamus antiquas, & vltiones pro cultoribus Dei sæpe repetitas, nullo vocis præconio reuoluamus, documentum recentis rei satis est: quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis rerum, iacturis opum, dispendio militum, deminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet, aut fuisse fortuitum putet, cum iam pridem Scriptura diuina posuerit & dixerit, *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* & iterum Spiritus sanctus præmoneat & dicat, *Ne dixeris, Vlciscar me de inimico meo: sed expecta Dominum, vt tibi auxilio sit.* Vnde clarum est atque manifestum, quia non per nos, sed pro nobis accidunt cuncta ista quæ de dei indignatione descendunt. Nec ideo quis putet Christianos iis quę accidunt non vindicari, quando & ipsi videantur accidentium incursione perstringi. Pœnam de aduersis mundi ille sentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo est. Ille mœret & deflet, si sibi male sit in seculo, cui bene non potest esse post seculum: cuius viuendi fructus omnis hîc capitur, cuius hîc solatium omne finitur: cuius caduca & breuis vita, hîc aliquam dulcedinem computat & voluptatem: quãdo isthinc excesserit, pœna iam sola superest ad dolorem. Ceterum nullus hîc dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur aduersis, nec frangimur, nec dolemus: neque in vlla aut

Exod.22. Esa.2.

Deuter.32.

rerum

rerum clade, aut corporum valetudine, muſitamus: ſpiritu magis quàm carne viuentes, firmitate animi, infirmitatem corporis vincimus. Per ipſa quæ vos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos ſcimus & confidimus. Putatis nos aduerſa vobiſcum æqualiter perpeti, quando eadem aduerſa videatis à nobis & vobis non æqualiter ſuſtineri? Apud vos impatientia, clamoſa ſemper & querula eſt: apud nos, fortis & religioſa patientia, ſemper quieta, & ſemper in Deum grata eſt, nec quicquam iſthic lætum ac proſperum ſibi vendicat: ſed mitis & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines ſtabilis, diuinæ pollicitationis tempus expectat. Quandiu enim corpus hoc permanet, commune cum ceteris ſit neceſſe eſt, & corporalis conditio communis: nec ſeparari generi humano abinuicem datur, niſi iſthinc de ſeculo recedatur. Intra vnam domum boni & mali interim continemur. Quicquid intra domum venerit, pari ſorte perpetimur, donec æui temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hoſpitia diuidamur. Non ergo idcirco compares vobis & æquales ſumus, quia in iſto adhuc mundo & carne conſtituti, mundi & carnis incommoda vobiſcum pariter incurrimus. Nam cum in ſenſu doloris ſit omne quod punit, manifeſtum eſt, eum non eſſe participem pœnæ tuæ, quem videas tecum non dolere. Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei, & inter ipſas ſeculi labentis ruinas, erecta mens eſt, & immobilis virtus, & nunquam niſi læta patientia, & de deo ſuo ſemper anima ſecura, ſicut per prophetam Spiritus ſanctus loquitur & hortatur, ſpei ac fidei noſtræ firmitatem cæleſti voce corroborans: *Ficus*, inquit, *non afferet fructum, & non erunt naſcentiæ in vineis. Mentietur opus oleæ, & campi non præſtabunt frumentum. Deficient à pabulo oues, & non erunt in præſepibus boues. Ego autem in domino exultabo, & gaudebo in deo ſalutari meo.* Abac. 3. Dei hominem & cultorem dei, ſubnixum ſpei veritate, & fidei ſtabilitate fundatum, negat mundi huius & ſeculi infeſtationibus commoueri. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis ficcitate morientibus æſtuans campus areſcat, quid hoc ad Chriſtianos? quid hoc ad Dei ſeruos, quos paradiſus inuitat? quos gratia omnis & copia regni cæleſtis expectat? Exultant ſemper in domino, & lætantur, & gaudent in deo ſuo, & mala atq; aduerſa mundi fortiter tolerant, dum bona & proſpera futura proſpectant. Nam qui expoſita natiuitate terrena, ſpiritu recreati & renati ſumus, nec iam mundo, ſed deo viuimus, non niſi cum ad Dominum venerimus, Dei munera & promiſſa capiemus: & tamen pro arcendis hoſtibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel temperandis aduerſis, rogamus ſemper & preces fundimus: & pro pace ac ſalute veſtra propitiantes & placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque inſtanter oramus. Nemo itaque ſibi blandiatur, quòd nobis & profanis Dei cultoribus, & deo aduerſantibus, ſit interim per æqualitatem carnis & corporis, laborum ſecularium conditio communis, vt ex hoc opinetur omnia iſta quæ accidunt, nobis inrogari: cùm Dei ipſius prædicatione & prophetica conteſtatione ante prædictum ſit, venturam ſuper iniuſtos iram Dei, perſecutionésque quæ nos humanitus læderent, non defuturas: ſed & vltiones quæ læſos diuinitus defenderent, ſecuturas. Et quanta ſunt quæ iſthic pro vobis interim fiunt? In exemplum aliquid datur, vt Dei vindicis ira noſcatur: ceterum retro eſt iudicij dies, quem Scriptura ſancta denunciat dicens, *Vlulate: proximus enim eſt dies Domini, & obtritio à Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit inſanabilis, indignationis & iræ, ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo.* Eſa. 13. & iterum, *Ecce dies Domini venit, ardens velut clibanus, erúntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula: & ſuccendet illos aduentens dies, dicit Dominus.* Malach. 4. Succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id eſt alienos à diuino genere & profanos, ſpiritaliter non renatos, nec Dei filios factos. Euadere enim eos ſolos

posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Dominus loquitur, quando ad vastationē mundi & interitum generis humani, angelos suos mittens, grauius in vltimo comminatur, dicens, *Ite & cædite, et nolite parcere*
Ezech. 9. *oculis vestris. Nolite misereri senioribus atque iuuenibus: et virgines, et mulieres, et paruulos interficite, vt perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est,*
Ibid. *ne tetigeritis.* Quod autem hoc signum sit & qua in corporis parte positum, manifestat alio in loco Dominus, dicens, *Transi mediam Hierusalem, & notabis signum super frontes virorum, qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum.* Et quod ad passionem & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus atque incolumis reseruetur quisquis in hoc signo inue-
Exod. 12. nitur, item dei testimonio comprobatur dicentis, *Et erit sanguis in signum vobis super domos in quibus vos ibi eritis, & videbo sanguinem, & protegam vos: & non erit in vobis plaga deminutionis, cum percutiam & conteram terram AEgypti.* Quod autem ante occiso agno præcesserit in imagine, impletur in Christo, sequuta postmodum veritate. Illic percussa AEgypto, Iudaicus populus euadere non nisi sanguine & signo agni potuit: ita & cum vastari cœperit mundus & percuti, quisque in sanguine & signo Christi inuentus fuerit, solus euadet. Respicite itaq; dum tempus est, ad veram & æternam salutem: & quia iam mundi finis in proximo est, ad dominum deum mentes vestras dei timore conuertite. Nec vos delectet in seculo inter iustos & mites, impotens ista & vana dominatio, quando & in agro inter cultas & fertiles segetes, lolium & auena dominetur. Nec dicatis mala accidere, quia dij vestri à nobis non colantur, sed sciatis esse hanc iræ Dei censuram: vt qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel sero quærite, quia iampridem per Prophetam
Amos 5. Deus præmonens hortatur & dicit, *Quærite Dominum, & viuet anima vestra.*
Ioann. 17. Deum vel sero cognoscite, quia Christus aduenies hoc admonet docétque dicens, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus inrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum iudicij dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mœstitia perfidorum, noluisse isthic prius credere, & vt credant, iam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Seruantur cum corporibus suis animę infinitis cruciatibus ad dolorem: spectabitur illic à nobis semper, qui hic nos spectauit ad tempus: & in persecutionibus factis, oculorum crudelium breuis fructus perpetua visione perpensabitur, secundum Scripturæ
Marci 9. Sap. 5. sanctæ fidem dicentis, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad visionem vniuersæ carni.* & iterum, *Tunc stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. dicent intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritu gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & insimilitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors eorum est? Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis via & perditionis & ambulauimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Erit tunc sine fructu pœnitentia, & dolor pœnæ, & inanis ploratio, & inefficax deprecatio. In ęternam pœnam sero credent, qui in vitam æternam credere noluerunt. Securitati igitur & vitę dum licet, prouidete.

uidete. Offerimus vobis animi & consilij nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, & sic deo plus placemus, dum nullam pro iniuria vicem reddimus, hortamur dum facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo supereſt, deo satisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere. Non inuidemus commodis vestris, nec beneficia diuina celamus. Odiis vestris beneuolentiam reddimus, & pro tormentis ac suppliciis quæ nobis inferuntur, salutis iter demonstramus. Credite & viuite, & qui nos ad tempus persequimini, in ęternum gaudete nobiscum. Quando istinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentię locus est, nullus satisfactionis effectus. Hîc vita aut amittitur, aut tenetur: hîc saluti æternæ cultu Dei ac fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem, facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu, pro delictis roges, & deum qui vnus & verus est, confessione & fide agnitionis eius implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem precio sui sanguinis, reconciliando hominem deo patri, viuificando mortalem regeneratione cæleſti. Hunc si fieri potest, sequamur omnes: huius sacramento & signo, censeamur: hic nobis viam vitæ aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad cælorum regna perducit, cum ipso semper viuemus, & facti per ipsum filij Dei, cum ipso exultabimus semper, ipsius cruore reparati. Erimus Christiani, cum Christo simul glorioſi, de deo patre beati, de perpetua voluptate lætantes, semper in conspectu dei, & agentes deo gratias semper. Neque enim poterit, nisi & lætus esse semper & gratus, qui cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate securus.

CAECILII CYPRIANI, AD FORTVNATVM,

DE EXHORTATIONE MARTYRII.

ARGVMENT. ex capitibus notum est.

DESIDERASTI Fortunate charissime, vt quoniã persecutionum & pressurarum pondus incumbit, & in fine atque in cõsummatione mundi, Antichristi tempus infestum appropinquare iam cœpit, ad pręparandas & corroborandas fratrum mentes, de diuinis scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi, ad spiritale & cæleste certamen animarem. Obtemperandum fuit desiderio tuo tam necessario, vt quantum sufficit mediocritas nostra auxilio diuinæ inspirationis instructa, quasi arma & munimenta quædam pugnaturis fratribus de pręceptis Dominicis promerentur. Parum est enim quod Dei plebem classico nostræ vocis erigimus, nisi credentium fidem & dicatam Deo deuotamque

virtutem diuina lectione firmemus. Quid autem potius aut maius curæ nostræ ac sollicitudini congruit, quàm vt commissum nobis diuinitus populum & exercitum in cęlestibus castris constitutum, aduersus diaboli tela & iacula exhortationibus assiduis præparemus? Neque enim idoneus potest esse miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. Aut qui agonisticam coronam quęrit adipisci, in stadio num coronabitur, nisi vsum & peritiam virium ante meditetur? Aduersarius vetus est & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex milia annorum iam plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes atque insidias deiiciēdi, vsu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum inuenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum ac toto corde vigilantem, circūuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si vero quis dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adhęrens, contra eum steterit, vincatur necesse est, quia Christus quem confitetur, inuictus est. Ac ne in longum sermonem meum extenderē, frater charissime, & audientem vel legentem stili latioris copia fatigarem, compendium feci, vt propositis titulis quos quis & nosse debeat & tenere, capitula dominica subnecterem, & id quod proposueram diuinæ lectionis auctoritate solidarem, vt non tam tractatum meum videar tibi misisse, quàm materiam tractantibus præbuisse, quę res in vsum singulis proficit vtilitate multorum. Nam si cōfectam & paratam iam vestem darem, vestis esset mea, qua alius vteretur, & forsan non pro habitudine staturæ & corporis res alteri facta minus congruens haberetur. Nunc vero de agno, per quem redempti ac viuificati sumus, lanam ipsam & purpuram misi: quam cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies, & plus vt in domestica tua atque in propria veste, lętaberis: & ceteris quoque, vt cōficere & ipsi pro arbitrio suo possint, quod misimus exhibebis, vt vetere illa nuditate contecta, perferant omnes indumenta Christi, cælestis gratiæ sanctificatione vestiti. Necnon & illud consilium, frater charissime, vtile & salubre prospexi, in exhortatione tam necessaria, quæ martyres faciat, amputandas esse verborum nostrorum moras & tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas: ponenda illa sola quæ deus loquitur, quibus seruos suos ad martyrium Christus hortatur. Præcepta ipsa diuina velut arma pugnantibus suggerenda sunt. Illa sint militaris tubæ hortamenta, illa pugnantibus classica. Inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde & animi & corporis vires ad omnem passionis tolerantiam roborentur. Nos enim qui Domino permittente primum baptisma credētibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes & docentes hoc esse baptisma in gratia maius, in potestate sublimius, in honore preciosius: baptisma, in quo angeli baptizant: baptisma, in quo Deus & Christus eius exultat: baptisma, post quod nemo iam peccat: baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat: baptisma, quod nos recedentes de mundo statim deo copulat. In aquæ baptismo, percipitur peccatorum remissa: in sanguinis, corona virtutum. Amplectenda res est & optanda, & omnium postulationum nostrarum precibus expetenda, vt qui serui Dei sumus, simus & amici.

CAPVT PRIMVM.

IN exhortandis itaque ac præparandis fratribus nostris, & virtutis fidei firmitate ad præconium dominicæ confessionis, atque ad prælium persecutionis & passionis armandis, primo in loco dicendum est, idola deos non esse, quæ homo sibi facit. Neque enim quæ fiunt, factore suo & fabricatore maiora sunt, aut protegere & seruare quenquam possunt, quæ ipsa de tem-

pli

plis suis pereunt, nisi ab homine seruentur. Sed nec elementa colenda esse, quæ homini secundum dispositionem & præceptum Dei seruiunt.

II. Destructis idolis, & elementorum ratione monstrata, ostendendum, dominum solum colendum esse.

III. Tunc addendum, quæ comminatio Dei sit aduersus eos qui idolis sacrificant.

IIII. Præterea docendum, non facile ignoscere Deum idololatris.

V. Et quod sic idololatriæ indignetur Deus, vt præceperit etiam eos interfici qui sacrificare & seruire idolis suaserint.

VI. Subiungendum post hæc, quòd redempti & viuificati Christi sanguine, nihil Christo præponere debeamus, quia nec ille nobis quicquam præposuerit, & ille propter nos mala bonis prætulerit, paupertatem diuitiis, seruitutem dominationi, mortem immortalitati. Nos contrà in passionibus nostris, paupertati seculari, paradisi diuitias & delicias præferamus, dominatum & regnum æternum temporariæ seruituti, immortalitatem morti, Deum & Christum diabolo & antichristo.

VII. Insinuandum quoque, ne erepti de faucibus diaboli, & de laqueis seculi liberati, si in angustiis & pressuris esse cœperint, regredi denuo ad seculum velint, & perdant quod euaserint.

VIII. Insistendum potius esse & perseuerandum in fide & virtute, & cælestis ac spiritalis gratiæ consummatione, vt ad palmam & coronam possit perueniri.

VIIII. Ad hoc enim pressuras & persecutiones fieri, vt probemur.

X. Nec timendas esse iniurias, & pœnas persecutionum: quia maior est dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.

XI. Ac ne expauescat quisquis, & conturbetur ad pressuras & persecutiones, quas patimur in isto mundo, probandum ante prædictum esse, quod nos mundus odio habiturus esset: quod persecutiones aduersus nos excitaret, vt ex hoc ipso quod hæc fiant, manifesta sit fides diuinæ pollicitationis in mercedibus & præmiis postmodum secuturis. Nec nouũ quid accidat Christianis, quando boni ab initio mundi laborauerint, & oppressi atque occisi sint iusti ab iniustis.

XII. In nouissima parte ponendum, quæ spes, & quæ merces maneat iustos & martyres, post conflictationes huius temporis & passiones: & quod plus accepturi simus in passionis remuneratione, quàm quod hic sustinemus in ipsa passione.

CAPVT PRIMVM.

QVOD idola dij non sint, & quod nec elementa vice deorum colenda sint, in psalmo CXIII. *Idola gentium, argentum & aurum, opus manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident. Aures habent & non audiunt: neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea.* Item in Sapientia Salomonis, *Omnia idola nationum æstimauerunt deos, quibus neque oculorum vsus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, nec digiti in manibus ad tractandum: sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui spiritum mutuatus est, finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere: cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior autem ipse iis quos colit, quoniam ipse quidem vixit, illi nunquam.* Item in Exodo, *Non facies tibi idolum, nec cuiusquam similitudinem.* Item apud Salomonem de elementis, *Neque opera attẽdentes, agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam deos putauerunt. Quorum si propter spe-*

Sap.15.

Exod.20.

Sapien.13.

ciem hoc æstimauerunt, sciant quanto iis Dominus sit speciosior: aut si virtutes & opera eorum mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit fortia, fortior est illis.

Deut.32. Deut.6. II. Quod Deus solum colendus sit, in Deuteronomio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Item in Exodo, *Non erunt tibi dij alij absque me.* Itē illic, *Videte videte quia ego sum, & non est deus præter me. Ego occidam, & viuere faciam, percutiam & ego sanabo, & non est qui eripiat de manibus meis.* Item in Apocalypsi, *Et vidi alium angelum volantem in medio cæli, habentem euangelium æternum, vt annunciaret super terram, & super omnes nationes, & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna, Metuite potius deum, & date illi claritatem, quoniam venit hora iudicii eius, & adorate eum qui fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt.* Sic & Dominus in Euangelio commemorationem facit primi & secundi præcepti dicens, *Audi Israel, dominus deus tuus dominus vnus est:* &, *Diliges dominum deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc primum: & secundum simile huic, Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Et iterum, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Apocal.14. Matth.22. Ioann.17.

Exod.22. III. Quæ comminatio dei sit aduersus eos qui idolis sacrificant, in Exodo, *Sacrificans diis eradicabitur, nisi domino soli.* Itē in Deuteronomio, *Sacrificauerunt dæmoniis, & non deo.* Item apud Esaiā, *Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis.* Et iterum, *Illis fudistis libamina, illis imposuistis sacrificia. Super hæc ergo nō indignabor, dicit dominus?* Item apud Hieremiam, *Nolite ambulare post deos alienos vt seruiatis eis, & ne adoretis eos, & ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad desperdendos vos.* Item in Apocalypsi, *Si quis adorat bestiam, & imaginem eius, & accipit notam in fronte sua, aut in manu, bibet & ipse de vino iræ dei, mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & sulphure, sub oculis sanctorum angelorum, & sub oculis agni: & fumus de tormentis eorum ascendet in secula seculorum. Nec habebunt requiem die ac nocte quicunque adorauerint bestiam, & imaginem eius.*

Esa.2. Hierē.7. Apoc.14.

Exod.32. IIII. Non facile deum ignoscere idololatris. Moyses in Exodo pro populo rogat, nec impetrat. *Precor domine,* ait, *deliquit hic populus delictum grande: fecerunt sibi deos aureos: & nunc si dimittis illis delictum, dimitte: sinautem, me dele de libro quem scripsisti. Et dixit dominus ad Moysen, Si quis delinquit ante me, delebo eum de libro meo.* Item cum Hieremias propheta pro populo deprecaretur, dominus ad eum loquitur dicens, *Et tu noli orare pro populo hoc, & noli postulare pro ipsis in prece & in oratione, quia non exaudiam in tempore quo inuocabunt me, in tempore afflictionis suæ.* Ezechiel quoque hanc eandem denunciat indignationem dei, eis qui in deum delinquunt: *Et fuit,* inquit, *verbum domini ad me, dicens, Fili hominis, terra quæcunque peccauerit mihi, vt delinquat delictum, & extendam manum meam super eam, & obteram stabilimentum panis, & immittam in eam famem, & auferam de ea hominem & pecora. Et si fuerint tres viri in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, non liberabunt filios neque filias, ipsi soli salui erunt.* Item in Regnorum libro primo, *Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabunt pro eo dominum: si autem in dominum peccet homo, quis orabit pro eo?*

Exod.32. Hiere.7. Ezech.14. 1.Reg.2.

Deut.13. V. Quod sic idololatriæ indignetur deus, vt præceperit etiam eos interfici, qui sacrificare & seruire idolis suaserint: in Deuteronomio, *Quod si rogauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor tua quæ est in sinu tuo, aut amicus tuus qui æqualis est animæ tuæ, latenter dicens, Eamus & seruiamus diis alienis, diis gentium, non consenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus super eum: & non celabis eum, & annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit super eum in primis interficere eum, & manus omnis populi: postremo & lapidabunt eum, &*

morie-

morietur, quoniam quæsiuit auertere te à domino deo tuo. Et iterum loquitur dominus, & dicit, nec ciuitati parcendum, etiam si vniuersa consenserit ad idololatriam. *Aut si audieris in vna ex ciuitatibus, quas dominus deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes, Eamus & seruiamus diis alienis, quos non nosti: interficiens necabis eos omnes qui sunt in ciuitate, cæde gladij, & incendes ciuitatem igni, & erit sine habitaculo in æternum. non reædificabitur etiam nunc, vt auertatur dominus ab indignatione iræ suæ. Et dabit tibi misericordiam, & miserebitur tui, & multiplicabit te, si exaudieris vocem domini dei tui, & obseruaueris præcepta eius.* Cuius præcepti & vigoris memor Mattathias interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat. 1. Macc. 3. Quod si ante aduẽtum Christi circa dominum colendum, & idola spernenda hæc pręcepta seruata sunt: quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt, quando ille veniens, non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis: post omnes iniurias & contumelias passus quoque & crucifixus, vt nos pati & mori exemplo suo doceret: vt nulla sit homini excusatio pro se non patienti, cũ passus sit ille pro nobis, & cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis pati vnumquenque debere? Et ideo in euangelio comminatur & dicit, *Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui est in cælis: qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum corã patre meo qui est in cælis.* Matth. 10. Itẽ apostolus Paulus, *Si enim commorimur,* inquit, *& conuiuemus: si toleramus, & conregnabimus: si negamus, & ipse negabit nos.* 2. Timo. 2. Item Ioannes, *Qui negat filium, neque patrem habet: qui confitetur filium, & filium & patrem habet.* 1. Ioan. 2. Vnde nos ad contemptum mortis hortatur & corroborat dicens, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest animam & corpus occidere in gehennam:* Matth. 10. Et iterum, *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in isto seculo, in vitam æternam conseruabit illam.* Ioan. 2.

VI. Quod redempti & viuificati Christi sanguine, nihil Christo præponere debeamus: in Euangelio dominus loquitur & dicit, *Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus. Et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. Sic & in Deuteronomio scriptum est, *Qui dicunt patri & matri, Non noui te, & filios suos non agnouerunt, hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum seruauerunt.* Deut. 33. Item apostolus Paulus, *Quis nos,* inquit, *separabit à charitate Christi? pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Roma. 8. Psal. 43. Et iterum, *Non estis vestri: empti enim estis magno precio, clarificate, & portate deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6. Et iterum, *Pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* 2. Corin. 5.

VII. Ereptos de faucibus diaboli, & de seculi laqueis liberatos, non debere denuo ad seculum reuerti, ne perdant quod euaserint: in Exodo Iudaicus populus ad vmbram nostri & imaginem pręfiguratus, cum deo tutore & vindice euasisset Pharaonis atque Ægypti, id est diaboli & seculi durissimam seruitutem, circa Deum perfidus & ingratus, aduersus Moysen musitat, respiciens solitudinem ac laboris incommoda, & non intelligens libertatis ac salutis beneficia diuina, reuerti quærit ad AEgyptum, hoc est ad seculi seruitutem, vnde fuerat abstractus, cum magis fidere in dominum deberet & credere, quoniam qui à diabolo & seculo liberat populum suum, proteget liberatum. *Quid hoc nobis,* inquiunt, *feciſti, eiiciendo nos de AEgypto? Melius erat nobis seruire AEgyptiis, quam obire in solitudine hac. Et dixit Moyses ad populum, Fidite & state & cernite salutem quæ à domino est, quam nobis faciet hodie. Dominus ipse pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exod. 14. Quod nos admonens in Euangelio suo

Dominus, & docens ne ad diabolum rursus, & ad seculum, quibus renunciauimus, & vnde euasimus, reuertamur, dicit, *Nemo retro attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno dei.* Et iterum, *Et qui in agro est, non reuertatur retro. Memores estote vxoris Loth.* Ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur, quominus Christum sequatur, addit & dicit, *Qui non renunciat omnibus quæ sunt eius, non potest meus discipulus esse.*

Luc. 9, & 17.

Lucæ 14.

VIII. Insistendum esse & perseuerandum in fide & virtute, & cælestis ac spiritalis gratiæ consummatione, vt ad palmam & ad coronam possit peruenire: in Paralipomenon, *Dominus vobiscum est quandiu & vos estis cum ipso. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Item apud Ezechielem, *Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die exerrauerit.* Itē dominus in euangelio loquitur & dicit, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et iterū, *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

Paralip. 15.

Ezech. 33.

Matth. 10. Ioan. 8.

Præmonens nos quoque semper paratos esse debere, & expeditos in procinctu firmiter stare, adiecit & dicit, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: vt cum venerit, & pulsauerit, aperiant ei. Felices serui illi, quos aduenies dominus, inuenerit vigilantes.* Item beatus Apostolus Paulus, vt fides nostra proficiat & crescat, & ad summa perueniat, hortatur dicens, *Nescitis quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam? Sic currite vt apprehendatis. & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam.* Et iterum, *Nemo militans Deo, implicat se molestiis secularibus, vt possit placere ei cui se probauit. Sed & si certanerit quis, non coronabitur, nisi legitime pugnauerit.* Et iterum, *Oro ergo vos fratres, per misericordiam Dei, vt constituatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, placentem deo, & ne configuremini seculo huic, sed transformemini in renouatione spiritus, ad probandum, quæ sit voluntas dei bona, & placens, & perfecta.* Et iterum, *Sumus filij dei: si autem filij, & hæredes, hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi: siquidem compatimur, vt & commagnificemur.* Et in Apocalypsi eadē loquitur diuinæ prædicationis hortatio dicens, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quod exemplum perseuerandi & permanendi designatur in Exodo: vbi Moyses ad superandum Amalec, qui figuram portabat diaboli, in signo & sacramento crucis alleuabat supinas manus. Nec vincere aduersarium potuit, nisi postquam stabilis in signo, alleuatis manibus iugiter perseuerauit. *Et factum est,* inquit, *cum leuabat Moyses manus, prævalebat Israel: vbi autem submiserat manus, conualescebat Amalec. Et accepto lapide, supposuerunt sub eo, & sedebat super eum. Et Aaron & Vr sustentabant manus eius hinc & inde, & factæ sunt manus Moysi stabiles vsque in occasum solis. Et fugauit Iesus Amalec, & omnem populum eius. Et dixit Dominus ad Moysen, Scribe hoc in memoriam in libro, & da in aures Iesu, quoniam deletione delebo memoriam Amalec de sub cælo.*

1. Timo. 2.

Roma. 12.

Rom. 8.

Apocal. 3.

Exod. 17.

Deut. 13.

IX. Ad hoc enim pressuras & persecutiones fieri, vt probemur: in Deuteronomio, *Tentat Dominus Deus vester vos, vt sciat si diligitis eum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota virtute vestra.* Et iterum apud Salomonem, *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Paulus quoque paria testatur ac loquitur dicens, *Gloriamur in spe claritatis Dei. non solum autem, sed & gloriamur in pressuris, scientes quoniam pressura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et Petrus in epistola sua ponit & dicit, *Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, nec excidatis tanquam nouum vobis contingat: sed quotiescunque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, vt & in reuelatione facta claritatis eius, gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi*

Ecclesia. 27.

Rom. 5.

1. Petr. 4.

sti, beati estis, quia maiestatis & virtutis Domini nomen requiescit in vobis, quod quidem per illos blasphematur, per nos autem honoratur.

x. Timendas non esse iniurias & pœnas persecutionum, & ne expauescat quis ad pressuras & persecutiones, quas patitur in mundo isto, quia maior est Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum: Iohannes in epistola sua ponit & dicit, *Maior est qui in vobis est, quàm qui in isto mundo.* Item in psalmo, *Non metuam quid mihi faciat homo, dominus mihi auxiliator est.* Et iterum, *Isti in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini dei nostri magnificabimus. Ipsi copulati sunt pedes, & ceciderunt: nos autẽ surreximus et erecti sumus.* Itẽ in Psalmo CXVII. *Dominus mihi adiutor, nõ timebo quid mihi faciat homo.* Et adhuc fortius docẽs & ostẽdens spiritus sanctus castra diaboli nõ timẽda, etsi bellũ nobis hostis indixerit, in ipso magis bello spẽ nostrã cõsistere, & cõgressione illa iustos ad diuinę sedis & salutis ęternæ pręmia peruenire, in psalmo XXVI. ponit, & dicit, *Si directa fuerint in me castra, nõ timebit cor meũ: si exsurrexerit super me bellum, in illud ego sperabo. Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.* Itẽ in Exodo declarat scriptura diuina, pressuris multiplicari nos & augeri potius dicens, *Quantóq; eos deprimebant, tanto plures fiebant & inualescebant magis.* Et in Apocalypsi protectio diuina promittitur passionibus nostris: *Nihil,* inquit, *horum timeas quæ passurus es.* Nec alius securitatem nobis, & protectionem pollicetur, quàm qui & per Esaiam prophetã loquitur dicens, *Noli timere, quia te redemi, & vocaui te in nomine tuo, meus es tu. Et si pertransieris per aquam, tecũ sum, & flumina te nõ inundabunt. Et si pertransieris per ignem, flamma non comburet te, quoniam ego dominus deus tuus sum, qui te saluum facio.* Qui & in euangelio promittit auxilium diuinũ dei seruis in persecutionibus non defuturum, dicens, *Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Et iterum, *Ponite in cordibus vestris, nõ præmeditari excusare: ego enim dabo vobis os & sapientiã, cui non poterunt resistere aduersarij vestri.* Sic & in Exodo ad Moysen cuntãtẽ, & ad populũ trepidantẽ, deus loquitur dicens, *Quis dedit os homini? & quis fecit mutum? et quis surdum? & quis videntẽ & cæcũ? nonne ego dominus deus? Et nunc perge, et ego aperiam os tuũ, & instruã te quid loquaris.* Nec difficile est deo aperire os hominis deuoti sibi, & cõfessori suo inspirare constantiã & fiduciã loquendi, qui in Numeris aduersus Balaam prophetam, etiã asinã fecerit loqui. Quare in persecutionibus nemo cogitet, quòd periculũ diabolus importet, immo consideret, quod auxiliũ deus præstet, nec mentẽ labefaciat humana infestatio, sed corroboret fidẽ diuina protectio, quando vnusquisque secundum dominica promissa, & fidei suæ merita tantum accipiat de dei ope, quantũ se credat accipere: nec fit quod omnipotẽs præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit.

1. Ioan. 4.
Psal. 117. & 19.
Psal. 26.
Exod. 1.
Apocal. 2.
Esa. 43.
Matth. 10.
Lucæ 21.
Exod. 4.
Nume. 22.

xi. Ante prædictũ, quòd nos mundus odio habiturus esset, & quod persecutiones aduersum nos excitaret: sed quòd nihil nouũ Christianis accidat, quãdo ab initio mũdi boni laborauerint, & oppressi atq; occisi sint iusti ab iniustis: dominus in euangelio præmonet & prænunciat dicẽs, *Si mundus vos odit, scitote quoniam me primo odiit. Si de mundo essetis, mundus quod suũ esset amaret: sed quia de mundo non estis, & ego elegi vos de mũdo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis quem dixi vobis, Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Et iterum, *Veniet hora vt omnis qui occiderit vos, putet se officium deo facere, & hoc facient, quoniam non cognouerunt patrem neq; me. Hæc autem locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorũ memores sitis, quoniam ego dixi vobis.* Et iterum, *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & plangetis, seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet.* Et iterum, *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in seculo autem pressuram. Sed fidete, quoniam ego vici sc-*

Ioan. 15
Ioan. 16.

culum. Et iterum cum à discipulis suis interrogaretur de signo aduentus sui
Lucæ 21. Marci 13. Matth.24. & consummationis mundi, respondit & dixit, *Cauete, ne quis vos fallat: multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos fallent. Incipietis autem audire bella & auditus bellorum, videte, nolite tumultuari: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Exsurget enim gens super gentem, & regnum super regnum, & erunt fames & terræmotus & pestilentiæ per loca. Omnia autem ista initia parturitionum sunt. Tunc tradent vos in pressuram, & interficient vos, & eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & se inuicem tradent, & odient inuicem. Et multi pseudoprophetæ exsurgent, & seducent multos, & eo quod facinus abundet, refrigescet charitas multorum. Qui autem tolerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc euangelium regni per totum orbem terræ, in testimonium omnibus gentibus: & tũc veniet finis. Cum ergo videritis abominationem*
Dan. 9. *vastationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in mõtes: & qui in tecto est, non descendat tollere quicquam de domo: & qui in agro est, non conuertatur retro auferre vestimenta sua. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga vestra hieme, neque sabbato. Erit autem tunc pressura magna, qualis non est facta ab initio mundi vsque nunc, sed neque fiet: & nisi breuiati essent dies illi, non liberaretur omnis caro: propter electos autem breuiabuntur dies illi. Tunc si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ad errorem faciendum, si fieri potest, & electis. Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in cubiculis, nolite credere. Sicut enim coruscatio exit ab oriẽte, & apparet vsque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ. Continuo autem post pressuram dierum illorum, sol tenebrescet, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & lamentabuntur omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus in virtute magna & claritate. Et mittet angelos suos cum virtute magna & claritate, & cum tuba magna. Et colligent electos eius à quatuor ventis à summis cælorum vsque ad summitates eorum.* Nec noua aut repentina hæc sunt quæ nunc accidunt Christianis, cum boni & iusti semper & dei innocentiæ lege ac veræ religionis timore deuoti, per pressuras & iniurias, & graues ac multiformes infestationum pœnas angusti itineris difficultate gradiãtur. Sic in origine statim mun-
Gene.4. di Abel iustus à fratre primus occiditur, & Iacob fugatur, & Ioseph venunda
1.Reg.14. tur: & Dauid misericordem Saul rex persequitur, & Heliam maiestatem dei
3.Reg.19. constanter ac fortiter asserentẽ rex Achab opprimere conatur. Zacharias sa-
Matth.23. cerdos interficitur in medio tẽpli & altaris, vt illic hostia ipse fiat, vbi deo hostias immolabat. Tot deniq; iustorum martyria sæpe celebrata, tot edita in posterũ fidei & virtutis exempla. Tres pueri, Ananias, Azarias, Misael, ętate compares, dilectione concordes, fide stabiles, virtute constantes, flammis ac pœnis vrgentibus fortiores, soli se deo seruire, solum nosse, solum colere
Dan. 3. proclamant, dicentes, *Nabuchodonosor rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Etenim Deus, cui nos seruimus, potens est nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberare nos. Quod si noluerit, notum sit tibi, quia diis tuis non seruiemus, & statuam auream quam statuisti, non adoramus.* Et Daniel deo deuotus, & spiritu sancto plenus exclamat & dicit, *Nihil colo*
Dan. 14. *ego nisi dominum meum qui condidit cælum & terram.* Thobias quoque sub rega li licet ac tyrannica seruitute, sensu tamen ac spiritu liber, confessionẽ suam deo seruat, & virtutẽ maiestatemq; diuinam sublimiter prædicat dicens, *Ego*
Thob.15. *in terra captiuitatis meæ confitebor illi, & ostendam virtutem eius in natione pecca-*
Macca.7. *trice.* Quid vero in Maccabæis septem fratres natalium pariter & virtutum

sorte

sorte consimiles, septenarium numerum sacramento perfectæ cõsummationis implentes? sic septem fratres in martyrio cohærentes, vt primi in dispositione diuina septem dies annorum septem milia continentes, vt septem spiritus, & angeli septem qui assistunt & conuersantur ante faciem Dei: & lucerna septiformis in Tabernaculo martyrij, in Apocalypsi septem candelabra aurea, & apud Salomonem columnæ septem, super quas ædificat domum sapientia: ita & isthic septem fratrum numerus, ecclesiarum septem numerum sui quantitate complexus, secundum quod in primo libro Regnorum legimus, sterilem septem peperisse. Et apud Esaiam: *Septem mulieres vnum hominem apprehendunt, cuius inuocari nomen super se exposcunt.* Et apostolus Paulus qui huius legitimi numeri & certi meminit, ad septem ecclesias scribit. Et in Apocalypsi dominus mandata diuina, & præcepta cælestia ad septem ecclesias & earundem angelos dirigit: qui nunc iste in fratribus numerus inuenitur, vt consummatio legitima impleatur. Cum septem liberis planè copulatur & mater, origo & radix, quę ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima & vna supra petram Domini voce fundata. Nec vacat, quod in passionibus, sola cum liberis mater est. Martyres enim quos dei filios in passione testatur, iam non nisi patre deo censentur, sicut in euangelio docet dominus dicens: *Ne vocaueritis vobis patrem super terram: vnus est enim pater vester qui in cælis est.* Quæ vero ediderunt confessionum præconia, quàm præclara, quàm magna documenta fidei præbuerunt? Rex Antiochus infestus, immo in Antiocho antichristus expressus, ora martyrum gloriosa & spiritu cõfessionis inuicta, contagio carnis suillæ maculare quęrebat: & cum flagellis grauiter verberasset, ac nihil promouere potuisset, sartagines iussit igniri: quibus ignitis & accẽsis, eum qui primum locutus fuerat, & magis regem virtutis ac fidei constantia prouocauerat, admoueri pręcepit & frigi, producta & execta prius lingua quæ confessa Dominum fuerat. quod martyri gloriosius contigit: lingua enim confessa nomen Dei, prior debuit ad Deum ipsa proficisci. Pòst in secundo excogitatisa acrioribus pœnis, antequam cetera membra torqueret, cutem capitis cum capillis detraxit, odio scilicet certo. Nam cum caput viri, Christus sit: & caput Christi, Deus, qui caput laniabat in martyre, Deum & Christum persequebatur in capite. At ille, martyrio suo fidens, & resurrectionis sibi præmium de dei remuneratione promittens, exclamauit & dixit, *Tu quidem quia potens es, ex hac præsenti vita nos perdis, sed mundi rex defunctos pro suis legibus, in æternam vitæ resurrectionem suscitabit.* Tertius, linguam postulatus, cito protulit: nam pœnam linguæ execandæ iam didicerat à fratre contemnere: manus quoque amputandas constanter extendit, multum beatus genere isto supplicij, cui contigit extensis manibus ad pœnam passionis dominicę instar imitari. Necnon & quartus, pari virtute tormẽta contemnens, & ad retundendum regem cęlesti voce respondens, exclamauit & dixit: *Potius est, ab hominibus morti datos, expectare spem à deo, iterum ab eo suscitandos in vitam æternam: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Quintus, præter quod carnificinam regis, & duros variosque cruciatus fidei vigore calcabat, ad præscientiam quoque & notitiam futurorum, spiritu diuinitatis animatus, prophetauit regi, indignationem Dei, & vltionem velociter prosecuturam. *Potestatem,* inquit, *inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis. noli autem putare genus nostrum à Deo derelictum esse. sustine & vide magnam potestatem eius, qualiter te & semen tuum torquebit.* Quale illud leuamentum fuit martyrij, quàm magnum, quàm grande solatium? In cruciatibus suis non propria tormenta cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare? In sexto vero, non virtus sola, sed & humilitas prædicanda est, nihil sibi martyrem vindicasse, nec confessionis suæ honorẽ superbis vocibus ventilasse:

Apocalyp. 1. Prouerb. 9. Esa. 4. Apoc. 1. Matth. 23. 2. Macha. 7.

peccatis potius ſuis ſcripſiſſe, quòd perſecutionem à rege pateretur: deo vero dediſſe, quod poſtmodum vindicaretur. Docuit ergo eſſe martyres verecundos de vltione fidere, & nihil in paſsione iactare. *Noli* inquit, *fruſtra errare: nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum: tu autem ne te exiſtimes impune futurum, adgreſſus pugnare cum Deo.* Admirabilis quoque mater, quę nec ſexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos ſpectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, ſed glorias computauit, tam grãde martyrium Deo præbens virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerunt filij eius tormentis & paſsione membrorum. Cùm ſex punitis & occiſis, ſupereſſet vnus ex fratribus, cui rex diuitias, & potentatus, & multa pollicebatur, vt crudelitas eius & feritas vel vnius ſubacti ſolatio foueretur: & peteret vt ad filium deiiciendum ſecum deprecaretur & mater, deprecata eſt illa, ſed vt decebat martyrum matrem, vt decebat legis & dei memorem, vt decebat filios ſuos non delicate, ſed fortiter diligentem. Deprecata eſt enim, ſed vt Deo confiteretur: deprecata eſt, ne à fratribus ſuis frater in conſortio laudis & gloriæ ſepararetur: tunc ſe ſeptem filiorum cõputans matrem, ſi ſibi contigeret filios ſeptem deo peperiſſe, non ſeculo. Armans itaque eum & corroborans, & feliciore tunc partu filium generans, *Fili*, inquit, *miſerere mei, quæ te in vtero menſibus nouem portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Oro fili, aſpicias in cælum & terram, & omnibus quæ in eis ſunt aſpectis intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Itaque fili, ne timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus effectus, excipias mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.* Magna laus matris in exhortatione virtutis, ſed maior in Dei timore & in fidei veritate, quod nihil ſibi aut filio de ſex martyrum honore promiſit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis ſalutem. Perſuaſit potius participem fieri paſſionis, vt in iudicij die poſſet cũ fratribus inueniri. Poſthæc liberis ſuis commoritur & mater: neque enim aliud iam licebat, quàm vt quæ martyres & pepererat & fecerat, in conſortio illis gloriæ iungeretur: & quos ad Dominum præmiſerat, ipſa quoque ſequeretur. Ac ne quis vel libelli, vel alicuius rei oblata ſibi occaſione qua fallat, amplectatur decipientium malum munus, nec Eleazarus tacendus eſt, qui cum ſibi à miniſtris regis offerretur facultas, vt accepta carne qua liceret ei veſci, ad circunueniẽdum regẽ ſimularet ſe edere quæ de ſacrificiis atq; illicitis cibis ingerebantur, conſentire ille ad hanc fallaciam noluit, dicens nec ætati ſuæ, nec nobilitati conuenire id fingere, quo ceteri ſcandalizarentur, & in errorem inducerentur, exiſtimantes Eleazarum nonaginta annos natum, ad alienigenarum mortem, relicta & prodita dei lege, tranſiſſe: nec tanti eſſe lucrari breuia vitæ momenta, vt offenſo Deo incurreret in æterna ſupplicia. Atque illic excruciatus diu, & in extremo iam conſtitutus, cum inter verbera & tormenta moreretur, ingemiſcens dixit: *Domine qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſte tu ſcis, quia cum poſſim à morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero flagellis vapulans, animo autem propter tui ipſius metum, libenter hæc patior.* Sincera prorſus fides, & virtus integra ac ſatis pura, non regem Antiochum cogitaſſe, ſed dominum iudicem, & ſciſſe proficere ſibi ad ſalutem non poſſe, ſi hominem derideret ac falleret, quando deus qui conſcientiæ noſtræ iudex eſt, & ſolus timendus eſt, nec derideri poſsit omnino nec falli. Si igitur & nos dicati ac deo deuoti viuimus, ſi ſupra iuſtorum antiqua & ſancta veſtigia iter facimus, per eadem documẽta pœnarum, per eadem paſsionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis ac fidei, numerari non poſſunt martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi & dicente: *Poſt hæc vidi turbam magnam*

2. Macca. 7.

Ibidem.

2. Macca. 6.

Apocal. 7.

gnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu & populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni & agni, & erant amicti ſtolas albas, & palmæ erant in manibus eorum, & magno clamore dicebant, Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum & agno: & reſpondit vnus ex ſenioribus, dicens, Hi qui amicti ſunt ſtolas albas, qui ſunt, & vnde venerunt? Et dixit ei, Domine tu ſcis: & ait mihi, Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni: propter hoc ſunt in conſpectu throni Dei, & ſeruiunt ei in templo eius. Quod ſi tantus oſtenditur & probatur Chriſtianorum martyrum populus, nemo difficile vel arduum putet poſſe martyrem fieri, quando videat martyrum populum non poſſe numerari.

XII. Quæ ſpes & merces maneat iuſtos, & martyres poſt conflictationes huius temporis & paſsiones, per Salomonem ſpiritus ſanctus oſtendit & præcinit, dicens: *Etſi coram hominibus tormenta paſsi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Etſi in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſtum hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Sap.3. Item apud eundem vindicta noſtra deſcribitur, & perſequentium nos atque infeſtantium pœnitentia prædicatur. *Tunc ſtabunt*, inquit, *iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe pœnitentiam habentes, & per anguſtiam ſpiritus gementes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in riſu & in ſimilitudine improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulauimus ſolitudines difficiles, viam autẽ Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra.* Ibidem. Item in pſalmo cxv. precium & merces paſsionis oſtenditur: *Preciosa eſt*, inquit, *in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Item in pſalmo cxxv. triſtitia, conflictationes, & lætitia retributionis exprimitur. *Qui ſeminant*, inquit, *in lachrimis, in gaudio metent. Ambulantes ambulabant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient, in exultatione portantes manipulos ſuos.* Et iterum in pſalmo cxviii. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur martyria eius, in toto corde exquirunt eum.* Item Dominus in euangelio, vltor ipſe perſecutionis noſtræ & remunerator paſsionis, *Beati eritis*, inquit, *qui perſecutionem paſsi fueritis propter iuſtitiam, quia ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth.5. Et iterum, *Beati eritis cum vos odio habuerint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam, propter filium hominis. Gaudete in illo die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis.* Et iterum, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, hic ſaluabit eam.* Nec ſolos animaduerſos & interfectos diuinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam ſi ipſa paſsio fidelibus deſit, fides tamen integra atq; inuicta perſtiterit, & contemptis ac relictis ſuis omnibus, Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque à Chriſto inter martyres honoratur, pollicente ipſo & dicente, *Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam.* Lucæ 18. Item in Apocalypſi hoc idem loquitur, *Vidi*, inquit, *animas occiſorum propter nomen Ieſu & ſermonem Dei.* Apocal.6. & cum primo loco poſuiſſet occiſos, addidit dicens, *Et quicunque imaginem beſtiæ non adorauerunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua:* quos vniuerſos à ſe in eodem loco ſimul viſos coniungit & dicit, *Et vixerunt & regnauerunt cum*

Christo. Viuere omnes dicit & regnare cum Christo, non tantum qui occisi fuerint, sed & qui in fidei suæ firmitate, & Dei timore perstantes, imaginem bestiæ non adorauerunt, neque ad funesta eius & sacrilega edicta consenserunt. Plus nos accipere in passionis mercede, quàm quod hic sustinemus in
2.Cor.12. ipsa passione, probat beatus apostolus Paulus, qui dignatione diuina vsque in tertium cælum atque in paradisum raptus, audisse se inenarrabilia testatur, qui occulta fide Iesum Christum vidisse se gloriatur, qui quod & didicit
Roma.8. & vidit, maioris conscientiæ esse veritate profitetur. *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quis enim non omnibus viribus elaboret ad claritatem tantum peruenire, vt amicus Dei fiat, & cum Christo statim gaudeat? vt post tormenta & supplicia terrena, præmia diuina percipiat? Si militibus secularibus gloriosum est, vt hoste deuicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & maior est, deuicto diabolo ad paradisum triumphantes redire, & vnde Adam peccator eiectus est, illuc prostrato eo, qui ante deceperat, trophæa victricia reportare? afferre Domino acceptissimum munus, incorruptam fidem, virtutem mentis incolumem, laudem deuotionis illustrem? comitari Deo, cum venire cœperit vindictam de inimicis recepturus: lateri eius adsistere, cum sederit iudicaturus? cohæredem Christi fieri? angelis adæquari? cum patriarchis, cum apostolis, cum prophetis cælestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare? Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus fundata mens, & aduersus omnes diaboli terrores & minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa & solida corroborat. Cluduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cælum: minatur antichristus, sed dominus Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur: vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta est securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias glorioſum, cludere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus: aperire eosdem statim, vt Deus videatur, & Christus: tam feliciter migrandi quanta velocitas? terris repente subtraheris, vt in regnis cælestibus reponaris. Hæc oportet mente complecti, & cogitatione hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutionis dies Christi militem inuenerit, vinci non poterit virtus ad prẽmium prompta. Vel si accersitio ante præuenerit, sine præmio nõ erit fides quæ erat ad martyrium præparata. Sine damno temporis merces deo iudice redditur, in persecutione militia, in pace conscientia coronatur.

Amen.

CYPRIANVS

ARGVMEN. Ad Moysem & Maximum epistola ac ceteros confessores de confessione eorum, in qua docet quemadmodum per vnius anni circulum cuncta ducuntur ad frugem, sic per annum quo carcerem perpessi fuerant, ad æternam illos messem venisse.

CYPRIANVS MOYSI ET MAXIMO PRESBYTERIS ET CETERIS CONFESSORIBVS FRATRIBUS, salutem. IIII.

ET cunctos vos pariter, & singulos, repræsentauit affectibus nostris fratres charissimi, Celerinus, aduenies, fidei ac vestræ virtutis comes, & glorioſis congressionibus Dei miles. Vniuersos vos in illo veniente conspeximus, & cum charitatem circa me vestram dulciter ac sæpe loqueretur, in eius sermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimum gaudeo, quando nobis per tales talia perferuntur. Vobiscum illic in carcere quodammodo & nos sumus, diuinæ dignationis hortamenta vobiscum sentire nos credimus, qui sic vestris cordibus inhæremus. Honori nos vestro, charitas vestra indiuidua connectit. separari dilectionem spiritus non sinit. Vos illic confessio, me affectio includit. Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, & cum secessu priuatis precibus oramus, coronis & laudibus vestris plenam domini fauentiam postulamus. Sed ad reddendam vobis vicem, minor est nostra mediocritas. Plus vos datis, quando nostri in oratione meministis, qui sperantes iam sola cælestia, & tantum diuina meditantes, ad fastigia celsiora mora ipsa passionis ascenditis. Longóque temporum ductu glorias vestras non subtrahitis, sed augetis. Beatum facit prima & vna confessio. Vos toties confitemini, quoties rogati, vt de carcere recedatis, carcerem fidei & virtutes præeligitis. Tot vestræ laudes, quot dies: quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui statim patitur. At qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur. Eant nunc magistratus & consules siue proconsules, annuæ dignitatis insignibus & duodecim fascibus glorientur: ecce dignitas cælestis in vobis honoris annui claritate signata est. Et iam reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est. Illuminabat mundum sol oriens, & luna decurrens, sed vobis idem qui solem fecit & lunam, maius in carcere lumen fuit, & in corde ac mentibus vestris Christi claritudo resplendens, horribiles ceteris atque funestas pœnalis loci tenebras æterna illa & candida luce radiauit. Per vicissitudines mensium transmeauit hibernum, sed vos inclusi, tempora hiemis, persecutionis hieme pensabatis. Successit hiemi verna temperies, rosis læta, & floribus coronata: sed vobis rosæ & flores de paradisi deliciis adhærent, & caput vestrum serta cælestia coronabant, AEstas ecce messium fertilitate fœcunda est, & area frugibus plena est: sed vos qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metitis. Atque in domini area

constituti, exuri paleas inextinguibili ígne conspicitis: ipsi vt tritici grana purgata & frumenta preciosa, iam purgati & conditi, hospitiũ carceris horreum computatis. Nec deest autumno ad munera fungenda temporis gratia spiritalis. Vindemia foris premitur, & profutura poculis in torcularibus vua calcatur: vos de domini vinea pingues racemi, & iã maturis fructibus botri, pressuræ secularis infestatione calcati, torcular nostrum carcere torquente sentitis. Vini vice sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes martyrij poculum libenter hauritis. Sic apud seruos Dei annus euoluitur. sic spiritalibus meritis, & cælestibus præmiis temporum vicissitudo celebratur. Beati satis, qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes, iam de seculo recesserunt, confectóque itinere virtutis ac fidei, ad complexum & osculum Domini, Domino ipso gaudente venerunt. Sed & vestra non minor gloria, qui adhuc in certamine constituti, & comitum glorias secuturi, pugnam diu geritis, immotáque & inconcussa fide stabiles quotidie spectaculum deo de vestris virtutibus exhibetis. Quo longior vestra confessio, hoc corona sublimior. Agon vnus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. Famem vincitis, & sitim spernitis, & squalorem carceris, ac receptaculi pœnalis horrorem, roboris vigore calcatis. Pœna illic subiicitur, cruciatus subteritur, nec mors metuitur, sed optatur, quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, vt vitæ æternitate qui vicerit, honoretur. Quis nunc in vobis animus, quàm sublime, quàm capax pectus, vbi talia & tanta voluuntur? Vbi non nisi dei præcepta & Christi præmia cogitantur, voluntas est illic tantum dei, & in carne adhuc licet vobis positis, vita iam viuitur non præsentis seculi, sed futuri. Nunc est fratres charissimi, vt memores mei sitis, vt inter magnas atque diuinas cogitationes vestras, nos quoque animo ac mẽte voluatis: simque in precibus & orationibus vestris, cum vox illa purificatione confessionis illustris, & iugi honoris sui tenore laudabilis, ad dei aures penetrat, & aperto sibi cælo de subacti mundi partibus ad superna transmissa, impetrat de domini bonitate quod postulat. Quid enim petitis de indulgentia domini, quod non impetrare mereamini? qui sic domini mandata seruastis? qui euangelicam viam sincero fidei vigore tenuistis? qui incorrupto honore virtutis, cum prẽceptis domini, & cum apostolis eius fortiter stantes, nutantem multorum fidem martyrij vestri veritate solidastis? Vere Euangelij testes, & vere martyres Christi, radicibus eius innixi, super petram robusta mole fundati, disciplinam cum virtute iunxistis, ad timorem dei ceteros prouocastis, martyria vestra exempla feciſtis. Opto vos fortissimi ac beatissimi fratres, semper bene valere, & nostri meminisse.

ARGVMEN. Ad clerum & plebem epistola de Aurelio ordinato lectore, in qua asserit non fuisse necessarium, iuxta morem aliquid ab eis de meritis eius quærere: quoniam expectanda humana iudicia non sunt, vbi diuina suffragia præcedunt.

CYPRIA-

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIS, ET PLEBI VNIVERSAE, salutem. V.

DE ordinationibus clericorum fratres chariſsimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Sed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedant diuina ſuffragia. Aurelius frater noſter, illuſtris adoleſcens, à domino iam probatus & deo charus, eſt in annis adhuc nouellis, ſed in virtutis ac fidei laude prouectus. Minor in ætatis ſuæ indole, ſed maior in honore. Gemino hic agone certauit, bis confeſsionis ſuæ victoria glorioſus, & quando vicit in curſu factus extorris, & cùm denuo certamine fortiore pugnauit, triumphator & victor in prælio paſsionis. Quoties aduerſarius prouocare ſeruos Dei voluit, toties fortiſsimus ac promptiſsimus miles & pugnauit & vicit. Parum fuerat, ſub oculis ante paucorum, quando extoris fiebat, congreſſum fuiſſe: meruit & in foro congredi clariore uirtute, vt poſt magiſtratus & proconſulem vinceret, & poſt exiliũ torméta ſuperaret. Nec inuenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum, an verecundiam morum: quòd honore virtutis inſignis eſt, an quòd pudoris admiratione laudabilis. Ita & dignitate excelſus eſt, & humilitate ſubmiſſus, vt appareat illum diuinitus reſeruatum, qui ad eccleſiaſticam diſciplinam ceteris eſſet exemplo, quomodo ſerui dei in confeſsione virtutibus vincerent, & poſt confeſsionem moribus eminerent. Merebatur talis clericæ ordinationis vlteriores gradus, & incrementa maiora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus: ſed interim placuit vt ab officio lectionis incipiat, quia & nihil magis congruit voci, quæ dominũ glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quàm celebrandis lectionibus diuinis perſonare: poſt verba ſublimia quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Euangelium Chriſti legere vnde martyres fiunt: ad pulpitum poſt cataſtam venire: illic fuiſſe conſpicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conſpici: illic auditum eſſe cum miraculo circunſtantis populi, hîc cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur fratres dilectiſsimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis, quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in eccleſia noſtra quamplurimos ordinari. Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, dominico legit. Interim nobis hac die auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem. Vos orationi frequenter inſiſtite, & preces noſtras veſtris precibus adiuuate, vt domini miſericordia fauens nobis, cito plebi ſuæ & ſacerdotem reddat incolumem, & martyrem cum ſacerdote lectorem. Opto vos in Deo patre & Chriſto Ieſu ſemper bene valere.

ARGVMEN. Ad martyres epiſtola, in qua eos ad amorem martyrij inuitans, docet Dominum non tantum ſeruos in certamine ſpectare, ſed & ipſum vnà luctari, & coronare pariter & coronari.

CYPRIANVS MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS IESV CHRISTI ET DOMINI nostri, perpetuam salutem. VI.

EXVLTO lætus & gratulor, fortissimi ac beatissimi fratres, cognita fide ac virtute vestra, in quibus mater Ecclesia gloriatur, & nuper cùm cõfessione quidẽ præstãte, susceptapœna est, quę cõfessores Christi fecit extorres. Cõfessio tamen præsens, quãto in passione fortior, tãto clarior & maior in honore est. Creuit pugna, creuit & pugnãtium gloria. Nec retardati estis ab acie, tormentorum metu, sed ipsis tormẽtis magis estis ad aciem prouocati, fortes & stabiles ad maximi certaminis prælium prompta deuotione prodistis. Ex quibus quosdam iam comperi coronatos, quosdam vero ad coronam victoriæ iam iamque proximos: vniuersos vero, quos agmine glorioso carcer inclusit, pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, sicut esse oportuit in diuinis castris milites Christi, vt incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincãt, quia maior est qui in nobis, quàm qui in hoc mundo est. Nec plus ad deiiciẽdum potest terrena pœna, quàm ad erigendum tutela diuina. Probata res est certamine fratrum glorioso, qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congressi in acie, donec acies succumberet victa. Quibus ego vos laudibus prędicem fortissimi fratres? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Toleraſtis vsq; ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis supplicia cesserunt. Finem doloribus quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Quæstio grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stãtem fidem deiiceret, sed vt homines Dei ad dominum velocius mitteret. Vidit admirata præsentium multitudo cæleste certamen dei, certamen spirituale, prælium Christi, stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes vngulas pulsata ac laniata membra vicerũt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæuiens diu plaga repetita, quãuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei non iam membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret. O quale fuit illud spectaculum domini, quàm sublime, quàm magnum, quàm dei oculis sacramento ac deuotione militis eius acceptum, sicut scriptum est in psalmis spiritu loquente ad nos: *Preciosa in conspectu domini mors iustorum eius.* Pſal.115. Preciosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem precio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quàm lætus in illis Christus fuit, quàm libẽs in talibus seruis suis & pugnauit & vicit protector fidei, & dans credentibus tantum, quãtum se credit capere qui sumit. Certamini suo adfuit, prælatores atq; assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. *Cum vos* inquit, *tradiderint, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Matth.10. Documentũ rei præsens prælium præbuit. Vox plena spiritu sancto de martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos proconsuli diceret: *Videbis cras agonem.* Et quod ille cum virtutis atq; fidei testimonio dixit, dominus impleuit. Agon cælestis exhibitus est. Dei seruus in agonis promissi certamine coronatus est. Hic est agon

quem

quem Propheta Esaias ante promisit dicens: *Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem.* Et vt ostenderet quis agon esset futurus, addidit dicens: *Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel.* Hic est agon fidei nostræ qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic est agon, quem nobis ostendit beatus apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad gloriam coronæ peruenire. *Nescitis,* inquit, *quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt sed vnus tamen accipit palmam? Sic currite vt omnes occupetis. Omnis enim qui agonizatur, in omnibus continens est: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* Item suum certamen ostendēs, & hostiam se domino cito futurum esse promittēs ait: *Ego enim iam delibor, & tēpus instat adsumptionis meæ, Bonum agonem certaui, cursum perfeci, fidem seruaui, Iam superest mihi corona iustitiæ, quam mihi reddet dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt aduentum eius.* Hunc igitur agonem per Prophetas ante prædictum, per dominum cōmissum, per apostolos gestum, Mappalicus suo & collegarum suorum nomine proconsuli repromisit: nec fefellit in promisso suo vox fidelis: pugnam quam spopondit, exhibuit, & palmam quam meruit, accepit. Istum hunc beatissimum martyrem, & alios participes eiusdem congressionis, & comites in fide stabiles, in dolore patientes, in quęstione victores, vt ceteri quoq; sectemini & opto pariter & hortor, vt quos vinculū cōfessionis, & hospitium carceris simul iunxit, iungat etiam & consummatio virtutis, & corona cælestis, vt lachrimas matris ecclesiæ, quæ plangit ruinas & funera plurimorum, vos vestra lætitia tergatis, & ceterorum quoque stantium firmitatem, vestri exempli prouocatione solidetis. Si vos acies vocauerit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis domini præsentis dimicare, cōfessione nominis eius ad ipsius gloriam peruenire. qui non sic est, vt seruos suos tātum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur. Quòd si ante diem certaminis vestri de indulgentia Dei pax superuenerit, vobis manet tamen voluntas integra, & conscientia glorioſa. Nec contristetur aliquis ex vobis quasi illis minor, qui ante vos tormenta perpessi victo & calcato seculo ad dominum glorioso itinere venerunt. Dominus scrutator est renis, & cordis arcana perspicit, & intuetur occulta. Ad coronā Dei promerēdam, sufficit ipsius testimonium solum qui iudicaturus est. Ergo vtraque res, fratres dilectissimi, sublimis pariter & illustris. Illa securior, ad dominum nostrum victoriæ consummatione properare: hęc lætior, accepto post gloriam commeatu, in ecclesia laude florere. O beatam ecclesiam nostram, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris glorioſus martyrum sanguis illustrat. Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in martyrum cruore purpurea. Floribus enim nec rosę nec lilia desunt. Certēt nunc singuli ad vtriusque honoris amplissimam dignitatem, vt accipiant coronas vel de operibus candidas, vel de sanguine purpureas. In cælestibus castris & pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi ob gloriam coronantur. Opto vos fortissimi ac beatissimi fratres, semper in domino bene valere, & nostri meminisse. Valete.

Esa 7.

1. Corin. 9.

2. Timo 4.

CAECILII CYPRIANI, DE ECCLESIAE VNITATE. VII.

ARGVMEN. Scribit aduersus Nouatianum schismaticum, docens præfectos ecclesiæ ad innocentiam simplices esse oportere, & cum simplicitate prudentes in præceptorum obseruatione, aduersus occultam hostis luctam, qui plus metuendus est & cauendus, cum latenter obrepit, quàm cum se palam aduersarium profitetur.

Matth.5. CVM moneat dominus & dicat, *Vos estis sal terræ*, cumq; esse iubeat ad innocentiam simplices, & tamen cum simplicitate prudẽtes, quid aliud fratres dilectissimi, quàm prouidere nos conuenit, & sollicito corde vigilantes, subdoli hostis insidias intelligere pariter & cauere, ne qui Christũ, sapiẽtiam Dei patris, induimur, minus sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est, & ea quæ subruendis ac deiiciendis Dei seruis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est, vbi manifesta formido est. Et ad certamen animus ante prẽstruitur, quando se aduersarius confitetur. Plus metuendus est & cauendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde & nomen serpentis accepit. Ea est eius semper astutia, ea est circunueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit: & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit. Sic dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus & falleret, latenter accessit: intellectus tamen est & retrusus, & ideo prostratus, quia agnitus atque detectus. Vnde nobis exemplum datum est, veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi vincentis insistere: ne denuo incauti, in mortis laqueum reuoluamur, sed ad periculũ prouidi, accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi eã à quibus mors expugnatur & vincitur, Christi mandata seruemus? ipso monẽte & dicente, *Si vis ad vitam venire, serua mandata.* Et iterum, *Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos seruos, sed amicos.* Hos denique fortes dicit & stabiles: hos super petram robusta mole fundatos: hos cõtra omnes tempestates & turbines seculi, immobili & incõcussa firmitate solidatos. *Qui audit* inquit, *verba mea, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, & aduenerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Verbis igitur eius insistere, quæcunque & docuit & fecit, discere & facere debemus. Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult seruare mãdati? Nutet necesse est, & vagetur, & spiritu erroris abreptus, velut puluis quem ventus excutit, ventiletur. Nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem. Cauenda sunt autem non solum quæ sunt aperta atque manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidúe subtilius, quàm vt Christi aduentu detectus

Matth.19. Ioann.15.

Matth.7.

tectus ac proſtratus inimicus, (poſtquam lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, vt ſurdi auditum ſpiritalis gratiæ admitterent, aperirent ad Deũ oculos ſuos cæci, infirmi æterna ſanitate reualeſcerent, claudi ad eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circunſcribit & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum euangelio Chriſti & cum obſeruatione eius & lege nõ ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtimẽt, blandiente aduerſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitię, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Hoc eo fit fratres dilectiſsimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Matth. 16. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: *Paſce oues meas.* Et quanuis apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatẽ tribuat, & dicat, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, accipite ſpiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur.* Tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & ceteri apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædiți & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt eccleſia Chriſti vna monſtretur. Quam vnam eccleſiam etiam in Cantico canticorum ſpiritus ſanctus ex perſona domini deſignat & dicit, *Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Cant. 6. Hanc eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui eccleſiæ renititur & reſiſtit, in eccleſia ſe eſſe confidit? quando & beatus apoſtolus Paulus hoc doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendat, dicens: *Vnum corpus & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus?* Epheſ. 4. Quam vnitatem tenere firmiter & vindicare debemus, maxime epiſcopi qui in eccleſia præſidemus, vt epiſcopatũ quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcũditatis extenditur: quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundãtis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuũ, præciſus areſcet: ſic & eccleſia, domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vni-

uersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest Christi spõsa, incorrupta est & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatẽ casto pudore custodit. Hęc nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit, adsignat. Quisque ab ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrẽ, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noe fuit: & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadit. Monet dominus, & dicit, *Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit.* Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter ecclesiam colligit, Christi ecclesiam spargit. Dicit dominus, *Ego & pater vnum sumus.* & iterum de patre, & filio, & spiritu sancto scriptum est: *Et tres vnum sunt.* & quisquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, sacramentis cælestibus cohærẽtem scindi in ecclesia posse, & voluntatum collidentium diuortio separari? Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet: non tenet patris & filij fidem, vitam non tenet & salutem. Hoc vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Euangelio tunica domini Iesu Christi non diuiditur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis Christum potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atq; indiuidua tunica possidetur. Loquitur ac dicit scriptura diuina, *Dè tunica autem, quæ de superiore parte nõ consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem, Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cuius sit.* Vnitatẽ ille portabat de superiore parte venientem, id est de cælo & à patre venientem, quæ ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam simul & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & diuidit ecclesiam Christi. Contra denique, cùm Salomone moriente, regnum eius & populus scinderetur, Achias propheta Ieroboam regi obuius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit, dicens, *Sume tibi decẽ scissuras, qua hæc dicit dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem sceptra, & duo sceptra erũt ei propter Dauid seruũ meũ, & propter Hierusalẽ ciuitatem quã elegi, vt ponã meũ nomẽ illic.* Cum duodecim tribus Israel scinderetur, vestimentum suum propheta Achias scidit. At vero, quia Christi populus non potest scindi, tunica eius per totum textilis & cohærens, diuisa à possidentibus non est. Indiuidua, copulata, connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentẽ. Sacramento vestis & signo declarauit ecclesiæ vnitatem. Quis ergo sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt aut credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei, vestem domini, ecclesiam Christi? Monet ipse in Euangelio suo, & docet, dicẽs, *Et erit vnus grex, & vnus pastor.* Et esse posse vno in loco aliquis existimat, aut multos pastores, aut greges plures? Apostolus item Paulus hanc eandem nobis insinuans vnitatem, obsecrat & hortatur, dicens, *obsecro,* inquit, *vos fratres, per nomẽ domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata. Sitis autem cõpositi in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et iterum dicit: *Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis.* Stare tu, & viuere putas posse de Ecclesia recedentẽ? sedes sibi alias & diuersa domicilia condẽtem? cum dictum sit ad Raab, in qua præformabatur ecclesia, *Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domũ tuã: & erit, omnis qui exierit ostiũ domus tuæ fo-*

DEVS pater,
Ecclesia mater,

Matth. 12.

Ioann. 10.

Ioann. 19.

3. Reg. 12.

Ioan. 10.

1. Cor. 1.

Iosuæ. 2.

ras

ras, reus sibi erit. Item sacramẽtum paschæ non aliud in Exodi lege contineat, quàm vt agnus qui in figura Christi occiditur, in domo vna edatur. Loquitur Deus, dicens, *In domo vna comedetur: non eiicietis de domo carnem foras.* Caro Christi & sanctum domini, eiici foras non potest, nec alia vlla credentibus præter vnam ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc vnanimitatis hospitium designat & denunciat spiritus sanctus in Psalmis, dicens, *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Psal. 67. In domo Dei, in ecclesia Christi vnanimes habitant, concordes & simplices perseuerant. Idcirco & in colũba venit spiritus sanctus, simplex animal & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vngularum laceratione violentũ: hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cum generant, simul filios edere: cum commeant, volatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas fraternitatis dilectio imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus æquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale serpẽtum, & cruenta sæuitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniũgi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, & inualidæ arbores turbini s incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Iohannes apostolus, dicens, *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent nobiscum.* 1. Ioan. 2. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens nõ habet pacem, dum perfidia discordans nõ tenet vnitatem. Fieri vero hæc dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, vt dum mentes nostras & corda veritatis discrimẽ examinat, probatorũ fides integra, manifesta luce claresçat. Per Apostolum præmonet spiritus sanctus, & dicit, *Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis.* 1. Corin. 11. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur, sic & ante iudicij diem hîc quoque iam iustorum atque iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Hinc sunt qui se vltro apud temerarios conuenas sine diuinà dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege cõstituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen adsumunt. Quos designat in psalmis spiritus sanctus, Psal. 1. sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrũpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes. Quorum sermo, vt cancer serpit, quorum tractatus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra eiusmodi clamat dominus, ab his refrenat & reuocat errantem plebem suam, dicens, *Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore domini: dicunt eis qui abiiciunt verbum domini. Pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis: omni qui ambulat in errore cordis sui, Non venient super te mala. Non locutus sum ad eos, & ipsi prophetauerunt. Si stetissent in substãtia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, conuertissem eos à malis cogitationibus eorum.* Hiere. 23. Hos eosdem denuo dominus designat & denotat, dicens, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.* Hiere. 2. Quãdo aliud baptisma præter vnum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis & salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, sed potius

sordidantur: nec purgantur delicta, sed immo cumulantur. Non deo natiuitas illa, sed diabolo filios generat. Per mẽdacium nati, veritatis promissa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem domini discordiæ furore ruperunt. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit dominus: *Vbicũque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cũ illis sum.* Corruptores euangelij atque interpretes falsi, extrema ponunt, & superiora prætereunt: & partis memores, & partem subdole comprimentes, vt ipsi ab ecclesia scisi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis vnanimitatem suaderet & pacem: *Dico,* inquit, *vobis, quoniã si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quancunque petieritis, continget vobis à patre meo qui est in cælis. Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum:* ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. *Si duobus,* inquit, *ex vobis conuenerit in terra,* vnanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, vt conueniat nobis fideliter & firmiter, docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab eius euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserũt. Et cum hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de ecclesia sua loquitur, ad hos qui sunt in ecclesia loquitur, vt si ipsi cõcordes fuerint, si secundum quod mandauit & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei maiestate quod postulant: *Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego,* inquit, *cum eis sum,* cum simplicibus scilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus. Cum his duobus vel tribus licet, esse se dixit: quomodo & cum tribus pueris in camino ignis fuit: & quia in Deum simplices atque inter se vnanimes permanebãt, flammis ambientibus medios spiritu roris animauit. Quomodo apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia vnanimes erãt, ipse adfuit, resolutis carceris claustris, vt verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit & dicit, *Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum,* non homines ab ecclesia diuidit, qui instituit & fecit ecclesiam: sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cũ duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis: plusq; impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordiosa oratione multorum. Ideo & cum orandi legẽ daret, addidit, dicens, *Et cum steteritis ad adorationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, remittat vobis peccata.* Et ad sacrificium cum dissensione veniẽtem, reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem domino munus offerre, quia nec ad Cain munera respexit Deus: neque enim habere pacatum Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credũt æmuli sacerdotum? an secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Christi ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi fuerint in confessione nominis, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est: ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes atque vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata seruari

Matth. 18.

Matth. 18.

Dan. 3.

Act. 5.

Marci 10.

mandauit:

mandauit: exhibere se non potest martyrem, qui fraternam nõ tenet charitatem. Docet hoc & contestatur Paulus apostolus dicens, *Et si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperũ distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, non cogitat malum, cõgaudet autem veritati: omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquam excidit. Nũquam*, inquit, *charitas excidit*: hæc enim semper & in regno erit: hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis vnitate durabit. Ad regnum cælorum non potest peruenire discordia, nec ad præmium Christi, qui dixit, *Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos*. Pertinere non poterit ad præmium Christi, qui dilectionẽ Christi perfida dissensione violauit. *Qui charitatem non habet, Deum non timet*, Iohannis beati apostoli vox est. *Deus*, inquit, *dilectio est, & qui manet in dilectione, & manet in Deo, & Deus in illo manet*. Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis, animas suas ponant, nõ erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus glorios us, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianũ esse profitetur, quomodo & Christũ diabolus sæpe mẽtitur, ipso domino præmonẽte, & dicẽte, *Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos fallẽt*. Sicut ille Christus nõ est, quãuis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui nõ permanet in Euãgelij eius & fidei veritate. Nã & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtiq; & admirabilis res est. nõ tamẽ regnũ cæleste cõsequitur, quisq; in his omnib⁹ inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur. Denunciat dominus & dicit, *Multi dicent mihi in illo die, Domine domine, nõne in tuo nomine prophetauimus? et in tuo nomine dæmonia exclusimus? et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis, Nunquã vos cognoui, recedite à me, qui operamini iniquitatem*. Iustitia op⁹ est, vt promereri quis possit Deũ iudicẽ. Præceptis eius & monitis obtẽperãdũ est, vt accipiãt merita nostra mercedẽ. Dominus in Euãgelio, cũ spei & fidei nostræ viã cõpẽdio breuiãte dirigeret, *Dominus Deus tuus*, inquit, *dominus vnus est*: &, *Diliges dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc primum: et secundũ simile est huic, diliges proximũ tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ*. Vnitatẽ simul & dilectionẽ magisterio suo docuit: prophetas oẽs & legẽ pręceptis duob⁹ inclusit. Quã vero vnitatẽ seruat, quã dilectionẽ custodit, aut cogitat, qui discordię furore vesanus, ecclesiã scindit, fidẽ destruit, pacẽ turbat, charitatẽ dissipat, sacramentũ profanat? Malũ hoc dilectissimi fratres, iãpridẽ cœperat, sed nũc creuit eiusdẽ mali infesta clades, & surgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ peruersitatis, & schismatũ venenata pernicies: quia & sic oportebat in occasu mundi, prẽnũciãte per Apostolũ nobis & præmonẽte spiritu sancto, *In nouissimis*, inquit, *diebus aderunt tẽpora molesta: & erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impij, sine affectione, sine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quàm Deũ diligentes, habentes deformationẽ religionis, virtutẽ autem eius abnegantes. Ex iis sunt qui repunt in domos viduarum, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquã ad scientiam veritatis peruenientes. Et quomodo Iannes et Mambres restiterunt Moysi: sic et hi resistunt veritati, sed nõ proficiẽt plurimũ. Imperitia enim eorũ manifesta erit omnibus, sicut et illorũ fuit*. Adimplẽtur quæcũq; prędicta sunt, & appropinquãte iã seculi fine hominũ pariter ac tẽporũ probatione venerunt, & magis ac magis ad-

Ioan.15. 1.Ioan.4. Marc.13. Matth.7. Matth.22. 1.Timo 3.

uersario veniente error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat. Nõ tamen nos moueat aut turbet multorũ nimia & abrupta perfidia, sed potius fidem nostrã prænũciante rei veritate corroboret. Vt quidam tales esse cœperũt, quia hęc ante prædicta sunt: ita ceteri fratres ab eiusmodi caueãt, quia
Marci 13. & hæc antè prædicta sunt, instruente domino & dicente, *Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia.* Vitate, quæso, vos eiusmodi homines, & à latere atq; auribus vestris pernicioſa colloquia velut contagium mortis arcete, sicut scri-
Eccles. 28. ptum est, *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguã nequam.* Et iterum, *Corrum-*
1. Corin. 15. *punt ingenia bona confabulationes peſsimæ.* Docet dominus & admonet à talibus
Matth. 15. recedendum: *Cæci sunt*, inquit, *& duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, ambo in foueam cadent.* Auersandus est talis atque fugiendus quisque fuerit ab ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus. An esse sibi cũ Christo videtur, qui aduersus Christi sacerdotes facit? qui se à cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille cõtra ecclesiam portat, contra Dei dispositionẽ repugnat: hostis altaris aduersus sacrificiũ Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contẽptis episcopis & Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precẽ alteram illicitis vocibus facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia prophanare, nec scire quia qui cõtra ordinationẽ dei nititur, ob temeritatis audaciã diuina animaduersione
Numer. 16. punitur. Sic Core & Dathan & Abiron, qui sibi cõtra Moysen & Aaron sacerdotẽ sacrificãdi licentiã vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerũt. Terra cõpagibus ruptis, in profundum sinũ patuit: stantes atq; viuentes, recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tãtum eos qui auctores fuerant, Dei indignãtis ira percussit, sed & ceteros ducentos quinquaginta participes eiusdem furoris & comites: qui coagulati cum iisdem simul, ad audaciã fuerant, exiens à domino ignis properata vltione cõsumpsit, admonens scilicet & ostendẽs cõtra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad de-
2. Paralip. 26 struendam ordinationem Dei humana volũtate conati. Sic & Ozias rex, cum
4. Reg. 5. thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtẽperare & cedere nollet, diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis
Crucis signum. notatus, offenso domino, vbi signantur qui dominum promerentur. Et filij
Leui. 10. Aaron qui imposuerũt altari ignem alienum, quẽ non præceperat dominus, in conspectu statim domini vindicantis extincti sunt: quos imitãtur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contẽpta alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducũt, quos increpat dominus & obiur-
Marci 7. gat in Euãgelio suo dicens, *Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis.* Peius hoc crimen est, quàm quod admisisse lapsi videntur, qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecãtur. Hîc ecclesia quęritur & rogatur, illic ecclesię repugnatur. Hîc potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere. Hîc qui lapsus est, sibi tantum nocuit, illic qui hæresin vel schisma facere conatus est, multos secũ trahẽdo decepit. Hîc animæ vnius est damnũ, illic periculum plurimorũ. Certe peccasse se hic & intelligit & lamentatur & plangit, ille tumens in peccato suo, & in ipsis suis delictis placens, à matre filios segregat, oues à pastore sollicitat, Dei sacramẽta disturbat. Et cũ lapsus semel peccauerit, ille cotidie peccat. Postremo lapsus, martyriũ postmodũ consecutus, potest regni promissa percipere: ille si extra ecclesiã fuerit occisus, ad ecclesiæ non potest præmia peruenire. Nec quisquã miretur, dilectissimi fratres, etiã de cõfessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quàm grauia pec-

Idem dici pot de formicatione sacerdotũ & incesto apostatarum coniugio.

care.

care. Neq; enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut cõtra tentationes, & pericula, & incursus atq; impetus seculares adhuc in seculo positum, perpetua securitate defendit: ceterũ nunquam in cõfessoribus fraudes, & stupra, & adulteria postmodũ videremus: quod nunc in quibusdã videntes ingemiscimus & dolemus. Quisque ille confessor est, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior nõ est, qui tamen quãdiu in viis domini ambulauit, tandiu gratiã quã de domino fuerat cõsecutus, obtinuit: postquã dereliquit domini viã, perdidit & gratiã domini. Et ideo scriptũ est, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apocal. 3. Quod vtiq; dominus non minaretur auferri posse coronã iustitiæ, nisi quia recedẽte iustitia, recedat necesse est corona. Cõfessio exordium gloriæ est, nõ meritũ iam coronæ, nec perficit laudẽ, sed initiat dignitatẽ, cumq; scriptum sit, *Qui perseuerauerit vsq; in finem, is saluus erit*: quicquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium salutis ascenditur: nõ terminus, quo iam culminis summa teneatur. Cõfessor est, sed post confessionẽ periculũ maius est, quia plus aduersarius prouocatus est. Confessor est, hoc magis stare debet cum domini euangelio, per euangeliũ gloriam cõsecutus à domino. Ait enim dicens, *Cui multum datur, multũ quæretur ab eo,* & cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur seruitutis. Nemo per confessoris exemplũ pereat. nemo iniustitiam, nemo insolentiã, nemo perfidiam de cõfessoris moribus discat. Confessor est, sit humilis & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus: vt qui Christi confessor dicitur, Christũ quem cõfitetur, imitetur. nam cum dicat ille, *Qui se extollit, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*: & ipse à patre exaltatus sit, quia se in terris sermo & virtus, & sapientia Dei patris humiliauit, quomodo potest extollentiã diligere, qui & nobis humilitatẽ sua lege mandauit, & ipse à patre ampliss imũ nomen præmio humilitatis accepit? Confessor est Christi, sed si non postea blasphemetur per ipsum maiestas & dignitas Christi. Lingua Christum confessa non sit maledica, non turbulenta, non conuiciis & litibus perstrepens audiatur: non contra fratres & Dei sacerdotes, post verba laudis, serpentis venena iaculetur. Ceterũ si culpabilis & detestabilis postmodũ fuerit, si cõfessionem suam mala conuersatione prodiderit, si vitam suam turpi fœditate maculauerit, si ecclesiam denique, vbi confessor factus est, derelinquens, & vnitatis cõcordiam scindens, fidẽ primam perfidia posteriore mutauerit, blãdiri sibi per cõfessionem non potest, quasi electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipso magis creuerint merita pœnarũ. Nã & Iudã inter Apostolos dominus elegit: & tamen Iudas dominũ postmodum prodidit. Non tamen ideirco apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorũ societate defecit: sic & hîc non statim cõfessorum sanctitas, & dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Beatus Apostolus in epistola sua loquitur dicens, *Quid enim si exciderint à fide quidam illorum? nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? absit. Est enim Deus uerax, omnis autem homo mendax.* Roma. 3. Stat confessorum pars maior & melior in fidei suæ robore, & in legis ac disciplinæ dominicæ veritate. Nec ab ecclesiæ pace discedunt, qui se in ecclesia gratiam cõsecutos de Dei dignatione meminerunt: atqui hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui iuncti consortio confessionis fuerunt, à contagione criminis recesserunt, vero illuminati euangelij lumine, pura & candida domini luce radiati, tam sunt in conseruanda Christi pace laudabiles, quàm in diaboli fuerunt congressione victores. Opto equidem dilectissimi fratres, & consulo pariter & suadeo, vt si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus vnũ gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdã schismatũ duces, & dissensionum auctores, in cæca & obstinata dementia permanentes, non

potuerit ad ſalutis viam cõſilium ſalubre reuocare: ceteri tamen vel ſimplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutię calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis ſoluite, vagantes greſſus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cæleſtis agnoſcite. Conteſtantis Apoſtoli vox eſt, *Præcipimus vobis*, inquit, *in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & nõ ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Et iterum dicit, *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ. Nolite ergo eſſe participes eorum.* Recedendum eſt à delinquentibus, vel immò fugiendum, ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipſe teneatur. Vnus Deus eſt, & Chriſtus vnus & vna eccleſia eius, fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatẽ concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſsidio compaginis ſeparari, diuulſis laceratione viſcerib⁹ in fruſtra diſcerpi. Quicquid à matrice diſceſſerit, ſeorſum viuere & ſpirare non poterit: ſubſtantiã ſalutis amittit. Monet nos ſpiritus ſanctus, & dicit, *Quis eſt homo qui vult vitam, & amat videre dies bonos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur inſidioſe. Declina à malo & fac bonum, quære pacem & ſequere eam.* Pacem quærere debet & ſequi filius pacis, à diſſenſionis malo continere linguam ſuam debet, qui nouit & diligit vinculum charitatis. Inter ſua diuina mandata & magiſteria ſalutaria, paſſioni iã proximus dominus, addidit, dicens, *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hæreditatem dedit, dona omnia ſuæ pollicitationis & præmia in pacis conſeruatione promiſit. Si cohæredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus. Si filij Dei ſumus, pacifici eſſe debemus. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.* Pacificos eſſe oportet Dei filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione cõcordes, fideliter ſibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Hæc vnanimitas ſub Apoſtolis olim fuit. Sic nouus credẽtium populus domini mandata cuſtodiens, charitatem ſuam tenuit, probat ſcriptura quæ dicit, *Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna agebat*, & iterum, *Et erant perſeuerãtes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus, et Maria quæ fuerat mater Ieſu, & fratribus eius.* Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterãt quodcunque de domini miſericordia poſtulabant. In nobis vero ſic vnanimitas deminuta eſt, vt & largitas operationis infracta eſt. Domos tũc & fundos venundabãt, & theſauros ſibi in cælo reponentes, diſtribuẽda in vſus indigentiũ precia Apoſtolis offerebãt: at nunc de patrimonio nec decimas damus: & cũ vendere iubeat dominus, emimus potius & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, ſic robur credẽtiũ elãguit: & idcirco dominus tẽpora noſtra reſpiciẽs, in Euãgelio ſuo dicit, *Filius hominis cũ venerit, putas inueniet fidem in terra?* Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iuſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt. Nemo futurorũ metũ cogitat, diem domini, & irã Dei, & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo cõſiderat. Quod metueret cõſcientia noſtra: ſi crederet, quia nõ credit omnino, nec metuit. Si autẽ crederet, & caueret, ſi caueret: euaderet. Excitemus nos quantũ poſſumus dilectiſsimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſeruãda & gerẽda domini præcepta vigilemus. Simus tales quales eſſe nos ipſe præcepit dicẽs, *Sint lũbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando veniat à nuptiis, vt cum venerit & pulſauerit, aperiant ei. Beati ſerui illi, quos adueniens dominus inuenerit vigilãtes.* Accinctos nos eſſe oportet, ne cũ expeditionis dies venerit, impeditos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus noſtrũ lumen & fulgeat, vt ipſum nos ad lucẽ claritatis æternę de hac ſeculi nocte perducat. Expectemus ſolliciti ſemper & cauti, aduẽtũ

domini

2. Theſſal. 3.

Pſal. 33.

Ioann. 14.

Matth. 5.

Act. 4.

Act. 1.

Lucæ 18.

Lucæ 12.

domini repentinum,vt quando ille pulsauerit, euigilet fides nostra,vigilantiæ præmium à domino receptura.Si hæc mandata seruentur, si hæc monita & præcepta teneantur,opprimi dormientes diabolo fallente non possumus. Serui vigiles Christo donante regnabimus.

CAECILII CYPRIANI, DE ORATIONE DOMINICA. VIII.

ARGVMEN. Exponit orationem dominicã:in quo docet, qua potißimum oratione vti,& qualiter ad eam accedere, & quo gestu corporis et modo vocis conueniat,qui se Christianum esse adserit.Fulgentius Epistolæ nomine citat.

EVANGELICA præcepta, fratres dilectißimi, nihil aliud sunt quàm magisteria diuina, fundamenta ædificãdæ spei,firmamenta corroborandæ fidei,nutrimenta fouendi cordis,gubernacula dirigendi itineris,præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt,ad cælestia regna perducunt. Multa & per prophetas seruos suos dici Deus voluit & audiri: sed quanto maiora sunt quæ filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in prophetis fuit, propria voce testatur, non iam mandans vt paretur venienti via, sed ipse veniens, & nobis viã aperiens &ostendens,vt qui in tenebris mortis errantes,improuidi & cæci prius fuimus,luce gratiæ inluminati, iter vitæ duce & rectore domino teneremus. Qui inter cetera salutaria sua monita,& præcepta diuina,quibus populo suo consulit ad salutem,etiam orandi ipse formã dedit,ipse quid precaremur monuit & instruxit. Qui fecit viuere,docuit & orare,benignitate ea scilicet,qua & cetera dare & conferre dignatus est,vt cum prece & oratione quam filius docuit, apud patrẽ loquimur, facilius audiamur. Iam prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent patrem in spiritu & veritate,& impleuit quod antè promisit,vt qui spiritum & veritatẽ de eius sanctificatione percepimus,de traditione quoq; eius vere & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest magis spiritalis esse oratio, quàm quæ verè à Christo nobis data est,à quo nobis & sanctus spiritus missus est? Quæ verior apud patrem precatio, quàm quæ à filio qui est veritas, de eius ore prolata est? vt aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit,sed & culpa, quando ipse posuerit & dixerit, *Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis.* Matth.15. Oremus itaq;,fratres dilectißimi,sicut magister deus docuit. Amica & familiaris est oratio,Deum de suo rogare, ad aures eius ascẽdere Christi orationem. Agnoscat pater filij sui verba,cum precẽ facimus. Qui habitat intus in pectore,ipse sit & in voce.Et cum ipsum habeamus aduocatum apud patrem pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus.Nã cũ dicat,quia quodcunq; petierimus à patre Ioan.16. in nomine eius,dabit vobis: quanto efficacius impetrabimus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit autem orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos

ſub conſpectu Dei ſtare. Placendum eſt diuinis oculis,, & habitu corporis, & modo vocis. Nam vt impudentis eſt, clamoribus ſtrepere, ita cõtrà congruit verecundo, modeſtis precibus orare. Deniq; magiſterio ſuo dominus ſecrete orare nos præcepit, in abditis & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis conuenit fidei, vt ſciamus Deum vbique eſſe præſentem, audire omnes & videre, & maieſtatis ſuæ plenitudine in abdita quæque & occulta penetrare,
Hiere.23. ſicut ſcriptum eſt, *Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo, in abſconditis ergo ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo?* Et iterum, *In omni loco oculi Dei ſpeculantur bonos & malos.* Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus: non paſsim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendãdam modeſte Deo tumultuoſa loquacitate iactare. Quia Deus nõ vocis, ſed cordis eſt auditor. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt,
Lucæ 15. Hiere.17. probante domino & dicente, *Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris?* & alio loco, *Et ſcient omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis,* Quod Anna in primo libro Regnorum, eccleſiæ typum portans, cuſtodit & ſeruat, quæ dominum non clamoſa petitione, ſed modeſte & tacite intra ipſas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, ſed manifeſta fide: loquebatur non voce, ſed corde: quia ſic ſciebat Deum audire, & impetrauit efficaciter quod petiit, quia fideliter poſtulauit. Declarat diuina ſcriptura, quæ di-
1.Reg.1. Pſal.4. cit, *Loquebatur in corde ſuo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam dominus.* Item legimus in Pſalmis, *Dicite in cordibus veſtris, in ſtratis veſtris tranſpungimini.* Per Hieremiam quoque hæc eadem ſpiritus ſanctus ſuggerit & docet, dicens, *In ſenſu autem tibi debet adorari Deus.* Adorans autem fratres dilectiſsimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum phariſæo & publicanus orauerit, non alleuatis in cælum inpudenter oculis, nec manibus inſolenter erectis, pectus ſuum pulſans, & peccata intus incluſa conteſtans, diuinę miſericordiæ implorabat auxilium. Et cum ſibi Phariſæus placeret, ſanctificari hic magis meruit, qui ſic orauit, qui ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ poſuit, cum innocens nemo ſit, ſed peccata confeſſus humiliter orauit, & exaudiuit orantem qui humilibus ignoſcit.
Lucæ 18. Quæ dominus in euangelio ſuo ponit & dicit, *Homines duo aſcenderunt in templum adorare, vnus phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus cum ſtetiſſet, talia apud ſe precabatur, Deus tibi ago gratias, quia non ſum ſicut ceteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, quomodo & publicanus iſte. ieiuno bis in ſabbato, decimas do de omnibus quæcunque poſſideo. Publicanus autem de longinquo ſtabat, & neque oculos volebat ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus magis in domum ſuam, quàm ille Phariſæus:*
Matth.23 *quia omnis qui ſe extollit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quæ nos, fratres dilectiſsimi, de diuina lectione diſcentes, poſtquam agnouimus ad orationem qualiter accedere debemus, cognoſcamus, docente domino, & quid oremus. *Sic,* inquit, *orate, Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat volũtas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne patiaris induci nos in tentationem. ſed libera nos à malo. Amen.* Ante omnia pacis doctor atq; vnitatis magiſter ſingulatim noluit & priuatim precẽ fieri, vt quis cum precatur, pro ſe tantũ precetur. Non dicimus, Pater meus, qui in cælis es: nec, Panẽ meũ da mihi hodie. nec dimitti ſibi tantum vnuſquiſq; delicta poſtulat, aut vt in tentationem non inducatur, atq; à malo liberetur, pro ſe ſolo rogat. Publica nobis eſt & cõmunis oratio: & quãdo oramus, nõ pro vno, ſed pro populo toto oramus, quia totus popu

lus

lus vnũ ſumus. Deus pacis & cõcordiæ magiſter, qui docuit vnitatẽ, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit. Hanc orationis legem ſeruauerunt tres pueri in camino ignis incluſi, conſonantes in prece, & ſpiritus conſenſione concordes. Quod declarat ſcripturæ diuinæ fides: & cum docet, quomodo orauerint tales, dat exẽplum quod imitari in precibus debeamus, vt tales eſſe poſsimus. *Tunc*, inquit, *illi tres quaſi ex vno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum.* Loquebantur quaſi ex vno ore, & nondum illos Chriſtus orare docuerat, & idcirco orantibus fuit impetrabilis & efficax ſermo, quia promerebatur dominum pacifica & ſimplex & ſpiritalis oratio: ſic & apoſtolos cum diſcipulis poſt aſcenſum Domini inuenimus oraſſe. *Erant*, inquit, *perſeuerantes omnes vnanimes in oratione, cum mulieribus, & Maria, quæ fuerat mater Ieſu, & fratribus eius.* Perſeuerabãt in oratione vnanimes, orationis ſuæ & inſtantiam ſimul & concordiam declarantes. Quia deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam & æternam domum, niſi apud quos eſt vnanimis oratio. Qualia autem ſunt, fratres dilectiſsimi, orationis dominicæ ſacramenta, quam multa, quam magna, breuiter in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritaliter copioſa? vt nihil omnino prætermiſſum ſit, quod non in precibus atque orationibus noſtris cæleſtis doctrinæ compendio comprehendatur. *Sic*, ait, *orate, Pater noſter qui es in cælis.* Homo nouus renatus, & deo ſuo per gratiã eius reſtitutus, Pater primo in loco dicit, quia filius eſſe iam cœpit. *In ſua*, inquit, *propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis poteſtatem, vt filij Dei fierent, qui credunt in nomine eius.* Qui ergo credidit in nomine eius, & factus eſt Dei filius, hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur ſe dei filium, dum nominat patrem ſibi eſſe in cælis Deum: conteſtetur quoque inter prima ſtatim natiuitatis ſuæ verba, renunciaſſe ſe terreno & carnali patri, & patrem ſolum noſſe ſe & habere cœpiſſe, qui ſit in cælis, ſicut ſcriptum eſt, *Qui dicunt patri & matri, Non noui te, & fratres ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt.* Item dominus in euangelio ſuo præcepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod ſit ſcilicet nobis vnus pater qui eſt in cælis. Et diſcipulo, qui mentionem defuncti patris fecerat, reſpondit, *Sine, mortui mortuos ſuos ſepeliant*: dixerat enim patrem ſuum mortuum, cum ſit credentium pater viuus. Nec hoc ſolum, fratres dilectiſsimi, animaduertere & intelligere debemus, quod appellemus patrem, qui ſit in cælis: ſed coniungimus & dicimus, *Pater noſter*, id eſt eorum qui credunt, & eorum qui per eum ſanctificati, & gratię ſpiritalis natiuitate reparati, filij dei eſſe cœperunt. Quæ vox etiam Iudæos perſtringit & percutit, qui Chriſtum ſibi per prophetas annunciatum, & ad ſe prius miſſum, non tantum ſpreuerunt infideliter, ſed crudeliter necauerunt. Qui iam non poſſunt patrem deum vocare, cum Dominus eos confundat & redarguat, dicens, *Vos de patre diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo.* Et per Eſaiam prophetam Deus clamat indignans, *Filios genui, & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt. Agnouit bos poſſeſſorem ſuũ, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ gens peccatrix, populus plenus peccatis, ſemen nequam, filij ſcelerati. Dereliquiſtis Dominum, & in indignationem miſiſtis ſanctum Iſrael.* In quorum exprobrationem Chriſtiani quando oramus, *Pater noſter* dicimus, quia noſter eſſe cœpit, & Iudæorum qui eum reliquerunt, eſſe deſiit: nec peccator populus poteſt eſſe filius, ſed quibus remiſſa peccatorum datur, eis filiorum nomen adſcribitur, eis & ęternitas repromittitur, domino ipſo dicente, *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Quãta autem

Dan. 3.

Act. 1.

Pſal 67.

Matth. 6.

Ioan. 1.

Deuter. 33.

Matth. 23.

Ibidem. 8.

Ioan. 8.

Eſa. 1.

Ioan. 8.

Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis eius & bonitatis vbertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, vt deum patrem vocemus, & vt est Christus ei filius, sic & nos dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse sic nobis permisisset orare. Meminisse itaque fratres dilectissimi, debemus & scire, quia quando patrem deum dicimus, quasi filij dei agere debemus, vt quomodo nos nobis de deo patre placemus, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersemur quasi dei templa, vt deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu, vt qui spiritales & cælestes esse cœpimus, non nisi spiri-

1.Reg.2. talia & cælestia cogitemus & agamus, qui & ipse deus dixit, *Eos qui clarificant me, clarificabo, & qui me spernit, spernetur.* Beatus quoque apostolus in epistola

1. Cor.6. sua posuit, *Non estis vestri: empti enim estis precio magno: clarificate & portate deum in corpore vestro.* Post hoc dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, non quod optemus deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Ceterum à quo deus sanctificatur, qui

Leuit.20. ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum:* ideo petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus: & hoc cotidie precamur. Opus est enim nobis cotidiana sanctificatio, vt qui cotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de dei dig-

1.Cor.6. natione confertur, Apostolus prædicat dicens, *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis, in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Sanctificatos nos dicit, in nomine domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Hæc sanctificatio, vt in nobis permaneat oramus, & quia deus & iudex noster sanato à se & viuificato comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio quæ de dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur.

Sequitur in oratione, *Audeniat regnum tuum.* Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus, sicuti & nomen eius vt in nobis sanctificetur postulamus. Nam deus quando non regnat, aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? Nostrum regnum petimus aduenire, à deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum: vt qui ante in seculo seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut & ipse pollice-

Matth.25. tur & dicit, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Potest vero, dilectissimi fratres, & ipse Christus esse regnum Dei, quem venire cotidie cupimus, cuius aduentus vt cito nobis repræsentetur, optamus. Nam cum resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic & regnum dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum dei petimus, id est, regnum cęleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renunciauit iam seculo, maior est & honoribus eius & regno: & ideo qui se deo & Christo dicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat. Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cælesti, sicut Iudęi, quibus hoc prius promissum fuerat, exciderunt, domino manifestante & pro-

Matth.8. bante, *Multi*, inquit, *venient ab oriente & occidente, & accumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & stridor dentium.* Ostendit quia ante filij regni, Iudæi erāt, quando & filij dei esse perseuerabant: postquam cessauit circa illos nomen paternum, cessauit & regnum. Et ideo Christiani, qui in oratione appellare patrem deum cœpimus: nos & vt regnum dei nobis veniat oramus. Addi-

mus

mus quoq; & dicimus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: non vt deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus quod deus vult. Nã deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atq; actus deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat in nobis volũtas Dei: quæ vt fiat in nobis, opus est dei volũtate, id est, ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed dei indulgentia & misericordia tutus est. Deniq; & dominus infirmitatem hominis quem portabat, ostendens ait, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste:* exemplum Matth. 26. discipulis suis tribuens, vt non voluntatem suam, sed dei faciant, addidit, dicens, *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu.* Et alio in loco dicit, *Non descendi de cælo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit.* Ioan. 5. Quod si filius obaudiuit vt faceret patris voluntatem, quanto magis seruus obaudire debet, vt faciat dei volũtatem? sicut in epistola sua Iohannes quoque ad faciẽdam dei voluntatem hortatur & instruit dicens, *Nolite diligere mundum,* 1. Ioan. 2. *neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est dilectio patris in illo. quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex concupiscentia seculi: & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.* Qui in æternum manere volumus, dei qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem dei est, quã Christus & fecit & docuit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere, deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit: charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter adsistere, quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constãtiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua cõgredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est dei facere præceptum, hoc est voluntatem patris implere. Fieri autem petimus voluntatem dei in cælo & in terra, quod vtrunque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cum corpus è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in vtroque, id est corpore & spiritu, vt dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersum se inuicem cotidiana congressio, vt non quę volumus ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & secularia concupiscit: & ideo petimus impense inter duo ista ope & auxilio dei, concordiam fieri, vt dum & spiritu & carne uoluntas dei geritur, quæ per eum renata est, anima seruetur. Quod aperte atque manifeste Apostolus Paulus sua voce declarat, *Caro,* inquit, *concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inuicem aduersantur sibi, vt non quæ vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt facta carnis, quæ sunt, adulteria, fornicationes, immũdicitiæ, spurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, prouocationes, simultates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.* Galat. 5. Et idcirco cotidianis, immò continuis orationibus hoc precamur, vt in cælo, & in terra voluntatem circa nos dei fieri: quia hæc est voluntas Dei, vt terrena cęlestibus cedãt, spiritalia & diuina præualeant. Potest & sic intelligi, fratres dilectissimi, vt quoniam mandat & monet Deus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque qui nos persequuntur orare, petamus & pro illis

qui adhuc terreni sunt, & necdum cęlestes esse cœperunt, vt & circa illos voluntas dei fiat, quam Christus hominem conseruando & redintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non iam terra appellentur, sed sal terræ, & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum vero de cælo, merito & nos qui esse debemus patri deo similes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, sic Christi monente oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus. Vt quomodo in cælo, id est, in nobis per fidem nostram voluntas dei facta est, vt essemus de cælo: ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes ex aqua & spiritu nati. Procedente oratione, postulamus & dicimus, *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Quod dicit potest spiritaliter & simpliciter intelligi, quia & vterq; intellectus vtilitate diuina proficit ad salutem. Nam panis vitę, Christus est, & panis hic omnium nō est, sed noster est, & quomodo dicimus, *Pater noster*, quia intelligentium & credentium pater est: sic & panē nostrum vocamus, quia Christus, noster, qui corpus eius cōtingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis cotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam cotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cęlesti pane prohibemur, à Christi corpore seperemur, ipso prædicante & dicente, *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de eius pane, manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente, *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis cotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione & eius corpore non recedamus. Potest vero & sic intelligi, vt qui seculo renūciauimus, & diuitias eius & pompas fidei gratia spiritalis abiecimus, cibum nobis tantū petamus & victum, quando instruat dominus & dicat, *Qui non renūciauerit omnibus quæ sunt eius, non potest meus discipulus esse.* Qui autē Christi cœpit esse discipulus, secundum vocem magistri sui renuncians omnibus, diurnum cibum debet petere, nec in longum desiderij sui petitionem extendere, ipso iterum domino præscribente & dicente, *Nolite in crastinum cogitare: crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua.* Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi fit & repugnans, vt quæramus in seculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire. Sic & beatus Apostolus monet informans & corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem, *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum, verum neque auferre quid possumus. Habentes itaque victum, & tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & muscipulam diaboli, & desideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & interitum: radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Docet non tantum contemnendas, sed & periculosas esse diuitias, illic esse radicem malorum blandientium, cęcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Vnde & diuitem stultum seculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem, redarguit deus dicens, *Stulte hac nocte exposulatur anima tua: quæ ergo parasti, cuius erunt?* Lætabatur stultus in fructibus nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contrà autem Dominus perfectum & consumma-

Matth. 5. 1. Cor. 15.

Ioann. 6.

Lucæ 14.

Matth. 6.

1. Timo. 6.

Lucæ 12.

Matth. 19.

tum

tum docet fieri, qui omnibus ſuis venditis, atque in vſum pauperum diſtributis, theſaurum ſibi condat in cælo. Eum dicit poſſe ſequi, & gloriam dominicæ paſsionis imitari, qui expeditus & ſuccinctus, nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, ſed ſolutus ac liber, facultates ſuas ad Dominum ante præmiſſas, ipſe quoque comitatur. Ad quod vt poſsit vnuſquiſque noſtrum parare ſe, ſic diſcit orare, & de orationis lege qualis eſſe debeat noſcere. Neque enim deeſſe cotidianus cibus poteſt iuſto, cum ſcriptum ſit, *Non occidet Dominus fame animam iuſti.* Et iterum, *Iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Item Dominus promittit & dicit, *Nolite cogitare dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.* Quærentibus regnum & iuſtitiam dei, omnia promittit apponi. Nam cum dei ſint omnia, habenti dominum nihil deerit, tantum niſi deo ipſe deſit. Sic Danieli in leonum lacu iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus procuratur, & inter feras eſurientes, & rugientes homo dei paſcitur. Sic alitur Helias in fuga: & in ſolitudine coruis miniſtrantibus & volucribus cibum ſibi apportantibus in perſecutione nutritur. Atque ô humanę malitiæ deteſtanda crudelitas: ferę parcunt, aues paſcunt, & homines inſidiãtur & ſæuiunt. Poſt hęc & pro peccatis noſtris precamur dicentes, *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Poſt ſubſidium cibi, petitur & venia delicti, vt qui à deo paſcitur, in deo viuat, nec tantum præſenti & temporali vitæ, ſed æternæ conſulatur, ad quam venire poteſt, ſi peccata donentur: quæ Debita dominus appellat, ſicut in euangelio dicit, *Dimiſi tibi omne debitum, quia rogaſti me.* Quam neceſſarie autem, quàm prouidenter & ſalubriter admonemur, quòd peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia de domino petitur, conſcientiæ ſuę animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur, peccare ſe cotidie, dum cotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique Iohannes in epiſtola ſua monet dicens, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſsi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat.* In epiſtola ſua vtrunque complexus eſt, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dominum dixit ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis ſuæ reſeruantem. Quia qui orare nos pro debitis & pro peccatis docuit, paternam miſericordiam promiſit & veniam ſecuturam. Adiunxit planè & addidit legem, certa conditione nos & ſponſione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecũdum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus: ſciẽtes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa peccatores noſtros paria fecerimus. Idcirco & alio in loco dicit, *In qua menſura menſi eritis, in ea remetietur vobis* Et qui ſeruus poſt dimiſſum ſibi à domino omne debitum, conſeruo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conſeruo ſuo noluit, quod ſibi à domino fuerat indultum amiſit. Quæ adhuc fortius Chriſtus in præceptis ſuis maiori cenſuræ ſuæ vigore prædixit, *Cum ſteteritis,* inquit, *ad orationem, remittite ſi quid habetis aduerſum aliquem, vt & pater veſter qui in cælis eſt, dimittat peccata vobis: ſi autem vos non remiſeritis, neque pater veſter qui in cælis eſt, remittet vobis peccata.* Excuſatio tibi nulla in die iudicij ſupereſt, cum ſecundum tuam ſententiam iudiceris, & quod feceris, hoc & ipſe patiaris. Pacificos enim & concordes atque vnanimes eſſe in ſua domo deus præcepit, & quales nos fecit ſecunda natiuitate, tales vult renatos perſeuerare: vt qui filij dei eſſe cœpimus, in dei pace maneamus, & quibus ſpiritus vnus eſt, vnus ſit & animus & ſenſus: ſic

Prouerb. 10.
Pſal 36.
Matth. 6.
Dan. 4.
3. Reg. 17.
Matth. 18.
1. Ioan. 1.
Matt. 7.
Marci 11.

nec ſacrificium deus reſpicit diſſidentis: & ab altari reuertẽtem, prius fratri reconciliari iubet, vt pacificis precibus & deus poſsit eſſe placatus. Sacrificium deo maius eſt pax noſtra, & fraterna concordia, & de vnitate patris & filij & ſpiritus ſancti plebs adunata. Neque enim in ſacrificiis, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum deus, ſed corda intuebatur: vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iuſtus, dum deo ſacrificat innocenter, docuit & ceteros quando ad altare munus offerunt, ſic venire cum dei timore, cum ſimplici corde, cum lege iuſtitiæ, cum concordię pace. Merito ille dum in ſacrificio dei talis eſſet, poſtmodum ſacrificium deo factus eſt, vt martyrium primus oſtendens, initiaret, & ſanguinis ſui gloria dominicam paſsionem, qui & iuſtitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à domino coronantur, tales in die iudicij cum domino iudicabunt. Ceterum diſcordans & diſsidens, & pacem cum fratribus non habens, ſecundum quod beatus Apoſtolus in ſcriptura ſancta teſtatur, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit euadere, quia ſicut ſcriptum eſt, *Qui fratrem odit ſuum, homicida eſt*: nec ad regnum cælorum peruenit, vt cum deo viuat. Homicida non poteſt eſſe cum Chriſto, qui imitator Iudæ maluit eſſe, quàm Chriſti. Quale delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? quale crimen eſt, quod martyrio nõ poteſt expiari? Illud quoque neceſſarie admonet Dominus, vt in oratione dicamus, *Et ne patiaris induci nos in tentationem.* Qua in parte oſtenditur nihil contra nos aduerſarium poſſe, niſi ante Deus permiſerit, vt omnis timor noſter & deuotio atque obſeruatio ad Deum conuertatur, quando in tentationibus noſtris nihil malo liceat, niſi poteſtas inde tribuatur. Probat diuina ſcriptura, quæ dicit, *Venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Hieruſalem, & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum eius.* Datur autem poteſtas aduerſum nos malo, ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt, *Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſraël eis qui deprædantur illum? nonne Deus cui peccauerunt? & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius: & ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ?* Et iterum, Salomone peccante, & à præceptis, & à viis domini recedente ſic poſitum eſt, *Et excitauit Dominus ſatan ipſi Salomoni.* Poteſtas vero dupliciter aduerſum nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: ſicuti de Iob factum videmus manifeſtante domino & dicente, *Ecce omnia quæcunque habet, in manus tuas do, ſed ipſum caue ne tangas.* Et dominus in euangelio loquitur, tempore paſsionis, *Nullam haberes, inquit, aduerſum me poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper.* Quando autẽ rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus. Ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe atque arroganter aliquid aſſumat: ne quis aut confeſsionis, aut paſsionis gloriam ſuam ducat, cum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit, *Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: vt dum præcedit humilis & ſummiſſa confeſsio, & datur totum domino, quicquid ſuppliciter cum timore & honore dei petitur, ipſius pietate præſtetur.

Gene.4.

1.Ioan.3.

4.Reg.24. Eſa.42.

3.Reg.11.

Iob.1.

Ioan.19.

Marc.14.

Poſt iſta omnia in conſummatione orationis venit clauſula, vniuerſas petitiones & preces noſtras, collecta breuitate concludens. In nouiſsimo enim ponimus, *Sed libera nos à malo:* comprehendentes aduerſa cuncta quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, à quibus poteſt eſſe fida & firma tutela, ſi nos deus liberet, ſi precantibus atque implorantibus opem ſuam præſtet. Quando autem dicimus, *Libera nos à malo*, nihil remanet quod vltra adhuc debeat poſtulari, quãdo ſemel protectionem dei aduerſus malum petamus, qua impetrata, contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti. Quis enim ei de ſeculo metus eſt, cui in ſeculo deus tutor eſt?

Quid

Quid mirum, fratres dilectiſsimi, ſi oratio talis eſt, quam deus docuit, qui magiſterio ſuo omnem precem noſtrã ſalutari ſermone breuiauit? Hoc iam per Eſaiam prophetam fuerat ante prædictum, cum plenus ſpiritu ſancto de dei maieſtate ac pietate loqueretur: *Verbum*, inquit, *conſummans & breuians in iuſtitia: quoniam ſermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ.* Nam cum dei ſermo, dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit, præceptorum ſuorum fecit grande compendium, vt in diſciplina cæleſti diſcentium memoria non laboraret, ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium, velociter diſceret. Sic cum doceret, quid ſit vita æterna, ſacramentum vitæ magna & diuina breuitate complexus eſt dicens, *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Item cum de lege & propheti s præcepta prima & maiora decerperet, *Audi*, inquit, *Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Et, *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: hoc primum: & ſecundum ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis, tota lex pendet, & prophetæ.* Et iterum, *Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ.* Nec verbis tantum, ſed & factis dominus nos orare docuit, ipſe orans frequenter & deprecans, & quid nos facere oporteret, exempli ſui conteſtatione demonſtrans, ſicut ſcriptum eſt, *Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem, & orans.* Et iterum, *Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei.* Quòd ſi ille orabat qui ſine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et ſi ille per totam noctem iugiter vigilans cõtinuis precibus orabat, quanto magis nos in frequentãda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem dominus, & rogabat, non pro ſe: quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris, ſicut & ipſe declarat cum dicit ad Petrum, *Ecce ſatanas poſtulauit vt vos vexaret quomodo triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Et poſtmodum pro omnibus patrem deprecatur dicens, *Non pro his autem ſolum rogo, ſed & pro illis qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis ſint.* Magna Domini propter ſalutem noſtram benignitas pariter & pietas, vt non contẽtus, quòd nos ſanguine ſuo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Rogantis autem deſiderium videte quod fuerit, vt quomodo vnum ſunt pater & filius, ſic & nos in ipſa vnitate maneamus, vt hinc quoque poſsit intelligi quantum delinquat qui vnitatem ſcindit & pacem, cum pro hoc & rogauerit Dominus, volens ſcilicet plebem ſuam ſaluam fieri & in pace viuere, cum ſciret ad regnum dei diſcordiam non venire. Quando autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſsimi, inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet quod precatur. Ideo & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo, SVRSVM CORDA, vt dum reſpõdet plebs, HABEMVS AD DOMINVM, admoneatur nihil aliud ſe, quàm dominum cogitare debere. Cludatur contra aduerſarium pectus, & ſoli deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens, preces noſtras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt, alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias?

Eſa.10.

Ioan.17.

Deut.6.

Matth.7.

Lucæ 5.
Matth.14.
Marci 6.

Luc.22.

Ioan.17.

Vis esse deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? hoc est, ab hoste in totum non cauere: hoc est, quando oras deum, maiestatem dei negligentia orationis offendere. hoc est vigilare oculis & corde dormire, cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare: sicut Canti. 5. scriptum est ex persona ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quapropter sollicite semper & caute Apostolus admonet Coloss. 4. dicēs, *Instate orationi, vigilantes in ea,* docēs scilicet & ostēdens eos impetrare quod postulant de deo posse, quos deus videat in oratione vigilare. Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad deum veniamus. Inefficax petitio est, cum precatur deum sterilis oratio. nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique & sermo non habens fructum, promereri deum non potest, qui nulla operatione fœcundus Tob 12. est. Et ideo scriptura diuina instruit dicens, *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Nam qui in die iudicij præmiū pro operibus & eleemosynis redditurus est, hodie quoq; ad orationem cū operatione venienti benignus auditor est. Sic deniq; Cornelius Centurio cum oraret, meruit audiri. *Fuit enim faciens multas eleemosynas in plebem, & semper orans deum.* Huic circa horam nonam oAct. 10. ranti adstitit angelus, testimonium reddens suis operibus, & dicens, *Corneli orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram deo.* Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic & Raphaël angelus Tobiæ operanti semper, & semper oranti testis fuit dicens, *Opera dei reuelare & confiteri honorificum est. nam quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis dei. & cum sepelires tu mortuos, simpliciter: & quia non es cunctatus exsurgere & derelinquere prandium tuum, & abisti & condidisti mortuum, missus sum tentare te: & nunc, misit me deus curare te & Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael vnus ex septem angelis sanctis, qui adsistimus & conuersamur ante claritatem dei.* Per Esaiam quoIsa. 58. que Dominus admonet & docet, similia contestans, *Solue,* inquit, *omnem nodum iniustitiæ, resolue suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem consignationem iniustam dissipa: frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti, & domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur, & præibit ante te iustitia, & claritas dei circundabit te. Tunc exclamabis, & deus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet, Ecce adsum.* Adesse se promittit, & audire, & protegere se eos dicit, qui iniustitiæ nodos de corde soluentes, & eleemosynas erga domesticos dei secundum eius præcepta facientes, dum audiunt quod deus præcipit fieri, ipsi quoque à deo mePhilip. 4. rentur audiri. Beatus Apostolus Paulus in necessitate pressuræ adiutus à fratribus, opera quæ fiunt, sacrificia dei dixit esse: *Saturatus sum,* inquit, *recipiens ab Epaphrodito, ea quæ à vobis missa sunt, odorem suauitatis, sacrificium acceptum & placens deo.* Nam quando quis misereturpauperis, deo fœnerat: & qui dat minimis, deo donat, spiritaliter deo suauitatis odorem sacrificat. In orationibus vero celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele & tres pueros, in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, & nonam, sacramēto scilicet trinitatis, quæ in nouissimis tēporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatū numerum trinitatis ostendit. Itemq; ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando à septima nona completur per ternas horas, trinitas perfecta numeratur: quę horarum spacia iampridem spiritaliter determinantes adoratores Dei statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant: & manifestata postmodum res est, sacramentum olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur.

Nam

Nam ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit ſpiritus ſanctus, qui gratiam dominicæ repromiſsionis impleuit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, vt omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & vt redimere & viuificare nos poſſet, tunc victoriam ſua paſsione perfecit. Sed nobis, fratres dilectiſsimi, præter horas antiquitus obſeruandas, orandi nunc & ſpatia & ſacramenta creuerunt. Nam & mane orandum eſt, vt reſurrectio Domini matutina oratione celebretur: quod olim ſpiritus ſanctus deſignabat in pſalmis, dicens, *Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam: mane adſiſtam tibi, & contemplabor te.* Pſal. 5. Et iterum per prophetam loquitur Dominus, *Diluculo vigilabunt ad me dicentes, Eamus & reuertamur ad Dominum Deum noſtrum.* Recedente item ſole ac die ceſſante, neceſſario rurſus orandum eſt. nam quia Chriſtus ſol verus, & dies verus eſt, ſole ac die ſeculi recedente, quando oramus & petimus vt ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Chriſtum autem diem dictum, declarat in pſalmis ſpiritus ſanctus: *Lapis*, inquit, *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factus eſt iſte, & eſt admirabilis in oculis noſtris. Iſte eſt dies quem fecit Dominus, exultemus & iocundemur in eo.* Pſal. 117. Item quod ſol appellatus ſit, Malachias propheta teſtatur dicens, *Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur ſol iuſtitiæ, & in alis eius curatio eſt.* Malach. 4. Quòd ſi in ſcripturis ſanctis ſol verus & dies verus eſt Chriſtus, hora nulla Chriſtianis excipitur, quominus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari, vt qui in Chriſto, hoc eſt in ſole & in die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus, & oremus, vt quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta ſuccedit, nullum nocturnis de tenebris eſſe orantibus damnum poſsit, quia filiis lucis & noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt? Aut quando ſol ei & dies non eſt, cui ſol & dies Chriſtus eſt? Qui autem in Chriſto, hoc eſt in lumine, ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus. Sic Anna vidua ſine intermiſsione rogans & vigilans ſemper perſeuerabat in promerendo deo: ſicut in euangelio ſcriptum eſt: *Non recedebat*, inquit, *de templo, ieiuniis & orationibus ſeruiens nocte ac die.* Lucæ 2. Viderint vel gentiles, qui necdum illuminati ſunt: vel Iudæi, qui deſerto lumine in tenebris remanſerunt. Nos fratres dilectiſsimi, qui in domini luce ſemper ſumus, qui meminimus & tenemus, quid eſſe accepta gratia cœperimus, & computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus ſemper in lumine, non impediamur à tenebris quas euaſimus. Nulla ſint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra & ignaua diſpendia. Per dei indulgentiam recreati ſpiritaliter & renati, imitemur quod futuri ſumus, habituri in regno ſine interuentu noctis, ſolũ diem.

Sic nocte quaſi in lumine vigilemus, oraturi ſemper & acturi gratias deo: hic quoque orare & gratias agere non deſinamus.

CAECILII CYPRIANI, DE MORTALITATE. IX.

ARGVMEN. De mortalitate disputat, ad relinquendam libenter hanc vitam nos exhortans, docénsque, ob id quod sine discrimine cum iniustis iusti mori videantur, non esse putandum, bonis & malis interitum esse communem, quandoquidem ad refrigerium iusti vocentur, ad supplicum rapiantur iniusti.

ETSI apud plurimos vestrum, fratres dilectissimi, mens solida est, & fides firma, & anima deuota, quæ ad præsentis mortalitatis copiam non mouetur, sed tanquam petra fortis & stabilis, turbidos impetus mundi, & violentos seculi fluctus frangit potius, ipsa nec frangitur, & tentationibus non vincitur, sed probatur: quia tamen animaduerto in plebe quosdã, vel imbecillitate animi, vel fidei paruitate, vel dulcedine secularis vitæ, vel sexus mollitie, vel quod maius est, veritatis errore, minus stare fortiter, nec pectoris sui diuinum atque inuictũ robur exserere, dissimulãda res non fuit, nec tacenda, quo minus quãtũ nostra mediocritas potest, vigore pleno, & sermone de dominica lectione concepto, delicatæ mentis ignauiam comprimat: vt qui homo Dei & Christi esse iam cœpit, deo & Christo dignus habeatur. Agnoscere enim se debet fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in cælestibus castris diuina iam spirat, vt ad procellas & turbines mundi trepidatio nulla sit nobis, nulla turbatio, quando hæc ventura prædixerit dominus, prouidæ vocis hortatu instruens & docens, & præparans, atque corroborans Ecclesiæ suæ populum ad omnem tolerantiam futurorum: bella & fames, & terræmotus & pestilentias per loca singula exurgere prænunciauit & cecinit. Et ne inopinatus nos & nouus rerum infestãtium metus quateret, magis ac magis in nouissimis temporibus aduersa crebrescere, ante prẹmonuit. Fiunt ecce quę dicta sunt, & quando fiunt quę ante prædicta sunt, sequentur & quæcunq; promissa sunt, domino ipso pollicẽte & dicente, *Cum autem videritis hæc omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum dei.* Regnum dei, fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo, prẹmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lętitia, & possessio paradisi nuper amissa, mũdo transeunte iam veniunt, iam terrenis cælestia, & magna paruis, & caducis æterna succedunt. Quis hîc anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, Iustum fide viuere. Si iustus es, & fide viuis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris amplecteris, & quod diabolo

Lucæ 21.

bolo careas, gratularis? Simeon denique ille iustus, qui vere iustus fuit, qui fide plena Dei præcepta seruauit, cum ei diuinitus responsum fuisset, quod non ante moreretur, quàm Christum vidisset: & Christus infans in templum cum matre venisset, agnouit in spiritu natum esse iam Christum, de quo sibi fuerat ante prædictum: quo viso, sciuit se cito esse moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum, exclamauit & dixit, *Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Lucæ 2. Probans, scilicet, atque contestans, tunc esse seruis Dei pacem, tũc liberam, tunc tranquillã quietem, quando de istius mũdi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim pax nostra, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas. Ceterum, quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersum iacula eius & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cũ impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & vndiq; diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit ac optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare, ipso instruente nos & dicente, *Amen amen dico vobis, quoniam plorabitis vos & plangetis, seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet.* Ioan. 16. Quis non tristitia carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet? Quando autem in lætitiam veniat nostra tristitia, dominus denuo ipse declarat dicens, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo auferet à vobis.* Cum ergo Christum videre, gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæúe dementia est, amare pressuras & pœnas, & lachrimas mũdi, & non festinare potius ad gaudiũ, quod nunquam possit auferri? Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse quæ promittit Deus, qui verax est, cuius sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes pollicenti fidem: nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires: nunc Deus tecũ loquitur, & tu mẽte incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedẽti immortalitatẽ atq; æternitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc est Deum omnino nõ nosse, hoc est, Christum credentium magistrum, peccato incredulitatis offendere: hoc est, in ecclesia constitutũ, fidem in domo fidei nõ habere. Quantũ prosit exire de seculo, Christus ipse salutis atq; vtilitatis nostræ magister ostẽdit, qui cũ discipuli eius cõtristarẽtur, quod se iam diceret recessurum, locutus est ad eos dicẽs, *Si me dilexissetis, gauderetis, quoniã vado ad patrem:* Ioan. 14. docens & ostendens, cũ chari quos diligimus, de seculo exeunt, gaudendum potius quàm dolendũ. Cuius rei memor beatus apostolus Paulus in epistola sua ponit & dicit, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*: lucrũ maximum cõputans, iam seculi laqueis non teneri, iã nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptũ pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiã salutis æternæ Christo vocãte proficisci. At enim quosdã mouet, quod æqualiter cũ gentibus, nostros morbi istius valitudo corripiat: Philip. 1.

quasi ad hoc crediderit Christianus, vt immunis à contactu malorum, mundo & seculo feliciter perfruatur: & non omnia hic aduersa perpessus, ad futuram lętitiam reseruetur. Mouet quosdam, quod sit nobis cum ceteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quandiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quousque isthic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate cõiungimur, spiritu seperamur? Itaque donec corruptiuum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad deum patrem, quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum fœtu sterili terra ieiuna est, neminẽ fames seperat. sic cum irruptione hostili ciuitas aliqua obsessa est, omnes simul captiuitas vastat. Et quãdo imbres nubila serena longa suspẽdunt, omnibus siccitas vna est. Et cum nauem scopulosa saxa confringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valitudo membrorum cum ceteris communis est nobis, quandiu portatur in seculo caro ista communis. Quin immò si qua conditione, si qua lege crediderit Christianus, noscat & teneat: sciet plus sibi quàm ceteris in seculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet scriptura diuina dicens, *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore: & prepara animam tuam ad tentationem.* Et iterum, *In dolore sustine, & in timore, & in humilitate patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, similiter & argentum.* Sic Iob post rerum damna, post pignorum funera, vulneribus quoque & vermibus grauiter adflictus, non victus est, sed probatus: qui in ipsis conflictationibus & doloribus suis patientiam religiosæ mentis ostendens ait, *Nudus exiui de vtero matris, nudus etiam ibo sub terram: Dominus dedit, & dominus abstulit: sicut domino visum est, ita quoque factum est: sit nomen Domini benedictum.* Et cum eum vxor sua compelleret, vt vi doloris impatiens aliquid aduersus Deum querula & inuidiosa voce loqueretur, respondit & dixit, *Tanquam vna ex ineptis mulieribus locuta es. si enim bona suscepimus de manu Domini, mala quare non toleremus? In omnibus his quæ contigerunt ei, nihil peccauit Iob labiis suis in conspectu domini.* Itaque illi testimonium perhibet Dominus, dicens, *Animaduerti iste puerum meum Iob? non enim est similis illi quisquam in terris: homo sine querela, verus dei cultor.* Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa & glorioſa prędonia, cęcitatem luminum passus, timens & benedicens in aduersis Deum, per ipsam corporis sui cladem creuit ad laudem, quem & ipsum vxor sua deprauare tentauit dicens, *Vbi sunt iustitiæ tuæ? ecce quæ pateris.* At ille circa timorẽ dei stabilis & firmus, & ad omnẽ tolerantiã passionis, fide religionis armatus, tentationi vxoris inualidæ in dolore non cessit, sed magis deũ patientia maiore promeruit, quẽ postmodum Raphaël angelus collaudat & dicit, *Opera dei reuelare, & confiteri honorificum est: nam quando orabas tu & Sara nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis dei. Et cum sepelires tu mortuos, similiter: & quia non es cunctatus exurgere, & derelinquere prandium tuum, & abisti & condidisti mortuum, & missus sum tentare te:* & nunc, *Misit me Deus curare te, & Saram nurum tuam: ego enim sum Raphael, vnus ex septem angelis sanctis qui adsistimus & conuersamur ante claritatem Dei.* Hanc tolerantiam iusti semper habuerunt, hanc apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non musitare in aduersis, sed quæcunque in seculo accidunt, fortiter & patiẽter excipere. Cum Iudæorum populus hinc semper offenderit, quod aduersus deum frequẽtius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus deus dicens, *Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur.* Murmurandum non est in aduersis, fratres dilectissimi, sed patienter & fortiter quicquid acciderit, sustinendum, cum

Ecclesia. 2.

Iob 1.

Iob. 2.

Tob. 2.

Nume. 20.

scrip-

ſcriptum ſit, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet*: in Deuteronomio quoque moneat per Moyſen Spiritus ſanctus, & dicat, *Dominus Deus tuus vexabit te, & famem iniiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo, ſi bene cuſtodieris præcepta eius, ſiue non.* Et iterum, *Tentat dominus vos Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis dominum deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra.* Sic Abrahã Deo placuit, vt placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recuſauit. Qui filium non potes ſorte & lege mortalitatis amittere, quid faceres, ſi filiũ iubereris occidere? Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sit licet rei familiaris amiſsio, ſit de infeſtantibus morbis aſsidua membrorum & cruenta vexatio: ſit de vxore, de liberis, de excedẽtibus charis funebris & triſtis auulſio, non ſint tibi offendicula iſta, ſed prælia: nec debilitent aut frangant Chriſtiani fidem, ſed potiùs oſtendant in colluctatione virtutem : cum contemnenda ſit omnis iniuria malorum præſentium, fiducia futurorum bonorum. Niſi præceſſerit pugna, nõ poteſt eſſe victoria: cũ fuerit in pugnæ cõgreſsione victoria, tũc datur vincẽtibus & corona: nam gubernator in tẽpeſtate dinoſcitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio eſt, cum periculum non eſt: conflictatio in aduerſis, probatio eſt veritatis. Arbor quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbẽtibus non mouetur: & nauis quæ forti compage ſolidata eſt, pulſatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos fortia grana & robuſta contemnunt, inanes paleæ flatu portãte rapiuntur. Sic & Apoſtolus Paulus, poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & grauia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit aduerſis, vt dum grauius adfligitur, verius probaretur, *Datus eſt mihi*, inquit, *ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet, vt non extollar: propter quod ter dominum rogaui, vt diſcederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur.* Quando ergo infirmitas, & imbecillitas, & vaſtitas aliqua graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur : tunc fides ſi tentata perſtiterit, coronatur, ſicut ſcriptum eſt, *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Hoc denique inter nos & ceteros intereſt qui Deum neſciunt, quod illi aduerſis queruntur & murmurant : nos aduerſa non auocant à virtutis & fidei veritate, ſed comprobant in dolore. Hoc quod nunc corporis vires ſolutus in fluxum venter euiſcerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæſtuat, quod aſsiduo vomitu inteſtina quatiuntur, quod oculi vi ſanguinis inardeſcunt, quod quorũdam vel pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quod per iacturas & damna corporum prorumpente languore, vel debilitatur inceſſus, vel auditus obſtruitur, vel cæcatur aſpectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vaſtitatis & mortis inconcuſsis animi virtutibus congredi, quãta pectoris magnitudo eſt? & quanta ſublimitas, inter ruinas humani generis ſtare rectum, nec cum eis quibus ſpes in domino nulla eſt, iacere proſtratũ? Gratulari magis oportet, & temporis munus amplecti, quod dum noſtrã fidẽ firmiter promimus, & labore tolerato, ad Chriſtũ per anguſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ & fidei ipſo iudicante capiamus. Mori planè timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſsione cenſetur. Mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit. Mori timeat, quem de ſeculo recedentem perennibus pœnis ęterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, hoc eſt multi ex noſtris de ſeculo liberantur. Mortalitas iſta Iudæis & gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, Dei autem ſeruis ſalutaris exceſſus eſt. Hoc quod ſine vllo diſcrimine generis hu-

Pſal 50.

Deuter. 8.

Gene. 22.

2. Corin. 12.

Eccleſi. 27.

mani,cum iniuſtis moriuntur & iuſti, non eſt quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem. Ad refrigerium iuſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur iniuſti:datur velocius tutela fidentibus,perfidis pœna. Improuidi & ingrati ſumus,fratres dilectiſsimi,ad beneficia diuina,nec quid nobis conferatur,agnoſcimus.Excedũt ecce in pace tot cum gloria ſua virgines,venientis Antichriſti minas & corruptelas & lupanaria non timentes:pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter veniunt:tormenta iam nõ timet delicata matrona,metum perſecutionis,& manus cruciatusq; carnificis,moriẽdi celeritate lucrata. Pauore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſsi, excitantur ignaui:deſertores compelluntur, vt redeant: gentiles coguntur, vt credant: vetus fidelium populus,ad quietẽ vocatur:ad aciem recens & copioſus exercitus robore fortiore colligitur: pugnaturus ſine metu mortis cum prælium venerit,qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid deinde illud fratres dilectiſsimi,quale eſt? quàm pertinens, quàm neceſſarium, quod peſtis iſta & lues,quæ horribilis & feralis videtur,explorat iuſtitiam ſingulorum,& mentes humani generis examinat,an infirmis ſeruiãt ſani, an propinqui cognatos pie diligant, an miſereãtur ſeruorum languentium domini, an deprecantes ægros non deſerãt medici: an feroces violentiam ſuam comprimant, an rapaces auaritiæ furentis inſatiabilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant, an ceruicem flectant ſuperbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis, vel ſic aliquid diuites largiantur & donent ſine hærede morituri. Vt nihil aliud mortalitas iſta contulerit,hoc Chriſtianis & Dei ſeruis plurimum præſtitit, quod martyrium cœpimus libenter adpetere, dum mortem diſcimus non timere. Exercitia ſunt nobis iſta,non funera,dant animo fortitudinis gloriam,contemptu mortis præparant ad coronam.Sed fortaſſe aliquis opponat & dicat, Hoc me ergo in præſenti mortalitate contriſtat,quod qui paratus ad confeſsionem fueram, & ad tolerantiam paſsionis, toto me corde & plena virtute deuoueram,meo martyrio priuor, dum morte præuenior. Primo in loco, non eſt in tua poteſtate,ſed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere:tunc deinde ſcrutator renum & cordis Deus,& ocultorum contemplator & cognitor,videt te,& laudat,& cõprobat:& qui perſpicit apud te paratam fuiſſe virtutem,reddet pro virtute mercedem. Nunquid Cain cùm Deo munus offerret,iam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente cõceptum Deus prouidus ante damnauit.vt illic cogitatio mala & pernicioſa cõceptio Deo præuidente,perſpecta eſt: ita & in Dei ſeruis, apud quos confeſsio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur. Aliud eſt martyrio animũ deeſſe,aliud animo defuiſſe martyrium. Qualem te inuenit dominus cum vocat,talẽ pariter & iudicat,quando ipſe teſtetur & dicat, *Et ſcient omnes eccleſiæ,quod ego ſum ſcrutator renis & cordis.* nec enim ſanguinem veſtrũ Deus quærit,ſed fidẽ. nam nec Abraham, nec Iſaac,nec Iacob occiſi ſunt,& tamen fidei ac iuſtitię meritis honorati,inter patriarchas primi eſſe meruerunt. Ad quorum conuiuium congregatur quiſque, fidelis & iuſtus & laudabilis inuenitur. Meminiſſe debemus voluntatem nos nõ noſtram,ſed Dei facere debere, ſecundũ quod nos Deus quotidie iuſsit orare. Quàm præpoſterum eſt, quamque peruerſum, vt cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando euocat nos & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & peruicacium more ſeruorum ad conſpectum domini, cum triſtitia & mœrore perducimur,exeuntes iſthinc neceſsitatis vinculo,nõ obſequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus

Apocalyp.2.

inuiti?

inuiti? Quid ergo oramus & petimus, vt adueniat regnum cælorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis, rogamus & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sunt, seruire hîc diabolo, quàm regnare cum Christo? Deniq; vt manifestius diuinæ prouidētiæ inditia clarescerēt, quod dominus præscius futurorum suis consulat ad veram salutem: cum quidam de collegis & consacerdotibus nostris iam infirmitate defessus, & de appropinquante iam morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit deprecāti, & iam penè morienti, iuuenis honore & maiestate venerabilis, statu celsus, & clarus aspectu, & quē adsistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille nō sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit, Pati timetis, exire nō vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox est & monētis, qui de persecutione sollicitis, & de accersitione securis, non consentiat ad præsens desiderium, sed cōsulat in futurum. Audiuit frater noster & collega moriturus, quod ceteris diceret. Nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit vt diceret: audiuit nō sibi ille, sed nobis. Nam quid disceret iam recessurus? didicit immo nobis remanentibus, vt dum sacerdotem qui commeatum petebat, increpatum esse comperimus, quid cunctis expediat nosceremus. Nobis quoque ipsis minimis & extremis quoties reuelatum est, quàm frequenter atque manifeste de Dei dignatione præceptum est, vt contestarer assidue, & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de seculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiscentes & nauigantes desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumēta alba iam sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod, quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probemus. Spei nostræ & fidei præuaricatores sumus, simulata, ficta, fucata vidētur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis præferre virtutem, & factis destruere veritatem. Improbat deniq; apostolus Paulus, & obiurgat, & culpat, si qui cōtristentur in excessu suorum: *Nolumus*, inquit, *ignorare vos fratres de dormientibus, ne contristemini sicut & ceteri, qui non habent spem. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui dormierunt in Iesu, adducet cum eo.* 1. Thessal. 4.
Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habēt. Qui autem spe viuimus, & in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere isthinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo domino & Deo nostro monēte ac dicēte, *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, licet moriatur, viuet: & omnis qui viuit et credit in me, non morietur in æternum.* Si in Christum credimus, fidem verbis eius & promissis habeamus, & non moriemur in æternū: ad Christum cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatē morte trāsgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contingerit exire: non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Paulo apostolo prædicante, *Nostra autem conuersatio*, inquit, *in cælis est, vnde & dominum expectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori claritatis suæ.* Tales nos futuros & Christus dominus pollicetur, quando vt cum illo simus, & cum illo in æternis sedibus viuimus, atq; in re- Ioan. 11. Philip. 3.

Ioan.17. gnis cæleſtib⁹ gaudeamus,patrẽ pro nobis precatur dicẽs, *Pater quos mihi dediſti, volo vt vbi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem quam mihi dediſti prius quàm mundus fieret.* Venturus ad Chriſti ſedẽ, ad regnorũ cæleſtium claritatem, lugere non debet nec plangere, ſed potius ſecundum pollicitationem domini,ſecundum fidem veritatis, in profectione ſua & tranſlatione gaudere.Sic denique inuenimus & Enoch tranſlatum eſſe, qui Deo placuit,
Gen.5. ſicut in Geneſi teſtatur & loquitur ſcriptura diuina, *Et placuit Enoch Deo, & non eſt inuentus poſtmodum,quia Deus illũ tranſtulit.* Hoc fuit placuiſſe in cõſpectu Dei,de hoc contagio ſeculi meruiſſe transferri.Sed & per Salomonẽ docet ſpiritus ſanctus, qui Deo placeãt, maturius iſtinc eximi & citius liberari,ne dũ in iſto mũdo diutius immorantur,mũdi contactibus polluantur.
Sap.4. *Raptus eſt*,inquit,*ne malitia mutaret intellectum eius: placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de media iniquitate.* Sic & in pſalmis ad dominum properat ſpiritali fide,Deo ſuo anima deuota, ſicut ſcriptum eſt, *Quàm*
Pſal.83. *dilectiſſimæ habitationes tuæ, Deus virtutum: deſiderat & properat anima mea ad atria Dei.* Eius eſt in mundo diu velle remanere,quẽ mundus oblectat,quem ſeculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cum mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum qui te odit: & non magis ſequeris Chriſtum qui te & redemit & diligit?Iohannes in epiſtola ſua clamat & loquitur,& ne carnalia deſideria ſectantes,mundũ diligamus,hor-
1.Ioan.2. tatur:*Nolite*, inquit, *diligere mundum,neque ea quæ in mundo ſunt.Si quis dilexerit mundũ,nõ eſt charitas patris in illo:quia omne quod in mũdo eſt,cõcupiſcẽtia carnis eſt, et cõcupiſcẽtia oculorum, & ambitio mundi quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia mũdi:et mundus tranſibit & concupiſcentia eius:qui autem fecerit voluntatẽ Dei,manet in æternũ,quomodo et Deus manet in æternum.* Potius fratres dilectiſsimi,mẽte integra,fide firma,virtute robuſta, parati ad omnẽ volũtatem Dei ſimus:pauore mortisexcluſo,immortalitatẽ quæ ſequitur,cogitemus.Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, vt nec charorũ lugeamus exceſſum:& cũ accerſitionis propriæ dies venerit,incunctanter & libenter ad dominũ ipſo vocãte veniamus. Quod cum ſemper faciendũ fuerit Dei ſeruis, nunc fieri multo magis debet,corruẽte iam mundo, & malorũ infeſtantium turbinibus obſeſſo,vt qui cernimus cœpiſſe iam grauia,& ſcimus imminere grauiora, lucrum maximum computemus, ſi iſtinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent,tecta deſuper tremerẽt,domus iam fatigata, iam laſſa ędificiis ſenectute labẽtibus,ruinam proximam minaretur,nonne omni celeritate migrares? Si te nauigãte,turbida & procelloſa tempeſtas fluctibus violentis excitatis, prænunciaret futura naufragia,nonne portum velociter peteres?Mundus ecce nutat & labitur,& ruinam ſui nõ iam ſenectute rerum, ſed fine teſtatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quòd exitu maturiore ſubtractus, ruinis & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? Conſiderandum eſt,fratres dilectiſsimi,& identidem cogitandũ,renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos,hic interim degere. Amplectamur diem, qui aſsignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſecularibus exolutos, paradiſo reſtituit, & regno cæleſti. Quis non peregre conſtitutus properet in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nos noſtram paradiſum computamus, parentes noſtros patriarchas habere iam cœpimus,quid non properamus,& currimus,vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſsimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum: frequens nos & copioſa turba deſiderat,iam de ſua incolumitate ſecura,& adhuc de noſtra incolumitate ſollicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta

& illis & nobis in commune lætitia est? qualis illic cælestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate viuẽdi? quàm summa & perpetua felicitas? illic apostolorum glorioſus chorus, illic prophetarum exultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes virgines, quæ cõcupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerũt: remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt: qui Dominica præcepta seruantes ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos fratres dilectiſsimi, auida cupiditate properemus, vt cum his cito esse possimus, vt cito ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis & fidei dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria maiora. Amen.

CAECILII CYPRIANI, DE OPERE ET ELEEMOSYNIS. X.

ARGVMEN. De Eleemoſyna concionatur, ad pietatis & miſericordiæ opera inuitans, aſſeuerán ſque iuſtitiæ & miſericordiæ operibus, pietatem diuinam mortalibus ſubuenire.

MVLTA & magna sunt fratres chariſsimi, beneficia diuina, in quibus salutem nostram, Dei patris & Christi larga & copioſa clementia & operata sit, & semper operetur, quod conseruandis ac viuificandis nobis pater filium misit, vt reparare nos posset, quodque filius missus esse, & hominis filius voluit, vt nos Dei filios faceret. Humiliauit se, vt populum qui prius iacebat, erigeret. Vulneratus est, vt vulnera nostra curaret. Seruiuit, vt ad libertatem seruientes extraheret. Mori sustinuit, vt moriens immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa hæc sunt & magna diuinæ misericordiæ munera. Sed adhuc qualis prouidentia illa, & quanta clementia Christi est, quod nobis salutari ratione prospicitur, vt homini qui redemptus est, reseruando plenius consulatur? Nam cum dominus aduenies sanasset illa quæ Adam portauerat vulnera, & venena serpentis antiqua curasset, legem dedit sano, & præcepit ne vltra peccaret, ne quid peccanti grauius eueniret. Coartati eramus, & in angustũ innocentiæ præscriptione concluſi, nec habebat quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas diuina subueniens, iustitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum quascunque contrahimus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in scripturis spiritus sanctus, & dicit, *Eleemoſynis & fide delicta purgantur*, non vtique illa delicta quæ fuerant ante contracta: nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur. Item denuo dicit, *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemoſyna extinguit peccatum*. Hic ostenditur quoque & probatur, quia sicut la- Tob. 4. Eccleſia. 3.

uachro aquæ ſalutaris gehẽnæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque operationibus iuſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſa peccatorũ datur, aſsidua & iugis operatio, baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam largitur. Hoc & dominus in euangelio docet: nam cum denotarentur diſcipuli eius quod ederant, nec prius manus abluiſſent, reſpondit, & dixit, *Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt: Verum date eleemoſynam, & ecce munda ſunt omnia vobis*, docens ſcilicet & oſtendens, non manus lauandas eſſe, ſed pectus & ſordes intrinſecus potius quàm extrinſecus diluendas: verum qui purgauerit quod eſt intus, eum quoque id quod foris eſt, repurgaſſe: & emundata mente, cute quoque & corpore mundum eſſe cœpiſſe. Porrò autem monens & oſtendens vnde mundi & purgati eſſe poſſimus, addidit eleemoſynas eſſe faciendas. Miſericors docet ac monet miſericordiam fieri. Et quia ſeruare quærit, quos precio magno redemit, poſt baptiſmi gratiam ſordidatos, docet denuo poſſe purgari. Agnoſcamus itaq; fratres chariſsimi, diuinæ indulgentiæ ſalubre munus, & emundandis purgandisque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe nõ poſſumus, medelis ſpiritalibus vulnera noſtra curemus. Nec quiſquam ſic ſibi blandiatur de puro atque immaculato corde, vt innocentia ſua fretus medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus, cum ſcriptum ſit, *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis?* Et iterum in epiſtola ſua Iohannes ponat & dicat, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſsi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt dominus, qui nobis peccata dimittat.* Si autem nemo eſſe ſine peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus aut ſtultus eſt, quàm neceſſaria, quàm benigna eſt diuina clementia? quæ cũ ſciat non deeſſe ſanatis quædam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuo ſanandiſque vulneribus remedia ſalutaria. Nunquam denique fratres chariſsimi, admonitio diuina ceſſauit, nũquam tacuit, quo minus in ſcripturis ſanctis tam veteribus, quàm nouis, ſemper & vbique ad miſericordię opera Dei populus prouocaretur, & canente atque exhortante ſpiritu ſancto, quiſque ad ſpem regni cæleſtibus inſtruitur, facere eleemoſynas iuberetur. Mandat & præcipit Eſaiæ Deus: *Exclama*, inquit, *in fortitudine, & noli parcere: ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui Iacob facinora eorum.* Et cum peccata eis ſua exprobrare præcepiſſet, cumque eorũ facinora pleno indignationis impetu protuliſſet, dixiſſétq; eos, nec ſi orationibus & precibus & ieiuniis vterentur, ſatisfacere pro delictis poſſe, nec ſi in cilicio & cinere voluerentur, iram Dei poſſe lenire: in nouiſsima tamen parte demonſtrãs ſolis eleemoſynis Deũ poſſe placari, addidit dicẽs, *Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te iuſtitia, & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, dum adhuc loqueris dicet, Ecce adſum.* Remedia propitiando Deo ipſius Dei verbis data ſunt, quid deberent facere peccantes, magiſteria diuina docuerunt. Operationibus iuſtis Deo ſatisfieri, miſericordiæ meritis peccata purgari, & apud Salomonem legimus: *Conclude eleemoſynã*, inquit, *in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Et iterũ, *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipſe inuocabit dominũ, et nõ erit qui exaudiat eum.* Neque enim promereri domini miſericordiam poterit, qui miſericors ipſe non fuerit: aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in pſalmis ſpiritus ſanctus declarat & probat, dicens, *Beatus qui intelligit ſuper egenũ et pauperẽ, in die mala liberabit eum dominus.* Quorum præceptorum memor Daniel, cũ rex

Lucæ 11.
Prouer. 20.
1. Ioan. 1.
Eſa. 58.
Ibidem.
Eccleſi. 29.
Prouer. 21.
Pſal. 40.
Dan. 4.

Nabucho-

Nabuchodonosor aduerso somnio territus æstuaret, pro auertendis malis ac diuina ope impetranda remedium dedit, dicens, *Propterea rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum, & erit Deus parcens peccatis tuis.* Cui rex non obtemperans, aduersa quæ viderat, & infesta perpessus est: quæ euadere & vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset. Raphaël quoque angelus paria testatur, & vt eleemosyna libenter ac largiter fiat hortatur, dicens, *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Thob 12. Ostendit orationes nostras ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione satientur. Reuelat Angelus & manifestat, & firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculo redimi, eleemosynis animas à morte liberari. Nec sic fratres charissimi, ista proferimus, vt non quod Raphaël angelus dixit, veritatis testimonio comprobemus. Sic in Actibus Apostolorum facti fides posita est, & quod eleemosynis non tantum à secunda, sed & à prima morte animæ liberentur, gestæ & impletæ rei probatione compertum est. Tabitha operationibus iustis & eleemosynis præstandis plurimum dedita, cum infirmata esset & mortua, ad cadauer exanime Petrus accitus est: qui cum impigre pro apostolica humanitate venisset, circunsteterunt eum viduę flentes & rogantes, pallia & tunicas & omnia illa quæ prius sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defuncta suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse, quod sic petebatur: nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Cum itaque genibus nixus orasset, & viduarum ac pauperum idoneus aduocatus, legatas sibi preces ad dominum pertulisset, conuersus ad corpus, quod in tabula iam lotum iacebat, *Tabitha*, inquit, *exsurge in nomine Iesu Christi*, Act. 9. nec defuit Petro, quo minus statim ferret auxilium, qui in Euangelio dari dixerat quicquid fuisset in eius nomine postulatũ. Mors itaque suspenditur, & spiritus redditur, & mirantibus cunctis ac stupentibus, ad hanc denuo lucem rediuiuum corpus animatur. Tantum potuerũt misericordiæ merita, tantum opera iusta valuerunt: quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari. Itaque in Euangelio dominus doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ, viuificãs credentium populum, & viuificatis consulens in æternum, inter sua mandata diuina & præcepta cælestia, nihil crebrius mandat & præcipit, quàm vt insistamus eleemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incubemus, sed cælestes thesauros potius recõdamus. *Vendite*, inquit, *res vestras, & date eleemosynam.* Lucæ 12. Et iterum, *Nolite vobis condere thesauros super terram, vbi tinea & comestura exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque tinea, neque comestura exterminat, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Matth. 6. Et cum obseruata lege perfectum & consummatum vellet ostendere, *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Matth. 19. Item alio loco negociatorem cælestis gratiæ, & cõparatorem salutis æternæ, distractis omnibus rebus suis, preciosam margaritam, hoc est vitam æternam Christi cruore preciosam, de quantitate patrimonij sui dici debere mercari: *Simile est*, inquit, *regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Vbi autem inuenit preciosam margaritam, abiit & vendidit omnia quæcunque habuit, & emit illam.* Ibidem 13. Eos denique & Abrahæ filios dicit, quos in iuuandis alendisque pauperibus operarios cernit. Nam cum Zacchæus dixisset, *Ecce dimidium ex substantia mea do egenis, & si cui quid* Lucæ 19.

fraudaui, quadruplum reddo. respondit Iesus & dixit, quia salus hodie huic domui facta est, quoniam & hic filius est Abrahæ. Nam si Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: vtiq; qui secundum præceptum Dei eleemosynas facit, Deo credit: & qui habet fidei veritatem, seruat Dei timorem: qui autem Dei timorem seruat, in miserationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim ideo quia credit, quia scit vera esse quæ prædicta sunt verbis Dei, nec scripturam sanctam posse mentiri: arbores infructuosas, id est, steriles homines excidi & in ignem mitti, misericordes autem ad regnum vocari. Quia & in alio loco operarios & fructuosos fideles appellat, infructuosis verò & sterilibus fidem derogat, dicens, *Si in iniusto mamona fideles non fuistis, quod est verum quis credet vobis? & si in alieno fideles non fuistis, quod est vestrũ quis dabit vobis?* Si vereris & metuis, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad penuriã forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus. Finiri non potest vnde in vsus Christi impẽditur, vnde opus cæleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum scripturarũ fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonẽ spiritus sanctus, & dicit, *Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autẽ auertit oculum suum, in magna penuria erit:* ostendẽs misericordes atq; operantes egere non posse, magis parcos & steriles ad inopiam postmodum deuenire. Item beatus apostolus Paulus dominicæ inspirationis gratia plenus, *Qui administrat,* inquit, *semen seminanti, & panem ad edendum præstabit, & multiplicabit seminationem vestram, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletemini.* & iterum, *Administratio huius officij non tantum supplebit ea, quæ sanctis desunt, sed & abundabit per multas gratiarum actiones in Deum.* Quoniam dũ gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque orationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operãtis Dei retributione cumulatur. Et dominus in Euangelio iam tunc eiusmodi hominum corda considerans, & perfidis atq; incredulis præscia voce denuncians, contestatur & dicit, *Nolite cogitare dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater vester, quia omnium horum indigetis. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.* Eis omnia apponi dicit & tradi, qui regnum & iustitiam Dei quærunt. Eos enim dominus cum iudicij dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti, qui fuerint in ecclesia eius operati. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis: & nescis miser, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipsa & salus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris, amator magis mamonæ quàm animæ tuæ, vt dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio pereas. Et ideo bene Apostolus clamat & dicit, *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus: habentes autem exhibitionem & tegumentum, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in muscipulam, & desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis? quando enim factum est vt iusto possent deesse subsidia, cum scriptum sit, *Non occidet fame dominus animam iustam?* Helias in solitudine coruis ministrantibus pascitur, & Danieli in lacu ad leonum prædam iussu regis incluso, prandium diuinitus apparatur: & tu metuis ne operanti & Deum promerenti desit alimentũ? quando ipse in Euangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia est & fides parua, contestetur & dicat, *Aspicite volatilia cæli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea,*

Lucæ 16.

Prouerb. 82.

2. Corin. 9.

Matth. 6.

1. Timo. 6.

Prouer. 10.
3. Reg. 17.
Dan. 4.

Matt. 6.

in horrea, & pater veſter cæleſtis alit illa, nonne vos pluris eſtis illis? Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus diuinæ rei ſenſus eſt, eis nec cibus, nec potus deeſt: tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, tu domino ſuo charo aliquid exiſtimas defuturum? niſi ſi putas, quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur: aut eis terrena deerunt, quibus cæleſtia & diuina tribuuntur. Vnde hæc incredula cogitatio? & vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid qui Chriſto omnino non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Phariſæi tibi magis congruit nomen. nam cum dominus in Euangelio de eleemoſynis diſputaret, & vt nobis amicos de terreſtribus lucris prouida operatione faceremus, qui nos poſtmodum in tabernacula æterna ſuſciperent, fideliter & ſalubriter præmoneret, addidit poſt hæc ſcriptura dicens, *Audiebant autem hæc omnia Phariſæi qui erant cupidiſſimi, & inridebant.* Quales nunc in eccleſia quoſdam videmus, quorum præcluſæ aures & corda cæcata nullum de ſpiritalibus ac ſalutaribus monitis lumen admittunt, de quibus mirari non oportet, quod contemnant in tractatibus ſeruum, quando à talibus ipſum dominum videamus eſſe contemptum. Quid tibi iſtis ineptis & ſtultis cogitationibus plaudis, quaſi metu & ſollicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid vmbras & præſtigias quaſdam vanæ excuſationis obtendis? confitere immò quæ vera ſunt, & quia ſcientes non potes fallere, ſecreta & abdita mentis exprome. Obſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda auaritiæ caligo cæcauit: pecuniæ tuæ captiuus & ſeruus es: cathenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quem iam ſoluerat Chriſtus, denuo vinctus es: ſeruas pecuniam, quæ te ſeruata non ſeruat: patrimonium cumulas, quod te pondere ſuo onerat: nec meminiſti quid Deus reſponderit diuiti exuberantium fructuum copiam ſtulta exſultatione iactanti: *Stulte,* inquit, *hac nocte expoſtulatur anima tua à te: quæ ergo paraſti, cui erunt?* Quid diuitiis tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonij pondus exaggeras, vt quo locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos diuide cum domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chriſto: fac tibi poſſeſsionum terreſtrium Chriſtum participem, vt & ille te ſibi faciat regnorum cæleſtium cohæredem. Erras & falleris quiſque te in ſeculo diuitem credis. Audi in Apocalypſi domini tui vocem, eiuſmodi homines iuſtis obiurgationibus increpantem: *Dicis,* inquit, *diues ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo, & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum de igne, vt ſis diues, & vt veſtiaris veſtem albam, & non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Qui ergo locuples & diues es, eme tibi à Chriſto aurum ignitum, vt ſordibus tuis tanquam igne decoctis, eſſe aurum mundum poſsis, ſi eleemoſynis & iuſta operatione purgeris. Eme tibi albam veſtem, vt qui ſecundum Adam nudus fueras, & horrebas ante deformis, indumento Chriſti candido veſtiaris. Et quæ matrona locuples & diues es, vnge oculos tuos, non ſtibio diaboli, ſed collyrio Chriſti, vt peruenire ad videndum Deum poſsis, dum dominum & operibus bonis & moribus promereris. Ceterum quæ talis es, nec operari in eccleſia potes. Egentem enim & pauperem non reſpexerunt oculi tui, ſuperfuſi nigroris tenebris & nocte cæcati. Locuples & diues Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. Intuere in Euangelio viduam præceptorum cæleſtium memorem, inter ipſas preſſuras & anguſtias egeſtatis operan-

Luc. 16.

Lucæ 12.

Apocal. 3.

tem,in gazophylacium duo,quæ sola sibi fuerant minuta,mittentem.Quam cum animaduerteret dominus & videret, non de patrimonio, sed de animo opus eius examinans, & considerans,non quantum, sed ex quanto dedisset,
Lucæ 21. respondit & dixit, *Amen dico vobis,quoniam vidua ista omnibus plus misit in dona Dei. Omnes enim isti de eo quod abundabat illis, miserunt in dona Dei: hæc autem de inopia sua omnem quencunque habuit victum, misit.* Multum beata & glorioſa mulier, quæ etiam ante diem iudicij meruit iudicis voce laudari. Pudeat diuites ſterilitatis atque infelicitatis ſuæ: vidua, & inops vidua,in opere inuenitur.Cumq; vniuerſa quæ dantur,pupillis conferantur & viduis, dat illa quam oportebat accipere, vt ſciamus quæ pœna ſterilem,diuitem maneat,quando hoc ipſo documento operari etiam pauperes debeãt. Atque vt intelligamus hæc omnia Deo dari,& cum quiſque hæc facit, Deũ promereri,Chriſtus illud Dei dona appellat,& in dona Dei viduã duos quadrantes miſiſſe ſignificat, vt magis ac magis poſsit eſſe manifeſtum, quia qui miſeretur pauperi, Deo fœnerat. Sed nec illa res fratres chariſsimi, à bonis operibus & iuſtis refrenet & reuocet Chriſtianum, quod excuſari ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum,quando in impenſis ſpiritalibus Chriſtũ cogitare, qui accipere ſe profeſſus eſt, debeamus, nec conſeruos liberis no
Matth.10. ſtris,ſed dominum præferamus,ipſo inſtruente & monẽte: *Qui diligit*,inquit, *patrem aut matrem ſuper me,non eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiam ſuper*
Deut.33. *me,non eſt me dignus.* Item in Deuteronomio ad corroborationem fidei & dilectionem Dei paria conſcripta ſunt: *Qui dicunt*, inquit, *patri & matri, non noui te, & filios ſuos non agnouerunt,hi cuſtodierunt præcepta tua,et teſtamentũ tuum ſeruauerunt.* Nam ſi Deum toto corde diligimus,nec parentes,nec filios Deo præferre debemus. Quod & Iohannes in Epiſtola ſua ponit, charitatem
1.Ioan.3. Dei apud eos non eſſe, quos videamus operari in pauperes nolle: *Qui habuerit*, inquit,*ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo?* Si enim Deus eleemoſynis pauperum fœneratur, & cum datur minimis,Chriſto datur,non eſt quod quis terrena cæleſtibus præferat, nec diuinis humana præponat. Sic vidua illa in tertio Regnorum libro,cum in ſiccitate & fame conſumptis omnibus de modico farinæ & oleo, quod ſuperfuerat, feciſſet ſubcineritium panem, quo abſumpto, moritura cum liberis eſſet,ſuperuenit Helias, & petit ſibi prius ad edendum dari, tunc quod ſuperfuiſſet, inde illam cum filiis ſuis veſci: nec obtemperare illa dubitauit, aut Heliæ filios mater in fame & egeſtate præpoſuit. Fit immò in conſpectu Dei, quod Deo placeat, prompte ac libenter quod petebatur, offertur: nec de abundantia portio,ſed de modico totum datur,& eſurientibus liberis alter prius paſcitur,neque in penuria & fame cibus antequam miſericordia cogitatur, vt dum in opere ſalutari carnaliter vita contemnitur,ſpiritaliter anima ſeruetur.Helias itaq; typum Chriſti gerens,& quod ille pro miſericordia vicẽ ſingulis reddat oſten-
3.Reg.17. dens, reſpondit & dixit, *Hæc dicit dominus, Fidelia farris non deficiet, & capſaces olei non minuetur, vſque in diem quo dabit dominus imbrem ſuper terram.* Secundum diuinæ pollicitationis fidem multiplicata ſunt viduæ & cumulata quæ præſtitit, & operibus iuſtis ac miſericordiæ meritis augmenta & incrementa ſumentibus, farris & olei vaſa completa ſunt. Nec filiis abſtulit mater quod Heliæ dedit, ſed magis contulit filiis quod benigne & pie fecit. Et illa nondum Chriſtum ſciebat, nondum præcepta eius audierat, non cruce & paſsione eius redempta, cibum & potum pro ſanguine rependebat,vt ex hoc appareat, quantum in eccleſia peccet qui ſe & filios Chriſto anteponens,diuitias ſuas ſeruat,nec patrimonium copioſum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim multi ſunt in domo liberi, & retar-

dat te

dat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas: atqui hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es, plures sunt pro quibus dominum depreceris. Multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ redimēdæ. Vt in hac vita seculari alendis sustinendisque pignoribus, quo maior est numerus, hoc maior est & sumptus: ita & in vita spiritali atque cælesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat, quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam cotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi, probat scriptura diuina dicens, *Iob homo verus & iustus, habuit filios septem, & filias tres, & emundabat illos, offerens pro eis hostias Deo, secundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vitulum vnum.* Iob.1. Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternā dulcedinem charitatis, operari magis debes, vt filios tuos Deo iusta operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infirmus est: sed illum pares, qui æternus & firmus filiorum spiritalium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus seruas: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias seculares diuina maiestate protector. Patrimonium Deo creditum, nec Respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est charis pignoribus in posterum prouidere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundum fidem scripturæ sanctæ dicentis, *Iuuenior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, neque semen eius egens pane. Tota die miseretur & fœnerat, & semen eius in benedictione erit.* Pſal.36. Et iterum, *Qui conuersatur sine vituperatione in iustitia, beatos post se filios relinquet.* Prouer.20. Præuaricator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conseruandis eis religiosa & vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cælesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare, quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis, & quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, & quod doces filios patrimonium plus amare quàm Christum. Esto potius liberis tuis pater talis, qualis Thobias extitit. Da vtilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandauit, dicens, *Et nunc fili mando tibi, serui Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet, & filiis tuis manda vt faciant iustitiam & eleemosynas, & sint memores Dei, & benedicant nomen eius omni tempore.* Et iterum, *Omnibus diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, & noli præterire præcepta eius. Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis, quoniam agente te in veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Prout habueris fili, sic fac eleemosynam: si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac: & si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam, præmium bonum reponis tibi in diem necessitatis. Quia eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras.* Tob.4. Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo. Quale munus est fratres dilectissimi, cuius editio Deo spectante celebratur? Si in gentilium munere, grande & glorioſum videtur, proconsules vel imperatores habere præsentes, & apparatus ac sumptus apud munerarios maior est, vt possint placere maioribus: quanto illustrior muneris & maior est gloria, & Deū & Christum spectatores habere? Quanto istic & apparatus vberior, & sumptus largior exhibendus est, vbi ad spectaculum conueniunt cælorum virtutes,

conueniunt angeli omnes, vbi muneratio non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur: nec captatur inanis & tẽporalis fauor vulgi, sed perpetuum præmium regni cælestis accipitur? Atque vt pigros & steriles & cupiditate nummaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, vt plus conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suæ rubor cẽdat, ponat vnusquisq; ante oculos suos diabolum cum seruis suis, id est, cum populo proditionis ac mortis, in medium prosilire, plebe Christi præsente & iudicante, ipso comparationis examine prouocare, dicẽtem, Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam precio passionis & cruoris redemi: sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo reuoco, & munera mihi quàm preciosa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris apparatione, vel vẽditis, ac nisi editio honesta successerit, cõuiciis ac sibilis eiiciuntur, & furore populari nonnunquam penè lapidantur. Tuos tales munerarios Christe demonstra, illos diuites, illos copiosis opibus affluentes, an in ecclesia præsidente & spectante te eiusmodi munus edant, oppigneratis vel distractis rebus suis, immo ad cælestes thesauros mutata in melius possessione trãslatis? In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicuius & potus solatio sustinetur, cuncta inter furorem edentis & spectantis errorem prodiga & stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris, & pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris, & vix tui meis perdentibus adæquantur, qui à te diuinis mercedibus & præmiis cælestibus honorantur. Quid ad hæc respondemus fratres charissimi? Sacrilega sterilitate, & quadã tenebrarũ nocte coopertas diuitum mentes, qua ratione defendimus? qua excusatione purgamus? qui diaboli seruis minores sumus, vt Christo pro precio passionis & sanguinis vicem nec immodicis repẽdamus? Præcepta nobis ille dedit, quid facere seruos suos oporteret instruxit, operãtibus præmium pollicitus, & sterilibus supplicium comminatus, sententiam suam protulit, quod iudicaturus sit, & ante prædixit. Quæ potest excusatio esse cessanti? quæ defensio sterili? nisi quod non faciente seruo quod præcipitur, dominus faciet quod minatur, qui & dicit,

Matth.25. *Cum venerit filius hominis in claritate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & segregabit eos abinuicem, quemadmodum pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram: tunc dicet rex iis qui ad dexteram suam erunt, Venite benedicti patris mei, percipite quod vobis paratum est regnũ ab origine mundi. esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi potum: hospes fui, & adduxistis me: nudus, & vestistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere fui, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus, sitientem & potauimus: quando te vidimus hospitem & adduximus, nudum & vestiuimus: quando autem te vidimus infirmum & in carcere, & venimus ad te? Tunc respondens rex dicet eis, Amen dico vobis, quandiu fecistis vni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet iis qui à sinistris eius erũt, Discedite à me maledicti in ignem æternũ, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non potastis me: hospes fui, & non adduxistis me: nudus, & non vestistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt & ipsi dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Et respondebit illis, Amen dico vobis, quandiu vni ex minimis istis non fecistis, neque mihi fecistis. Et abibunt iniusti in combustionem æternã, iusti autem in vitã æternam.*

Quid

Quid potuit nobis maius Christus edicere? quomodo magis potuit iustitiæ ac misericordiæ nostræ opera prouocare, quàm quod præstari id dixit sibi, quicquid egenti præstatur & pauperi? & se dixit offendi, nisi egenti præstetur & pauperi, vt qui respectu fratris in ecclesia non mouetur, vel Christi contẽplatione moueatur: & qui non cogitat in labore atque egestate conseruum, vel dominum cogitet in ipso illo quem despicit constitutum? Et idcirco fratres charissimi, quibus metus in Deum pronus est, & spreto calcatóque iam mundo ad superna & ad diuina animus erectus est, fide plena, mente deuota, operatione continua, promerendo domino obsequium præbeamus: demus Christo vestimenta terrena, indumenta cælestia recepturi. Demus cibum & potum secularem, cum Abraham & Isaac & Iacob ad conuiuium cæleste vẽturi: ne parum metamus, plurimum seminemus. Securitati ac saluti æternæ, dum tempus est, consulamus, Paulo apostolo admonente, & dicente, *Ergo dũ tempus habemus, operemur quod bonũ est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Bonũ autẽ facientes nõ deficiamus: tẽpore enim suo metemus.* Cogitemus fratres dilectissimi, quid sub Apostolis fecerit credentium populus, quando intra ipsa primordia maioribus virtutibus mens vigebat, quando credẽtium fides nouo adhuc fidei calore feruebat, domicilia tunc & prædia venũdabant, & dispensandam pauperibus quantitatem libenter ac largiter apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto, fundos illuc transferentes, vbi fructus caperent possessionis æternæ: illic comparantes domos, vbi inciperent semper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis in dilectione consensus, sicut legimus in Actibus apostolorum, *Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna agebant, nec fuit inter illos discrimen vllum, nec quicquam suum vindicabant ex bonis quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia.* Hoc est natiuitate spiritali vere Dei filios fieri, hoc est lege cælesti æquitatem Dei patris imitari. Quodcunq; enim Dei est, in nostra vsurpatione commune est, nec quisquam à beneficiis eius ac muneribus arcetur, quo minus omne humanũ genus bonitate ac largitate diuina æqualiter perfruatur: sic æqualiter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, vẽtus aspirat, & dormientibus somnus vnus est, & stellarum splendor ac lunę communis est. Quo æquitatis exemplo, qui possessor in terris, redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac iustus est, Dei patris imitator est. Quæ illa erit fratres charissimi, operantium gloria, quàm grandis & summa lætitia, cum populum suum dominus cœperit recensere, & meritis atque operibus nostris præmia promissa cõtribuens, pro terrenis cęlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare: offerre nos patri, cui nos sua sanctificatione restituit: æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui viuificatione reparauit, reduces ad paradisum denuo facere, regna cælorum fide & veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter sensibus nostris: hæc intelligantur plena fide, hæc corde toto diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate redimantur. Præclara & diuina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati: & res posita in potestate facientis, res grandis & facilis, sine periculo persecutionis corona pacis: verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus glorioſum, quo Christianus adiutus præfert gratiam spiritalem, promeretur Christum iudicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmã libenter ac prompte certemus, omnes in agone iustitiæ Deo & Christo spectante curramus, & qui seculo & mundo maiores esse iam cœpimus, cursum nostrum nulla seculi & mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis

Galat. 6.

Act. 4.

Bonorum operum merita.

agone currentes, dies nos vel redditionis, vel percusionis inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace vincentibus coronam cãdidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit. Amen.

CAECILII CYPRIANI, DE BONO PATIENTIAE. XI.

ARGVMEN. Differit de bono patientiæ, in quo à Christo incipiens, & per sanctorum exempla discurrens, docet quàm sit vtilis patientia & necessaria vniuersis, & maxime Christianis, qui diabolo impugnante grauius quatiuntur.

DE patientia locuturus, fratres dilectissimi, & vtilitates eius & commoda prædicaturus, vnde potius incipiam, quàm quod nunc quoque ad audientiam, vestram patientiam video necessariam, vt nec hoc ipsum quod auditis & discitis, sine patientia facere possitis. Tunc enim demum sermo & ratio spiritaliter & efficaciter discitur, si patienter quod dicitur audiatur. Nec inuenio, fratres dilectissimi, inter ceteras disciplinæ cælestis vias, quibus ad consequenda diuinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit, vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quàm vt qui præceptis dominicis obsequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiã maximè tota obseruatione tueamur. Hanc se sectari philosophi quoque profitentur, sed tam illa patientia falsa est, quàm & falsa sapientia est. vnde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam dei nouit, quando de iis qui sibi sapere in mundo vidẽtur, ipse moneat & dicat, *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo?* Item beatus apostolus Paulus plenus Spiritu sancto, & vocandis formandisque gentibus missus, contestetur & instruat dicens, *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* Et alio loco, *Nemo se*, inquit, *decipiat: si quis putat sapientem se esse in vobis, mundo huic stultus fiat, vt fiat sapiens: sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. scriptum est enim, Reprehendam sapientes in astutia ipsorum.* & iterum, *Cognouit Dominus cogitationes sapientium, quia sunt stultæ.* Quare si sapientia illic vera non est, esse non potest & vera patientia. Nam si patiens ille est, qui humilis & mitis est: philosophos autem nec humiles videmus esse nec mites, sed sibi multum placentes, & hoc ipso quod sibi placeant, deo displicentes: apparet illic non esse veram patientiam, vbi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exserti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia. Nos autem, fratres charissimi, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate, præferimus: qui virtutum conscientiam magis, quàm iactantiam nouimus: qui non loquimur magna, sed viuimus quasi serui & cultores dei: patientiam quam magisteriis cælesti-

Esa. 59.

Coloss. 2.

1. Cor. 3.

Iob 5.

Psal. 93.

bus

bus discimus, obsequiis spiritalibus prębeamus. Est enim nobis cum deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo patientiæ deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ deo chara est. Bonum quod amat maiestas diuina commendat. Si dominus nobis & pater Deus est, sectemur patientiam Dei pariter & patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis vero in deo & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos & malos ęqualiter facit diem nasci, & lumen solis oboriri: & cùm imbribus terram rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minus iustis similiter & iniustis indiscretas pluuias largiatur. Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis, dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris, immò continuis exacerbetur offensis deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. Cumq; habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorum & scelerum contagione volutatus, vel sero ad deum conuertatur, ipso monente & dicente, *Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat.* & iterum, *Reuertimini ad me, dicit dominus,* & iterum, *Reuertimini ad dominum deum vestrum, quoniam misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectit aduersus malitias irrogatas.* Quod item apostolus Paulus commemorans, & peccatorem ad pœnitẽtiam reuocans, ponit & dicit, *Aut nunquid opulentiam bonitatis eius, & sustentationes, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia & bonitas dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Iustum iudicium dei dixit esse, quia serum est, quia diu multumq; differtur, vt homini ad vitã longa dei patientia consulatur. Tunc repræsentatur pœna impio & peccatori, quando iam non potest pœnitentia prodesse peccanti. Atque vt plenius intelligere possimus, fratres dilectissimi, quia patientia dei res est: & quisque lenis & patiens & mitis est, dei patris imitator est, cum in euangelio suo dominus prącepta in salutem daret, & diuina monita depromens, ad perfectum discipulos erudiret, posuit & dixit, *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, & orate pro eis qui vos persequuntur, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne ethnici idipsum faciunt? Eritis itaque vos perfecti, quomodo pater vester cælestis perfectus est.* Sic perfectos dixit fieri dei filios, sic consummari ostendit & docuit cælesti natiuitate reparatos, si patientia dei patris maneat in nobis, si similitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris. Quæ gloria est, similem deo fieri: qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus quod diuinis laudibus possit æquari? Nec hoc, fratres dilectissimi, Iesus Christus & dominus Deus noster tantum verbis docuit, sed impleuit & factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat, vt voluntatem patris faceret, inter cetera admirabilia virtutum, quibus indicia diuinæ maiestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantię tenore seruauit. Omnis de-

Ezech.18. Malac.3. Ioel.2.

Roma.2.

Leui.19. Matth.5.

nique actus eius ab ipso statim aduentu patientia comite signatur, quod primum de illa sublimitate cælesti, ad terrena descendens, non aspernatur Dei filius carnem hominis induere, vt cum peccator ipse non esset, aliena peccâta portaret. Immortalitate interim posita fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauachro regenerationis corpus abluere: diebus quadraginta ieiunat, per quem ceteri saginantur: esurit, & famem sentit, vt qui in fame sermonis & gratiæ fuerant, cælesti pane saturarentur. Cum diabolo tentante congreditur, & inimicum tantum vicisse contentus, nil vltra verba conatur. Discipulis non vt seruis dominica potestate præfuit, sed benignus & mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus est etiam pedes apostolorum lauare, vt dum circa seruos talis est dominus, exemplo suo doceret, qualis circa compares & æquales debeat esse conseruus. Nec mirandum, quod circa obedientes talis extiterit, qui Iudam potuit vsque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palam ostẽdere, traditoris osculum non recusare. In Iudæis vero tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, cõtradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, prophetarum interfectores & aduersus Deum semper rebelles vsque ad crucis & passionis horam, velle colligere: sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuiciorum probra patienter audita? quæ contumeliarum tolerata ludibria? vt insultantium sputamina exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulo ante formasset: & cuius nunc in nomine à seruis eius diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit: cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit: aceto potaretur, qui salutare poculum propinauit. Ille innocens, ille iustus, immò innocentia ipse, & ipse iustitia, inter facinorosos deputatur, & testimoniis falsis veritas premitur: iudicatur iudicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem cludat: sol ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat: ille non loquitur, nec mouetur, nec maiestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur: vsque ad finẽ perseueranter ac iugiter tolerantur omnia, vt consummetur in Christo plena & perfecta patientia. Et post illa adhuc interfectores suos, si conuersi ad eum fuerint, suscipit: & patientia sua salutari, ad conseruãdos benignus ecclesiam suã nemini cludit: illos aduersarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed ad præmium regni cælestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? viuificatur Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem Christi: talis est Christi ac tanta patientia, quæ nisi tanta ac talis exsisteret, Paulum quoque Apostolum ecclesia non haberet. Quod si & nos fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Iohannes apostolus instruit, dicens, *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.* Item Petrus super quem ecclesia, domini dignatione fundata est, in epistola sua ponit, & dicit, *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur,*

1. Ioan. 2.

1. Petr. 2.

ceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem se iudicanti iniuste. Inuenimus denique & patriarchas, & prophetas, & iustos omnes qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quàm quod patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrij & passionem iusti hominis ini- Gen.4.&22.
tians primus & dedicans, aduersus fratrem fratricidam non resistit, nec reluctatur, sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abraham deo credens, & radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, sed præceptis dei tota patientia deuotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiæ dominicæ similitudinem præfiguratus, quando à patre immolandus offertur, patiens inuenitur. Et Iacob fugatus à fratre, de domo Gen.32.
sua patienter excedit, & maiore patientia postmodum supplex adhuc magis impium & persecutorem muneribus pacificis ad cõcordiam reuocat. Ioseph venundatus à fratribus, & relegatus, non tantum patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientibus largiter & clementer impartit. Moyses ab ingrato & populo perfido contemnitur frequenter, & penè lapidatur: & tamen lenis & patiens pro eisdem Deum deprecatur. In Dauid vero, ex quo secundum carnem Christi natiuitas oritur, quàm magna, & mira & Christiana patientia: habuisse in manu sæpe, vt Saul regem persequentem se & interficere concupiscentẽ, posset occidere: & tamen subditum sibi & traditum maluisse seruare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper & vindicasse? Tot denique prophetæ interfecti, tot martyres glorioſis mortibus honorati, qui omnes ad cæleſtes coronas patientiæ laude venerunt. Neq; enim potest accipi dolorum & passionum corona, nisi præcedat in dolore & passione patientia. Quàm sit autem patientia vtilis & necessaria, fratres dilectissimi, vt manifestius possit & plenius nosci, dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi & generis humani Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: tunc sciemus quàm patientes in isto seculo esse debeamus, qui sic nascimur vt pressuris istic & conflictationibus laboremus. *Quia audisti,* inquit, *vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illa arbore, de qua sola* Gen.3.
præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes pabulum agri. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Huius sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec morte expuncta, de isto seculo recedamus. In tristitia & gemitu simus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ. Edamus panem necesse est cum sudore & labore. Vnde vnusquisque cum nascitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium sumit à lachrimis: & quanuis adhuc omniũ nescius & ignarus, nihil aliud nouit in illa ipsa prima natiuitate, quàm flere, prouidentia naturali lamentatur. Vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu vel gemitu rudis anima testatur. Sudatur enim quandiu istic viuitur & laboratur. Nec sudantibus & laborantibus possunt alia magis quàm patientiæ subuenire solatia, quæ cum apta sint & necessaria in isto mundo vniuersis, tum magis nobis qui diabolo impugnante plus quatimur: qui in acie quotidie stantes, inueterati & exercitati hostis colluctationibus fatigamur: quibus præter varias & assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer, portandæ cathenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera, fide ac virtute patientiæ perferenda, domino ipso instruẽte & dicente, *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: in seculo autem, pressu-* Ioan.16.
ram habebitis: sed fidite, quoniam ego vici mundum. Si autem qui diabolo & mun-

do renunciauimus, preſſuras & infeſtationes diaboli & mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam debemus tenere, qua adiutrice & comite omnia infeſta toleremus. Domini & magiſtri noſtri ſalutare præceptum eſt, *Qui tolerauerit*, inquit, *Vſque ad finem, hic ſaluus erit.* & iterum, *Si permanſeritis*, inquit, *in Verbo meo, Vere diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis Veritatem, & Veritas liberabit Vos.* Tolerandum eſt & perſeuerandum, fratres dilectiſsimi, vt ad ſpem veritatis & libertatis admiſsi, ad veritatem & libertatem ipſam peruenire poſsimus: quia hoc ipſum quod Chriſtiani ſumus, fidei & ſpei res eſt: vt autem peruenire ſpes & fides ad fructum ſui poſsint, patientia opus eſt. Non enim præſentem gloriam ſequimur, ſed futuram, ſecundum quod Apoſtolus Paulus monet dicens, *Spe ſaluati ſumus. ſpes autẽ quæ Videtur, non eſt ſpes: quod enim Videt quis, quid ſperat? Si autem quod non Videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*: propterea expectatio & patientia neceſſaria eſt, vt id quod eſſe cœpimus, impleamus: & quod ſperauimus & credimus, deo præſtante capiamus. Denique alio in loco idem Apoſtolus iuſtos & operantes, & diuini fœnoris incremento cæleſtes theſauros ſibi recondentes, vt patientes quoque ſint, inſtruit & docet dicens, *Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maxime Vero ad domeſticos fidei. bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus.* Admonet, ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut auocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere deſiſtat, & pereant præterita, dum quę cœperant, deſinunt eſſe perfecta: ſicut ſcriptum eſt, *Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunque die exerrauerit.* & iterum, *Tene quod habes, ne quis accipiat coronam tuam.* quæ vox adhortatur, patienter & fortiter perſeuerare, vt qui ad coronam & laudem ad quam proxime nititur, durante patientia coronetur. Patientia autem, fratres dilectiſsimi, non tãtum bona cuſtodit, ſed & repellit aduerſa. Spiritui ſancto fauens, & cæleſtibus ac diuinis cohærens, contra facta carnis & corporis, quibus anima expugnatur & capitur, virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. Inſpiciamus denique pauca de multis, vt de paucis intelligantur & cetera. Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen eſt. Sit fortis & ſtabilis in corde patiẽtia, & nec adulterio ſanctificatum corpus & dei templum polluatur: nec iuſtitiæ dicata innocentia, contagione fraudis inficiatur: nec poſt guſtatam Euchariſtiam, manus gladio & cruore maculetur. Charitas, fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis: quæ & ſpe & fide maior eſt, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiſcũ ſemper æterna in regnis cæleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam, & deſolata non durat. Tolle illi ſuſtinendi tolerandíque ſubſtantiam, & nullis radicibus ac viribus perſeuerat. Apoſtolus denique cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam iunxit: *Charitas*, inquit, *magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non æmulatur, nõ inflatur, non iritatur, non cogitat malũ: omnia diligit, omnia ſperat, omnia credit, omnia ſuſtinet.* Oſtendit inde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quod norit omnia ſuſtinere. Et alio in loco, *Suſtinẽtes*, inquit, *inuicem in dilectione ſatis agentes, ſeruare Vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis*: probauit nec vnitatem ſeruari poſſe, nec pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & concordiæ vinculum, patientia intercedente cuſtodiant. Quid deinde, vt non iures, neque maledicas, vt tua ablata non repetas: vt accepta alapa, & alteram maxillam verberanti præbeas: vt fratri in te peccanti non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, ſed omnia omnino peccata dimittas: vt diligas inimicos tuos, vt pro aduerſariis & perſecutoribus precem facias: poteris ne iſta perficere, niſi tolerantię & patientię teneas firmitatem? quod factum videmus in Stephano, qui cum à Iudęis vi & lapidibus necaretur, non ſibi vindictam, ſed interfectoribus veniam poſtulabat, dicens,

Matth. 10. Ioan. 8.

Rom. 8.

Galat 6.

Ezech. 33. Apocalyp. 3.

1. Cor. 13.

dicens, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Sic eſſe oportuit primum martyrem Chriſti, qui martyres ſe ſecuturos glorioſa morte præcurrens, non tantum dominicæ paſsionis prædicator eſſet, ſed & patientiſsimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de diſcordia, de ſimultate, quæ in Chriſtiano eſſe non debent? ſit patientia in pectore, & hæc illic locum habere non poſſunt: aut ſi adire tentauerint, cito diſcedent excluſa, vt domicilium pacificum perſeueret in corde, vbi deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apoſtolus & docet, dicens, *Nolite contriſtari Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia auferantur à vobis.* Si enim Chriſtianus à furore & contentione carnali, tanquam de maris turbinibus exceſsit, & tranquillus ac lenis in portu Chriſti eſſe iam cœpit, nec iram, nec diſcordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat, nec odiſſe. Necnon ad varia quoque carnis incommoda, & crebros corporis durósque cruciatus, quibus humanum genus cotidie fatigatur & quatitur, patientia neceſſaria eſt. Nam cum in illa prima tranſgreſsione præcepti, firmitas corporis cum immortalitate diſceſſerit, & cum morte infirmitas venerit: nec poſsit firmitas recipi, niſi cum recepta & immortalitas fuerit: oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari ſemper & congredi: quæ luctatio & congreſsio, non niſi patientiæ viribus poteſt ſuſtineri. Examinandis autem nobis atque explorandis, diuerſi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas inrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amiſsione charorum. Nec aliud magis iniuſtos diſcernit & iuſtos, quàm quod in aduerſis per impatientiam queritur & blaſphemat iniuſtus: patientia iuſtus probatur, ſicut ſcriptum eſt, *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum atque argentum.* Sic Iob examinatus eſt, & probatus, & ad ſummum faſtigium laudis, patientiæ virtute prouectus. Quanta aduerſus eum iacula diaboli miſſa? quanta admota tormenta? iactura rei familiaris infligitur, numeroſæ ſobolis orbitas inrogatur, diues in cenſu dominus, & in liberis pater ditior, nec dominus factus repente, nec pater eſt: accedit vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac defluentes artus, vermium quoque edax pœna conſumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in ſuis tentationibus experiretur, armat diabolus & vxorem, illo antiquo nequitiæ ſuæ vſus ingenio, quaſi omnes per mulierem decipere poſſet & fallere, quod fecit in origine: nec tamen Iob grauibus ac denſis cõflictationibus frangitur, quo minus inter illas anguſtias & preſſuras ſuas, dei benedictione victrice patiẽtia prædicetur. Thobias quoque poſt iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ opera magnifica, luminum amiſsione tentatus, in quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer deum patientiæ laude promeruit. Atque vt magis, fratres dilectiſsimi, patientiæ bonum luceat, quid mali econtrario impatientia importet, conſideremus. nam vt patientia bonum Chriſti eſt, ita contra, impatientia diaboli malum: & ſicut in quo habitat & manet Chriſtus, patiens inuenitur, ita impatiens ſemper exiſtit, cuius mentem diaboli nequitia poſsidet. Exordia denique ipſa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, inde & periit primus & perdidit. Adam contra præceptum cæleſte cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia cuſtode ſeruauit: & vt fratrem Cain perimeret, ſacrificij eius & muneris impatiens fuit: & quod Eſau de maioribus ad minora deſcencit, primatus ſuos per impatientiam lentis amiſit. Quid Iudaicus populus circa beneficia diuina perfidus & ingratus? nonne quod à deo primum receſsit, impatientiæ crimen fuit? dum Moyſi cum deo loquentis moras non

Act. 7.

Epheſ. 4.

Eccleſia. 2.

potest ferre, profanos deos ausus est postulare, vt itineris sui duces nuncuparet caput bubulum, & terrestre figmentum: nec vnquam ab eadem impatientia destitit, quominus semper docilitatis & diuinæ admonitionis impatiens, prophetas suos & iustos quosque perimendo, ad crucem quoque & sanguinem Domini prosiliret. Impatientia etiam in ecclesia hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem contra Christi pacem & charitatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere, omnia omnino quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinã. Quare fratres dilectissimi, & bonis patientiæ, & impatiẽtię malis diligenter expensis, patiẽtiã per quam in Christo manemus, & venire cum Christo ad deum possumus, plena obseruatione teneamus, quæ copiosa & multiplex non angusto fine concluditur, nec breuibus terminis coërcetur. Latè patet patientiæ virtus, & vbertas eius ac largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur, nec prius proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quæ nos deo & commendat & seruat. Ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet superbiam diuitum, inopiam pauperum refouet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis indiuiduam charitatem: facit humiles in prosperis, & in aduersis fortes: contra iniurias & contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoscere: si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat. Ipsa est quæ & fidei nostræ fundamenta firmiter munit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter prouehit: ipsa actum dirigit, vt tenere possimus viam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit, vt perseueremus filij dei, dum patientiam patris imitamur. Et quoniam plurimos scio fratres dilectissimi, vel pondere iniuriarum ingentium, vel dolore de iis qui aduersum se grassantur & sæuiunt, vindicari velociter cupere, nec in illum extremi iudicij die malorum retributionem deferre: nobiscum hortamur interim amplectimini patientiæ bonum, vt in istis fluctuantis mundi turbinibus, & Iudæorum siue Gentilium, & hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter expectemus vltionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit, *Expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium, quoniam iudicium meum est ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam super eos iram meam.* Expectare nos iubet Dominus, & futuræ vltionis diem forti patientia sustinere: qui & in Apocalypsi loquitur dicens, *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo est, vt & ij qui perseuerant nocere, noceant: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: iustus autem, adhuc iustior fiat: similiter & qui sanctus est, sanctior. Ecce venio cito & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum facta sua.* Vnde etiam clamantes martyres, & ad vindictam suam dolore erumpente properantes, expectare adhuc iubentur, & temporibus consummandis, implendisque martyribus præbere patientiam. *Et cum aperuisset,* inquit, *quintum sigillum, vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei, & martyrium suum, & clamauerunt voce magna dicentes, Quousque domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, & de ijs qui in terris habitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictum est eis, vt requiescerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum eorum, quique postea occiderentur exemplo ipsorum.* Quando autem veniet sanguinis iu-

Soph. 3.

Apocaly. 22.

Apocal. 6.

sti

sti diuina vindicta, declarat per Malachiam prophetam Spiritus sanctus dicens, *Ecce dies Domini venit ardens quasi clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui stipula, & succẽdet illos aduenies dies, dicit Dominus.* quod item legimus in psalmis, vbi Dei iudicis prædicatur aduentus censuræ suę maiestate venerãdus: *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante eũ ardebit, & in circuitu eius procella nimia: aduocabit cælum sursum, & terram, vt separet populum suum. Colligite illi iustos eius, eos qui disponunt testamentum eius in sacrificiis: & annunciabunt cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.* Et Esaias eadem pronunciat dicens, *Ecce enim Dominus sicut ignis veniet, & sicut procella curtus eius, retribuere in ira vindictam: in igne enim domini iudicabuntur, & in gladio eius vulnerabuntur.* & iterum, *Dominus deus virtutum prodibit, & comminuet bellum: excitabit certamen & clamabit super inimicos suos cum fortitudine. Tacui tacui, nunquid semper tacebo?* Quis autem est hic qui se tacuisse prius dicit, & non semper tacebit? vtique ille qui sicut ouis ad victimam deductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, non aperuit os suum: vtique ille qui non clamauit, neque in plateis vox eius audita est: vtique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella, & maxillas ad palmas: faciem suam non auertit à fœditate sputorum: vtique ille, qui cum accusaretur à sacerdotibus & senioribus, nihil respondit: & admirante Pilato, patientissimum silentium tenuit. Hic est qui cum in passione tacuerit, in vltione postmodum non tacebit. Hic est Deus noster, id est non omnium, sed credentium & fidelium Deus: qui cum in secundo aduentu venerit manifestus, non silebit: nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus. Hunc expectemus fratres dilectissimi, iudicem & vindicem nostrum, ecclesiæ suæ populum, & ab initio mundi iustorum omnium numerum secum pariter vindicaturum: qui ad vindictam suam nimium festinat & properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. Pater Deus præcepit filium suum adorari, & apostolus Paulus diuini præcepti memor, ponit & dicit, *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, vt sit super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium & terrestrium & infernorum:* & in Apocalypsi angelus Iohanni volenti adorare se, resistit & dicit, *Vide ne feceris, quia conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Iesum Dominum adora.* Qualis Iesus Dominus, & quanta patientia, vt qui in cælis adoratur, necdum vindicetur in terris? Huius patientiam, fratres dilectissimi, in persecutionibus & passionibus nostris cogitemus. Huius aduentui plenum expectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum serui irreligiosa & inuerecunda festinatione properemus.

Malach.4.

Psal.49.

Esa.66.

Ibidem 42. Esa.53.

Philip.2.

Apocal.19.

Insistamus potius & elaboremus, & toto corde vigilantes, atque ad omnem tolerantiam stabiles dominica præcepta seruemus, vt cum ille irę & vindictæ dies venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur, sed cum iustis & Deum timentibus honoremur. Amen.

CAECILII CYPRIANI, DE ZELO ET LIVORE. XII.

ARGVMENT. Tractat de zelo & liuore, in quo latentes inimici insidias detegens, vnde zelus, & quando, & quomodo cœperit, docet, & multiplicem eius perniciem demonstrat.

ZELARE quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue & modicum apud quosdam crimen videtur, fratres charissimi: dumque existimatur leue esse & modicum, non timetur: dum non timetur, contemnitur: dum contemnitur, non facile vitatur, & fit cæca & occulta pernicies: quæ dum minus perspicitur, vt caueri à prouidentibus possit, improuidas mentes latenter affligit. Porrò autem dominus prudentes esse nos iussit, & cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne aduersarius vigilans semper, & semper insidians, quando in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret: & dum remissis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & salutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaq; fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico sæuienti, & iacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari possumus, dirigenti, sollicita & plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus quoque apostolus in epistola sua præmonet & docet, dicens, *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, & aliquid deuorare quærens, circuit.* Circuit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens muros explorat & tentat, an sit pars aliqua membrorum minus stabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices & faciles voluptates, vt visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, vt sonus dulciori auditu soluat & molliat Christiani vigorem. Linguam conuicio prouocat: manus iniuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniusta: vt animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, vt cælestes adimat: ostentat falsa, vt vera subripiat. Et cum latenter non potest fallere, exserte atque aperte minatur, terrorem turbidę persecutionis intentans, ad debellandos seruos Dei, inquietus semper, & semper infestus: in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus & armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quàm est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora sunt tela eius, quæ latenter obrepunt magis: quę occulta & clandestina iaculatio, quo minus perspicitur, hoc & grauius & crebrius in vulnera nostra grassatur. Ad hæc quoque intelligenda & debellanda vigilemus, ex quibus est zeli & liuoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inueniet nihil magis Christiano cauendum, nihil cautius prouidendum, quàm ne quis inuidia & liuore capiatur: ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo fra-

1. Petr. 5.

ter

ter in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. quod vt colligere plenius & manifestius perspicere possimus, ad caput eius atque originem recurramus. Videamus ergo vnde zelus, & quãdo, & quomodo cœperit. facilius enim malum tam pernicioſum à nobis vitabitur, ſi eiuſdem mali origo & magnitudo noſcatur. Hinc diabolus inter initia ſtatim mundi & periit primus, & perdidit. Ille angelica maieſtate ſubnixus, ille deo acceptus & charus, poſtquam hominem ad imaginem dei factum conſpexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens inſtinctu zeli, quàm ipſe zelo ante deiectus: captiuus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum ſtimulãte liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripuit, ipſe quoque id quod prius fuerat, amiſit. Quale malum eſt, fratres chariſsimi, quo angelus cecidit, quo circunueniri & ſubuerti alta illa & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe qui decipit? Exinde inuidia graſſatur in terris, dum liuore paritur, magiſtro perditionis obſequitur, dum diabolum qui zelat, imitatur: ſicut ſcriptum eſt, *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur ergo illum qui ſunt ex parte eius. Hinc denique nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iuſtum Cain zelat iniuſtus, dum bonum malus inuidia & liuore perſequitur. Tantum valuit ad cõſummationem facinoris, æmulationis furor, vt nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor dei, nec pœna delicti cogitaretur. Iniuſte oppreſſus eſt, qui iuſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non nouerat: occiſus eſt impie, qui moriens non repugnabat. Et quod Eſau fratri ſuo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hinc in odium perſecutionis, facibus liuoris exarſit. Et quod Ioſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit: poſtquam id quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtẽſum, ſimpliciter vt fratribus frater expoſuit, in inuidiam maleuolus animus erupit. Saul quoque rex, vt Dauid odiſſet, vt perſecutionibus ſæpe repetitis innocentẽ, miſericordẽ, mitem, lenitate patiẽtem necare cuperet, quid aliud quàm zeli ſtimulus prouocauit? quia Goliath interfecto & ope ac dignatione diuina tanto hoſte deleto, populus admirans in laudes Dauid prædicationis ſuffragio proſiliit, Saul ſimultatis atque inſectationis furias de liuore concepit. Et ne longum faciam ſingulos recenſendo, pereuntis ſimul populi attendamus interitum. Iudæi nonne inde perierunt, dum Chriſto malunt inuidere, quàm credere? Obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad diuina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nos conſiderantes fratres chariſsimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata deo & vegetata pectora noſtra muniamus. Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem, imprudentium pœna prouidentibus conferat ſanitatem. Non eſt autem quod aliquis exiſtimet, malum iſtud vna ſpecie contineri, aut breuibus terminis & anguſto fine concludi. Late patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit: auaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, ac in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti neglegitur, iudicij dies non prouidetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira feruescit. Nec ſe iam poteſt cohibere, nec regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur,

Sap. 2. Gene. 4.

Gene. 17. & 37.

1. Reg. 18.

Ibid. 15.

BIBLIOT. UNIWERSYT. W POZNANIU

ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur ſacerdotibus, dum epiſcopis inuidetur, dum quis aut queritur nō ſe potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, animoſitate & liuore non hominis, ſed honoris inimicus. Qualis vero eſt animi tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id eſt odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia diuina: in malum proprium bona aliena conuertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam, & velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta moleuolentiæ vngulis pulſent: non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe iocundus: ſuſpiratur ſemper & gemitur, & doletur: dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſsione laniatur. Mala cetera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti conſummatione finitur: in adultero ceſſat facinus, perpetrato ſtupro: in latrone conquieſcit ſcelus, homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit poſſeſſa præda, & falſario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt. Quantóque ille cui inuidetur ſucceſſu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax, toruus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuicia, manus ad cædis violentiam promptæ, etiam ſi gladio interim vacuę, odio tamen furioſę mentis armatæ. Et idcirco Spiritus ſanctus dicit in pſalmis, *Nolite zelare bene ambulantem in via ſua.* & iterum, *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ad eum dentibus ſuis. Deus autem inridebit eum, quoniam prouidet quia veniet dies eius.* Hos beatus apoſtolus Paulus deſignat & denotat, dicens, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces ad effundendum ſanguinem, pedes eorum: contritio & calamitas, in viis eorum, qui viam pacis non cognouerunt, nec eſt timor dei ante oculos eorum.* Multo malum leuius, & periculum minus eſt, cum membra gladio vulnerantur. Facilior cura eſt, vbi plaga perſpicua: & cito ad ſanitatem medela ſubueniente perducitur vulnus quod videtur: zeli vulnera obſtruſa ſunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ ſe intra conſcientiæ latebras cæco dolore clauſerunt. Quicunque es inuidus & malignus, videris quàm ſis eis quos odiſti, inſidioſus, pernicioſus, infeſtus: nullius magis quàm tuæ ſalutis inimicus es. Quiſque ille eſt quem zelo perſequeris, ſubterfugere & vitare te poterit: tu te non potes fugere: vbicunque fugeris, aduerſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili cathenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec ſolatia tibi vlla ſubueniunt. Perſeuerans malum eſt, hominem perſequi ad dei gratiam pertinentem: calamitas ſine remedio eſt, odiſſe felicem. Et idcirco, fratres dilectiſsimi, huic periculo conſulens dominus, ne quis zelo fratris in laqueum diabo-
li incurreret, cum eum diſcipuli interrogaſſent, *Quis inter illos maior eſſet, Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus.* Amputauit omnem æmulationem reſponſo ſuo, omnem cauſam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abſcidit. Diſcipulo Chriſti zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non poteſt eſſe contentio, de humilitate ad ſumma creſcimus, didicimus vnde placeamus: denique & Apoſtolus Paulus inſtruens & docens, vt qui illuminati Chriſti lumine, tenebras nocturnæ conuerſationis euaſimus, in factis atque operibus luminis ambulemus, ſcribit & dicit, *Nox tranſiuit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur*

Pſal. 16.

Roma. 3. Pſal. 9. & 139.

Rom. 13.

mur arma lucis: tanquam in die decenter ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus: non in concupiscentiis, et impudicitijs: non in certaminibus, & zelo. Si recesserunt de pectore tuo tenebræ, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminauit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse cœpisti, quæ sunt Christi sequere, quia lux & dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cęcitate, omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum, cui renunciaueras, iterum redis? quid Cain similis existis? Homicidij nanque facinore eum constringi, quisque zelauerit, & odio fratrem suum habuerit, declarat Iohannes apostolus in epistola sua, dicens, *Qui fratrem suum odit, homicida est: & scitis, quia omnis homicida, non habet in se vitam manentem.* & iterum, *Qui dicit se esse in luce, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc, & in tenebris ambulat, & nō scit quo eat, quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Qui odit*, inquit, *fratrem suum, in tenebris ambulat, & nescit quo eat*: vadit enim nescius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnā, recedens scilicet à Christi lumine, monentis & dicentis, *Ego sum lux mundi: qui me sequutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sequitur autem Christum, qui præceptis eius insistit, qui per magisterij eius viam graditur, qui vestigia eius atque itinera sectatur, qui id quod Christus & fecit & docuit, imitatur: secūdum quod Petrus quoq; hortatur & monet, dicens, *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Meminisse debemus, quę vocabulo Christus plebem suam appellet: quo titulo gregem suum nūcupet. Oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur: agnos vocat, vt agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ouium lupus latitat? quid gregem Christi, qui Christianum se mentitur, infamat? Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud quàm preuaricatio est diuini nominis, quàm desertio itineris salutaris: quando & ipse doceat & dicat, eum ad vitam venire, qui mandatum seruauerit: &, eum esse sapientem, qui verba eius audierit & fecerit? doctorem quoque eum maximum in regno cælorum vocari, qui fecerit & sic docuerit: tunc prædicāti profuturum, quod bene atque vtiliter prædicatum fuerit, si id quod ore promitur, factis sequentibus impleatur? Quid vero insinuauit crebrius discipulis suis dominus? quid inter monita salutaria & præcepta cælestia custodiendum seruandumque magis mandauit, quàm vt eadem dilectione qua discipulos ipse dilexit, nos quoq; inuicem diligamus? Quomodo autem vel pacem domini, vel charitatem tenet, qui intercedente zelo, nec pacificus potest esse, nec charus? Ideo & apostolus Paulus, cum pacis & charitatis merita depromeret, cumque asseueraret firmiter & doceret, nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec passionem quoque ipsam confessionis & martyrij profuturam, nisi charitatis fœdera integra atque inuiolata seruasset, adiecit & dixit, *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non zelat*: docens scilicet & ostendens eum posse charitatem tenere, quisquis magnanimus & benignus, & à zelo & liuore alienus est. Item alio loco, cum moneret, vt homo iam sancto Spiritu plenus & natiuitate cælesti, Dei filius factus, non nisi spiritalia & diuina sectetur, ponit & dicit, *Et ego quidem fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi infantibus in Christo, lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis: adhuc enim estis carnales: vbi enim in vobis zelus, et contentio, & dissensiones sunt, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Obtemperanda sunt fratres charissimi, vitia & peccata carnalia, & terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda: ne dum iterum ad veteris hominis conuersationem reuoluimur, lethalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem prouidenter & salubriter præmonente: *Itaque*, inquit, *fratres, non*

1. Ioan. 3.
Ibidem. 2.
Ioan. 8.
1. Pet. 2.
Matth. 19.
1. Cor. 13.
Ibidem 3.
Coloss. 3.

ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, incipietis mori: ſi autem ſpiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis: quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Si filij Dei ſumus, ſi templa eius eſſe iam cœpimus: ſi accepto Spiritu ſancto, ſancte & ſpiritaliter viuimus: ſi de terris oculos ad cælum ſuſtulimus, ſi ad ſuperna & diuina plenum Deo & Chriſto pectus ereximus, non niſi quæ ſunt Deo & Chriſto digna, faciamus: ſicut & Apoſtolus Paulus ponit

Coloſſ. 3. & dicit, *Si conſurrexiſtis*, inquit, *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.* Qui ergo in baptiſmo ſecundum hominis antiqui peccata carnalia & mortui & ſepulti ſumus, qui regeneratione cæleſti Chriſto conſurreximus, quæ ſunt Chriſti & cogitemus pariter & geramus: ſicut idē Apoſtolus docet rurſus & monet, dicens,

1. Cor. 15. *Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cælo: qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius qui de cælo eſt* Imaginem autem cæleſtem portare non poſſumus, niſi in eo quod eſſe iam cœpimus, Chriſti ſimilitudinem præbeamus: hoc eſt enim mutaſſe quod fueras, & cœpiſſe eſſe quod nō eras, vt in nobis diuina natiuitas luceat, vt ad Deum patrem deifica diſciplina reſpondeat: vt honore & laude viuēdi Deus in homine clareſcat, ipſo hortan-

Ioan. 12. te & monente, & eis qui ſe clarificant, vicem mutuam pollicente. *Eos*, inquit, *qui clarificant me, clarificabo: & qui ſpernit me, ſpernam.* Ad quam clarificationē formans nos & prę̄parans dominus & filius Dei, ſimilitudinem Dei patris in-

Leui. 19. Matth. 5. ſinuās, in Euangelio ſuo dicit, *Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, et orate pro eis qui vos perſequuntur, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Si hominibus lætum eſt & glorioſum, filios habere conſimiles: & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſubſeciua reſpondeat: quāto maior in Deo patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritaliter naſcitur, vt actibus eius &

Matth. 25. laudibus diuina generoſitas prædicetur? Quæ iuſtitiæ palma eſt, quæ corona, eſſe te talem, de quo Deus non dicat, *Filios generaui & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt*: collaudet te potius Chriſtus, & inuitet ad præmium, dicens, *Venite benedicti patris mei, recipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* His meditationibus corroborandus eſt animus, fratres dilectiſsimi, eiuſmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus. Sit in manibus diuina lectio, in ſenſibus Dominica cogitatio. Oratio iugis omnino non ceſſet, ſalutaris operatio perſeueret: ſpiritalibus ſemper actibus occupemur, vt quotieſcunque inimicus acceſſerit, quoties adire tentauerit, & clauſum aduerſum ſe pectus inueniat & armatum. non enim Chriſtiani hominis corona vna eſt, quæ tempore perſecutionis accipitur. Habet & pax coronas ſuas, quibus de varia & multiplici congreſsione victores proſtrato & ſubacto aduerſario coronamur. Libidinem ſubegiſſe, continētię palma eſt. Cōtra iram, contra iniuriam repugnaſſe, corona patientiæ eſt. De auaritia triumphus eſt, pecuniam ſpernere. Laus eſt fidei, fiducia futurorum, mundi aduerſa tolerare. Et qui ſuperbus in proſperis non eſt, gloriam de humilitate conſequitur: & qui ad pauperum fouendorum miſericordiam pronus eſt, retributionem theſauri cæleſtis adipiſcitur: & qui zelare non nouit, quique vnanimis & mitis fratres ſuos diligit, dilectionis & pacis præmio honoratur. In hoc virtutum ſtadio quotidie currimus, ad has iuſtitiæ palmas & coronas ſine intermiſsione tēporis peruenimus: ad quas vt tu peruenire etiam poſsis, qui fueras zelo & liuore poſſeſſus, omnē illam malitiam, qua prius tenebaris, abiice,

ad viam

ad viam vitæ ætrnæ vestigiis salutaribus reformare. Euelle de pectore tuo spinas & tribulos, vt te dominicum semen fertili fruge locupletet, vt diuina & spirtalis seges in copiam fœcundæ messis exuberet. Venena fellis euome, discordiarum virus exclude: purgetur mens quam serpentinus liuor infecerat: amaritudo omnis quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis & cibum sumis & potum, lignum quod apud Maram profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem: nec ad medelam prosperandæ valitudinis labores, vnde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos ante oderas: dilige illos, quibus iniustis obtrectationibus inuidebas. Bonos imitare, si potes: si sectari non potes, collætare certe & gratulare melioribus: fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis & fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita, quando tu ipse dimiseris. Accipientur sacrificia tua, cum pacificus ad Deum veneris. Sensus atque actus tui diuinitus dirigentur, quando ea quæ diuina & iusta sunt, cogitaueris, sicut scriptum est, *Cor viri cogitat iusta, & à Deo dirigentur gressus eius.* Habes autem multa quæ cogites, paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem suum peremit. Cogita cæleste regnum, ad quod non nisi concordes atque vnanimes dominus admittit. Cogita, quod filij Dei hi soli possint vocari, qui sint pacifici, qui natiuitate cælesti & lege diuina ad similitudinem Dei patris & Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis nos Dei stare, spectante ac iudicante ipso, conuersationis ac vitæ nostræ curricula decurrere: peruenire nos tunc demum posse, vt eum videre contingat, si ipsum nunc vidētem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratiæ eius & indulgentiæ præbeamus: si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

Prouer.15. Gen.4.

CAECILII CYPRIANI, DE DISCIPLINA ET HABITV VIRGINVM. XIII.

ARGVMEN. Tractat de habitu virginum ceteras mulieres ad pudicitiam & mundi contemptum inuitãs, docénsque quantum periculi sit vel in vnius transgressione præcepti & culpæ leuioris: deinde virginum conuersationem instituens, demonstrat quæ virginibus meditanda, quæ concupiscenda sunt.

DISCIPLINA custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac iugiter in Deo viuere, ad promissa cælestia & diuina præmia peruenire. Hanc sectari salubre est, & aduersari ac negligere lethale. In psalmis loquitur Spiritus sanctus, *Continete disciplinam, ne forte irascatur dominus, & pereatis à via recta, cum exarserit cito ira eius super vos.* Et iterum, *Peccatori autem dixit Deus, Vt quid exponis iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu autem odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retro?* Et denuo legimus, *Disciplinam qui*

Psal.2. Psal.49.

Prouer.3. *abiicit, infelix est.* Et de Salomone mandata sapientiæ monentis accepimus, *Filine neglexeris disciplinam domini, nec defeceris ab eo correptus: quem enim diligit Deus corripit.* Si autem quem diligit Deus corripit, & sic corripit vt emendet, fratres quoque & maxime sacerdotes non oderunt, sed diligunt eos quos corripiunt vt emendent, quando & Deus per Hieremiam ante prædixerit, &
Hiere.3. tempora nostra significauerit, dicens, *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina.* Quod si in scripturis sanctis, frequenter & vbique disciplina præcipitur, & fundamentum omne religionis ac fidei de obseruatione ac timore proficiscitur, quid cupidius appetere, quid magis velle ac tenere nos conuenit, quàm vt radicibus fortius fixis, & domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis, inconcussi ad procellas & turbines seculi stemus, vt ad Dei munera per diuina præcepta veniamus, considerantes pariter ac scientes, quod templa Dei sint membra nostra, ab omni face contagionis antiquæ lauachri vitalis sanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat & ipse violetur? Eorũ nos templorum cultores & antistites sumus. Seruiamus illi, cuius iam esse cœpimus. Paulus in epistolis suis ponit & dicit, quibus nos ad curricula viuendi per diuina
1.Cor.6. magisteria formauit: *Non estis vestri: empti enim estis magno precio, clarificate & portate dominum in corpore vestro.* Glorificemus & portemus dominum puro & mundo corde, & opere, & obseruatione meliori, vt qui per sanguinem Christi domini nostri redempti sumus, per omnia seruitutis obsequia redemptoris imperio pareamus, demusque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat, derelinquat. Sospi
Ioan.5. tantis domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis, *Ecce*, inquit, *sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.* Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem. Postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis quibus sanatus potius fuerat, mancipato grauius comminatur, quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cum necdum nosset disciplinam Dei: nulla sit venia vltra delinquere, postquam dominum nosse cœpisti: & quidem hoc tam viri quàm mulieres, tam pueri quàm puellę, sexus omnis atque omnis ætas obseruet, & curet pro religione & fide, quam domino debet, ne quod sanctum & purum de domini dignatione percipitur, minus sollicito timore teneatur. Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atq; incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret ecclesiæ matris glorioſa fœcunditas. Quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has hortamur affectione potius quàm potestate, non quod extremi & minimi & humilitatis nostræ admodum conscij aliquid ad censurã licẽtiæ vindicemus, sed quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus. Neque inanis hæc cautio est & formido vana, quæ ad salutis viam consulit, quæ dominica & vitalia præcepta custodit, vt quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes tam carne quàm mente se Deo deuouerint, opus suum consumment magno prẽmio destinatum, nec ornari aut placere cuiquam nisi domino suo studeant, à
Matth.19. quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso, *Non omnes capiunt hoc verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones qui ex vtero matris sunt nati, & sunt spadones qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, & sunt spadones qui castrati sunt ab hominibus.* Denuo quoque per hanc angeli vocem, contiApocaly.14. nentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur: *Hi sunt qui cum mulieribus se non coin-*

non coinquinauerunt: virgines enim permanserunt. Hi sunt qui sequuntur agnum quocunque ierit. Neque enim masculis tantum continentiæ gratiam repromittit dominus, & fœminas præterit, sed quoniam fœmina viri portio est, & ex eo sumpta atque formata est, in scripturis ferè omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur & fœmina. Quod si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, dominum offendunt, non cogitantes esse prædictum, *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus nihil fecit eos.* Et Paulus quoque glorioſe & sublimiter prædicãs dicit, *Si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem.* Continentia vero & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore, vt secundũ Apostolum, quæ innupta est, sancta sit & corpore & spiritu. Instruit nos Paulus & dicit, *Cælebs cogitat ea quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo.* 1.Cor.7. *Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ sunt mundi huius, quomodo placeat vxori. Sic & mulier & virgo innupta cogitat ea quæ sunt domini, vt sit sancta et corpore & spiritu.* Virgo non esse tantum, sed & intelligi debet & credi, vt nemo cum virginem viderit, dubitet an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritũ aut habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, nec periculum sui appetat, quæ ad meliora & diuina se seruat. Quæ virum non habent, cui placere se simulent, integræ & puræ non tantum corpore, sed & spiritu perseuerent. Neque enim virginem fas est ad speciem suæ formæ comi, aut de carne, & de eius pulchritudine gloriari, cum nulla sit illis magis quàm aduersus carnem colluctatio, & vincendi corporis aut domandi obstinata certatio. Paulus quoque forti ac sublimi voce proclamat, *Mihi* Galat.6. *autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est, & ego mundo*: & virgo in ecclesia de specie carnis atque de corporis pulchritudine gloriatur? Addit Paulus & dicit, *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: et quæ se carnis concupiscentiis & vitiis renunciasse profitetur, in iisdem quibus renunciauerat, inuenitur? Deprehẽderis virgo, detegeris. Aliud te esse iactas, & aliud affectas. Maculis te concupiscentiæ carnalis aspergis, cum integritatis candidata sis & pudoris. *Clama*, inquit Esaiæ dominus, *Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius vt flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit, verbum autem domini manet in æternũ.* Esaiæ.40. Neminem Christianum decet, & maxime virginem non decet, claritatem vllam computare carnis & honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc planè quando in nominis domini confessione cruciatur: quando fortior fœmina viris torquentibus inuenitur, quãdo ignes, aut cruces, aut ferrum, vel bestias patitur, vt coronetur. Illa sunt carnis preciosa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Sed sunt aliquæ diuites, & facultatum vbertate locupletes, quæ opes suas præferant, & se bonis suis vti debere contendant. Sciant primo illam esse diuitem, quæ Deo dives est: illam esse locupletem, quæ locuples in Christo est. Bona illa esse, quæ sunt spiritalia, diuina, cælestia, quæ nos ad dominum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. Ceterum quæcũque terrena sunt in seculo accepta, & hic cum seculo remansura, tam contemni debent, quàm mundus ipse contemnitur, cuius pompis & deliciis iam tunc renunciauimus, cum meliore transgressu ad dominum venimus. Hinc Iohannes nos excitat & hortatur spiritali & cælesti voce corroborãs: *Nolite*, ait, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* 1.Ioan.2. *Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: quoniam omne quod in mundo*

est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi quæ non est à patre, sed ex concupiscentia seculi, Et mundus transibit et concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. A Eterna igitur & diuina sectanda sunt, & omnia de Dei voluntate facienda sunt, vt domini nostri vestigia & magisteria diuina sectemur, qui monuit & dixit, *Non descendi de cælo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit.* Quod si non est maior domino suo seruus, & liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus dixit, imitari. Scriptum est enim, & legitur, & auditur, & in exẽplum nostræ ecclesiæ ore celebratur, *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit et ipse ambulare.* Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respõdet ad fidem nominis, sectatio veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur, & geratur. Locupletem te dicis & diuitem, sed diuitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum iusto fine moderandum, sua voce præscribit. *Sint*, inquit, *mulieres cum verecundia et pudicitia componentes se, non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste preciosa, sed vt decet mulieres promittentes castitatem per bonã conuersationem.* Item Petrus ad hæc eadem præcepta cõsentit, & dicit, *Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis.* Quod si illi mulieres quoque admonet coërcendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum, quanto id magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia, nec deriuari in alterum possit mendacium culpę, sed sola ipsa remaneat in crimine? Locupletem te dicis & diuitem, sed non omne quod potest, debet & fieri, nec desideria prolixa & de seculari ambitione nascentia vltra honorem ac pudorem virginitatis extendi, cum scriptum sit, *Omnia licent, sed non omnia expediunt. omnia licent, sed non omnia ædificant.* Ceterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscẽdi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt & ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenũ videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas & virgines Christi, quæ sic viuis vt possis adamari. Locupletem te dicis & diuitem, sed iactare diuitias suas virginem non decet, cum dicat scriptura diuina, *Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra*: & Apostolus rursum moneat, & dicat, *Et qui emunt sic sint quasi non possidentes, & qui hoc mundo vtuntur, quasi non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Petrus etiam, cui oues suas dominus pascendas tuendasque commẽdat, super quem posuit & fundauit ecclesiam, aurum quidem sibi esse & argentum negat, sed se dicit gratia diuitem esse, fide eius & virtute locupletem, quibus multa magnalia cũ miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriæ bonis spiritalibus abũdaret. Has opes, istas diuitias possidere non potest, qui se diuitem seculo magis vult esse quàm Christo. Locupletem te esse dicis & diuitem, & vtendum putas iis quæ possidere te Deus voluit: vtere, sed ad res salutares: vtere, sed ad bonas artes: vtere ad illa quæ Deus præcepit, quæ dominus ostendit. Diuitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonia tua Deo fœnera, Christum ciba, vt virginitatis præferre gloriam liceat, vt ad domini præmia venire cõtingat, multorum precibus exora. Commenda illic thesauros tuos, vbi nullus fur effodiat, quo nullus insidians grassator irrumpat. Possessiones tibi, sed cælestes magis compara, vbi fructus tuos iuges ac perennes & ab omni contactu iniuriæ secularis immunes, nec rubigo atterat,

Ioan.6.

1.Ioan.8.

1.Timo.2.

2.Pet.3.

1.Cor.6.

Sapien.5.

2.Corin.7.

Act.3.

go adterat, nec grando cædat, nec sol vrat, nec pluuia corrumpat. Nam delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem homini Deus dedit, & tamen non sunt idcirco amatoria cantanda nec turpia: & ferrum esse ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda: aut quia thura & merum & ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis: vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hostias immolare debebis. Alioqui tentatio est patrimonium grande, nisi ad vsus bonos census operetur, vt patrimonio suo vnusquisque locupletior magis redimere debeat quàm augere delicta. Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè precioſior cultus est, quàm quarum pudor vilis est Sic in scripturis sanctis, quibus nos instrui dominus voluit & moneri, describitur ciuitas meretrix, compta pulchrius & ornata, & cum ornamentis suis ac propter ipsa potius ornamenta, peritura. *Et venit*, inquit, *vnus ex septem angelis habentibus phiala septem, & adgressus est me, dicens, Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ. Et duxit me in spiritu: & vidi mulierem sedentem super bestiam, & mulier illa amictaerat pallio purpureo & coccineo, & adornata erat auro, & margaritis, & lapidibus preciosis, & ferens poculum aureum in manu sua plenum execrationis & immundicitiæ, & fornicationis totius terræ.* Apocal.17. Fugiant castæ virgines, & mulieres pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu sancto plenus Esaias, & filias Sion auro & veste corruptas increpat, & obiurgat pernicioſis opibus adfluẽtes, & à domino per seculi delicias recedentes: *Exaltatæ sunt*, ait, *filiæ Sion, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes: & humiliabit dominus principales filias Sion, & reuelabit dominus habitum earum, & auferet dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & lunulas, & discriminalia, & dextralia, & armillas, & botronatum, & specula, & annulos, & inaureis, & serica contexta cum auro & iacyntho. Et erit pro odore suauitatis puluis, & pro cingulo reste cingeris, & pro ornamento capitis aureo caluitium habebis.* Esaiæ.3. Hoc Deus culpat & denotat, hinc corruptas esse virgines, hinc à cultu vero atque diuino desciuisse pronunciat. Exaltatæ ceciderunt: comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt: serico & purpura indutæ, Christum induere non possunt, auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat & adsumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potauit: si accepto cibo qui acceperat interiret, scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde nec biberes, vnde interisse alios antè conspiceres: nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle quod & nocuerit semper & noceat? & putare quod inde ipsa nõ pereas, vnde alios periisse cognoscas? Neque enim Deus purpureas aut coccineas oues fecit, aut herbarum succis & conchyliis tingere & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis, & margaritis contexta serie, & numerosa compage digestis, monilia instituit, quibus ceruicem quam fecit absconderet, vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conspiciatur desuper id quod diabolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali secularis ignara crucietur? vt postea de aurium cicatricibus & cauernis preciosa grana dependeant grauia, & si non suo pondere, mercium quantitate? Quæ om-

nia peccatores & apoſtatæ angeli ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cæleſti vigore receſſerunt. Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptelæ ſuæ impugnatione docuerunt. Et quidem iſto in loco pro timore, quem nobis fides ſuggerit, pro dilectione quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, ſed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei & factura eius & plaſma adulterari nullo modo debeat, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet
Gene.2. denique lineamenta natiua corrumpente medicamine. Dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & audet quiſquam mutare & conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, neſcientes quia opus Dei eſt, omne quod naſcitur: diaboli, quodcunque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicuius & ſpeciem & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſſet, & ſignato iam conſummatoque ſimulachro, manus alius adferret, vt iam formata, iam picta quaſi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria & iuſta indignatio videretur. tu te exiſtimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam? Vt enim impudica circa homines & inceſta fucis lenocinantibus non ſis, corruptis violatiſque quæ Dei ſunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio eſt veritatis. Mo-
1. Corin.5. nentis apoſtoli vox eſt, *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Nam & paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque feſta celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Num ſinceritas perſeuerat & veritas, quando quæ ſincera ſunt, polluuntur colorum adulteriis, medicaminum fucis, in mendacium
Matth.5. vera mutantur? Dominus tuus dicit, *Non potes facere capillum vnum album aut nigrum*, & tu ad vincendam domini tui vocem, vis te eſſe potiorem? Audaci conatu & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos iam tibi flammeos auſpicaris, & peccas pro nefas, in capi-
Apocaly.1. te, id eſt, corporis parte meliore: & cum ſcriptum ſit de domino, *Caput autem eius & capilli erant albi velut lana aut nix*, tu execraris canitiem, deteſtaris alborem, qui ſit ad domini caput ſimilis? Non metuis oro quæ talis es, ne cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat? ad ſua præmia & promiſſa venientem remoueat & excludat? increpans vigore cenſoris & iudicis dicat, Opus hoc meum non eſt, nec imago hæc noſtra eſt? cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arſura. Hæc oro non cogitanda ſunt Dei ſeruis? non die ſemper ac nocte metuenda? viderint quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de coniugum ſolatio blandiantur, quos dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatem criminoſæ conſenſionis adſciſcunt. Virgines certe quibus iſte ſermo nunc conſulit, quæ ſe eiuſmodi artibus compſerint, inter virgines non putem debere numerari, ſed tanquam contactas oues & morbidas pecudes à ſancto & puro grege virginitatis arceri, ne contagio ſuo ceteras polluant, dum ſimul degunt, ne perdant alias, quæcunque perierunt. Et quoniam continentiæ bonum quærimus, pernicioſa quæque & infeſta vitemus. Nec illa prætereo, quæ dum per negligentiã in vſum veniunt, cõtra pudicos & ſobrios mores licen-

tiam

tiam ſibi de vſurpatione fecerunt. Quaſdam non pudet nubẽtibus intereſſe, & inter illam laſciuientium libertatem ſermonum colloquia inceſta miſcere: audire quod non decet, quod nõ licet dicere, obſeruare, & eſſe præſentes inter verba turpia & temulenta conuiuia, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi in nuptiis locus eſt, cui animus ad nuptias non eſt? Aut voluntaria illic & læta eſſe quæ poſſunt, vbi & ſtudia & vota diuerſa ſunt? Quid illic diſcitur, quid videtur? Tantum à propoſito ſuo virgo deficit, quanto pudica quæ venerat, impudicior diſcedit. Corpore licet virgo ac mente permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa quod habebat. Quid vero quæ promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis pudori ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ cum viros atque à viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipſe illecebram vitiis præſtant? nonne ad corruptelã & iniuriam ſuam deſideria præſentium ſollicitant & inuitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat, mihi tantum reficiendi corpuſculi cura eſt & lauãdi. Non te purgat iſta defenſio, nec laſciuiæ & petulantiæ crimen excuſat. Sordidat lauatio iſta, non abluit, nec emundat membra, ſed maculat. Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa cõſpiceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris. Spectaculum de lauachro facis: theatra ſunt fœdiora quo conuenis, verecũdia illic omnis exuitur, ſimul cum amictu veſtis, honor corporis ac pudor ponitur, denotanda & contrectanda virginitas reuelatur. Iam nunc conſidera, an cum veſtita eſt, verecunda ſit inter viros talis, quæ ad inuerecũdiã proficit audacia nuditatis. Sic ergo frequenter eccleſia virgines ſuas plangit, ſic ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit, ſic flos virginum extinguitur, honor continentiæ ac pudor ponitur, gloria omnis ac dignitas profanatur, ſic ſe expugnator inimicus per artes ſuas inſerit: ſic inſidiis per occulta fallẽtibus diabolus obrepit: ſic dum ornari cultius, dum liberius euagari virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, nõ mariti, ſed Chriſti adulteræ: quàm fuerant præmiis ingentibus virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſſa virginitate ſenſuræ. Audite me itaq; virgines vt parentẽ, audite quæſo vos docentem pariter ac monentem, audite vtilitatibus & commodis veſtris fideliter conſulentem: eſtote tales quales vos Deus artifex fecit: eſtote tales quales vos manus patris inſtituit: maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma ſincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includãtur de armillis & monilibus, colla cathena precioſa: ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni. Celebrentur lauachra cum fœminis, quarum in vos pudica lauatio eſt. Nuptiarum feſta improba & conuiuia laſciua vitentur, quorũ periculoſa cõtagio eſt. Vince veſtem, quæ virgo es: vince aurum, quæ carnem vincis & ſeculum. Non eſt eiuſdem, non poſſe à maioribus vinci, & imparem minoribus inueniri. Arcta & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam: durus & arduus limes, qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt virgines, iuſti quique gradiuntur. Lata & ſpacioſa itinera vitæ lethalis: illic illecebræ & mortiferæ voluptates, illic diabolus blanditur, vt fallat: arridet, vt noceat: illicit, vt occidat. Primus enim centenus martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius veſter eſt. Vt apud martyres non eſt carnis & ſeculi cogitatio, nec parua & leuis & delicata congreſsio: ſic & in vobis, quarum ad gratiam merces ſecunda eſt, ſit & virtus ad tolerantiam proxima. Non eſt ad magna facilis aſcenſus. Quem ſudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur aſcendere colles & vertices montium? quid vt aſcendamus ad cælum? Si præmium pollicitationis attendas, minus eſt quod laboras. Immorta-

litas perſeuerãti datur,perpetua vita promittitur,regnũ dominus pollicetur. Seruate virgines,ſeruate quod eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Vultis
Gen.3. ſcire quo malo careat,& quid boni teneat continentiæ virtus? *Multiplicabo*, inquit mulieri Deus, *triſtitias tuas, & gemitus tuos, & in triſtitia paries filios: & conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur.* Vos ab hac ſententia liberæ eſtis,vos mulierum triſtitias & gemitus non timetis:nullus vobis de partu circa filios metus, nec maritus eſt dominus. dominus veſter & caput Chriſtus eſt,ad inſtar & vicem maſculi, ſors vobis & conditio communis eſt. Do-
Lucæ 20. mini vox eſt illa,dicentis, *Filij ſeculi huius generant & generantur. Qui autem habuerint dignationem ſeculi illius & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt: neque enim incipiunt mori: æquales enim ſunt angelis Dei, cum ſint filij reſurrectionis.* Quod futuri ſumus,iam vos eſſe cœpiſtis : vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo iam tenetis:per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis. Cum caſtæ perſeueratis & virgines,angelis dei eſtis æquales, tantum maneat & duret ſolida & illæſa virginitas, & vt cœpit fortiter, iugiter perſeueret. Nec monilium aut veſtium quærat ornamẽta,ſed morum. Deum ſpectet & cælum,neq; oculos ad ſublime porrectos ad carnis & mundi concupiſcentiam deprimat, & ad terrena deponat. Prima ſententia creſcere & generare præcepit, ſecunda ad continentiam ſuaſit. Cum adhuc rudis mundus & inanis eſt, copia fœcunditatis generantes propagamur,& creſcimus ad humani generis augmentum:cum iam refertus eſt orbis,& mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viuentes, caſtrãtur ad regnum. Nec hoc iubet dominus,ſed hortatur:nec iugum neceſsitatis imponit,quando maneat volũtatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud patrem ſuum dicat,melioris habitaculi hoſpitia demonſtrant:habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes, maioris gratiæ præmium in cæleſtibus obtinetis. Omnes quidem qui ad diuinum munus & patrimonium baptiſmi ſanctificatione perueniunt, hominem illic veterem gratia lauachri ſalutaris exponũt, & innouati ſpiritu ſancto à ſordibus contagionis antiquę, iterata natiuitate purgantur. Sed natiuitatis iteratæ vobis maior ſanctitas & veritas competit,quibus deſideria iam carnis & corporis nulla ſunt. Sola in vobis quæ ſunt virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt. Apoſtoli vox eſt,quem dominus vas electionis ſuæ dixit,quem ad promenda mandata cæ-
1.Cor.15. leſtia Deus miſit, *Primus homo*, inquit, *de terræ limo: ſecundus de cælo. Qualis ille è limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius qui de cælo eſt.* Hanc imaginem virginitas portat,portat integritas,ſanctitas portat,& veritas. Portãt diſciplinæ Dei memores,iuſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace vnanimes atque concordes. Quæ vos ſingula ô bonæ virgines, obſeruare, diligere, implere debetis, quæ Deo & Chriſto vacantes ad dominum cui vos dicaſtis,& maiore & meliore parte præceditis. Prouectæ annis, iunioribus facite magiſterium, minores natu præbete comparibus incitamentum, hortamentis vos mutuis excitate, ęmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate. Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, peruenite feliciter : tantum mementote tunc noſtri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.

CYP-

CAECILII CYPRIANI,

DE LAPSIS.

ARGVMEN. Disserit de lapsis & iis qui fidem prodiderant, docens Deum familiam suam hoc examine probare voluisse, quia traditam diuinitus disciplinam pax longa corruperat. Deinde multa de corpore Christi miracula enarrans, ad pœnitentiam hortatur.

PAX ecce dilectissimi fratres, ecclesiæ reddita est, & quod difficile nuper incredulis ac perfidis imposibile videbatur, ope atque vltione diuina securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ ac nube discussa, tranquillitas ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia eius ac munera cum gratiarum actione celebrãda, quanuis agere gratias nostra vox nec in persecutione cessauerit. Neque enim tantum inimico licere potest, vt non qui dominum corde toto, & anima, & virtute diligimus, benedictiones eius & laudes semper & vbique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem tetramque caliginem, domini luce radiatus mundus eluxit. Confessores præconio boni nominis claros, & virtutis ac fidei laudibus glorioſos, lętis conspectibus intuemur, sanctis oculis adhęrentes, desideratos diu inexplicabili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis vrgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis: repugnastis fortiter seculo, spectaculum glorioſum præbuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. Religioſa vox Christum locuta est, in quem se semel credidisse confessa est. Illustres manus quæ non nisi diuinis operibus assueuerant, sacrificiis sacrilegis restiterunt. Sanctificata ora cælestibus cibis, post corpus & sanguinem domini, profana contagia & idolorum reliquias respuerunt. Ab impio sceleratoq; velamine, quo illic velabantur sacrificãtium capita captiua, caput vestrum liberũ mansit. Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre nõ potuit, coronæ se domini reseruauit. Quàm vos lætos in sinum suum excipit mater ecclesia de prælio reuertentes. Quàm beata, quàm gaudens portas suas aperit, vt adunatis agminibus intretis, de hoste prostrato trophæa referentes. Cum triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum seculo sexum quoque vicerunt. veniunt & geminata militiæ suæ gloria uirgines, & pueri annos suos virtutibus transeuntes. Necnon & cetera stantium multitudo vestram gloriam sequitur, proximis & penè coniunctis laudis insignibus vestigia vestra comitatur. Eadem & in illis sinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. Incõcussis præceptorum cælestium radicibus nixos, & euangelicis traditionibus roboratos, non præscripta exilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna, & corporis supplicia terruerunt. Explorandæ fidei præfiniebantur dies: sed qui seculo renunciasse se meminit, nullum seculi diem nouit: nec tem-

pora terrena iam computat, qui æternitatem de Deo sperat. Nemo fratres nemo hanc gloriam mutilet, nemo incorruptã stantium firmitatem maligna obtrectatione debilitet, cum dies negantibus præstitutus excesit, quisque professus intra diem non est, Christianum se esse confessus est. Primus est victoriæ titulus, gentilium manibus adprehensum, dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractũ domino reseruari. Illa publica, hæc priuata confessio est. Ille iudicem seculi vincit, hic contentus Deo suo iudice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua iam maturus inuentus est: hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secesit, quia non erat negaturus: confitetur vtique si fuisset & ipse detentus. Has martyrum cælestes coronas, has confessorum glorias spiritales, has stantium fratrum maximas eximiasque virtutes mœstitia vna cõtristat, quod auulsam nostrorum viscerum partem violentus inimicus populationis suæ strage deiecit. Quid hoc loco faciã dilectissimi fratres, fluctuans vario mentis æstu? Quid aut quomodo dicam? Lachrimis magis quàm verbis opus est ad exprimendum dolorem, quo corporis nostri plaga deflenda est, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda iactura est. Quis enim sic durus aut ferreus, quis sic fraternæ charitatis oblitus, qui inter suorũ multiformes ruinas, & lugubres, ac multo squalore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere præualeat? nec erumpente statim fletu prius gemitus suos lachrimis quàm voce depromat? Doleo fratres, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & sanitas priuata blanditur, quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneretur. Cum singulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis grassantis inimici mea simul membra percussa sunt, sæuientes gladij per mea viscera transierunt. Immunis & liber à persecutionis incursu fuisse non potest animus. In prostratis fratribus, & me prostrauit affectus. Habenda tamen est, fratres dilectissimi, ratio veritatis, nec sic mentẽ debet & sensum persecutionis infestæ tenebrosa caligo cæcasse, vt nihil remãserit lucis & luminis, vnde diuina prȩcepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, & medela vulneris inuenitur, Deus probare familiam suam voluit. Et quia traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & pene dixerim dormientem censura cælestis erexit: cúmque nos pro peccatis nostris amplius mereremur, clementissimus dominus sic cũcta moderatus est, vt hoc omne quod gestum est, exploratio potius, quàm persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub apostolis ante fecissent, aut postmodum facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mẽdacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circũueniendis fratribus subdolæ voluptates. Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, prostituere cum gentilibus membra Christi. Non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare. Præpositos superbo tumore cõtemnere, venenato sibi ore maledicere. Odiis pertinacibus inuicẽ disidere. Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet ceteris & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes negociationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter,

velle

velle, fundos infidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mereremur? cum iam pridem præmonuerit ac dixerit censura diuina, *Si dereliquerint legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum.* Prænunciata sunt ista nobis & ante prędicta: sed nos datæ legis & obseruationis immemores, id egimus per nostra peccata, vt dum domini mandata contemnimus, ad correptionem delicti, & probationem fidei remediis seuerioribus veniremus. Nec saltem sero cõuersi ad domini timorem sumus, vt hanc correptionem nostram, probationemque diuinam patienter & fortiter subiremus. Ad prima statim verba minantis inimici, maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec postratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse postrauit. Quid oro inauditum, qũid nouum venerat, vt velut incognitis, atque inopinatis rebus exortis Christi sacramentum temeritate præcipiti solueretur? Nonne hæc & prophetæ ante, & apostoli postmodum nunciauerunt? Nonne iustorum pressuras, & gentilium semper iniurias pleni Spiritu sancto prædicauerunt? Nonne fidem nostram semper armans, & dei seruos cælesti voce corroborans, dicit scriptura diuina, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies?* Nonne iram diuinæ indignationis ostendens, & pœnæ metum præmonens denuo dicit, *Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis?* Et iterum Deus loquitur dicens, *Sacrificans diis, eradicabitur, nisi deo soli.* In euangelio quoque postmodum Dominus in verbis doctor, & consummator in factis, docens quid fieret, & faciens quodcunque docuisset, quicquid nunc geritur & geretur, nonne ante præmonuit? Nonne & negantibus æterna supplicia, & salutaria confitentibus præmia ante constituit? Exciderunt quibusdam, pro nefas, omnia, & de memoria recesserunt. Non expectauerunt saltem, vt ascenderent apprehensi, vt interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, vt sacrificare idolis viderentur inuiti: vltro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam libenter optassent. Quot illic à magistratibus vespera vrgente dilati sunt? quot ne eorum differretur interitus, rogauerunt? quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cum vim magis ipse fecerit vt periret? Nonne quando ad Capitolium sponte ventum est, quando vltro ad obsequiũ diri facinoris accessum est, labauit gressus, caligauit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Non sensus obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? Stare illic potuit dei seruus, & loqui & renunciare Christo, qui iam diabolo renunciarat & seculo? Non ara illa, quo moriturus accesit, rogus illi fuit? Num altare, quod fœtore tetro fumare ac redolere conspexerat, velut funus & bustum vitæ suæ horrere ac fugere debebat? Quid hostiam tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? Ipse ad aras hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, spem tuam. Fidem tuam funestis illis ignibus concremasti. Ac multis proprius interitus satis non fuit: hortamentis mutuis in exitium populus impulsus est, mors inuicem lethali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi vel attracti. Amiserunt paruuli, quod in primo statim natiuitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi cum iudicij dies venerit, dicent, Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Dei ad profana contagia sponte properauimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas: illi nobis ecclesiam matrem, illi patrem deum negauerunt, vt dum parui & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad consortium

Psal. 87.

Deut. 6.

Esa 2.

Exod. 22.

criminum iungimur, aliena fraude caperemur. nec est, pro dolor, iusta aliqua & grauis causa, quę tantum facinus excuset. Relinquēda erat patria, & patrimonij faciēda iactura. cui enim nascenti atq; morienti nō relinquēda quandoque patria, & patrimonij sui faciēda iactura est? Christus nō relinquatur, salutis ac sedis æternæ iactura timeatur. Clamat ecce per prophetā Spiritus sanctus, *Discedite, discedite, exite inde, & immūdū nolite tangere: exite de medio eius, separamini qui fertis vasa domini*: & qui sunt vasa domini ac templum dei, ne immundum tangere, & feralibus cibis pollui violariq́ue cogantur, non exeunt de medio nec recedunt? Alibi quoq; vox auditur è cęlo pręmonens quid dei seruos facere cōueniat, dicens, *Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorum eius, & ne perstringaris plagis eius.* Qui exit & cedit, delicti particeps non fit. plagis vero & ipse perstringitur, qui socius criminis inuenitur. Et ideo dominus in persecutione secedere & fugere mandauit, atque vt id fieret, & docuit & fecit. Nam cum corona de dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi, quisque in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat, Qui autem cum non secederet cecidit, negaturus remansit. Dissimulanda fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. Decepit multos patrimonij sui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suę velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ cathenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, vt serpenti terram secundum dei sententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus inhærerent. Et idcirco Dominus bonorum magister, & præmonens in futurum, *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Si hoc diuites facerent, per diuitias non perirent, thesaurū in cælo reponentes, hostem nunc & expugnatorem domesticum non haberent: esset in cælo cor, & animus & sensus, si thesaurus esset in cælo: nec vinci à seculo posset, qui vnde vinceretur in seculo non haberet: sequeretur dominum solutus & liber, vt apostoli & sub apostolis nonnulli sæpe fecerunt, qui & rebus suis & parentibus derelictis, indiuiduis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonij vinculo detinentur? Aut quomodo cęlum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Possidere se credunt, qui potius possidentur, census sui serui, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apostolus denotat, dicens, *Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & muscipulam, & desideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Dominus autem quibus nos præmiis ad contemptum rei familiaris inuitat? parua hæc & exigua huius temporis damna, quibus mercedibus pensat? *Nemo est*, inquit, *qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum dei, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo autem venturo vitam æternam.* Quibus cognitis, & de domini pollicentis veritate compertis, non tantum timēda non est eiusmodi, sed & optanda iactura, ipso denuo domino prædicante & monente, *Beati eritis cum persecuti vos fuerint, & separauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini vestro vt nequam, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis.* Sed tormenta postmodum venerant, & cruciatus graues reluctantibus imminebant. Queri de tormentis potest, qui per tormenta superatus est: & excusationem doloris obtendere, qui victus est in dolore. Potest rogare talis, & dicere, Certare quidem fortiter volui, & sacramenti mei memor ac fidei arma

Esa. 52.

Apocaly. 18.

Matth. 19.

1. Timo. 6.

Marc. 10.

Matth. 5.

sus-

ſuſcepi, ſed me in congreſsione pugnantem cruciamenta varia & ſupplicia longa vicerunt: ſtetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt: ſed cum duriſsimi iudicis recrudeſcẽte ſæuitia iam fatigatum, iam laſſum nunc flagella adhuc ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in cõluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt cito proficere ad veniam cauſa talis. poteſt eiuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis. Sic hic Caſto & AEmilio aliquando dominus ignouit: ſic in prima congreſsione deuictos, victores in ſecundo prælio reddidit, vt fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſsiſſent, & vnde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Deprecabantur illi non lachrimarum miſeratione, ſed vulnerum, nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lachrimis cruor, ſemiuſti lateris viſcera defluebant. Nunc vero quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? quas plagas hiantium viſcerum? quæ tormenta membrorum? vbi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſsionem perfidia præuenit? Nec excuſat oppreſſum neceſsitas criminis, vbi crimen eſt voluntatis. Nec hoc ideo dico, vt fratrum cauſas onerem, ſed vt magis fratres ad precem ſatisfactionis inſtigem. Nam cum ſcriptum ſit, *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant:* qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta illa, ſed nutrit. Atqui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit fratrem, promouet ad ſalutem. *Quos diligo*, inquit dominus, *redarguo & caſtigo.* Sic oportet dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſsibus viſcerum mortale virus incluſum, dum ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim, fratres dilectiſsimi, nouum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſæuierit, acceſsit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra euangelij vigorem, contra domini ac dei legem temeritate quorũdam laxatur incautis communicatio. Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis pœnitentiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitẽtia de pectoribus excluſa eſt, grauiſsimi extremíque delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſsimulato dolore contegitur. A diaboli aris reuertentes, ad ſanctum domini ſordidis & infectis nidore manibus aſcendunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè eructãtes, exhalantibus etiam nunc ſceleris ſuum faucibus & cõtagia funeſta redolentibus, domini corpus inuadunt, quando occurrat ſcriptura diuina, & clamet & dicat, *Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne ſacrificij ſalutaris, quod eſt domini, & immunditia eius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo:* Apoſtolus item teſtetur & dicat, *Non poteſtis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ domini communicare, & menſæ dæmoniorum:* idem contumacibus & peruicacibus comminetur & denunciet dicens, *Quicunque ederit panem, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini.* Spretis his omnibus atque contemptis, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis domini & minantis, vis infertur corpori eius & ſanguini: & plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quàm cum domi-

Apocal. 3.

Leuit. 17.

1. Corin. 10.

Ibidem 12.

num negauerunt: pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum: nec ecclesiæ iungitur, qui ab euangelio separatur. Quid iniuriam beneficium vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant? quid eis qui flere iugiter & rogare dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant? Hoc sunt eiusmodi lapsis, quod grãdo frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigiis sæua tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, à radice subuertunt, sermone morbido ad lethale contagium serpunt, nauem ad scopulos, ne in portum perueniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit: nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, vt lamentatio conquiescat, vt dolor sileat, vt delicti memoria vanescat, cõprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec dominum grauiter offensum lõga & plena pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit, *Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam.* Nemo se fallat, nemo decipiat. solus dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo deo esse non potest maior, nec remittere aut donare indulgentia sua seruus potest, quod in dominum delicto grauiore commissum est, ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum, *Maledictus homo qui spem habet in homine.* Dominus orandus est, dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne iudicium de patre solus accepit. Credimus quidem posse apud iudicem plurimum martyrum merita & opera iustorum, sed cum iudicij dies venerit, cum post occasum seculi huius & mundi ante tribunal Christi populus eius adstiterit. Ceterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum se cunctis dare putat posse, aut audet domini præcepta rescindere, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis. Prouocasse est iram, non seruasse sententiam, nec misericordiam prius dei deprecandam putare, sed contempto domino de sua facilitate præsumere. Sub ara Dei animæ occisorum martyrum clamant magna voce, dicentes, *Quousque domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris inhabitant?* & requiescere ac patientiam adhuc tenere iubentur: & quenquam posse aliquis existimat remittendis passim donandisque peccatis bonum fieri contra iudicem velle, aut prius quàm vindicetur, ipse alios posse defendere? Mandant aliquid martyres fieri, si iusta, si licita, si non contra ipsum dominum, à dei sacerdote facienda sunt, si obtemperantis facilis & prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid martyres fieri, sed si scripta non sunt in lege domini quæ mandant, ante est vt sciamus illos de deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. neque enim statim videri potest de diuina maiestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum. Nam & Moyses pro peccatis populi petit, nec tamen peccantibus veniam, cum petisset, accepit, *Precor*, ait, domine, *deliquit populus hic delictum grande & fecerunt sibi deos aureos: & nunc si dimittis eis, delictum dimitte: sin autem, dele me de libro quem scripsisti. Et dixit Dominus ad Moysen, Si quis deliquit ante me, deleam eum de libro meo.* Ille amicus dei, ille facie ad faciem locutus sæpe cum domino, quod petiit impetrare non potuit, nec dei indignantis offensam sua deprecatione placauit. Hieremiam Deus laudat & prædicat, dicens, *Prius quàm te formarem in vtero, noui te, & prius quàm exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus posui te:* & eidem pro peccatis populi deprecanti frequentius & oranti, *Noli*, ait, *orare pro populo hoc, & noli postulare pro eis in prece & oratione,*

Apocal.2.

Hiere.17.

Apoc.6.

Exod.32.

Hiere.1.

Ibidem.7.

quia

quia non exaudiam in tempore in quo inuocabunt me, in tempore afflictionis suæ. Quid vero iustius Noe, qui cum repleta esset terra peccatis, solus inuentus est iustus in terris? Quid glorioſius Daniele? quid ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? in dei dignatione felicius? qui toties, & cum confligeretur vicit, & cum vinceret superuixit? Quid Iob in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submisſius, in fide verius? Nec his tamen si rogarent, concessurum se Deus dixit. Cum propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur, *Terra*, inquit, *quæcunque peccauerit mihi vt delinquat delictum, extendam manum meam super eam, & obteram ſtabilimentum panis, & immittam in eam famem, & auferam ab ea hominem & pecora. Etſi fuerint tres viri ij in medio eius, Noe, & Daniel, & Iob, non liberabunt filios neque filias, ipſi ſoli ſalui erunt.* Adeò non omne quod petitur in prę iudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt: nec quicquã ſibi vſurpat & vindicat humana ſentẽtia, niſi annuat & cenſura diuina. In euangelio dominus loquitur, dicens, *Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui in cælis eſt: qui autem me negauerit, & ego negabo eum.* Si ſe negantem non negat, nec confitentem cõfitetur: non poteſt euangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut vtrunque oportet vt valeat, aut vtrunque vim veritatis amittat. Si negãtes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipiunt. Porrò ſi fides quæ vicerit, coronatur, neceſſe eſt, & victa perfidia puniatur. Ita martyres, aut nihil poſſunt, ſi euangelium ſolui poteſt: aut ſi euangelium non poteſt ſolui, contra euangelium facere non poſſunt, qui de euangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectiſsimi, nemo infamet martyrum dignitatem, nemo eorum glorias deſtruat, & coronas. Manet incorruptę fidei robur incolume, nec dicere aliquid aut facere cõtra Chriſtum poteſt, cuius & ſpes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Chriſto eſt. Vt ab epiſcopis contra mandatum dei fiat, auctores eſſe non poſſunt, qui ipſi dei mandata fecerunt. An quiſquam maior deo, aut diuina bonitate clementior, qui aut infectum velit, quod paſſus eſt Deus fieri, aut quaſi illi minus poteſtatis ad protegendam eccleſiam ſuam fuerit, auxilio nos ſuo putet poſſe ſeruari? niſi ſi hæc ignaro deo geſta ſunt, aut non permittente illo omnia iſta venerunt? doceat indociles, & admoneat immemores ſcriptura diuina, quæ loquitur, dicens, *Quis dedit in direptionem Iacob & Iſrael eis qui prædabantur illum? nonne Deus cui peccauerunt, & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius? Et ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ.* Et alibi teſtatur ac dicit, *Nunquid non valet manus domini vt ſaluos faciat? aut grauauit aurem vt non exaudiat? ſed peccata veſtra inter vos & deum ſeparant, & propter delicta veſtra auertit faciem ſuam à vobis, ne miſereatur.* Delicta potius noſtra reputemus, actus noſtros & animi ſecreta voluentes, conſcientiæ merita ponderemus. Redeat in cor noſtrum, non ambulaſſe nos in viis domini, & abieciſſe legem dei, præcepta eius & monita ſalutaria nunquã ſeruare voluiſſe, quid de eo boni ſentias? Quem timorẽ fuiſſe apud eum, quam fidem credas, quem corrigere nec metus potuit, quem perſecutio ipſa nõ reformauit? Alta & erecta ceruix, nec quia cecidit inflexa eſt. Tumẽs animus & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt. Iacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non ſtatim domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Atque ô tuam nimiam furioſe dementiam: iraſceris ei, qui abs te auertere iram dei nititur: ei minaris qui pro te domini miſericordiam deprecatur: qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis: qui pro te lachrimas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Oneras adhuc nen & cumulas: & cum ſis ipſe implacabilis ad antiſtites & ſacerdotes dei, putas circa te Dominum poſſe placari? Accipe potius & admitte quæ loquimur. Quid ſurdæ aures ſa-

Gene. 6.
Dan. 3.
Iob. 1.
Ezech. 14.
Marci. 8. Lucæ 12. Matth. 10.
Eſaiæ. 42.
Ibid. 59.

lutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi, pœnitentiæ iter non vident, quod oſtendimus? Quid perculſa & alienata mens, remedia vitalia nō percipit, quæ de ſcripturis cæleſtibus & diſcimus & docemus? Aut ſi incredulis quibuſdam minor fides eſt futurorum, vel præſentibus terreatur. Ecce eorum qui negauerunt quę ſupplicia con[illegible]icimus, quos eorum triſtes exitus flemus? Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt, quāuis necdum pœnę dies venerit. Plectuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormēta paucorum. Vnus ex his qui ſponte Capitolium negaturus aſcēdit, poſtquā Chriſtū negauit, obmutuit. Pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen, vt nec rogare iam poſſet, qui verba ad precum miſericordiā non haberet. Alia in balneis conſtituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, vt & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiā perdidiſſet) illic ab immundo ſpiritu immunda correpta, laniauit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumptus eſt, in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſt modum potuit, doloribus ventris & viſcerum cruciata, defecit. Præſente ac teſte me ipſo accipite quid euenerit. Parentes forte fugiētes, dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magiſtratus. Illic ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater: ſed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptū eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda iactari, velut tortore cogēte: quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi vero ſolennibus adimpletis, calicem diaconus offerre pręſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinę maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atq; ore violato Euchariſtia permanere nō potuit. Sāctificatus in domini ſanguinē potus, de polutis viſceribus erupit: tāta eſt [illegible]itas domini, tanta maieſtas. Secreta tenebrarū ſub eius luce detecta ſunt, ſacerdotē dei nec occulta crimina fefellerūt. Hoc circa infantē, quę ad loquendū alienū circa ſe crimē necdū habuit ętatē. At vero ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus conſtituta, ſacrificātibus latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quędam venena lethalia intra fauces & pectus admittens, angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. Et cum quædam arcam ſuam, in qua domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgēte deterrita eſt, ne auderet adtingere. Et cum alius qui & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum ceteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum dei edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit, documento vnius oſtenſum eſt, dominum recedere, cum negatur: nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutetur. Quàm multi quotidie im[illegible]is ſpiritibus adimplentur, quàm multi vſq; ad inſaniam mentis excordes c[illegible]mentiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delic[illegible]rum

pœna

pœna sit varia, quàm delinquentium multitudo numerosa. Vnusquisq; consideret, non quàm facilius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec euasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cum timere plus debeat, quem sibi dei iudicis censura seruauit: nec sibi quo minus agant pœnitenti, blandiantur, qui & si nefandis sacrificiis manus non contaminauerunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani quod fuerat abnuentis: fecisse se dixit quicquid alius faciēdo commisit. Cumque scriptum sit, *Non potestis duobus dominis seruire*, seruiuit seculari domino, obtemperauit eius edicto. Magis obaudiuit humano imperio, quàm deo. Viderit an minore vel dedecore, vel crimine apud homines publicauerit quod admisit. Deum tamen iudicem subterfugere & vitare non poterit, cum dicat Spiritus sanctus in psalmis quod est, *Imperfectum meū viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Et iterum, *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Ipse quoque dominus præmoneat & præstruat, dicens, *Et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis.* Perspicit ille abdita, & secreta atque occulta considerat. Nec dei oculos potest aliquis euadere, dicentis, *Ego Deus adproximans, & non Deus de longinquo. si absconditus fuerit homo in abditis, ego ergo non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo?* Videt ille corda & pectora singulorum, & iudicaturus non tantum de factis, sed & de verbis & de cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatésq; conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique qui & fide maiore & timore meliore sunt, qui quanuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pōdus exponunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, *Deus non deridetur.* Derideri & circunueniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus immò delinquit, qui secundum hominem deum cogitans, euadere se pœnā crimen credit, si non palam crimen admisit. Christus in præceptis suis dicit, *Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis.* Et Christianum se putat, qui Christianus esse aut confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cū Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut reformidat? Minus plane peccauerit nō videndo idola, nec sub oculis circunstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit, vt sit minor culpa, non vt innocens conscientia. Facilius potest ad veniā criminis peruenire, non est tamen immunis à crimine. nec cesset in agenda pœnitentia atque in domini misericordia deprecāda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud dominum grata est. Cōuertamur ad dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat: illi mœstitia satisfaciat: illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse, *Reuertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simúlque & ieiunio, & fletu & planctu, & discindite corda vestra, & non vestimenta.* Ad dominum toto corde redeamus: iram & offensam eius, ieiuniis, fletibus, & plāctibus, sicut admonet ipse, placemus. Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiuniis, fletibus, plāctibus dominū deprecari, qui ex primo criminis die, lauachra cum fœminis cotidie celebrat, qui epulis adfluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie eructat, nec cibos suos & potus cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam

Matth. 6.

Psal. 138.

1. Reg. 16.

Hiere. 17.

Galat. 6.

deflet? Cumque ſcriptum ſit, *Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ*, barbam vel lit & faciem ſuam comit. Et placere nunc cuiquam ſtudet, quę deo diſplicet? An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum precioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti quod perdidit cogitare? accipere precioſa ornamenta, & monilia elaborata, nec diuini & cæleſtis ornatus damna deflere? Tu licet indumenta peregrina & veſtes ſericas induas, nuda es. Auro te licet & margaritis, gemmiſque condecores, ſine Chriſti decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine. Et quæ nigri pulueris ductu oculorũ lineamẽta depingis, vel nunc lachrimis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charũ mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia mœroris oſtenderes: animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritaliter mortua ſuperuiuere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel cõtinuatione lamentationis abſcondis? Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce
Dan. 3. maiora delicta, peccaſſe, nec ſatisfacer deliquiſſe, nec delicta deflere. Ananias, Azarias, Miſael illuſtres ac nobiles pueri, quo minus exomologeſin deo facerent, nec inter flammas & camini exęſtuantis incendia quieuerunt. Bene ſibi licet conſcij, & dominum fidei ac timoris obſequio ſæpe promeriti, humilitatem tamen tenere, & domino ſatisfacere, nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſtiterunt. Loquitur ſcriptura diuina, *Stans* inquit, *Azarias precatus eſt, & aperuit os ſuum, & exomologeſin faciebat deo ſimul cum ſodalibus ſuis in medio ignis.* Daniel quoque poſt fidei atque innocentiæ ſuæ multiplicem gratiam, poſt dignationem domini circa virtutes ac laudes ſuas ſępe repetitam, ieiuniis adhuc promereri deum nititur, in ſacco & in cinere voluIbidem 9. tatur: exomologeſin faciens dolenter & dicens, *Domine Deus magnus & fortis, & metuendus, qui ſeruas teſtamẽtum & miſerationes eis qui te diligunt & conſeruant imperia tua, peccauimus, facinus admiſimus, impij fuimus, tranſgreſſi ſumus, ac deſeruimus præcepta tua, et iudicia tua: non audiuimus verba puerorum tuorum prophetarum, quæ locuti ſunt in nomine tuo ſuper reges noſtros & omnes gentes, & ſuper omnem terram. Tibi domine gloria, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio.* Hæc mites, hæc ſimplices, hęc innocentes in promerenda dei maieſtate fecerunt: & nũc ſatisfacere, & dominum deprecari detrectant, qui dominum negauerunt? Quæſo vos fratres, ac quieſcite ſalubribus remediis, conſiliis obaudite melioribus, cum lachrimis noſtris veſtras lachrimas iungite, cum noſtro gemitu veſtros gemitus copulate. Rogamus vos, vt pro vobis deum rogare poſsimus, preces ipſas ad vos prius vertimus, quibus deum pro vobis vt miſereatur, oramus. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœſtiam: nec vos quorundam moueat aut error improuidus, aut ſtupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percuſsi ſunt animi cęcitate, vt nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis dei maior hæc plaga eſt, ſicut
Eſa. 6. ſcriptum eſt, *Et dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis.* & iterum, *Dilectum veri-*
2. Theſſal. 2. *tatis non receperunt, vt ſalui fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placeant in iniuſtitia.* Iniuſte ſibi placentes, & tranſpũctæ mentis alienatione dementes, dei pręcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitẽtiam nolunt. Ante admiſſum facinus improuidi, poſt facinus obſtinati: nec prius ſtabiles, nec poſtmodum ſupplices: quando debuerant ſtare iacuerunt, quando iacere & proſternere ſe deo debent, ſtare ſe opinantur. Pacem ſibi vltro nemine dante ſumpſerunt, falſa pollicitatione ſeducti, & apoſtatis ac perfidis iuncti, errorem pro veritate ſuſcipiunt. Communicationem non cõmunicantium ratam ducunt, hominibus contra Deum credunt, qui contra

homines

homines deo non crediderunt. Eiusmodi homines quantũ potestis effugite, pernicioſis contactibus adhęrentes, ſalubri cautione vitate. Sermo eorum ſicut cancer ſerpit, colloquium velut contagium tranſilit, noxia & venenata perſuaſio perſecutione ipſa peius interficit: illic ſupereſt ſola pœnitẽtia, quæ ſatisfaciat. Qui autem pœnitẽtiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam cludunt. Ita fit, vt dum temeritate quorũdam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur. Eos vero fratres, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruina licet animus conſtitutus mali ſui memor eſt, pœnitẽtes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, grauiſsimum cõſcientiæ crimen agnoſcite, ad intelligentiam delicti veſtri oculos cordis aperite, nec deſperantes miſericordiam domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantũ iudicis maieſtate metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: pœnitenti crimine minor non ſit. Putáne tu dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cuius templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrimoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum iam velle veſtitum: poſt diaboli cibum, malle ieiunium: iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberantur: quod aduerſarius auferebat, Chriſtus accipiat: nec teneri iam nec amari patrimonium debet, quo quis & deceptus & victus eſt. Pro hoſte vitãda res, pro latrone fugiẽda, pro gladio metuenda poſſidentibus & veneno. Ad hoc tantum profuerit quod remanſit, vt inde crimen & culpa redimatur. Incunctanter & largiter fiat operatio: cenſus omnis in medelam vulneris erogetur, operibus & facultatibus noſtris qui de nobis iudicaturus eſt, dominus fœneretur. Sic ſub apoſtolis fides viguit, ſic primus credentium populus Chriſti mandata ſeruauit: prompti erant, largi erant, diſtribuendum per apoſtolos totum dabant, & non talia delicta redimebant. Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentię lamentationibus & lachrimis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui dominum iuſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt, qui & miſericordiam ſuam protulit, dicens, *Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis, & ſcies vbi fueris.* Et iterum, *Nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum vt reuertatur & viuat.* Et Ioel propheta pietatem domini, domino ipſo monente, declarat, *Reuertimini,* inquit, *ad dominum deum veſtrum, quoniam miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat aduerſus malitiam inrogatam.* Poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere. Pœnitenti, operanti, rogãti, poteſt clementer ignoſcere: poteſt acceptum ferre, quicquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint ſacerdotes: vel ſi quis plus eum ſuis ſatisfactionibus mouerit, ſi eius iram, ſi indignantis offenſam iuſta deprecatione placauerit. Dat ille & arma rurſum, quibus virtº armetur: reparat & corroborat vires, quibus fides inſtaurata vegetetur. Repetet & certamen ſuum miles, iterabit aciem, prouocabit hoſtem, & quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui ſic deo ſatisfecerit, qui pœnitẽtiam facti ſui, qui pudorem delicti, plus & virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adiutus à domino, quam contriſtauerat nuper, lætam faciet eccleſiam, nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.

Ezech.33. Ioel.2.

ARGVMENT. Epistola presbyterorum & & diaconorum Romæ consistentium, ad beatum Cyprianum, de confessione, in qua illi gratias agunt, quod ipsos consiliorum suorum & laudis participes esse voluerit.

CYPRIANO PAPAE, PRESBYTERI ET DIACONI ROMAE CONSISTENtes, salutem. XV.

QVANQVAM bene sibi conscius animus, & euangelicæ disciplinæ vigore subnixus, & verus sibi in decretis cælestibus testis effectus, soleat solo deo iudice esse cõtentus, nec alterius aut laudes petere, aut accusationes pertimescere, tamen geminata sunt laude condigni, qui cum cõscientiam sciant deo soli debere se iudici, actus tamen suos desiderãt & ab ipsis suis fratribus cõprobari. Quod te frater Cypriane, facere non mirum est, qui pro tua verecundia & ingenita industria consiliorum tuorum nos non tam iudices voluisti, quàm participes inueniri, vt in tuis rebus gestis laudem tecum dum illas probamus, inueniremus, & tuorum consiliorum bonorum cohæredes, quia & adfirmatores esse possemus. Idem enim omnes crederemur operati, in quo deprehenderemur omnes eadem censuræ & disciplinæ consensione consociati. Quid enim magis, aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quàm debitam seueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negociorum tempestatibus disipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauem ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos: vt adpareat non aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus repellãtur, & disciplinę ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur. Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos aduersus improbos modo superuenerunt repentina subsidia, sed antiqua fides disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes apostolus protulisset dicẽdo, *Quia fides*
Roma.1. *vestra prædicatur in toto mundo*, nisi iam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum & gloriæ degenerem fuisse, maximum crimẽ est. Minus est enim dedecoris, nũquam ad præconium laudis accessisse, quã de fastigio laudis ruisse. Minus est criminis, bono testimonio honoratum non fuisse, quàm honorem bonorum testimoniorum perdidisse. Minus est, sine prędicatione virtutũ ignobilẽ sine laude iacuisse, quàm exhæredem fidei factum laudes proprias perdidisse: ea enim quæ in alicuius gloriam proferuntur, nisi anxio & sollicito labore seruẽtur, in inuidiam maximi criminis intumescunt. Hoc nos non falso dicere superiores nostræ literæ probauerunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus, & aduersus eos qui seipsos infideles inlicita nefariorum libellorũ professione prodiderãt, quasi hoc euasuri inretiẽtes illos diaboli laqueis viderentur, quo nõ minus quã si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod

ipsum

ipſum cõteſtati fuerãt,tenerẽtur, ſed etiam aduerſus illos qui accepta feciſſent,licet præſentes cum fierent non adfuiſſent,cũ præſentiam ſuam vtiq; vt ſic ſcriberentur mandando feciſſent. Non eſt enim immunis à ſcelere,qui vt fieret impetrauit:nec alienus à crimine,cuius cõſenſu,licet nõ à ſe admiſſum crimen,tamen publice legitur,& cum totum fidei ſacramentum in cõfeſsione Chriſti nominis intelligitur eſſe digeſtum,qui fallaces in excuſatione prę-ſtigias quæri negauit, & qui vult videri propoſitis aduerſus euangelium, vel edictis, vel legibus ſatisfeciſſe,hoc ipſo iam paruit quod videri paruiſſe voluit.Necnon etiam contra illos quoq; qui inlicitis ſacrificiis manus ſuas atq; ora polluerunt,pollutis ante mentibus propriis,vnde etiam ſunt ipſæ manus atq; ora polluta, fidem noſtram conſenſumq; monſtrauimus. Abſit enim ab eccleſia Romana, vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei maieſtate diſſoluere,vt cum adhuc non tantũ iaceant, ſed & cadant euerſorum fratrũ ruinæ,properata nimis remedia communicationum vtiq; non profutura prẽſtentur,& noua per miſericordiã falſam,vulnera veteribus tranſgreſsionis vulneribus imprimãtur, vt miſeris ad euerſionem maiorem eripiatur & pœnitentia. Vbi enim indulgentię poterit medicina proficere,ſi etiam ipſe medicus intercepta pœnitentia indulget periculis, ſi tãtummodo operit vulnus,nec ſinit neceſſaria tẽporis remedia conducere cicatricem?Hoc non eſt curare,ſed ſi dicere verum volumus,occidere. Quãquam confeſſorũ quoq;,quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuę confeſsionis incluſit, & ad certamen euangelicũ ſua fides in confeſsione iam glorioſa ſemel coronauit,literas habeas cõſpirantes cũ literis noſtris, quibus ſeueritatem euãgelicæ diſciplinę protulerunt,& inlicitas petitiones ab eccleſię pudore reuocarunt: niſi hoc feciſſent, diſciplinæ euangelicæ ruinas non facile ſarcirent,prẽſertim cũ nulli magis tam congruens eſſet,tenorẽ euangelici vigoris inlibatũ, dignitatemq; ſeruare,quàm qui ſe excruciãdos & excarnificã dos pro euangelio furentibus tradidiſſent,ne martyrij honorẽ merito perdidiſſent,ſi in occaſione martyrij præuaricatores euangelij eſſe voluiſſent.Nã qui quod habet,non cuſtodit ex quo illud poſsidet,dum id ex quo poſsidet, violat, amittit illud quod poſsidebat. In quo loco maximas tibi atq; vberes gratias referre debemus & reddimus,quòd illorum carceris tenebras literis tuis inluminaſti:quod ad illosveniſti,quomodo introire potuiſti:quod illorũ animos ſua fide &cõfeſsione robuſtos,tuis alloquutionibus & literis recreaſti:quod felicitates eorũ condignis laudibus proſequutus,accẽdiſti ad multo ardentiorẽ cæleſtis gloriæ cupiditatẽ:quod pronos impuliſti,quod,vt credimus & optamus,victores futuros viribus tui ſermonis animaſti,vt quãquam hoc totũ de fide confitentiũ &de diuina indulgentia venire videatur,tamẽ in martyrio ſuo tibi ex aliquo debitores facti eſſe videantur. Sed vt ad id vnde digreſſus ſermo videbatur eſſe,rurſus reuertatur,quales literas in Siciliã quo q; miſerimus, ſubiectas habebis. Quãquã nobis differẽdę huius rei neceſsitas maior incũbat,quibus,poſt excellum nobiliſsimæ memorię viri Fabiani, nondũ eſt epiſcopus propter rerum & tẽporum difficultates conſtitutus,qui omnia moderetur,& eorũ qui lapſi ſunt,poſsit cũ auctoritate & conſilio habere rationẽ. Quanquam nobis intam ingẽti negocio placeat,quod & tu ipſe tractaſti prius,Eccleſiæ pacem ſuſtinendã, deinde ſic collatione conſiliorum cum epiſcopis,presbyteris,diaconis,confeſſoribus,pariter aſtantibus laicis, facta,lapſorũ tractare rationem. Perquàm enim nobis & inuidioſum & oneroſum videtur, nõ per multos examinare,quod per multos permiſſum videa tur fuiſſe,& in vnum ſententiã dicere,cum tam grãde crimen per multos diffuſum notetur exiſſe,quoniã nec firmum decretum poteſt eſſe quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum. Aſpice totum orbẽ penè vaſtatum,

& vbique iacere deiectorum reliquias,& ruinas,& idcirco tam grande expetit consiliũ,quàm late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina quàm vulnus est,non sint minora remedia quàm funera,vt quomodo qui ruerunt,ob hoc ruerunt,quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt:ita qui hoc disponere nitũtur,omni consiliorum moderamine vtantur,ne quod non oportet factum,tanquam irritum ab omnibus iudicetur. Vno igitur eodémque cõsilio,iisdémque precibus & fletibus tam nos qui vsque adhuc videmur temporis istius ruinas subterfugisse,quàm illi qui in has temporis videntur clades incidisse, diuinam maiestatem deprecantes,pacem ecclesiastico nomine postulemus. Mutuis votis nos inuicem foueamus, custodiamus, armemus:oremus pro lapsis, vt erigantur: oremus pro stantibus, vt non ad ruinas vsque tententur:oremus vt qui cecidisse referuntur,delicti sui magnitudinem agnoscentes,intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam. Oremus vt effectus,indulgentiæ lapsorum subsequatur & pœnitentia,vt intellecto suo crimine velint nobis interim præstare patientiam,nec adhuc fluctuantem turbent ecclesiæ statum, ne interiorem nobis persecutionem ipsi incendisse videantur, & accedat ad criminum cumulum, quod etiam inquieti fuerunt. Maximè enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda. Pulsent sane fores,sed non vtique confringant. adeant ad limen ecclesię,sed non vtique transiliant. Castrorum cælestium excubent portis, sed armati modestia qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis,& quem negando mortis metu, fidei demiserant clypeum, resumant:sed vt cõtra hostem diabolum vel nunc armati,non contra ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos se esse credant. Multum illis proficiet modesta petitio,postulatio verecunda,humilitas necessaria, patientia non ociosa. Mittant legatos pro suis doloribus lachrimas. Aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem. Immò si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt,si pectoris & conscientię suæ lethalem plagam, & sinuosi vulneris altos recessus vere medica manu tractant, erubescant & petere,nisi quia maioris est rursum & periculi & pudoris,auxilium pacis nõ petisse. Sed hoc totum in sacramento,sed in ipsius postulationis lege temporis facto temperamento,sed postulatione demissa, sed prece subdita, quoniã & qui petitur flecti debet,nõ incitari,& sicut respici debet diuina clemẽtia, sic respici debet diuina cẽsura, & sicut scriptum est, *Donaui tibi omne debitum,quia me rogasti*: sic scriptum est, *Qui me negauerit coram hominibus,negabo & ego eum coram patre meo,& coram angelis eius.* Deus enim,vt est indulgens,ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens,& sicut ad conuiuium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem ligatis manibus & pedibus extra sanctorum cœtum foras iactat. Parauit cælum, sed parauit & tartarum: parauit refrigeria,sed parauit etiam ęterna supplicia: parauit inaccessibilem lucem, sed parauit etiam perpetuæ noctis vastam æternámq; caliginem. Cuius temperamenti moderamen nos hic tenere quęrentes diu,& quidem multi,& quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis prouinciis longe positis persecutionis istius ardor eiecerat,ante constitutionem episcopi nihil innouãdum putauimus, sed lapsorum curam mediocriter temperãdam esse credidimus,vt interim dum episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur:eorum autem quorum vitæ suę finẽ vrgens exitus,dilationem non potest ferre, acta pœnitentia & professa frequenter suorum detestatione factorum,si lachrimis,si gemitibus,si fletibus dolentis ac vere pœnitentis

Matth. 18.

Matth. 10.

animi

animi signa prodiderint,cum spes viuendi secundum hominem nulla substiterit,ita demum caute & sollicite subueniri Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter iudicij sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus,vt nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostrã quasi duram crudelitatẽ. Optamus te beatissime ac glorioſissime papa, semper in domino bene valere, & nostri meminisse.

CYPRIANI AD CORNELIVM PAPAM, DE CONFESSIONE. XVI.

ARGVMEN. Epistola hac,Cornelio Papæ de fidei Christi confessione congratulatur, hortaturque vt constanter & firmiter ad omnem patientiam perseueret.

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

COGNOVIMVS, frater charissime,fidei ac virtutis vestræ testimonia glorioſa, & confessionis vestræ honorem sic exultanter accepimus, vt in meritis ac laudibus vestris nos quoque participes & socios computemus. nam cùm nobis & ecclesia vna sit & mens iuncta & indiuidua concordia, quis non sacerdos in consacerdotis sui laudibus, tanquam in suis propriis gratuletur? aut quæ fraternitas nõ in fratrum gaudio vbique lætetur? Exprimi satis nõ potest, quanta istic exultatio fuerit, & quanta lætitia, cum de vobis prospera & fortia comperissemus, ducem te illic confessionis fratribus extitisse, sed & confessionem ducis de fratrum consensione creuisse:vt dum præcedis ad gloriã, feceris multos gloriæ comites,& confessorem populum suaseris fieri,dum primus paratus es pro omnibus confiteri:vt non inueniamus quid prius in vobis prædicare debeamus, vtrúm ne tuam promptam & stabilem fidem, an inseparabilem fratrum charitatem. Virtus illic episcopi præcedentis publicè compro bata est,adunatio sequentis fraternitatis ostensa est,dum apud vos vnus animus & vna vox est, ecclesia omnis Romana confessa est. Claruit fratres charissimi fides,quam de vobis beatus Apostolus prædicauit. Hanc laudem virtutis & roboris firmitatem,iam tunc in spiritu præuidebat,& præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios prouocat: dum sic vnanimes, dum sic fortes estis, magna & ceteris fratribus vnanimitatis & fortitudinis exempla tribuistis. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adhærere,plebẽ sacerdotibus in periculo iungi,in persecutione fratres à fratribus non separari, concordiam simul iunctam vinci omnino non posse: quic quid simul petitur à cũctis,Deũ pacis pacificis exhibere. Prosilierat aduersarius terrore violẽto Christi castra turbare,sed quo impetu venerat,eodẽ impetu pulsus est,& quãtũ formidinis & terroris adtulit, tantũ fortitudinis inuenit & roboris: supplãtare se iterũ posse crediderat Dei seruos, & velut tirones & rudes,quasi minus paratos & minus cautos,solito suo more cõcutere. Vnũ primo aggressus,vt lupus ouem secernere à grege, vt accipiter columbam ab agmine volantiũ separare tentauerat. nam cui nõ est aduersus omnes satis virium, circumuenire quærit solitudinem singulorum. sed retusus adunati exercitus fide pariter & vigore,intellexit milites Christi vigilare iam sobrios,& armatos ad prælium stare:vinci non posse,mori posse,& hoc ipso inuictos esse,quia mori non timent,nec repugnare contra impugnantes,cum occidere innocentibus,nec nocentem liceat,sed prompte &

animas,& sanguinẽ tradere,vt cum tanta in seculo malitia & sæuitia grassetur,à malis & sæuis velocius recedatur. Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum glorioſum? quale in conſpectu Chriſti & eccleſiæ ſuæ gaudium? Ad pugnam quam tentauerat hoſtis inferre,non ſingulos milites, ſed tota ſimul caſtra prodiiſſe. Omnes enim conſtat vẽturos fuiſſe, ſi audire potuiſſent quando accurrerit properanter, & venerit quiſquis audiuit. Quot illic lapſi, glorioſa confeſsione ſunt reſtituti? ſteterunt fortes, & ipſo dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores,vt appareat nuper ſubitatos eſſe, & nouæ atq; inſuetæ rei pauore trepidaſſe. Rediiſſe ad ſe poſtmodum fidem veram, & vires ſuas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam conſtanter & firmiter roboraſſe:nec iam ſtare ad criminis veniam, ſed ad paſsionis coronam. Quid ad hæc Nouatianus,frater chariſsime,vtrúm ne iam deponit errorem, an vero,qui dementium mos eſt,ipſis bonis & proſperis noſtris plus adactus eſt ad furorem? & quo magis ac magis dilectionis ac fidei creſcit hic gloria, illic diſſenſionis & zeli recrudeſcit inſania? nec vulnus ſuum miſer curat, ſed adhuc grauius & ſe & ſuos vulnerat? in perniciem fratrum lingua ſua perſtrepens,& facundiæ venenatæ iacula contorquens, magis durus ſecularis philoſophiæ prauitate, quàm ſophiæ Dominicæ lenitate pacificus : deſertor eccleſiæ,miſericordiæ hoſtis,interfector pœnitentiæ,doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis? Agnoſcit ne iam qui ſit ſacerdos Dei? quæ ſit eccleſia & domus Chriſti? qui ſint Dei ſerui, quos diabolus infeſtet? qui ſint Chriſtiani, quos Antichriſtus impugnet? neque enim quærit illos quos iam ſubegit, aut geſtit euertere, quos iam ſuos fecit. Inimicus & hoſtis eccleſiæ, quos alienauit ab eccleſia & foras duxit,captiuos & victos contemnit & prẹterit:eos pergit laceſſere,in quibus Chriſtũ cernit habitare. Quanquam & ſi aliquis ex talibus fuerit adprehẽſus,non eſt quod ſibi quaſi in cõfeſsione nominis blandiatur,cum conſtet ſi occiſi eiuſmodi extra eccleſiam fuerint,fidei coronam non eſſe,ſed pœnam potius eſſe perfidiẹ,nec in domo Dei inter vnanimes habitaturos eſſe,quos videmus de pacifica & diuina domo furore diſcordiæ receſsiſſe. Hortamur planè quãtũ poſſumus frater chariſsime,pro charitate mutua,qua nobis inuicẽ cohæremus,vt quoniam prouidentia domini monentis inſtruimur, & diuinæ miſericordiæ conſiliis ſalubribus admonemur,adpropinquare iam certaminis & agonis noſtri diẽ,ieiuniis,vigiliis,& orationibus inſiſtere cũ omni plebe non deſinamus. Incumbamus gemitibus aſsiduis,& deprecationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma cẹleſtia,quẹ ſtare & perſeuerare fortiter faciunt. Hæc ſunt munimẽta ſpiritalia & tela diuina,quæ protegunt. Memores noſtri inuicem ſimus, cõcordes atque vnanimes,vtrobique pro nobis ſemper oremus,preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus. Et ſi quis iſtinc noſtrum prior diuinę dignationis celeritate præceſſerit,perſeueret apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris nõ ceſſet oratio. Opto te frater chariſsime ſemper bene valere.

CYPRIANI, AD CORNELIVM, DE PACE LAPSIS DANDA. XVII.

ARGVMEN. Epiſtola Cypriani nonnullorúmque epiſcoporum, ad Cornelium papam, in qua docent, eos ad eccleſiam communionémque admitti debere, qui prioribus perſecutionibus ob tormentorum metum à fide defecerunt, et dolenter ac iugiter diuina poſtmodum ſolatia implorantes, pro domini ſui nomine ac pro ſua ſalute fortiter ſtare & repugnare profiterentur.

CYP-

CYPRIANVS, LIBERALIS, CALYDONIVS, NICOMEDES, CAECILIVS, Iunius, Marutius, Felix, Succeſſus, Fauſtinus, Fortunatº, Victor, Saturninus, alius Saturninus, Rogatianus, Tertullus, Lucianus, Satius, Secundinus, alius Saturninus, Eutyches, alius Saturninus, Amplus, Aurelius, Priſcus, Herculanus, Victoricus, Quintus, Honoratus, Manthaneus, Hortenſianus, Verianus, Iambus, Donatus, Pomponius, Polycarpus, Demetrius, alius Donatus, Priuatianus, Fortunatus, Rogatus, & Montulus, Cornelio fratri, S.

STATVERAMVS quidem iam pridem frater chariſſime, participato inuicem nobiſcum conſilio, vt qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab aduerſario & lapſi fuiſſent, ac ſacrificiis ſe inlicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, eccleſiam pulſantibus cludi, & dolentibus & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, vt de ſeculo recedentes ſine communicatione, aut pace ad Deum dimitterentur, quando permiſerit ipſe qui legem dedit, vt ligata in terris, & in cælis ligata eſſent: ſolui autem poſſent illic, quæ hic prius in eccleſia ſolueretur. Sed cum videamus diem rurſus alterius infeſtationis adpropinquare cœpiſſe, & crebris atque aſsiduis oſtenſionibus admoneamur, vt ad certamen, quod nobis hoſtis indicit, armati & parati ſimus, plebem etiam nobis de diuina dignatione commiſſam exhortationibus noſtris præparemus, & omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitat, intra caſtra dominica colligamus: neceſsitate cogente, cenſuimus, eis qui de eccleſia domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere & lamentari, ac dominum deprecari à primo lapſus ſui die nõ deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium quod imminet, armari & inſtrui oportere. Obtemperandum eſt nanque oſtenſionibus atque admonitionibus iuſtis, vt à paſtoribus oues in periculo non deſerantur, ſed grex omnis in vnum congregetur, & exercitus domini ad certamen militiæ cæleſtis armetur. Merito enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, vt infirmis in exitu ſubueniretur, quandiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrimas, & ſubuenire ſero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt: nec morientibus, ſed viuẽtibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſsit accipiẽtibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſsione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in eccleſia poculum domini iure communionis admittimus? Intereſſe debet frater chariſsime inter eos qui vel apoſtatauerunt, & ad ſeculum cui renunciauerant reuerſi, gentiliter viuunt: vel ad hæreticos transfugæ facti, contra eccleſiam parricidialia quotidie arma ſuſcipiunt: & inter eos qui ab eccleſiæ limine non recedẽtes, & implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pugnam paratos eſſe, & pro domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute ſtare fortiter, & repugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, ſed vigilantibus damus: pacem non deliciis, armis damus: pacem, non ad quietem,

ſed ad aciem damus. Si ſecundũ quod eos audimus, & optamus & credimus, fortiter ſteterint, & aduerſariũ nobiſcum in congreſsione proſtrauerint, non pœnitet pacẽ cõceſsiſſe tam fortibus, immò epiſcopatus noſtri honor grãdis & gloria eſt, pacẽ dediſſe martyribus, vt ſacerdotes qui ſacrificia dei cotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas pręparemus. Si autem, quod dominus auertat, à fratribus noſtris aliquis lapſorum fefellerit, vt pacẽ ſubdole petat, & impendentis prælij tempore communicationem non prælaturus accipiat, ſeipſum fallit & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat. Nos inquantum nobis & uidere & iudicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, & mentẽ perſpicere non poſſumus. De his iudicat occultorum ſcrutator & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis atque abditis iudicaturus. Obeſſe autem mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adiuuari. Nec ideo martyrium facturis pax negãda eſt, quia ſunt quidam negaturi, cum propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtrã ille incipiat prætiriri, qui habet in prælio coronari. Nec quiſquam dicat, qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur: nec pax illi ab epiſcopo neceſſaria, eſt habituro glorię ſuę pacem, & accepturo maiorem de domini dignatione mercedem. Primo, idoneus eſſe nõ poteſt ad martyrium, qui ab eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quã non recepta Euchariſtia erigit & accendit. Dominus enim in euãgelio ſuo dicit, *Cum autẽ vos*

Matth. 10. *tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: nõ enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Quãdo autẽ dicat in traditis atq; in confeſsione nominis conſtitutis loqui ſpiritum patris, quomodo poteſt ad cõfeſsionẽ paratus aut idoneus inueniri, qui non prius pace accepta receperit ſpiritũ patris, qui corroborans ſeruos, ſuos

Marci 14. ipſe loquitur & confitetur in nobis? Tunc deinde ſi relictis omnibus rebus ſuis fugerit, & in latebris atque in ſolitudine conſtitutus, in latrones forte incurrerit, aut in febribus & in languore deceſſerit: nonne nobis imputabitur quod tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit: & contempta domo, & parentibus, aut liberis, ſequi dominum ſuum maluit, ſine pace & ſine communicatione decedit? Nonne nobis vel neglegẽtia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die iudicij, quod paſtores creditas & commiſſas nobis oues, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretur nobis

Ezech. 34. à domino, quod per prophetam ſuum clamat & dicit, *Ecce lac conſumitis, & lanis vos tegitis, & quod craſſum eſt, interficitis: & oues meas non paſcitis: quod infirmatum eſt, non confortaſtis: & quod male habuit, non corroboraſtis: et quod contribulatum eſt, non conſolati eſtis: & quod errabat, non reuocaſtis: & quod periit, nõ inquiſiſtis: & quod forte fuit, confeciſtis labore: & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non ſunt paſtores, & factæ ſunt in comeſturam omnibus beſtiis agri: & non fuit qui inquireret, neque qui reuocaret. Propterea hæc dicit dominus, Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos ne paſcant oues meas, & iam non paſcent eas: & extraham oues meas de ore eorum, & paſcam eas cum iudicio.* Ne igitur ore noſtro quo pacem negamus, quo duritiam magis inhumanæ crudelitatis, quàm diuinæ & paternæ pietatis opponimus, oues nobis commiſſæ à domino repoſcantur, placuit nobis ſancto ſpiritu ſuggerente, & domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti: & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare, immo pugnaturis arma ſuggerere: quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. Quod ſi de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die iudicij domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Nos quod fidei & charitati &

ſollici-

ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra protulimus, diem certaminis adpropinquaſſe, hoſtem violentum cito cõtra nos exſurgere, pugnam non talem qualis fuit, ſed grauiorem multo & acriorem venire: hoc nobis diuinitus frequenter oſtenditur, de hoc nos prouidentia & miſericordia domini ſæpius admonemur, de cuius ope & pietate qui in eum confidimus, poſſumus eſſe ſecuri, quia qui in pace militibus ſuis futuram prænunciat pugnam, dabit militantibus in congreſsione victoriam. Optamus te frater chariſsime, ſemper bene valere.

CYPRIANI, AD CORNELIVM, CONTRA HAERETICOS. XVIII.

ARGVMEN. Eiuſdem ad eundem epiſtola conſolatoria contra hæreticos, quod facturi ſint, mortem nobis minitantes, ex neceſsitate noſtra virtutem, quandoquidem nobis ſemel moriendum ſit. Oſtendit præterea qua ratione ſacerdotalis auctoritas & poteſtas, diuina dignatione firmetur: & inde obortas hæreſes & nata eſſe ſchiſmata, quod Dei ſacerdotibus non obtemperetur.

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

LEGI literas tuas frater chariſsime, quas per Saturum fratrem noſtrum acoluthũ miſiſti, & dilectionis fraternæ, & eccleſiaſticæ diſciplinę, & ſacerdotalis cẽſurę ſatis plenas: quibus ſignificaſti Feliciſsimũ hoſtẽ Chriſti nõ nouũ, ſed iam pridem ob crimina ſua plurima & grauiſsima abſtentum, & nõ tãtum mea, ſed & plurimorum coëpiſcoporum ſententia condemnatum, & reiectũ, & à te illic eſſe ab eccleſia prohibitũ, & cum veniſſet ſtipatus caterua & factione deſperatorum, vigore pleno quo epiſcopum agere oportet, pulſum de eccleſia eſſe, de qua iampridem cum ſuis ſimilibus, Dei maieſtate & Chriſti domini & iudicis noſtri ſeueritate depulſus eſt, ne ſchiſmatis & diſsidij auctor, ne pecuniæ commiſſæ ſibi fraudator, ne ſtuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, vltra adhuc ſponſam Chriſti incorruptam, ſanctam, pudicam, præſentiæ ſuæ dedecore, & impudica atque inceſta contagione violaret. Sed lecta alia epiſtola tua frater, quam primis literis ſubiũxiſti, ſatis miratus ſum, cum animaduertiſſem te minis ac terroribus eorum qui venerant, aliquantum eſſe commotum, cum te ſecundum quod ſcripſiſti, adgreſsi eſſent cum ſumma deſperatione, comminantes, quod ſi literas quas attulerant, non accepiſſes, publice eas recitarent, & multa turpia ac probroſa & ore ſuo digna proferrent. Quod ſi ita res eſt, frater chariſsime, vt nequiſsimorum timeatur audacia, vt quod mali iure atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant, actum eſt de epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac diuina poteſtate, nec Chriſtiani vltra aut durare, aut eſſe iam poſſumus, ſi ad hoc ventũ eſt, vt perditorũ minas atq; inſidias pertimeſcamus. Nam & gentiles, & Iudæi minantur, & hæretici, atq; omnes quorum pectora & mentes diabolus obſidet, venenatã rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur: non tamen idcirco cedendum eſt, quia minantur, aut ideo aduerſarius & inimicus maior eſt Chriſto, quia tantum ſibi vindicat & adſumit in ſeculo. Manere apud nos debet frater chariſsime, fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atq; impetus oblatrantium fluctuũ, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Nec intereſt vnde epiſcopo aut terror, aut periculũ ve-

niat, qui terroribus & periculis viuit obnoxius, & tamen sit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus. Neque enim solas gentilium, vel Iudęorum minas cogitare & spectare debemus, cum videamus ipsum dominũ à fratribus esse detentum, & ab eo quem inter apostolos ipse delegerat, proditum: inter initia quoque mundi, Abel iustum non nisi frater occiderit: Iacob fugientem persecutus sit frater infestus: & Ioseph puer venierit vẽdentibus fratribus. In euangelio etiam legimus, esse prædictum magis domesticos inimicos futuros, qui & prius copulati sacramento vnanimitatis fuerint, ipsos inuicẽ tradituros. Nihil interest, quis tradat aut sęuiat, cum deus tradi permittat, quos disponit coronari. neq; nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus: nec illis gloria est facere, quod fecerit Iudas. Quæ autem sui elatio est, quæ comminantium tumens & inflata ac vana iactatio, illic absenti minari, cum hic me habeant in potestate præsentem? Conuitia eorum, quibus se & vitam suam quotidie lacerãt, non timemus: fustes, & lapides, & gladios, quos verbis parricidialibus iactitant, non perhorrescimus: quod in illis est, homicidæ sunt apud Deum tales, necare tamen nõ possunt, nisi eis dominus necare permiserit. Et cum nobis semel moriendum sit, illi tamen & odio, & verbis, & delictis suis quotidie perimũt. Sed nõ idcirco frater charissime relinquenda est nobis ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis soluenda censura, quoniam conuiciis infestamur, aut terroribus quatimur, cũ moneat scriptura diuina dicens, *Ille verò qui præsumit & contumax est vir sui iactans, nihil omnino proficiet, qui dilatauit tanquam inferus animã suam.* Et iterũ, *Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in stercora erit & in vermes. Hodie extolletur, & cras non inuenietur, quoniam conuersus est in terram suam, et cogitatio eius peribit.* Et iterum, *Vidi impium exaltatum, & extolli super cedros Libani: & transiui, & ecce non fuit: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Exaltatio & inflatio, & arrogans ac superba iactatio, nõ de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per prophetã dominus, & dicit, *Tu autem dixisti in animo tuo, in cælum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam: sedebo in monte alto super montes altos in aquilonem, ascẽdam super nubes, et ero similis altissimo.* & addidit dicẽs, *Tu verò ad inferos descendes in fundamenta terræ, & qui videbunt te, mirabuntur super te.* Vnde & parẽ talibus pœnã scriptura diuina loco alio cõminatur & dicit, *Dies enim domini sabaoth super omnem iniuriosum & superbum, & super omnem elatum & excelsum.* De ore itaque ac de verbis suis vnusquisque statim proditur, & vtrum Christum in corde suo, an vero Antichristum habeat, loquendo detegitur: secundum quod dominus in euangelio suo dicit, *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis nequam? de abundantia enim cordis, os emittit. Bonus homo de bono thesauro emittit bonum, & nequam homo de nequam thesauro emittit nequam.* Vnde & diues ille pecator, qui de Lazaro in sinu Abrahæ posito, atq; in refrigerio constituto, implorat auxilium, cũ in tormẽtis cruciabundus flãmæ cremãtis ardoribus aduratur, inter omnes corporis partes magis os eus & lingua pœnas dat: quia plus scilicet lingua sua & ore peccauerat. nam cum scriptũ sit, *Neque maledici regnum Dei consequentur:* & iterum in euangelio suo dominus dicat, *Qui dixerit fratri suo, fatue: qui dixerit racha, reus erit gehennæ ignis:* quomodo possunt cẽsura Dei vltoris euadere, qui talia ingerũt non solum fratribus, sed & sacerdotibus quibus honor tãtus de dei dignatione conceditur, vt quisque sacerdoti eius & ad tempus hic iudicanti non obtẽperaret, statim necaretur? In Deuteronomio dominus Deus loquitur, dicens, *Et homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem aut iudicẽ, quicunque fuerit, in diebus illis morietur homo ille: & omnis populus cum audierit, timebit: & non agent impiè etiam nunc.* Item ad Samuelem, cum à Iudæis sperneretur, Deus dicit, *Non te spreuerunt, sed me*

Ioan. 18. & Marc. 14.

Matth. 10.

Esa. 5. Abac. 2. 1. Machab. 2

Psal. 36.

Esaiæ. 14.

Matth. 3.

Lucæ 6.

Matt. 5.

Dignitas Sacerdotum.

Deut. 17.

spreuerunt. Et dominus quoque in Euangelio, *Qui audit*, inquit, *vos, me audit,* Lucæ 10.
& eum qui me misit : & qui reiicit vos, me reiicit : qui me reiicit, reiicit eum qui me misit. Et cum leprosum emundasset, *Vade*, inquit, *& demonstra te sacerdoti*. Et Matth. 8.
cum postea tempore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis, cumque
ei dixisset, *Sic respondes pontifici?* aduersus pontificem dominus cõtumelioſe Ioan. 18.
nihil dixit, nec quicquam de sacerdotis honore detraxit, sed innocentiam
suam magis adserens & ostendens, *Si male*, inquit, *loquutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis?* Item in Actibus Apostolorum postmodum
beatus apostolus Paulus, cum ei dictum esset, *Sic insilis in sacerdotem Dei male-* Act. 23.
dicendo? quanuis domino iã crucifixo, sacrilegi & impij, & cruenti illi esse cœpissent: nec iam quicquam de sacerdotali honore & auctoritate retinerent,
tamen ipsum quanuis inane nomen & vmbram quandam sacerdotis cogitans Paulus, *Nesciebam fratres*, inquit, *quia pontifex est. scriptum est enim, Principi plebis tuæ non maledices*. Cum hæc tãta ac talia & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas & potestas de diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos qui sacerdotũ hostes, & contra Ecclesiã catholicam rebelles, nec præmonentis domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in
ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui
si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se
non iam episcopi, sed Dei faceret. Nemo discidio vnitatis Christi ecclesiam
scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresin nouam conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, cum dominus in Euãgelio suo dicat, *Nonne* Matth. 10.
duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris vestri voluntate? Cũ ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciente, aut non permittente Deo in ecclesia Dei fieri? & sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari? Hoc est fidem non habere, qua viuimus: hoc est Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus. Plane episcopi non de voluntate dei fiunt, sed qui extra ecclesiam fiunt: sed qui cõtra dispositionem & traditionem Euangelij fiunt: sicut ipse dominus in duodecim
Prophetis ponit & dicit, *Sibimetipsi regem constituerunt, & non per me*. Et iterũ. Oseæ. 8.
Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Et
per Esaiam quoque Spiritus sanctus clamat & dicit, *Væ vobis filij desertores, hæc* Esa. 30.
dicit dominus : habuistis consilium, & non per me : & feciſtis conuentionem, & non per spiritum meum, adiicere peccata super peccata. Ceterum dico, dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulsus, quando episcopus in locum defuncti
substituitur, quando populi vniuersi suffragio in pace deligitur, quando Dei
auxilio in persecutione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi
suæ in episcopatu quadriennio iam probatus, in quiete seruiens disciplinæ,
in tempestate proscriptus, adplicato & adiuncto episcopatus sui nomine,
toties ad Leonem petitus in circo, in amphitheatro dominicæ dignationis
testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus quibus has ad te literas feci, ob
sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad Leonem denuo postulatus in circo: cum talis frater charissime, à
quibusdam desperatis & perditis, & extra ecclesiam constitutis impugnari
videtur, apparet quis impugnet, non scilicet Christus, qui sacerdotes aut
constituit, aut protegit: sed ille qui Christo aduersarius, & ecclesiæ eius ini-

micus: ad hoc, ecclesiæ propositũ sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato, atrocius atque violentius circa ecclesiæ naufragia grassetur. Nec quenquam fidelem & Euangelij memorem, atque Apostoli præmonentis mandata retinentem mouere debet frater charissime, si quidam in extremis temporibus superbi & contumaces, & sacerdotum dei hostes, aut de Ecclesia Dei recedunt, aut contra Ecclesiam faciunt, quando tales nunc futuros & dominus & apostoli eius ante prædixerint. Nec præpositum seruum deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum dominum magnalia & admirabilia summa facientem, & virtutes Dei patris factorum suorum testimonio cõprobantem, discipuli sui reliquerint: & tamen ille non increpauit recedẽtes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad apostolos suos dixit, *Nunquid & vos vultis ire?* seruans scilicet legem qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem. Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem domino fuerat ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ voce respondens, ait, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui*: significans scilicet & ostendens, eos qui à Christo recesserint, culpa sua perire: ecclesiam tamen quæ in Christũ credat, & quæ semel id quod cognouerit teneat, nũquam ab eo omnino discedere: & eos esse ecclesiam, qui in domo Dei permanent. Plantationem vero plantatam à Deo patre non esse quos videmus, non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas disipantis inimici spiritu ventilari, de quibus & Iohannes in epistola sua dicit, *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Item Paulus monet nos, cum mali de ecclesia pereunt, non moueri: nec recedentibus perfidis, fidem minui, *Quid enim*, inquit, *si exciderunt à fide quidam eorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? absit: est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quod ad nos attinet, conscientiæ nostræ conuenit frater charissime, dare operam, ne quis culpa nostra de ecclesia pereat. Si autem quis vltro, & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad ecclesiam redire noluerit, nos in die iudicij inculpatos futuros, qui consulimus sanitati: illos solos in pœnis remansuros, qui noluerint consilij nostri salubritate sanari. Nec mouere nos debent conuicia perditorum, quominus à via recta, & à certa regula non recedamus, quãdo & Apostolus instruat, dicens, *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Interest vtrum quis homines promereri, an Deum cupiat. Si hominibus placetur, dominus offenditur. Si verò id enitimur & laboramus, vt possimus Deo placere, & conuicia & maledicta debemus humana contemnere. Quod autem tibi de Fortunato isto pseudoëpiscopo, à paucis & inueteratis hæreticis constituto, nõ statim scripsi, frater charissime, nõ ea res erat, quæ in notitiã tuam deberet festinato statim, quasi magna, aut metuenda perferri: maxime quando & Fortunati nomen iam satis nosses, qui est vnus ex quinque presbyteris iam pridem de ecclesia profugis, & sententia coëpiscoporum nostrorum multorum, & grauissimorum virorum nuper abstentis, qui super hac re priore anno ad te literas fecerunt: item Felicissimum signiferum seditionis recognosceres, qui & ipse in iisdem coëpiscoporum nostrorum factis ad te pridem literis continetur: qui non tantum ab iis istic abstentus, sed abs te illic nuper de ecclesia pulsus est. Cum hæc in notitia tua esse confiderem, & pro certo hærere memoriæ & disciplinæ tuæ scirem, necessarium non putaui, celeriter & vrgenter hæreticorum tibi ineptias nunciandas. Neq; enim ad catholicæ ecclesiæ maiestatem pariter ac dignitatẽ pertinere debet, quid apud se hæreticorum & schismaticorum moliatur audacia. nam & pars Nouatiani Maximum presbyterũ, nuper ad nos à Nouatiano legatum missum,

atque

Sup petrũ ædificata Ecclia.

Ioan.6.

1.Ioan.1.

Rom.3.

Psal.15.

Galat.1.

atque à noſtra communicatione reiectum, nunc iſtic ſibi feciſſe pſeudoëpiſcopum dicitur. Nec tamen de hoc tibi ſcripſeram, quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miſerim tibi proxime nomina epiſcoporum iſtic conſtitutorum, qui integri & ſani in eccleſia catholica fratribus præſunt. Quod vtique ideo de omnium noſtrorum conſilio tibi placuit ſcribere, vt erroris diluendi ac perſpiciendę veritatis compendium fieret, & ſcires tu & collegæ noſtri, quibus ſcribere literas, mutuo à quib⁹ vos accipere oporteret. Si quis autem pręter hos, quos epiſtola noſtra complexi ſumus ſcribere vobis auderet, ſciretis eum vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatũ: vel vnum de hæreticis, peruerſum ſcilicet & profanum. Nactus tamen occaſionẽ familiariſsimi hominis & clerici, per Felicianum acoluthum, quem cũ Perſeo collega noſtro miſeras, inter cetera quæ in notitiam tuã perferenda hinc fuerãt, etiam de Fortunato iſto tibi ſcripſi. Sed dũ iſtic Felicianus frater noſter vel vento retardatur, vel accipiẽdis aliis epiſtolis à nobis detinetur, Feliciſsimo ad vos properante præuentus eſt. Ita enim ſemper ſcelera feſtinant, quaſi cõtra innocentiam feſtinatione præualeant. Per Felicianum autẽ ſignificaui tibi frater, veniſſe Carthaginem Priuatum veterem hæreticũ in Lambeſitana colonia, ante multos ferè annos ob multa & grauia delicta, nonaginta epiſcoporum ſententia condẽnatum, anteceſſorũ etiam noſtrorum, quod & veſtram conſcientiã non latet, Fabiani & Donati literis ſeueriſsime notatũ, qui cum cauſam ſuam apud nos in concilio quod habuimus idibus Maiis, quæ proxime fuerũt, agere velle ſe diceret, nec admiſſus eſſet, Fortunatum iſtũ pſeudoëpiſcopũ dignũ collegio ſuo fecit. Venerat etiam cũ illo & Felix quidam, quem ipſe extra eccleſiam in hæreſi, pſeudoëpiſcopum olim cõſtituerat. Sed & Iouinus & Maximus comites cum Priuato hæretico adfuerũt, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe probata, ſententia nouẽ collegarũ noſtrorum condemnati, & iterato quoq; à pluribus nobis, anno priore in concilio abſtenti. Cum his autem quatuor iunctus eſt & repoſitus Suturnicenſis, qui non tantum in perſecutione ipſe cecidit, ſed & maximã partem plebis ſuæ ſacrilega perſuaſione deiecit. Hi quinq; cum paucis vel ſacrificatis, vel male ſibi conſciis, Fortunatum ſibi pſeudoëpiſcopum cooptauerunt, vt criminibus in vnũ conſentientibus, talis eſſet ſcilicet rector, quales illi qui reguntur. Hinc iam & cetera mẽdacia frater chariſsime, potes noſcere, quæ illic homines deſperati & perditi ventilauerunt, vt cũ de ſacrificatis vel hæreticis amplius quàm quinq; pſeudoëpiſcopi non fuerint qui Carthaginẽ venerint, & Fortunatũ ſibi dementiæ ſuæ ſocium conſtituerint: illi tamen quaſi filij diaboli & mendacio pleni, auſi ſunt ſcriptis iactitare vigintiquinque epiſcopos adfuiſſe: quod mendacium & iſtic prius apud fratres noſtros iactitabant, dicentes vigintiquinque epiſcopos de Numidia eſſe venturos, qui ſibi epiſcopum facerent: quo in mendacio ſuo, poſteaquam quinque ſolis conuenientibus naufragis, & à nobis abſtentis, detecti ſunt atque confuſi, Romam cum mendaciorum ſuorum mercede nauigauerunt: quaſi veritas poſt eos nauigare non poſſet, quæ mẽdaces linguas rei certæ probatione conuinceret. Atq; hæc eſt frater, vere demẽtia, nõ cogitare nec ſcire, quod mẽdacia non diu fallãt: noctem tandiu eſſe, quãdiu nõ illuceſcat dies: clarificato autẽ die & ſole orto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctẽ latrocinia ceſſare. Denique ſi nomina ab eis quæreres, non haberent vel quos falſo nominarent: tanta apud eos etiam malorum penuria eſt, vt ad illos nec de ſacrificatis, nec de hæreticis vigintiquinque colligi poſsint. Et tamen ad decipiendas aures ſimplicium & abſentium, mendacio numerus inflatur, quaſi & ſi verus eſſet hic numerus, aut ab hæreticis eccleſia, aut ab iniuſtis iuſtitia vincatur. Nec me oportet frater chariſsime, paria nũc cum illis facere, &

ea quæ commiserunt atque hucusque cõmittunt, meo sermone decurrere, cum considerãdum sit nobis, quid proferre & scribere sacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor apud nos debeat, quàm pudor loqui, & ne videar prouocatus, maledicta potius quàm crimina & peccata cõgerere: taceo itaque de fraudibus ecclesiæ factis: coniurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo. Vnum illud, in quo non mea, nec hominum, sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendũ, quod à primo statim persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora feruerent, & sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum atque ora fumarent, communicare cum lapsis & pœnitentiæ agendæ intercedere non
Exod. 22. Matth. 10. destiterunt. Clamat Deus, *Sacrificans diis, eradicabitur, nisi domino soli.* Et dominus in Euangelio dicit, *Qui me negauerit, & ego eum negabo.* Et alio loco indignatio & ira diuina non tacet, dicens, *Illis fudistis libamina, & illis imposuistis sacrificia: super hæc non indignabor? dicit dominus.* Et intercedũt ne rogetur Deus, qui indignari se ipse testatur. Intercedunt, ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profitetur. Nos in ipso persecutionis tempore de hoc ipso literas misimus, nec auditi sumus: consilio frequenter acto, non consensione tantum nostra, sed & comminatione decreuimus, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret: & illi contra Deum sacrilegi, contra sacerdotes Dei impio furore temerarij, de ecclesia recedentes, & contra ecclesiam parricidialia arma tollentes, elaborant, vt opus suum diaboli malitia consumment: ne vulneratos diuina clementia in ecclesia sua curet, miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt: ne Deo indignanti satisfiat, ne Christum dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodum quærat, ne ad ecclesiam qui de ecclesia recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus & lamẽtationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrimis abluantur. Pax vera, falsæ pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris, nouerca intercedente præcluditur, ne de pectore atq; ore lapsorum, fletus & gemitus audiatur. Compelluntur adhuc insuper lapsi, vt linguis atque ore, quo in Capitolio ante deliquerant, sacerdotibus conuicium faciant: confessores, & virgines, & iustos quosque fidei laude præcipuos atque in ecclesia glorioſos, contumeliis & maledicis vocibus prosequuntur. A quibus quidem nõ tam nostrorum modestia, & humilitas, & pudor cæditur, quàm illorum lapsorum spes & vita laceratur. Neq; enim qui audit, sed qui facit cõuicium, miser est: nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cædit, in lege peccator est. Et cùm nocentes innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam, qui facere se credunt. Deniq; hinc illis pertusa mẽs, & hebes animus, & sensus alienus est, & ira Dei non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia, sicut scriptum est, *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis*, ne reuertantur scilicet & curẽtur, & deprecationibus & satisfactionibus iustis peccata sanentur. Paulus Apostolus in
2. Thessal. 2. epistola sua ponit & dicit, *Dilectum veritatis non habuerunt vt salui fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in iniustitia.* Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus, delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra & inlibata, quæ seruet: hic succedit medela quæ sanet: quod vtrunque isti offenso Deo perdiderũt, vt & amissa sit gratia, quæ de baptismi sanctificatione percipitur: & non supersit pœnitentia, per quam culpa curatur. An putas frater leuia esse aduersum deum facinora, parua & modica delicta, quod per illos non rogatur maiestas indignãtis Dei? quod non timetur ira & ignis, & dies domini? quod imminẽte Antichristo, exarmatur fides militantis

litantis populi, dum tollitur timor & vigor Christi? Viderint laici hoc quomodo curent, sacerdotibus labor maior incumbit in adserēda, propitianda, & procurāda Dei maiestate, ne quid videamur in hac parte negligere, quando admoneat dominus & dicat, *Et nunc præceptum hoc ad vos est ò sacerdotes: si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro, vt detis honorem nomini meo, dicit dominus, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram.* Honor ergo datur Deo, quando sic Dei maiestas & censura cōtemnitur, vt cum se indignari ille & irasci sacrificātibus dicat, & cum pœnas æternas & supplicia perpetua comminetur, proponatur à sacrilegis atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur iudicium domini, ne pulsetur ad ecclesiam Christi: sed sublata pœnitentia, nec vlla exomologesi criminis facta, despectis episcopis atque calcatis, pax à non veris presbyteris, verbis fallacibus prædicetur, & ne lapsi surgant, aut foris positi ad ecclesiam redeant, communicatio à non communicantibus offeratur? Quibus etiam non satis fuit ab Euangelio recessisse, spem lapsis satisfactionis & pœnitentiæ sustulisse, fraudibus inuolutos, vel adulteriis commaculatos, vel sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in ecclesia exomologesin criminū facerent, ab omni & sensu & fructu pœnitentiæ remouisse: foris sibi extra ecclesiam & contra ecclesiam constituisse conuenticulum perditæ factionis, cum male sibi cōsciorum & Deum rogare ac satisfacere nolentium caterua confluereret. Post ista adhuc insuper pseudoëpiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atque ecclesiam principalem vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi & pseudoëpiscopum contra episcopos factum nunciandi? Aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant: aut si displicet & recedunt, sciunt quo reuertantur. Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum: & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quā regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus: oportet vtique eos quibus præsumus, non circuncursare, nec episcoporum concordiā cohærentem, sua subdola & fallaci temeritate collidere: sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere & testes sui criminis possint: nisi paucis desperatis & perditis, minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicaueruńt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij sui nuper grauitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atq; inconstantis animi leuitate reprehendi, cum dominus doceat & dicat, *Sit sermo vester, est est, non non.* Si eorū qui de illis priore anno iudicauerunt, numerus cū presbyteris & diaconis cōputetur, plures tunc adfuerunt in iudicio & cognitione, quàm sunt iidem isti qui cū Fortunato nunc videntur esse coniūcti. Scire enim debes frater charissime, eū postea quam pseudoëpiscopus ab hæreticis factus est, iam pene ab omnibus esse desertum. Nanq; ij quibus in præteritum præstigiæ obtendebantur, & dabantur verba fallacia, quòd simul ad ecclesiam regressuri dicerētur: postea quàm viderūt illic pseudoëpiscopum factū, frustratos & deceptos se esse didicerunt, & remeant cotidie atq; ad ecclesiam pulsant: nobis tamen à quibus ratio domino reddēda est, anxiè ponderantibus, & sollicite examinantibus, qui recipi & admitti ad ecclesiam debeant. Quibusdam enim ita aut crimina sua obsistūt, aut fratres obstinate & firmiter renituntur, vt recipi omnino non possint sine scandalo atque periculo plurimorum. Neque enim sic putramina quædam colligenda

Malach. 2.

Exomologesis

Romana cetta, principalis, Petri Cathedra, &c

Roma. 1.

Ad Romanam fidem perfidia nō potuit habere accessum.

Matth. 5.

sunt, vt quæ integra & sana sunt vulnerentur: nec vtilis aut consultus est pastor, qui ita morbidas & contactas oues gregi admiscet, vt gregem totum mali cohærentis adflictatione contaminet. Non adtendas numerũ illorum: melior est enim vnus timens quàm mille filij impij, sicut locutus est dominus per Prophetam dicens, *Fili ne iocunderis in filiis, si multiplicentur tibi, cũ non fuerit timor Dei in ipsis.* O si posses frater charissime istic interesse nobiscũ, cum praui isti & peruersi de schismate reuertũtur, videres quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, vt animi dolore sopito, recipiendis malis curandisque consentiant. Nanque vt gaudent & lætantur, cum tolerabiles & minus culpabiles redeunt: ita contra fremunt & reluctantur, quoties inemendabiles & proterui, & vel adulteriis, vel sacrificiis cõtaminati, & post hoc adhuc insuper & superbi, sic ad ecclesiam remeant, vt bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi persuadeo, immò extorqueo, vt tales patiantur admitti: & iniustior factus est fraternitatis dolor, ex eo quòd vnus atq; alius, obnitente plebe & contradicente, mea tamen facilitate suscepti, peiores extiterunt quàm prius fuerant: nec fidem pœnitentiæ seruare potuerunt, quia nec cum vera pœnitentia venerant. De istis vero quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo nauigauerunt, legati à Fortunato pseudoëpiscopo missi, tam falsas ad te literas adferentes, quàm est & ipse cuius literas ferunt, falsus: quàm est & eius peccatorum multiplex conscientia, quàm execrabilis vita, quàm turpis: vt & si in ecclesia essent, eiici tales de ecclesia debuissent? Denique quia conscientiam suam norũt, nec nos audent adire, aut ad ecclesiæ limen accedere, sed foris per prouinciam circũuiendis fratribus & spoliandis pererrant: & omnibus iam satis noti, atque vndiq; pro suis facinoribus excluſi, illuc etiam ad vos nauigant. Neque enim potest illis frons esse ad nos accedendi, aut apud nos cõsistendi, cum sint acerbissima & grauissima crimina, quæ eis à fratribus ingerãtur. Si iudicium nostrum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio & defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum: nec ecclesia istic alicui cluditur, nec episcopus alicui denegatur, patientia & facilitas & humanitas nostra veniẽtibus præsto est. Opto omnes in ecclesiam regredi, opto vniuersos commilitones nostros intra Christi castra, & Dei patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo, studio & voto colligendæ fraternitatis: etiam quæ in Deum commissa sunt, nõ pleno iudicio religionis examino, delictis plus quàm oportet remittendis penè ipse delinquo. Amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes. Si qui autem sunt qui putant se ad ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse: aut existimant aditum sibi, non lamentationibus & satisfactionibus, sed terroribus facere: pro certo habeant, contra tales clusam stare ecclesiam domini, nec castra Christi inuicta & fortia, & domino tuẽte, munita minis cedere. Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, nõ potest vinci. Suggerit & subministrat nobis exempla virtutis ac fidei, Zacharias antistes Dei, qui cum terreri minis & lapidatione non posset, in templo Dei occisus est, clamans & identidem dicens, quod nos quoque contra hæreticos clamamus & dicimus, *Hæc dicit dominus, Dereliquistis vias domini, & dominus derelinquet vos.* Neque enim, quia pauci temerarij & improbi, cælestes & salutares vias domini derelinquunt, & sancta non agentes à sancto Spiritu deseruntur, ideo & nos diuinæ traditionis immemores esse debemus, vt maiora esse furentium scelera, quàm sacerdotum iudicia censeamus: aut plus existimemus ad impugnandum posse humana conamina, quàm quod ad protegendum præualet diuina tutela.

Matth. 23.

2. Paralip. 15

tutela. An ad hoc frater charisime, deponenda est catholicæ ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta maiestas, & sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, vt iudicare velle se dicant de ecclesiæ præposito extra ecclesiam constituti? de Christiano hæretici? de sano saucij? de integro vulnerati? de stãte lapsi? de iudice rei? de sacerdote sacrilegi? Quid supereſt, nisi vt ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac domini altare remouentibus, in cleri nostri sacrũ venerandũq; consessum, simulacra atque idola cum aris suis transeant, & Nouatiano declamandi aduersum nos atque increpandi largior & plenior materia præstetur: si mihi qui sacrificauerunt, & Christum publice negauerunt, non tantum rogari & sine acta pœnitentia admitti, sed adhuc insuper cœperint terroris sui potestate dominari? Si pacem postulant, arma deponant: si satisfaciunt, quid minantur? Aut si comminantur, sciant quia à sacerdotibus dei non timentur: neq; enim & Antichristus cum venire cœperit, introibit in ecclesiam, quia minatur: aut armis eius & violentiæ ceditur, quia resistentes perempturum se esse profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant sua comminatione terreri: nec in pace nos deiiciunt, sed magis erigunt & accendunt: dum ipsam pacem persecutione peiorem fratribus faciunt. Et optamus quidem ne quod loquuntur furore, impleant crimine: ne qui verbis perfidis & crudelibus peccant, factis quoque delinquant. Oramus ac deprecamur deum, quem prouocare illi & exacerbare non desinunt, vt eorum corda mitescant: vt furore depositio ad sanitatem mentis redeant: vt pectora, à delictorum tenebris soluta pœnitentię lumen agnoscant: & magis petant fundi pro se preces atque orationes antistitis, quàm ipsi fundant sanguinem sacerdotis. Si autem in suo furore permanserint, atque in istis insidiis ac minis suis parricidialibus crudeliter perseuerauerint, nullus dei sacerdos sic infirmus, sic iacens & abiectus sit, imbecillitate humanæ mediocritatis inualidus, qui non contra hostes & impugnatores dei diuinitus erigatur: cuius non humilitas & infirmitas vigore & robore domini protegentis animetur. Nostra nihil interest, aut à quo, aut quando perimamur, mortis & sanguinis præmium de domino recepturi. Illorum flẽda & lamentanda conditio est, quos sic diabolus excæcat, vt æterna gehennę supplicia non cogitantes, Antichristi iam propinquantis aduentum conentur imitari. Et quãquam sciam frater charisime, pro mutua dilectione quam debemus, & exhibemus inuicem nobis, florentisimo illic clero tecum prę-sidenti, & sanctisimę atque amplisimę plebi legere te semper literas nostras: tamen nunc admoneo & peto, vt quod alias sponte atque honorifice facis, etiam petente me facias, vt hac epistola mea lecta, si quod illi contagium venenati sermonis, & pestiferæ seminationis irrepserat, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorũ integra ac sincera dilectio, ab omnibus hæreticæ detractionis sordibus repurgetur. Declinent autem de cetero fortiter, & euitent dilectisimi fratres nostri, verba & colloquia eorum quorum sermo vt cancer serpit: sicut Apostolus dicit, *Corrumpunt ingenia bona confabulationes peßimæ.* & iterum, *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem euita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus.* Et per Salomonem loquitur Spiritus sanctus. *Peruersus*, inquit, *in ore suo portat perditionem, & in labiis suis ignem condit.* Item denuo monet dicens, *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et iterum, *Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus autem non intendit labiis mendacibus.* Quanquam sciam illic fraternitatem nostram, vestra scilicet prouidentia munitam, sed & sua vigilantia satis cautam, nec capi hæreticorum venenis posse nec decipi, tantúmque apud illos prævalere & magisteria & præcepta diuina, quantus illis in deum timor est, tamen ex abũdantia vel sollicitudo nostra, vel charitas scribere ad

1.Cor.15. Titum.3. Prouer.16. Eccles.18. Prouer.17.

vos ista persuasit, vt nulla cum talibus commercia copulētur, nulla cum malis conuiuia vel colloquia misceantur: simúsque ab eis tam separati, quàm
Matth.8. sunt illi de ecclesia profugi, quia scriptum est, *Si autem & ecclesiam contempserit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Et beatus Apostolus non monet tan
2. Thessal.1. tum, sed & iubet à talibus vt recedatur. *Præcipimus*, inquit, *vobis in nomine domini nostri Iesu Christi, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Nulla societas fidei & perfidiæ potest esse. Qui cum Christo non est, aduersarius Christi est: qui vnitati & paci eius inimicus est, nobiscum non potest cohærere. Si cum precibus & satisfactionibus veniunt, audiantur: si maledicta & minas ingerunt, respuantur. Opto te frater semper bene valere.

ARGVM. Scribit ad eundem Cornelium papam Romanum, de Nouatiano & Nouato schismaticis, vbi illorum probra commemorat.

CYPRIANVS, CORNELIO, FRATRI, SALVTEM. XIX.

ET cum diligentia & cum dilectione feciſti frater chariſsime, festinato ad nos mittēdo Nicephorum acoluthum, qui nobis & de confessoribus regressis glorioſam lętitiam nunciaret, & aduersus Nouatiani & Nouati nouas & perniciosas ad impugnandā Christi ecclesiam machinas plenisime instrueret. nam cum pridie istuc veniſſet hæreticæ prauitatis nocens factio, ipsa iam perdita, & alios qui sibi consenserint perditura, postero die Nicephorus cum vestris literis superuenit: quibus & didicimus, & docere atque instruere ceteros cœpimus: Euaristum de episcopo iam nec laicum remansisse, cathedræ & plebis extorrem, & de ecclesia Christi exulem, per alias longe prouincias oberrare, & ipsum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quosdam sui similes paria naufragia concitare: Nicostratum vero, diaconio sanctæ administrationis amisso, ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, & viduarum ac pupillorum depositis denegatis, non tam in Africam venire voluisse, quàm conscientia rapinarum & criminum nefandorum illinc ab vrbe fugisse: & nunc ecclesiæ desertor ac profugus, quasi mutasse sit hominem, mutare regionem, confessorem se vltro iactat & prædicat, cum Christi confessor nec dici nec esse iam posit, qui ecclesiam Christi negauit. nam cum Paulus apostolus dicat, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in vnam carnem: Sacramentum istud magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia:* cum hoc inquam, beatus apostolus dicat, & Christum pariter atque ecclesiæ vnitatem indiuiduis nexibus cohęrentē, sancta sua voce testetur, quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsa Christi atque in eius ecclesia non est? Aut quomodo assumit sibi regendę aut gubernandæ ecclesiæ curam, qui spoliauit & fraudauit ecclesiam Christi? Nam de Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Nouatus ostendi rerum nouarum semper cupidus, auaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogātia & stupore superbi tumoris inflatus: semper istic episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium sacerdotum voce damnatus: curiosus semper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, nunquam fidelis vt diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad facienda fidei naufragia, hostis quietis tranquillitatis aduersarius, pacis

cis inimicus. Denique Nouato illinc à vobis recedente, id est procella & turbine recedente, ex parte illic quies facta est: & glorioſi ac boni confeſſores, qui de eccleſia illo incitante diſceſſerant, poſteaquam ab vrbe ille diſceſsit, ad eccleſiam reuerterunt. Idem est Nouatus, qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incēdium ſeminauit, qui quoſdam iſtic ex fratribus ab epiſcopo ſegregauit, qui in ipſa perſequutione ad euertendas fratrum mentes alia quædam perſequutio noſtris fuit. Ipſe est, qui Feliciſsimum ſatellitē ſuum diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit, & cum ſua tempeſtate Romæ quoque ad euertendam eccleſiam, nauigans, ſimilia illic & paria molitus est: à clero portionem plebis auellens, fraternitatis bene ſibi cohærentis & ſe inuicem diligētis concordiam ſcindens. Planè quoniam prō magnitudine ſua debet Carthaginem Roma præcedere, illic maiora & grauiora commiſit. Qui iſtic aduerſus eccleſiam diaconum fecerat, illic epiſcopum fecit. Nec hoc quiſquam miretur in talibus. Ferūtur ſemper mali ſuo furore dementes, & poſteaquam ſcelera fecerint, conſciētia ipſa ſceleratæ mentis agitātur. Nec remanere in eccleſia dei poſſunt, qui circa me & eccleſiaſticam diſciplinam nec actus ſui conuerſatione, nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque eccleſiæ denegatæ: has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conſpicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. Vterus vxoris calce percuſſus, & abortione properāte, in parricidium partus expreſſus. Et damnare nunc audet ſacrificantium manus, cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius qui naſcebatur, occiſus est. Hanc conſcientiam criminum iam pridem timebat: propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantum, ſed & de communicatione prohiberi pro certo timebat. Et vrgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos cauſa eius ageretur, niſi perſequutio ante veniſſet, quàm iſte voto quodam euadendę & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit: vt qui eiici de eccleſia & excludi habebat, iudicium ſacerdotum voluntaria diſceſsione præcederet: quaſi euaſiſſe ſit pœnam, præueniſſe ſententiam. Circa ceteros autem fratres elaboramus, quos ab eo circunuentos dolemus, vt veteratoris pernicioſum latus fugiant, vt lethales laqueos ſollicitātis euadant: vt de qua ille pelli diuinitus meruit, eccleſiam repetant. Quos quidem domino adiuuante, per eius miſericordiam regredi poſſe confidimus. Neque enim poteſt perire, niſi quem conſtat eſſe periturum, cum dominus in euangelio ſuo dicat, *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Qui plantatus non est præceptis dei patris & monitis, ſolus poterit de eccleſia ille diſcedere: ſolus epiſcopis derelictis cum ſchiſmaticis & hæreticis in furore manere. Ceteros vero nobiſcum adunabit dei patris miſericordia, & Chriſti domini noſtri indulgentia, & noſtra patiētia. Opto te frater chariſsime ſemper bene valere. Matth. 15.

ARGVMENT. Se ad confeſſores literas ſcripſiſſe commemorat.

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. XX.

EST religioſum vobis & neceſſarium exiſtimaui, frater chariſsime, ad confeſſores, qui illic ſunt, N&ouatiani & Nouati obſtinatione & prauitate ſeducti, de eccleſia receſſerunt, literas breues facere: quibus eos pro affectione mutua conuenirem, vt ad matrem ſuam, id est eccleſiam catholicam reuertātur: quas literas tibi à Meſsio hippodiacono legi prius mandaui, ne quis aliud me ſcripſiſſe fingeret, quā quod meis

literis continetur. Mandaui tamen eidem Mesio à me ad vos misso, vt de tuo arbitrio rem gerat: & si easdem literas confessoribus putaueris esse reddendas, tunc eas tradat. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVM. *Quod aduersus Cornelium accusationem non receperit.*

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. XXI.

QVOS seruis Dei & maxime sacerdotibus iustis & pacificis congruebat, frater charissime, miseramus nuper collegas nostros Calydonium & Fortunatum, vt non tantum persuasione literarum nostrarum, sed præsentia tua & consilio omnium vestrum eniterentur quãtum possent, & elaborarent, vt ad catholicæ ecclesiæ vnitatem scisi corporis membra componerent, & Christianæ charitatis vinculo copularent. Sed quoniam diuersæ partis obstinata & inflexibilis pertinacia, non tantum radicis & matris sinum atque complexum recusauit, sed etiam glisçente, & in peius recrudescente discordia, episcopum sibi constituit, & contra sacramentum semel traditum diuinæ dispositionis & catholicę vnitatis, adulterum & contrarium caput extra ecclesiam fecit, acceptis literis tam tuis, quàm collegarum nostrorum, item aduentantibus bonis viris & nobis charissimis collegis nostris, Pompeio & Stephano, à quibus hæc omnia nobis cum lętitia communi asseuerata sunt firmiter & probata, secundum quod diuinę traditionis & ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter ac veritas exigebat, literas nostras ad te direximus. Sed & per prouinciam nostram hęc eadem collegis nostris singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum literis redigendos esse mandauimus. Quanquam mens nostra & propositum iam tunc fratribus & plebi istic vniuersæ manifestatum fuisset: quando literis nuper ab vtraque parte susceptis, tuas literas legimus, & episcopatus tui ordinationem singulorum auribus intimauimus. Honoris etiam communis memores, & grauitatis sacerdotalis ac sanctitatis respectum tenentes, ea quę ex diuerso in librum missum congesta fuerant, aceruationibus criminosis respuimus, considerantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum religioso conuentu confidentibus dei sacerdotibus & altari posito nec legi debeant nec audiri. Neque enim facile promenda sunt, & incaute ac temere publicanda, quæ discordioso stilo audientibus scandalum moueant, & fratres longe positos ac trans mare constitutos incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori suo, vel libidini seruientes, & diuinæ legis & sanctitatis immemores, vel iactitare interim gestiunt quæ probare non possunt: & cum innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent fama mendacij & falso rumore maculas inspergere. Certe quod præpositis & sacerdotibus congruit, danda opera est, vt talia cum à quibusdam scribuntur, per nos respuãtur. vbi enim erit quod discimus, ac docemus scriptum est? *Contine linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiose.* Item alibi, *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua complectebatur insidias: sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scãdalum.* Itẽ quod Apostolus dicit, *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Porrò hæc fieri debere ostendimus, si quando talia quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur, & idcirco frater charissime, cum ad me talia aduersum te &

Psal. 33. & 49.

Ephes. 4.

com-

compresbyteros tecum considentes scripta venissent, clero & plebi legi præcepi, quæ religiosam simplicitatem sonabant, nec vllis maledicorum & cõuiciorum latratibus perstrepebant. Quod autem scripta collegarum nostrorum qui illic ordinationi tuæ adfuerant, desiderauimus, non veteres mores obliti, nouum aliquid quærebamus: nam satis erat, vt tu te episcopum factis literis nunciares: nisi esset ex diuerso discrepans factio, quæ criminosis & calumniosis commentis suis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, & corda confunderet. Cui rei sopiendæ necessarium duximus, vt scribentium nobis inde collegarum nostrorum firma & solida auctoritas praeretur. Qui moribus ac vitæ & disciplinæ tuæ condigna literarum suarum testimonia prædicantes, æmulis quoque & rerum vel nouitate vel prauitate gaudentibus, omnem ambigendi & discrepandi scrupulum sustulerunt, & secundum consilium nostrum salubri ratione liberatas in hoc fluctu æstuantium fratrum mentes, sincere ac firmiter tuum sacerdotium probauerunt. Hoc enim vel maxime frater & laboramus, & laborare debemus, vt vnitatẽ à domino, & per apostolos nobis successoribus traditam, quãtum possumus, tenere curemus: & quod in nobis est, palabundas & errantes oues, quas quorundam peruicax factio, & hæretica tentatio à matre secernit, in ecclesiam colligamus, illis solis foris remanentibus, qui in obstinatione sua vel furore perseuerarunt, & ad nos redire noluerunt, discretionis & separationis à se factæ, & ecclesiæ derelictæ ipsi rationem domino reddituri. Quantum vero hic ad presbyterium quorundam & Felicissimi causam pertinet, quid hic actum sit vt scire posses, literas ad te collegæ nostri manu sua subscriptas miserunt. Qui auditis eis quid senserint, & quid pronunciauerint, ex eorum literis disces. Melius autem frater facies, si etiam exempla literarum, quæ ad te legenda pro dilectione communi, per Calydonium & Fortunatum collegas nostros proximè miseram, quæ de eodẽ Felicissimo & de presbyterio eiusdem ad clerum istic, necnon & ad plebem scripseram, legi illic fratribus iubeas, quæ & de ordinatione & rationem rei gestæ loquantur, vt tam istic quàm illic circa omnia per nos fraternitas instruatur. Exemplaria autem eadem nunc quoq; per Mesium hypodiaconum à me missum & Nicephorum acoluthum transmisi. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVMEN. Ad eundem epistola de supradictis hæreticis, qui Cornelium male Papam creatum adserebant, volentes alium constituere.

CYPRIANVS, CORNELIO, FRATRI, SALVTEM. XXII.

VENERVNT ad nos frater charissime missi à Nouatiano Maximus presbyter & Augendus diaconus, & Matthæus quidam, & Longinus. Sed enim cum ex literis quas secum ferebant, & ex eorum sermone atque adseueratione, Nouatianum episcopum factum comperissemus inlicite, & contra ecclesiam catholicam factę ordinationis prauitate commoti, à communicatione eos nostra statim cohibẽdos esse censuimus, refutatis interim ac retusis quę obstinate ac pertinaciter adserere tẽtabant: nam ego & collegæ mei plurimi qui ad me conuenerant, expectabamus aduentum collegarum nostrorum Calydonij & Fortunati, quos ad te nuper & coëpiscopos nostros, qui ordinationi tuæ adfuerant, legatos miseramus, vt eis aduentantibus, & rei gestæ veritatem reportantibus, maiore au-

ctoritate & elucidata per eos probatione, partis aduersæ improbitas frangeretur. Superuenerunt vero Pompeius & Stephanus collegæ nostri, qui & ipsi quoque ad instruendos istic nos manifesta secundum grauitatem ac fidem suam indicia ac testimonia protulerunt, vt nec necesse fuerit audiri vltra eos qui à Nouatiano venerant missi. Qui cum statione, inuidiosis quoque conuiciis & clamoribus turbulentis prorumperent & flagitarent, vt crimina quæ se afferre ac probare dicebant, publice à nobis, & à plebe cognoscerentur, grauitati nostrę negauimus conuenire, vt collegæ nostri iam delecti & ordinati, & laudabili multorum sententia comprobati, ventilari vltra famam ore maledico, & æmulantium voce pateremur: & quia à quibus refutati & compressi sunt, & inlicitis conatibus, hæresin feciſſe nudati sunt, in epistolam congerere longum fuit. ex Primitiuo compresbytero nostro plenissime singula, quando ad vos venerit, audietis. Ac ne eorum furens audacia vnquam desisteret, hic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere, & catholicę ecclesię corpus vnum scindere ac laniare nituntur, vt ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam ciuitates discurrentes, obstinationis suæ & eroris scissi sibi quærant comites. Quibus semel responsum dedimus, nec mandare desistimus, vt pernicioſa dissensione & concertatione deposita, impietatem esse sciant, matrem deserere: & agnoscant atque intelligant, episcopo semel facto & collegarum ac plebis testimonio & iudicio comprobato, alium cõstitui nullo modo posse: proinde pacifice sibi ac fideliter consuluisse, vt si se adsertores euangelij & Christi esse confitentur, prius ad ecclesiam reuertantur. Opto te frater charissime, semper bene valere.

ARGVM. Ad eundem epistola, in qua congratulatur de quibusdam confessoribus ad ecclesiæ vnitatem reuersis, qui à schismaticis deprauati fuerant.

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. XXIII.

ET egisse nos & agere frater charissime, maximas gratias, sine ceſſatione profitemur deo patri omnipotenti & Christo eius, domino & deo nostro salutari, quod sic ecclesia diuinitus protegatur, vt vnitas eius & sanctitas non disiunga tur, nec in totum perfidiæ & hæreticæ prauitatis obstinatio ne violetur. Legimus enim literas vestras, & voti communis amplissimũ gaudium exultanter excepimus, Maximum presbyterum & Vrbanum cõfessores cum Sidonio & Macario ad ecclesiam catholicam regressos esse, id est errore depoſito & schismatico, immo hæretico furore deserto, vnitatis ac veritatis domicilium fideli sanitate repetisse, vt vnde ad gloriam processerant, illuc glorioſi redirent, ne qui Christum cõfessi essent, Christi postmodum castra desererent, nec tentarent charitatis atque vnitatis fidem, qui victi robore & virtute non fuerant. Ecce incolumis & immaculata laudis integritas: ecce incorrupta & solida confitentium dignitas, à desertoribus & profugis recesisse, proditores fidei & ecclesię catholicæ impugnatores reliquisse. Merito illos reuertentes summo, vt scribitis, gaudio, & clerus & plebs & fraternitas omnis excepit, quoniam in confessoribus gloriam suam conseruantibus, & ad vnitatem reuertentibus, nemo nõ socium se & participem eorum gloriæ computat. Huius diei lætitiam de nostris possumus sensibus æstimare. nam cum istic ad literas vestras quas de eorum cõfesione misistis, lætatus sit omnis fratrum numerus, & summa alacri-

ta

tate hunc nuncium communis gratulationis exceperit, quid illic vbi res ipsa & præsens lætitia sub oculis omnium gerebatur? Cum enim dominus in euãgelio suo dicat, esse summũ gaudium in cęlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quanto maius est gaudium & in terris pariter & in cælo, super confessoribus ad ecclesiam dei cum gloria sua & cum laude redeuntibus, & redeundi viam ceteris exempli sui fide & probatione facientibus? Hic enim quosdam fratres nostros error induxerat, quod sibi communicationem cõfessorum sequi viderentur. Quo errore sublato lux omnium pectoribus infusa est, & ecclesia catholica vna esse, nec scindi, nec diuidi posse monstrata est. Nec quisquam iam facile poterit schismatici furentis verbis loquacibus decipi, quando probatum sit bonos & glorioſos Christi milites non potuisse diu aliena fallacia & perfidia extra ecclesiam detineri. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVMEN. Scribit ad Rogatianum & ceteros confessores, de obseruatione disciplinæ & fidei Christianæ: eos hortans, vt sicut prima congressione aduersarium vicerunt, ita gloriam suam forti & perseueranti virtute teneant.

CYPRIANVS, ROGATIANO PRESBYTERO ET CETERIS CONFESSORIBVS fratribus, salutem. XXIIII.

ET iampridẽ vobis fratres charissimi ac fortissimi, literas misera, quibus fidei & virtuti vestræ verbis exultantibus gratularer, & nunc non aliud in primis vox nostra complectitur, quàm, vt læto animo frequenter ac semper gloriam vestri nominis prędicemus. Quid enim vel maius in votis meis potest esse, vel melius, quàm cum video confessionis vestræ honore inluminatum gregem Christi? nam cum gaudere in hoc omnes fratres oporteat, tũ in gaudio communi maior est episcopi portio: Ecclesiæ enim gloria est. Quantum dolemus ex illis, quos tempestas inimica prostrauit, tantum lætamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem, vt qui aduersarium prima hac congressione viciſtis, gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in seculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra cotidie dimicamus: danda opera est, vt post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis quod iam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est quod adeptus es, posse seruare. Sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris non accepta, sed custodita viuificat. nec statim consecutio, sed cõsummatio hominem deo seruat. Dominus hoc magisterio suo docuit dicens, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.* Puta hoc illum & confessori suo dicere, Ecce confessor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique & Saul, & ceteri multi, quandiu in viis domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab his disciplina dominica, recesit & gratia. Perseuerandum nobis est in arcto & in angusto itinere laudis & gloriæ, & cum quies & humilitas & bonorum morum tranquillitas Christianis omnibus congruat secundum Dei vocem, qui neminem alium respicit, nisi humilem & quietum & trementem sermones suos, tunc magis hoc obseruare & implere confessores oportet, qui exemplum facti estis ceteris fratribus, ad quorum mores omnium vita & actus debeat prouocari. Nam sicut Iudæi à deo alienati sunt, propter quos no- Ioan. 5.

men dei blaſphematur in gentibus:ita contra,deo chari ſunt,per quorum diſciplinam nomen domini laudabili teſtimonio prædicatur,ſicut ſcriptum eſt
Matth.5. domino præmonente & dicente, *Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & clarificent patrem veſtrum qui eſt in cælis.* Et Paulus a-
Philip.2. 1. Pet.2. poſtolus dicit, *Lucete ſicut luminaria in mundo.* Et Petrus ſimiliter hortatur, *Sicut hoſpites,* inquit, *& peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem habentes inter gentiles bonam, vt dum detrectant de vobis, quaſi de malignis, bona opera veſtra aſpicientes, magnificent dominum.* Quod quidem maxima pars veſtrum cum meo gaudio curat, & confeſsionis ipſius honore melior facta, tranquillis & bonis moribus gloriam ſuam cuſtodit & ſeruat:ſed quoſdam audio inficere numerum veſtrũ, & laudem præcipui nominis praua ſua conuerſatione deſtruere:quos etiam vos ipſi, vtpote amatores & conſeruatores laudis veſtræ, obiurgare & comprimere & emendare debetis.Cum quanto enim nominis veſtri pudore delinquitur,quando alius aliquis temulentus & laſciuiens demoratur:alius in eam patriam vnde extor ris factus eſt,regreditur,vt deprehenſus non iam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat? Inflari audio aliquos & tumere, cum ſcriptum ſit, *Noli al-*
Rom.11. Eſa. 55. *tum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Dominus noſter ſicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce:ſic non aperuit os ſuum.Non ſum, inquit, contumax,neque contradico. dorſum meum poſui ad flagella,& maxillas meas ad palmas. faciem autem meam non auerti à fœditate ſputorum. Et quiſquam per ipſum nunc atque in ipſo viuens, extollere ſe audeat & ſuperbire:immemor & factorum quæ ille geſsit,& mandatorum quæ nobis vel per ſe,vel per apoſtolos ſuos tradidit? Quod ſi non eſt maior domino ſuo ſeruus, qui dominũ ſequuntur,humiles & quieti & taciturni veſtigia eius imitentur. Quan-
Ioan.13. to quiſq; inferior fuerit, ſublimior fiat dicente domino, *Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus.* Quid deinde illud? quàm vobis execrandũ debet videri, quod cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognouimus? non deeſſe qui dei templa, & poſt confeſsionem ſanctificata & inluſtrata plus membra, turpi & infami cõcubitu ſuo maculent, cubilia cum fœminis promiſcua iungentes, quando & ſi ſtuprum conſcientiæ eorum deſit,hoc ipſum grande crimen eſt,quod illorum ſcandalo in aliorum ruinas exempla naſcantur. Contentiones quoque & æmulationes inter vos nullas eſſe oportet, cum pacem ſuam nobis dimiſerit dominus,& ſcriptum ſit, *Diliges proximum tuum tanquam*
Galat.5. *te. Si autem mordetis & incuſatis inuicem, videte ne conſummamini ab inuicem.* Cõuiciis etiam & maledictis quæſo vos abſtinete, quia neque maledici regnum dei conſequentur,& lingua quæ Chriſtũ confeſſa eſt,incolumis & pura cum ſuo honore ſeruanda eſt. nam qui pacifica, & bona,& iuſta ſecundum Chriſti præceptum loquitur, Chriſtum cotidie confitetur.Seculo renunciauimus cum baptizati ſumus, ſed & nunc vere renunciamus ſeculo, quando tentati & probati à deo,noſtra omnia relinquẽtes,dominum ſecuti ſumus, & fide ac timore eius ſtamus & viuimus.Corroboremus nos exhortationibus mutuis, & magis ac magis proficiamus in domino,vt qui pro ſua miſericordia pacem fecerit,quã ſe facturum repromittit,noui & pene mutati ad eccleſiam reuertamur,& excipiant nos ſiue fratres noſtri,ſiue gẽtiles circa omnia correctos atque in melius reformatos: & qui admirati fuerant prius in virtutibus gloriam, nunc admirentur in moribus diſciplinam. Opto te frater chariſsime, ſemper bene valere.

ARGVM. Epiſtola ad plebem de quinque presbyteris ſchiſmaticis:in qua diuerſarum pericula animarũ enarrans,admonet vt qui mandatũ dei reiiciũt, & traditionẽ ſuã ſtatuere conantur,fortiter ab ipſis & firmiter reſpuantur.

CYPRI-

CYPRIANVS, PLEBI VNIVERSAE, SALVTEM. XXV.

QVANQVAM fratres chariſsimi, Virtius fideliſsimus atq; integerrimus presbyter, item Rogatianus & Numidicus, presbyteri, & cõfeſſores, & gloria diuinæ dignationis illuſtres: ſed & diaconi boni viri & eccleſiaſticę adminiſtrationis per omnia obſequia deuoti, cum ceteris miniſteriis, plenam vobis præſentiæ ſuæ diligentiam præbeant, & exhortationibus aſsiduis ſingulos corroborare, ſed & lapſorum mentes conſiliis ſalubribus regere & reformare non deſinant: tamẽ ego quantum poſſum admoneo, & quomodo poſſum viſito vos literis meis, literis, inquam, fratres chariſsimi. Hoc enim quorundam presbyterorum malignitas & perfidia perfecit, ne ad vos ante diem paſchæ venire licuiſſet, dum coniurationis ſuæ memores, & antiqua illa contra epiſcopatũ meum, immo contra ſuffragium veſtrum & dei iudicium venena retinentes, inſtaurant veterem contra nos impugnationem ſuam, & ſacrilegas machinationes inſidiis ſolitis denuo renouant. Et quidem de dei prouidentia nobis hoc nec volentibus, nec optantibus, immo & ignoſcentibus & tacẽtibus, pœnas quas meruerant pependerunt, vt à nobis non eiecti vltro ſe eiicerent, ipſi in ſe pro conſcientia ſua ſententiam darent, ſecundum veſtra diuina ſuffragia coniurati & ſcelerati de eccleſia ſponte ſe pellerent. Nunc apparuit Feliciſsimi factio vnde veniſſet, quibus radicibus ſtaret, & quibus viribus: hi fomẽta olim quibuſdam confeſſoribus & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum epiſcopo ſuo, nec eccleſiaſticam diſciplinam cum fide & quiete iuxta præcepta dominica continerent, ne confeſsionis ſuæ gloriam incorrupta & immaculata conuerſatione ſeruarent. Ac ne parum fuiſſet corrupiſſe quorundam confeſſorum mentes, & ſacerdotum Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluiſſe, nunc ſe ad lapſorum perniciem venenata ſua deceptione verterunt, vt ęgros & ſaucios ad capienda fortiora conſilia per calamitatem ruinæ ſuæ minus idoneos & minus ſolidos, à medela vulneris ſui auocent, & intermiſsis precibus & orationibus, quibus dominus longa & continua ſatisfactione placandus eſt, ad exitioſam temeritatem mendacio captioſæ pacis inuitent. Sed oro vos fratres, vigilate contra inſidias diaboli, & pro veſtra ſalute ſolliciti contra mortiferam fallaciam diligentius excubate. Perſecutio eſt hæc, alia atque alia tentatio. Et quinque iſti presbyteri nihil aliud ſunt quàm quinque primores illi, qui edicto nuper magiſtratibus fuerant copulati, vt fidem noſtram ſubruerẽt, vt gracilia fratrum corda ad lethales laqueos præuaricatione veritatis auerterent. Eadem nunc ratio, eadem rurſus euerſio per quinque presbyteros Feliciſsimo copulatos ad ruinam ſalutis inducitur, vt non rogetur dominus, nec qui negauit Chriſtum, eundem Chriſtum quem negauerat deprecetur, poſt culpam criminis tollatur & pœnitẽtia, nec per epiſcopos & ſacerdotes domino ſatis fiat, ſed relictis domini ſacerdotibus contra euangelicam diſciplinam noua traditio ſacrilegæ inſtitutionis exſurgat, cumque ſemel placuerit tam nobis quàm confeſſoribus & clericis vrbicis, item vniuerſis epiſcopis vel in noſtra prouincia, vel trans mare conſtitutis, vt nihil innouetur circa lapſorum cauſam, niſi omnes in vnum conuenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus, contra hoc cõſilium noſtrum rebelletur, & omnis ſacerdotalis auctoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur. Quas nunc pœnas patior fratres chariſsimi, quòd ipſe ad vos impreſentiarum venire non poſſum, ipſe ſingulos aggredi, ipſe vos ſecundum domini &

Satiſf.

euangelij eius magisterium cohortari? Non suffecerat exilium iam biennij & à vultibus atque ab oculis vestris lugubris separatio? dolor iugis & gemitus, qui me solum sine vobis continua lamentatione discruciat? lachrimæ diebus ac noctibus profluentes, quod sacerdoti quem tanto amore & ardore fecistis, necdum vos salutare, & necdum complexibus vestris inhærere cõtingat? Accessit hic tabescenti animo nostro dolor maior, quod in tanta sollicitudine ac necessitate excurrere ad vos ipse non possum, dum per minas & per insidias perfidorũ cauemus, ne aduenientibus nobis tumultus illic maior oriatur: & cum paci & tranquillitati episcopus prouidere in omnibus debeat, ipse materiam seditioni dedisse, & persecutionem denuo exacerbasse videatur. Hinc tamen fratres dilectissimi, hinc admoneo pariter & consulo, ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. Nec ætas vos eorum nec auctoritas fallat, qui ad duorum presbyterorum veterem nequitiam
Dan. 13. respondentes: sicut illi Susannam pudicam corrumpere & violare conati sunt, sic & hi adulterinis doctrinis ecclesiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem euangelicam violare conantur. Clamat & dicit dominus, *Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos, & loquuntur, sed non ab ore Domini.* Dicunt eis qui abiiciunt verbum domini: Pax erit vobis. Pacem nunc offerunt, qui ipsi non habent pacem. In ecclesia lapsos reducere & reuocare promittunt, qui de ecclesia recesserunt. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna ecclesia, & cathedra vna super petram, Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum sacerdotium non potest. quisque alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancer & pestem fu-
Matth. 15. giendo vitate, præmonente domino & dicente, *Cæci sunt & duces cæcorum: cæcus autem cæcum ducens, simul in foueam cadent.* Intercedunt precibus nostris, quas nobiscum diebus ac noctibus domino funditis, vt eum iusta satisfactione placetis. Intercedunt lachrimis nostris, quibus commissi delicti crimen abluitis. Intercedunt paci, quam vere & fideliter de domini misericordia po-
Deut. 13. stulatis: nesciunt scriptum esse, *Et Propheta ille aut somnium somnians, ille qui locutus est, vt errare te faceret à domino deo tuo interficietur.* Nemo vos fratres errare à Domini via faciat. nemo vos Christianos ab euangelio Christi rapiat. nemo filios ecclesiæ de ecclesia tollat. Pereant sibi soli, qui perire voluerunt: extra ecclesiam soli remaneant qui de ecclesia recesserunt. Soli cum episcopis non sint, qui contra episcopos rebellarunt. Coniurationis suæ pœnas soli subeant, qui olim secundum vestra suffragia, non secũdum dei iudicia, sententiã coniurationis & malignitatis suę subire meruerunt. Monet nos
Matth. 16. dominus in euangelio suo dicens, *Reiicitis mandatum dei vt traditionem vestram statuatis.* Qui mandatum dei reiiciunt, & traditionem suam statuere conãtur, fortiter à vobis & firmiter respuãtur. Sufficiat lapsis ruina vna. Nemo volẽtes surgere sua circunuentione præcipitet. nemo iacentes, pro quibus nos rogamus, vt dei manu & brachio subleuẽtur, prosternat grauius & deprimat. Nemo semianimes, & vt salutem suam pristinam recipiãt, deprecantes, ab omni spe salutis auertat. Nemo nutantibus lapsus sui caligine, omne itineris saluta-
1. Titum. 6. ris lumen extinguat. Instruit Apostolus dicens, *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis verbis domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ eius stupore inflatus, discede ab huiusmodi.* Et iterum dicit ipse, *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira dei super filios contumaciæ.* Nolite ergo esse participes eorum.
Ephes. 5.

Non

Non est quod decepti inanibus verbis prauitatis, eorum incipiatis esse participes. Discedite à talibus quæso vos, & acquiescite consiliis nostris, qui pro vobis cotidie continuas domino preces fundimus, qui vos ad ecclesiam reuocare per domini clementiam cupimus, qui de deo pacem plenissimã prius matri, tum & filiis eius oramus. Cum precibus atque orationibus nostris vestras quoque orationes & preces iungite, cum fletibus nostris vestras lachrimas copulate. Vitate lupos, qui oues à pastore secernunt: vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax, mentitur, vt fallat: blanditur, vt noceat: bona promittit, vt malum tribuat: vitam pollicetur, vt perimat. Lucent nunc quoque verba eius, & venena manifesta sunt: pacem pollicetur, ne peruenire possit ad pacẽ: salutem promittit, ne qui deliquit, veniat ad salutem: ecclesiam spondet, quando id agat, vt qui illi credit, in totum ab ecclesia pereat. Nunc curandum est fratres dilectissimi, vt & qui stat is, fortiter perseueretis, & stabilitatẽ vestrã gloriosam quam in persecutione tenuistis, perpetua firmitate seruetis. Et si aliqui circunueniẽte aduersario lapsi estis, in secunda hac tentatione spei & paci vestrę fideliter cõsulatis, & vt vobis dominus ignoscat, à sacerdotibus domini nõ recedatis, cũ scriptum sit, *Et homo quicunq; fecerit in superbia, vt nõ exaudiat sacerdotem, aut iudicem: quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille.* Deut. 17. Persecutionis istius nouissima hæc est tentatio, quæ & ipsa cito domino protegente transibit, vt repræsentet vobis post diem paschæ cum collegis meis quibus præsentibus secundũ arbitrium quoq; vestrum, & omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea quæ agenda sunt, disponere pariter & limare poterimus. Si quis autẽ pœnitentiam agere & deo satisfacere detrectans, in Felicissimi & satellitũ eius partes concesserit, & se hæreticæ factioni coniunxerit, sciat se postea ad ecclesiam redire, & cum episcopis & plebe Christi communicare non posse. Opto vos fratres charissimi semper bene valere, & circa domini misericordiam exorandam continuis nobiscum precibus insistere.

ARGVMENT. Epistola hac ad Epictetum & plebem Assuritanorum, de Fortunatiano episcopo, docet eos qui sacrilega sacrificia fecerunt, sacerdotium sibi vindicare non posse.

CYPRIANVS, EPICTETO FRATRI ET PLEBI ASSVRIS CONSISTENTIbus, salutem. XXVI.

GRAVITER & dolenter motus sum fratres charissimi, quod cognouerim Fortunatianum quõdam apud vos episcopum, post grauem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, & episcopatum sibi vindicare cœpisse: quæ res contristauit me: primo propter ipsum qui miser, vel diaboli tenebris in totum excæcatus, vel quorundam sacrilega persuasione deceptus, cum debeat satisfacere & ad dominum exorãdum, diebus ac noctibus, lachrimis & orationibus, & precibus incumbere, audet sibi adhuc sacerdotium quod prodidit, vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare dei fas sit: aut non maiorem in se iram & indignationem domini in die iudicij prouocet, qui cum virtutis & fidei dux fratribus esse non potuerit, perfidiæ & audaciæ & temeritatis magister existat, & qui non docuit fratres in prælio fortiter stare, doceat eos qui victi & prostrati sunt, nec rogare, cum Dominus dicat, *Illis fudistis libamina, & illis imposuistis sacrificia, super hæc non indignabor? dicit Dominus*: & alio loco, Esaiæ. 57.

Esa.2. *Sacrificans diis eradicabitur, nisi domino soli.* Item dominus denuo loquatur & dicat, *Adorauerunt eos, quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis.* In Apocalypsi quoq; legamus iram domini comminantis & dicentis, *Si quis adorat bestiam & imaginem eius, & accipit notam in fronte sua & in manu, bibet & ipse de vino iræ dei, mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & sulphure sub oculis sanctorum angelorum, & sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in secula seculorum ascendet, nec habebunt requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius.* Cum ergo hæc tormenta, hæc supplicia in die iudicij dominus comminetur iis qui diabolo obtemperāt, & idolis sacrificant, quomodo se putat posse agere pro dei sacerdote, qui obtemperauit & seruiuit diaboli sacerdotibus? aut quomodo putat manum suam transferri posse ad dei sacrificium & precem domini, quę captiua fuerit sacrilegio & crimini, quando in scripturis diuinis deus ad sacrificium prohibeat accedere sacerdotes etiam in leuiori crimine constitutos: & in Leuitico dicat, *Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedet offerre dona deo.* Idem in Exodo, *Et sacerdotes, & qui accedunt ad dominum deum sanctificentur, ne forte derelinquat illos dominus:* & iterum, *Et qui accedunt ministrare ad altare sanctum, non adducent in se delictum, ne moriantur.* Qui ergo grauia in se delicta adduxerunt, id est qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerūt, sacerdotium dei sibi vindicare non possunt, nec vllam in cōspectu eius precē pro fratribus facere, quando in euangelio scriptum sit, *Deus peccatorem non audit, sed si quis deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit.* Quanuis sic quorundam pectora tenebrarum ingruentium profunda caligo cæcauerit, vt de præceptis salubribus nihil lucis admittant, semel à recto limite veri itineris auersi, per præceps & abruptum criminū suorum nocte atque errore rapiantur. Nec mirum si consilia nostra, aut domini præcepta nunc abnuunt, qui dominum negauerunt. Stipes & oblationes & lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant, & cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam superstite indies cruditate ructabant, nunc manifestissime comprobantes nec ante se religioni, sed ventri potius & quæstui profana cupiditate seruisse. Vnde & ipsam venisse perspicimus & credimus de dei exploratione censuram, ne apud altare consistere & contrectare vlterius perseuerarent, pudorem incesti, fidem perfidi, religionem profani, diuina terreni, sancta sacrilegi. Quod ne tales ad altaris impiamenta & contagia fratrum denuo redeant, omnibus viribus excubandum est, & omni vigore nitendum, vt quantū possumus ab hac eos sui sceleris audacia retundamus, ne adhuc agere pro sacerdote conētur, qui ad mortis extrema deiecti, vltra lapsos laicos ruinæ maioris põdere proruerint. Si vero apud insanos furor insanabilis perseuerauerit, & recedente Spiritu sancto, quæ cœpit cæcitas in sua nocte permanserit, consilium nobis erit singulos fratres ab eorum fallacia separare, & ne quis in laqueos erroris incurrat, ab eorum contagione secernere, quādo nec oblatio sanctificari illic possit, vbi sanctus spiritus non sit, nec cuiquam dominus per eius oblationes & preces profit, qui dominum ipse violauit. Quod si Fortunatianus aut immemor criminis sui per diaboli cæcitatem, aut minister & seruus diaboli factus, ad decipiēdam fraternitatē in hoc suo furore permanserit, vos quantum potestis elaborate, & in hac caligine diaboli sæuientis fratrum mentes ab errore reuocate, ne alienæ dementiæ facile consentiant, ne se desperatorum delictis participes faciant, sed teneant integræ salutis suæ tenorem, & integritatis conseruatæ à se & custoditæ perpetuum vigorem. Lapsi vero magnitudinem delicti sui cognoscentes à deprecando domino non recedant, nec ecclesiam catholicam quæ vna & sola est à domino constituta, derelinquant, sed satisfactionibus immorātes, & domini misericordiam deprecantes ad

Leui.12. Exod.21. Ioan.6. Apocaly.13.

tes ad ecclesiam pulsent, vt recipi illuc posint vbi fuerũt, & ad Christum redeant, à quo recesserũt. Nec audiant eos qui se fallaci & mortali circunuentione decipiunt, cum scriptum sit, *Nemo vos decipiat inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ: nolite ergo esse participes eorum.* Ergo cõtumaces, & Deum non timentes, & ab ecclesia in totum recedentes, nemo comitetur. Quòd si quis impatiens fuerit ad deprecãdum dominum, qui offensus est, & nobis obtẽperare noluerit, sed desperatos & perditos secutus fuerit, sibi imputabit cum iudicij dies venerit. Quomodo enim deprècari in die illo dominum poterit, qui & ante hoc Christum, & nunc quoque ecclesiam Christi negauit, & episcopis sanis & integris & viuentibus non obtemperans, comitem se & participem morientibus præbuit? Opto vos fratres chariſsimi ac desideratisimi semper bene valere. Ephes. 5.

ARGVMENT. Hac epistola ad clerum & plebem Furnitanorum, Victorem reprehendit, qui Faustinum presbyterum tutorem nominauerat, docens nulli licere presbyterum tutorem testamento constituere.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS ET PLEBI FVRNIS CONSISTENTIBVS, S. XXVII.

GRAVITER commoti sumus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri qui nobis adsidebant, fratres chariſsimi, cum cognouissemus quòd Geminius Victor frater noster de seculo excedens, Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominauerit, cum iampridem in concilio episcoporum statutum sit, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli diuino sacerdotio honorati, & cuncti in clericali ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atque orationibus vacare debeãt. Scriptum est enim, *Nemo militans Deo, obligat se molestiis secularibus, vt possit placere ei cui se probauit.* Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis & laqueis secularibus obligari non debent qui diuinis rebus & spiritalibus occupati, ab ecclesia recedere & ad terrenos & seculares actus vocari nõ possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitę prius in lege tenuerũt, vt cum terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ tẽplo & altari & ministeriis diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet: sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab vndecim tribubus de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de auctoritate & dispositione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in ecclesia domini ordinatione clericali promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis & negociis secularibus adligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant, & die ac nocte cælestibus rebus & spiritalibus seruiant. Quod episcopi antecessores nostri religiosę considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Leuitas vo- 2. Timo. 2.

Oratione & missa pro defuncti

luit auocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur, vt sacerdotum decretum religiose & necessarie factum, seruetur à nobis. Simul & ceteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros Dei, altari eius & ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias deuocet: obseruari enim de cetero poterit, ne vltra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum. Opto vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGVMENT. Lucio Papæ Romano & eius comitibus, de reditu ab exilio congratulans, laudes eorum commemorat.

CYPRIANVS CVM COLLEGIS, LVCIO FRATRI, SALVTEM. XXVIII.

ET NVPER quidem tibi frater charissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in ecclesiæ suæ administratione confessorem pariter & sacerdotem constituit diuina dignatio, sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atq; vniuersæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna domini & larga protectio, vt pascendo gregi pastor, & gubernandæ naui gubernator, & plebi regendæ rector redderetur, & adpareret relegationem vestram sic diuinitus esse dispositam, nõ vt episcopus relegatus & pulsus ecclesiæ deesset, sed vt ad ecclesiam maior rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrij dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus: quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à domino, vixit ad gloriam. In confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia diuinæ protectionis ostendunt. Repręsentatum videmus in vobis, quod apud regem fortes atque illustres pueri prædicauerunt: ipsos quidem paratos esse ardere flammis, ne diis eius seruirent, aut imaginem quã fecerat adorarent: Deum tamen quem colebant, quemq; & nos colimus, potentem esse vt eos de camino ignis eximeret, & de regis manibus ac de pœnis præsentibus liberaret. Quod inuenimus in confessionis vestræ fide, & in domini circa vos protectione nũc gestum, vt cum vos parati fueritis & prompti omne subire supplicium, dominus tamen vos pœnæ subtraheret, & ecclesiæ reseruaret. Regredientibus vobis breuiata non est in episcopo confessionis suæ dignitas, sed magis creuit sacerdotalis auctoritas, vt altari Dei adsistat antistes, qui ad confessionis arma sumẽda & facienda martyria, non verbis plebẽ, sed factis cohortetur: & imminente Antichristo, paret ad prælium milites, non solum sermonis & vocis incitamento, sed fidei & virtutis exemplo. Intelligimus frater charissime, & tota cordis nostri luce perspicimus diuinæ maiestatis salutaria & sancta consilia, vnde illic repentina persecutio nuper exorta sit, vnde cõtra ecclesiam Christi & episcopum Cornelium beatum martyrem, vosq; omnes secularis potestas subito proruperit, vt ad confundendos hæreticos & retundendos, ostẽderet dominus quæ esset ecclesia, quis episcopus eius vnus diuina ordinatione delectus, qui cum episcopo presbyteri sacerdotali honore coniuncti, quis adunatus & verus Christi populus dominici gregis charitate cõnexus, qui essent quos inimicus lacesseret: qui econtra, quibus diabolus vt suis, parceret. Neque

enim

enim perſequitur & impugnat Chriſti aduerſarius, niſi caſtra & milites Chriſti, hæreticos proſtratos ſemel & ſuos factos cõtemnit & præterit: eos quærit deiicere, quos videt ſtare. Atque vtinam nunc facultas daretur frater chariſsime, vt intereſſe illic vobis regredientibus poſſemus, qui vos mutua charitate diligimus, vt aduentus veſtri lætiſsimum fructum præſentes cum ceteris ipſi quoque caperemus. Quæ illic exultatio omnium fratrum? qui concurſus atque complexus occurrentium ſingulorum? Vix oculis adhærẽtium poteſt ſatisfieri, vix vultus ipſi atq; oculi plebis poſſunt videndo ſatiari de aduentus veſtri gaudio. Cognoſcere illic fraternitas cœpit, qualis & quanta ſit ſecutura Chriſtum venientem lætitia: cuius quia cito adpropinquabit aduentus, imago iam quædam præceſsit in vobis, vt quomodo Iohannes præcurſor eius & præuius veniens prædicauit Chriſtum veniſſe, ſic nunc epiſcopo confeſſore domini & ſacerdote redeunte, adpareat & dominum iam redire. Vicarias vero pro nobis ego & collegæ & fraternitas omnis, has ad vos literas mittimus frater chariſsime, & repræſentantes vobis per epiſtolã gaudium noſtrum, fida obſequia charitatis expromimus, hic quoque in ſacrificiis atque in orationibus noſtris non ceſſantes Deo patri & Chriſto filio eius domino noſtro gratias agere, & orare pariter ac petere, vt qui perfectus eſt atque perficiens, cuſtodiat & perficiat in vobis confeſsionis veſtræ glorioſam coronam: qui & ad hoc vos fortaſſe reuocauit, ne gloria eſſet occulta, ſi foris eſſent confeſsionis veſtræ cõſummata martyria. nam victima quæ fraternitati præbet exemplum virtutis & fidei, præſentibus debet fratribus immolari. Optamus te frater chariſsime ſemper bene valere.

ARGVM. *Ad Maximum & Nicoſtratum de Vnitate, rogans, Vt ad eccleſiæ redeant Vnitatem.*

CYPRIANVS, MAXIMO ET NICOSTRATO ET CETERIS CONFESSOSIBVS, S. XXVIIII.

CVM frequenter chariſsimi, cognoueritis ex literis meis, quem & confeſsioni veſtræ honorem, & fraternitati connexæ dilectionem meo ſermone ſeruauerim, credatis quæſo & adquieſcatis his literis meis, quibus vobis & actui & laudibus veſtris & ſcribo, & ſimpliciter & fideliter conſulo. Grauat enim me atque contriſtat intolerabilis perculſi & pene proſtrati pectoris mœſtitia & perſtringit, cum vos illic comperiſſem contra eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra euangelicam legem, contra iuſtitutionis catholicæ vnitatem, alium epiſcopum fieri cenſuiſſe, id eſt quod nefas eſt, nec licet fieri eccleſiam alteram inſtitui, Chriſti membra diſcerpi, dominici gregis animum & corpus vnum diſciſſa æmulatione lacerari. Quod quæſo vt in vobis ſaltem inlicitũ iſtud fraternitatis noſtræ diſcidium non perſeueret, ſed & confeſsionis veſtræ & diuinæ traditionis memores ad matrem reuertamini vnde prodiſtis, vnde ad confeſsionis gloriam cum eiuſdẽ matris exultatione veniſtis. Nec putetis ſic vos euangelium Chriſti adſerere, dum voſmetipſos à Chriſti grege & ab eius pace & cõcordia ſeparatis, cum magis militibus glorioſis & bonis congruat intra domeſtica caſtra cõſiſtere, & intus poſitos ea quæ in commune tractanda ſunt, agere ac prouidere: nam cum vnanimitas & concordia noſtra ſcindi omnino non debeat, quia nos eccleſia derelicta foras exire, & ad vos venire non poſſumus, & vos magis ad eccleſiam matrem & ad noſtram fraternitatem reuertamini, quibus poſſumus hortamẽtis petimus & rogamus. Opto vos fratres chariſsimi ſemper bene valere.

ARGVM. *Maximo presbytero, Vrbano, Sidonio & Macario ad eccleſiam reuerſis, mirifice gratulatur, ad eorum laudem referens quicquid in confeſſione geſſerant.*

CYPRIANVS, MAXIMO PRESBYTERO, ITEM Vrbano & Sidonio & Macario fratribus, ſalutem. XXX.

LECTIS literis veſtris fratres chariſsimi, quas ad me de veſtra regreſsione, & de eccleſiaſtica pace, ac fraterna redintegratione feciſtis, in tantum me lætatum eſſe confiteor, in quantũ fueram & ante lætatus, quãdo confeſsionis veſtræ gloriam comperi, & militiæ veſtrę cæleſtem ac ſpiritalem laudem gratulabũdus excepi: nam & hæc fidei & laudis veſtræ alia cõfeſsio eſt, vnã eſſe eccleſiam confiteri, nec alieni erroris vel potius prauitatis participẽ fieri, repetere eadem caſtra vnde prodiſtis, vnde ad gerendum prælium & aduerſarium ſubigendum fortiſsimis viribus proſiliſtis. Illuc enim erant de acie trophæa referenda, vnde ad aciem fuerãt arma ſuſcepta, ne quos ad gloriam Chriſtus paraſſet, eoſdem glorioſos Chriſti eccleſia non haberet. Nunc vero & vos congruentem fidei veſtræ tenorem, atque indiuiduæ charitatis & concordiæ legem dominica pace tenuiſtis, & exemplum ceteris dilectionis & pacis veſtro itinere feciſtis, vt eccleſiæ veritas & euangelij ac ſacramenti vnitas, quæ à nobis tenebatur, veſtro etiam conſenſu ac vinculo necteretur: nec confeſſores Chriſti, erroris duces fierent, qui virtutis & honoris auctores laudabiles extitiſſent. Viderint, quantum vobis ceteri gratulentur, vel quantum apud ſe ipſos ſinguli glorientur: ego me & gratulari ſatis vobis, & plus ceteris gloriari in hac veſtra pacifica regreſsione & charitate confiteor: ſimpliciter enim quid in meo corde fuerit, debetis audire. Dolebam vehementer, & graiter angebar, quòd eis communicare non poſſem, quos ſemel diligere cœpiſſem. Poſtea quam vos de carcere prodeuntes ſchiſmaticus & hæreticus error excepit, ſic res erat, quaſi veſtra gloria in carcere remanſiſſet: illic enim reſediſſe veſtri nominis dignitas videbatur, quando milites Chriſti non ad eccleſiam de carcere redirent, in quem prius cum eccleſiæ laude & gratulatione veniſſent. Nam etſi videntur in eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in eccleſia ſemper cernimus, ipſi de eccleſia recedamus. Nobis tantũmodo laborãdum eſt, vt frumentum eſſe poſsimus, vt cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in epiſtola ſua dicit, *In domo autem magna non ſolum vaſa ſunt aurea & argentea, ſed et lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata.* 2.Timo.2. Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum ſimus. Ceterum fictilia vaſa confringere domino ſoli cõceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt maior domino ſuo ſeruus: nec quiſquam ſibi quod ſoli filio pater tribuit, vindicare ſe putet vniuerſa zizania humano iudicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus adſumit. Et dum dominum ſibi ſemper quidam, pluſquam mitis iuſtitia depoſcit, adſumunt, de eccleſia pereunt: & dum ſe inſolẽter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. Propter quod & nos temperamentum tenentes, & libram domini contemplantes, & Dei patris pietatem ac miſericordiam cogitantes, diu multumq; tractatu inter nos habito, iuſta moderatione agenda librauimus, quæ omnia penitus poteſtis inſpicere lectis libellis, quos hic nuper legeram, & ad vos quoque legendos

Ioan.13.

pro com-

pro communi dilectione transmiseram, vbi lapsis nec censura deest quæ increpet, nec medicina quæ sanet: sed catholicæ ecclesiæ vnitatem quantum potuit, expressit nostra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nũc vobis placere confido, quando eum iam sic legitis, vt & probetis, & ametis. Si quidẽ quod nos verbis cõscripsimus, vos factis impletis, quãdo ad ecclesiam charitatis ac pacis vnitate remeastis. Opto vos fratres charissimi & desideratissimi semper bene valere.

ARGVMENT. Presbyteris Romæ consistẽtibus scribit, vt scripta sua & collegarum, cum omnibus catholicis communicet et legenda & etiam describenda.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS ROMAE CONSISTENTIBVS FRATRIBVS, S. XXXI.

QVALES literas ad clerum Romę agentem fecerim, quidque illi mihi rescripserint, quid etiam Moyses & Maximus presbyteri, & Nicostratus & Ruffinus diaconi, & ceteri cum eis cõfessores in custodia constituti, æque ad literas meas rescripserint, vt scire possetis fratres charissimi, exẽpla vobis legenda transmisi. Vos curate quantum potestis pro diligentia vestra, vt & scripta nostra, & illorum rescripta fratribus vestris innotescant. Sed & si qui de peregrinis episcopi collegæ mei, vel presbyteri, vel diaconi præsentes fuerint, vel superuenerint, hæc omnia de vobis audiant. Et si exẽpla epistolarum transcribere, & ad nos perferre voluerint, facultatẽ transcriptionis accipiãt. Quanuis & Saturo lectori fratri nostro mandauerim, vt singulis desiderantibus describendi faciat potestatem, vt in ecclesiarum statu quoquomodo interim componendo seruetur ab omnibus vna fidei consensio. De ceteris vero quę agenda erunt, sicut & collegis meis plurimis scripsi, plenius consilio communi tractabimus, quando cõuenire in vnum permittente domino cœperimus. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi semper bene valere. Fraternitatem salutate. Valete.

ARGVMEN. *Ad eosdem epistola, in qua commemoratis iis quæ tempore persecutionis gesserit, à maledicis se expurgat.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS ROMAE CONSISTENTIBVS FRATRIBVS, S. XXXII.

QVONIAM comperi fratres charissimi, minus simpliciter & minus fideliter vobis renunciari quæ hic à nobis & gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis actus nostri, & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur: nam sicut mandata domini instruunt, statim perturbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecũdam præsentiam nostram seditio quæ cœperat, plus prouocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec scriptis, nec monitis meis defui, quo minus secundum domini præcepta fratribus nostris in quibus possem, mea mediocritate consulerem. Et quid egerim, loquũtur vobis epistolæ pro tempo-

ribusemissæ numero tredecim, quas ad vos trãsmisi, in quibus nec clero consilium meum, nec confessoribus exhortatio, nec extorribus quando oportuit obiurgatio, nec vniuersę fraternitati ad deprecandã Dei misericordiam, adlocutio & persuasio nostra defuit, quantum secundum legem fidei, & timorem Dei domino suggerẽte, nostra mediocritas potuit eniti. Postea quam verò & tormenta venerunt, siue iam tortis fratribus nostris, siue adhuc vt torquerentur inclusis, ad corroborandos & confortandos eos noster sermo penetrauit. Item cum comperissem eos qui sacrilegis cõtactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis, nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, vt sine vllo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum milia contra euangelij legem, literas feci quibus martyres & confessores consilio meo quantum possem, ad dominica præcepta reuocarem. Item presbyteris & diaconis non defuit sacerdotij vigor, vt quidam minus disciplinę memores & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare iam cœperant, cõprimerẽtur. Intercedentibus nobis plebi quoq; ipsi quãtum potuimus animũ cõposuimus, & vt ecclesiasticam disciplinam seruarent, instruximus. Post modũ vero cum quidam de lapsis, siue sua sponte, siue aliquo incitatore audaci flagitatione proruerent, & pacem sibi à martyribus & cõfessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad clerum literas feci, & legi eis mandaui, vt ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello à martyribus accepto, de seculo excederent, exomologesi facta & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi à martyribus promissa, ad dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere constitui: sed cũ videretur & honor martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, & præterea vestra legissem, quæ de hoc ad clerum nostrum per Mesium hypodiaconum nuper feceratis, vt iis qui post lapsum infirmitate adprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subueniretur, standum putaui cum vestra sententia, ne actus noster qui adunatus esse & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet, plane ceterorum causas quanuis libello à martyribus accepto differri mandaui, & in nostram præsentiam reseruari, vt cum pace à domino nobis data plures præpositi conuenire in vnum cœperimus, communicato etiam vobiscum consilio disponere singula & reformare possimus. Opto vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGVM. *Ad eosdem epistola, rogans vt iis fratribus qui in carcere erant constituti, omnis humanitas præbeatur, ac tempus eorum annotetur qui diem suum obeunt.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. XXXIII.

QVANQVAM sciam vos fratres charissimi, literis meis frequenter admonitos esse, vt glorioſa voce dominũ confessis, & in carcere constitutis omnis diligẽtia præbeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis quibus ad gloriam nihil deest. Atque vtinam loci & gradus mei conditio permitteret, vt ipse nũc præsens esse possem, promptus & libens solenni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem: sed officium meum

meum vestra diligentia repræsentet, & faciat omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei ac virtutis suæ illustrauit diuina dignatio. Corporibus etiam omnium, qui & si torti nõ sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impartiatur & vigilantia & cura propensior. neque enim virtus eorum aut honor minor est, quo minus ipsi quoque inter beatos martyres adgregentur. Quod in illis est, toleraueruñt quicquid tolerare parati & prompti fuerant. Qui se tormentis & morti sub oculis Dei obtulit, passus est quicquid pati voluit. non enim ipsi tormentis, sed tormenta ipsis defuerunt: sicut scriptum est: *Qui in me confessus fuerit coram hominibus, &* Marci 8. *ego in illo confitebor coram patre meo qui in cælis est.* Cõfessi sunt. Dicit dominus, Ioan. 12. *Qui toleraverit vsque in finem hic saluus erit.* Toleraverunt, & ad finem vsq; in- Matth. 10. corrupta & immaculata virtutum suarum merita pertulerũt. Et iterum scriptum est, *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Vsque ad mor- Apocal. 2. tem fideles & stabiles & inexpugnabiles perseuerarũt. Cum voluntate & nostrę confessioni in carcere & vinculis accidit moriẽdi terminus: consummata martyrij gloria est. Denique & dies eorum quibus excedunt annotare, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quanquam Tertullus fidelissimus ac deuotissimus frater noster inter cetera, sollicitudinem & curam suam cũ fratribus in omni obsequio operationis impartit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quę cito vobiscum domino protegente celebrabimus. Pauperibus quoque, vt sæpe iam scripsi, cura ac diligentia vestra non desit, iis tamen qui in fide stantes & nobiscum fortiter militantes, Christi castra non reliquerunt: quibus quidem nunc maior à nobis & dilectio & cura præstanda est, quòd nec paupertate abiecti, nec persecutionis tẽpestate prostrati, dum domino fideliter seruiunt, ceteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi semper bene valere, & nostri meminisse. Fraternitatẽ meo nomine salutate.

ARGVMEN. *Ad Lucium & qui cum eo sunt, epistola, de acceptis literis non mediocres gratias referens.*

CYPRIANVS, FRATRI ET COLLEGAE Lucio, & qui cum eo sunt fratribus omnibus, in Deo salutem. XXXIIII.

EXVLTANTIBVS nobis & lætantibus in Deo, quòd nos ad congressionem armauerit, & in prælio victores sua dignatione fecerit, superuenerunt literæ tuæ frater charissime, quas per Ennianũ hypodiaconum, & Lucanũ, & Maximum, & Amantium acoluthos misisti nobis: quibus lectis recepimus in vinculis laxamentum, in pressura solatium, & in necessitate præsidium, & excitati sumus & robustius animati ad si quid amplius fuerit pœnarũ. nam ante passionẽ à te sumus ad gloriam prouocati, qui prior nobis ducatum ad confessionem nominis Christi præbuisti. Nos vero secuti vestigia cõfessionis tuæ parẽ gratiam tecum speramus. nam qui prior est in cursu, prior est & ad præmium: & qui prior occupasti, de quo cœpisti, inde hoc nobis cõmunicasti, demonstrationem scilicet indiuiduę charitatis, qua semper nos dilexisti, vt quibus vnus fuit spiritus in coniunctione pacis, esset precum tuarum gratia & vna corona confessionis.

coronam, retributio operum abundans mensura quam accipies à domino in die remunerationis, qui & te nobis literis tuis repręsentasti, vt pectus illud tuum candidum & beatum, quod semper nouimus, manifestares, & secũdum latitudinem eius nobiscum laudes Deo diceres, non quantum nos meremur audire, sed quantum tu potes dicere. Tuis enim vocibus & quæ minus in nobis instructa erant & exornasti, & confirmasti ad sustentationem earundem passionũ, quas patienter ferimus, securi de præmio cælesti & de corona martyrij, & de regno Dei, ad prophetiam quam literis tuis spiritu sancto plenus spopondisti. Hoc totum fiet dilectissime, si nos orationibus tuis in mente habueris. Quod te facere confido, sicut & nos vtique facimus. Accepimus itaq; frater desideratissime, id quod à Quirino, & à teipso missit sacrificiũ ex omni opere mundo, sicut & Noë obtulit Deo, & delectatus est Deus in odorem suauitatis, & respexit in sacrificium eius, ita & in vestrũ respiciat, & delectetur reddere vobis huius tam boni operis mercedem. Peto autem vt literas quas ad Quirinum fecimus, transmitti præcipias. Opto te frater charissime ac desideratissime semper bene valere, & nostri meminisse. Saluta omnes qui tecum sunt. Vale.

ARGVMENT. Scribit ad Felicem presbyterum et Paulum diaconum, & plebem ipsis commissam, de Martiale & Basilide hæresiarchis, docens Deum iussisse, non nisi immaculatos & integros antistites eligi debere.

CYPRIANVS, CAECILIVS, PRIMVS, POLYcarpus, Nicomedes, Lucianus, Successus, Sedatus, Fortunatus, Ianuarius, Secundinus, Pomponius, Honoratus, Victor, Aurelius, Statius, Petrus, alius Ianuarius, Saturninus, alius Aurelius, Venantius, Quietus, Rogatianus, Tenax, Felix, Faustus, Quintus, alius Saturninus, Lucius, Vincentius, Liboſus, Geminius, Marcellus, Iambus, Adelphius, Victoricus, & Paulus, Felici presbytero & plebibus consistentibus ad Legionem & Asturicæ: item AElio diacono & plebi Emeritæ consistentibus fratribus in domino, salutem. XXXV.

CVM in vnum conueniſſemus, legimus literas vestras fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum coëpiscopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem & Martialem libellis idololatriæ cõmaculatos, & nefandorũ facinorum conscientia vinctos, episcopatum gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere. Et desideraſtis rescribi ad hæc vobis, & iustam pariter ac necessariam sollicitudinem vestrã vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ subleuari. Sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia, quàm diuina præcepta respondent, quibus iampridem mandatur voce cælesti, & Dei lege præscribitur, quos & quales oporteat deseruire altari, & sacrificia diuina celebrare. In Exodo nanque ad Moysen Deus loquitur & monet, dicens, *Sacerdotes qui accedunt ad dominum Deum, sanctificentur, ne forte derelinquat illos dominus.* Et iterum, *Et cum accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur.* Item in Leuitico præcepit dominus & dicit, *Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo.* Quæ cũ prædicta & manifestata sint nobis, præceptis diuinis necesse est

Exod. 19.

Leui. 21.

obsequia

obsequia nostra deseruiant, nec personã in eiusmodi rebus accipere, aut aliquid cuiquam largiri potest humana indulgentia, vbi intercedit & legem tribuit diuina præscriptio. Neque enim immemores esse debemus, quid ad Iudæos per Esaiam Prophetam locutus sit dominus increpans & indignans, quòd contemptis diuinis præceptis, humanas doctrinas sequerentur: *Populus iste*, inquit, *labiis suis honorificat me, cor vero eorum longe separatum est à me. Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.* quod idem dominus in Euangelio repetit & dicit, *Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis*: quæ ante oculos habentes, & sollicite ac religiose considerantes in ordinationibus sacerdotum non nisi immaculatos & integros antistites eligere debemus, qui digne & sancte sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate, cum scriptum sit, *Deus peccatorem non audit: sed si quis Deum coluerit & voluntatem eius fecerit, illum audit.* Propter quod plena diligentia & exploratione sincera eos oportet ad sacerdotium Dei deligi, quos à Deo constet audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis esse à contagio delicti possit, cum sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atque inlicitum præpositi sui episcopatum consensum suum commodans, cũ per Osee prophetam comminetur & dicat cẽsura diuina, *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur*: docẽs scilicet & ostendens omnes omnino ad peccatum constringi, quique fuerint prophani & iniusti sacerdotis sacrificio contaminati. Quod idem in Numeris manifestari inuenimus, quando Chore & Dathan & Abiron contra Aaron sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vindicauerunt. Illic quoque per Moysen præcepit dominus, vt ab eis populus separetur, ne facinorosis coniunctus, eodem facinore & ipse perstringatur: *Separamini*, inquit, *à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum.* Propter quod plebs obsequens dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio cõprobetur, sicut in Numeris præcepit Moysi dominus dicens, *Prehende Aaron fratrem tuum & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni synagoga, & exue Aaron stolã eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic.* Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotẽ, id est instruit & ostendit ordinationes sacerdotales nõ nisi sub populi adsistẽtis cõsciẽtia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata, quod postea secundum diuina magisteria obseruatur in Actis apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ episcopo, Petrus ad plebem loquitur: *Surrexit*, inquit, *Petrus in medio discentium: fuit autem turba in vno.* Nec hoc in episcoporum tantum & sacerdotum, sed & in diaconorum ordinationibus obseruasse apostolos sanctos animaduertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: *Et conuocauerunt*, inquit, *illi duodecim totam plebem discipulorum & dixerunt eis.* Quod vtique idcirco tam diligenter & caute conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. ordinari enim nonnunquam indignos non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumptionem, & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima & iusta ordinatione, Deus ipse manifestat per Osee prophetam dicens, *Sibimetipsi regem constitue-*

Esa. 29.
Marci 7.
Matth. 15.
Eccles. 12.
Ioan. 9.
Osee. 9.
Numer. 20.
Numer. 16.
Numer. 20.
Act. 1.
Osee 8.

runt, & non per me. Propter quod diligenter de traditione diuina, & apostolica obseruatione seruandum est & tenendum, quod apud nos quoque & fere per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorũ vitam plenissime nouit, & vniuscuiusque actũ de eius conuersatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de episcoporum qui in præsentia conuenerant, quíque de eo ad vos literas fecerant iudicio, episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Neque rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiæ etiam propriæ confessione nudata, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerat iure depositus. Hæc eo pertinent, vt Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta, vt ad superiora peccata eius etiam fallaciæ & circunuentionis crimen accesserit. neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulẽter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cũ scriptum sit, *Deus non deridetur.* Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quo minus ipse quoque delictis grauibus inuolutus, episcopatũ tenere non debeat, quando & Apostolus moneat & dicat, *Episcopum oportet esse sine crimine, quasi Dei dispensatorem.* Quapropter cum sicut scripsistis fratres dilectissimi, & vt Felix & Sabinus collegæ nostri asseuerant, vtque alius Felix de Cæsarauguſta fidei cultor ac defensor veritatis, literis suis significat: Basilides & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sint: Basilides insuper adhuc præter libelli maculam cum in infirmitate decũberet, in Deum blasphemauerit, & se blasphemasse confessus sit, & episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens, ad agendam pœnitentiam conuersus sit, Deum deprecãs, & satis gratulãs si sibi vel laico communicare cõtingeret: Martialis quoque præter gentilium turpia & lutulenta conuiuia, in collegio diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more ad prophana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud procuratorem Ducenarium obtemperasse se idololatriæ, & Christũ negasse contestatus sit: cũq; alia multa sint & grauia delicta, quibus Basilides & Martialis implicati tenẽtur, frustra tales episcopatũ sibi vsurpare conantur, cum manifestatum sit eiusmodi homines nec ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maxime cum iampridem nobiscũ & cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis, etiã Cornelius collega noster sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoq; dignatione domini honoratus, decreuerit huiusmodi homines ad pœnitentiam quidẽ agendã posse admitti, ab ordinatione autẽ cleri atq; sacerdotali honore prohiberi. Nec vos moueat fratres dilectissimi, si apud quosdam in nouissimis tẽporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligiosus vacillat, aut pacifica concordia nõ perseuerat. Prænũciata sunt hæc futura in seculi fine, & domini voce, atq; apostolorum contestatione prædictum est, deficiente iam mundo, atque appropinquante Antichristo, bona quęq; deficere, mala vero & aduersa proficere, non sic tamen, quanuis nouissimis tẽporibus, in ecclesia Dei aut Euangelicus vigor cecidit, aut Christianæ virtutis & fidei robur elanguit, vt non supersit portio sacerdotum, quæ minime ad has rerũ ruinas & fidei naufragia succumbat. Sed fortis & stabilis honorem diuinæ maiestatis & sacerdotalem dignitatẽ plena timoris obseruatione tueatur. Meminimus & tenemus, succumben-

Galat. 6.

Titum 1.

1. Timo. 4.
2. Pet. 3.

cumbentibus licet & cædentibus ceteris, Mathatiam legem Dei vindicasse fortiter: Hæliam, Iudæis deficientibus atque à religione diuinæ recedẽtibus, stetisse & certasse sublimiter: Danielẽ, nec solitudine religionis alienæ, nec persecutionis assiduæ infestatione deterritum, frequẽter ac fortiter glorioſe edidisse martyria: tres itẽ pueros nec annis, nec minis fractos, contra ignes Babylonios fideliter obstitisse, & victorẽ regẽ in sua ipsa captiuitate vicisse. Viderit vel præuaricatorũ numerus, vel proditorũ, qui nunc in ecclesia cõtra ecclesiã surgere, & fidem pariter ac veritatem labefactare cœperunt: permanet apud plurimos sincera mens, & religio integra, & nõ nisi domino & Deo suo anima deuota, nec Christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat & exaltat ad gloriam, secundum quod beatus Apostolus hortatur & dicit, *Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum? nunquid infidelitas illorum, fidem dei euacuabit? absit: est enim Deus verax, omnis homo autem mendax.* Si autem omnis homo mendax est, & solus Deus verax: quid aliud serui, & maxime sacerdotes Dei facere debemus, nisi vt humanos errores & mendacia relinquamus, & præcepta dominica custodientes, in Dei veritate maneamus? Quare & si aliqui de collegis nostris extiterint fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putãt, & cum Basilide & Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cum spiritus sanctus in psalmis talibus cõminetur, dicens, *Tu autem odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos post te. Si videbas furem, concurrebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Consortes & participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati. Sed & hoc idem Paulus Apostolus scribit dicens, *Susurratores, detractores, Deo abhorrentes, iniurioſi, superbi, iactantes sui, adinuentores malorum, qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed & qui consentiunt eis qui hæc agunt: quoniam qui talia* inquit, *agunt, morte sunt digni.* Manifestat & comprobat morte dignos esse, & ad pœnam venire non tantum illos qui mala faciunt, sed etiam eos qui talia agentibus consentiunt, qui dum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus inlicita communicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, sic nec in pœna separantur, propter quod integritatis & fidei vestræ religiosam sollicitudinẽ fratres dilectissimi & laudamus pariter & probamus, & quantum possumus adhortamur literis nostris, ne vos cum profanis & maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram & sinceram fidei vestræ firmitatem religioso timore seruetis. Optamus vos fratres charissimi semper bene valere.

Roma. 3.

Psal. 49.

ARGVMEN. *Ad Fidum presbyterum, de infantibus baptizandis.*

CYPRIANVS ET CETERI COLLEGAE QVI IN CONCILIO ADFVERVNT NVMERO LXVI. FIDO FRATRI, SALVTEM. XXXVI.

LEGIMVS literas tuas frater charissime, quibus significasti de Victore quondam presbytero, quod ei antequam pœnitẽtiam plenam egisset, & domino Deo in quem deliquerat, satisfeciſſet, temere Therapius collega noster immaturo tempore & prępropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis mouit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, vt ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate vrgente, ac ne-

ceſsitate cogente pax ei concederẽtur: ſed librato apud nos diu conſilio, ſatis fuit obiurgare Therapiũ collegam noſtrum, quod temere hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale decetero faciat. Pacem tamen quomodocunque à ſacerdote Dei ſemel datam non putauimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam vſurpare permiſimus. Quantum vero ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecũdum vel tertium diem quo nati ſunt cõſtitutos, baptizari non oportere, & conſiderandã legem eſſe circunciſionis antiquæ, vt intra octauum diem eum qui natus eſt baptizandum & ſanctificãdum non putares, longe aliud in concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendũ, nemo conſenſit, ſed vniuerſi potius iudicauimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam de-
Lucæ 9. negandam. nam cum dominus in Euangelio ſuo dicat, *Filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare,* quantum in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Quid enim ei deeſt, qui ſemel in vtero, Dei manibus formatus eſt? Nobis enim atque oculis noſtris ſecundum dierum ſecularium curſum accipere qui nati ſunt incrementum videntur, ceterum quecunque à Deo fiunt, Dei factoris maieſtate & opere perfecta ſunt. Eſſe deniq; apud omnes, ſiue infantes, ſiue maiores natu vnam diuini muneris æqualitatẽ, de-
4. Reg. 4. clarat nobis ſcripturæ diuinæ fides, cum Heliſæus ſuper infantẽ viduæ filium qui mortuus iacebat, ita ſe Deum deprecans ſuperſtrauit, vt capiti caput, & faciei facies adplicaretur, & ſuperfuſi Heliſæi membra ſingulis paruuli membris & pedes pedibus iungerentur. Quæ res ſi ſecundum natiuitatis noſtræ & corporis qualitatem cogitetur, adulto & prouecto infans non poſſet æquari, nec cohærere & ſufficere poſſent parua mẽbra maioribus: ſed illic æqualitas diuina & ſpiritalis exprimitur, quod pares atque æquales ſint omnes homines, quando à Deo ſemel facti ſunt, & poſsit ætas noſtra incrementis corporum ſecundum ſeculum, non ſecundum Deum habere diſcrimen, niſi ſi & gratia ipſa, quæ & baptizatis datur, pro ætate accipientium vel minor, vel maior tribuitur, cum ſpiritus ſanctus non de menſura, ſed de pietate atq;
Coloſſ. 3. indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus vt perſonam non accipit, ſic nec ætatẽ, cum ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ cõſequutionem æqualitate librata præbeat patrem. Nam & quod veſtigiũ infantis in primis partus ſui diebus conſtituti, mũdum non eſſe dixiſti, quod vnuſquiſq; noſtrũ adhuc horreat exoſculari, nec hoc putamus ad cæleſtem gratiam dãdam impedimento eſſe oportere. Scriptum eſt enim, *Omnia munda ſunt mundis.* Nec aliquis noſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere. nam & ſi adhuc infans à partu nouus eſt, non ita eſt tamen vt quiſquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat oſculari, quando in oſculo infantis vnuſquiſque noſtrum pro ſua religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato & recens nato quodammodo exoſculamur, quãdo id quod Deus fecit amplectimur. Nam quod in Iudaica circunciſione carnali octauus dies obſeruabatur, ſacramẽtum eſt in vmbra atq; imagine ante præmiſſum, ſed veniente Chriſto in veritate cõpletum. nam quia octauus dies idem quod ſabbatũ primus dies futurus erat, quo dominus reſurgeret & nos viuificaret, & circũciſionem nobis ſpiritalem daret, hic dies octauus, id eſt poſt ſabbatũ primus & dominicus præceſsit in imagine. Quæ imago ceſſauit ſuperueniente poſtmodũ veritate, & data nobis ſpiritali circunciſione. Propter quod neminem putamus à gratia conſequenda impediendum eſſe ea lege quę iam ſtatuta eſt: nec ſpiritalem circunſionem impediri carnali circũciſione debere: ſed omnem omnino hominem admittendum eſſe ad gratiam Chriſti, quando & Petrus in Actibus Apo-
Act. 10. ſtolorum loquatur & dicat, *Dominus mihi dixit neminem communem dicendum*

& immun-

& immundum. Ceterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & prouectos & maiores natu possent impedire peccata grauiora. Porrò autem si etiam grauissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans qui recens natus nil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuersos obseruandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de diuina misericordia plus merentur, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes nil aliud faciunt quàm deprecantur. Optamus te frater charissime semper bene valere.

ARGVMENT. Ad Eucratium de histrione, qua suadet vt ab arte histrionica eum ad viam innocentiæ deducat.

CYPRIANVS, EVCRATIO FRATRI, SALVTEM. XXXVII.

PRO dilectione tua & verecũdia mutua, consulendum me existimasti frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec maiestati diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur, quanto maioris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam, si à theatro ipse cessauerit, cum tamen hoc ceteros doceat. non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se vno plures succedaneos suggerit contra institutionem dei, erudiens & doces, quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & diabolo diuinum plasma maculanti, per corrupti atque eneruati corporis delicta placeatur. Quòd si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter ceteros, qui ecclesię alimentis sustinentur, huius quoque necessitas adiuuari, si tamen contentus sit frugalioribus & innocentibus cibis. Nec putet salario se esse redimendum, vt à peccatis cesset, quando hoc non nobis, sed sibi præstet. Ceterum quantum vult inde quærat. Qualis quæstus est qui de conuiuio Abrahæ, & Isaac & Iacob & homines rapit, & male ac pernicioſe in seculo saginatos, ad æternæ famis ac sitis supplicia deducit? Et ideo quantum potes, ab hac eum prauitate & dedecore ad viam innocentiæ atque ad spem vitæ suæ reuoca, vt sit contentus ecclesiæ sumptibus parcioribus quidem, sed salutaribus. Quòd si illic ecclesia non sufficit, vt laborantibus præstet alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere, nec alios extra ecclesiam mor-

talia docere, sed ipse salutaria in ecclesia discere. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVM. *Ad Rogatianum episcopum, de diacono qui contra episcopum contendit, in qua docet quæ sit sacerdotalis potestas, debereque diaconum audaciæ suæ pœnitentiam agere.*

CYPRIANVS, ROGATIANO FRATRI, SALVTEM. XXXVIII.

GRAVITER & dolenter commoti sumus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, frater charissime, lectis literis tuis, quibus de diacono tuo conquestus es, quod immemor sacerdotalis loci tui, ac ministerij sui oblitus, contumeliis & iniuris suis te exacerbauerit: & tu quidem honorifice circa nos & pro solita tua humilitate feci sti, vt malles de eo nobis conqueri, cum pro episcopatus vigore & cathedræ auctoritate haberes potestatem, qua posses de illo statim vindicari: certus quod collegæ tui omnes ratum haberemus quodcunque circa diaconum tuum contumelioſum sacerdotali potestate fecisses, habens circa eiusmodi homines præcepta diuina, cum dominus deus in Deuteronomio dicat, *Et homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit: & non agent impie etiam nunc.* & vt sciamus hanc Dei vocem cum vera & summa maiestate eius processisse ad honorandos ac vindicandos sacerdotes suos, cum aduersus Aaron sacerdotem tres de ministris Chore, Dathã, & Abiron ausi sunt superbire, & ceruicẽ suam extollere, & sacerdoti præposito se adæquare, hiatu terræ absorpti ac deuorati, pœnas statim sacrilegę audacię persoluerunt. Nec soli illi, sed & ceteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à domino igne consumpti sunt, vt probarentur sacerdotes dei ab eo qui sacerdotes facit vindicari. In libro quoque Regnorum, cum Samuel sacerdos à Iudæorum populo ob senectutem, sicut tu modo, contemneretur, exclamauit iratus dominus & dixit, *Non te spreuerunt, sed me spreuerunt.* Et vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saul regem, qui eos iniuriis grauibus adfligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbum populum calcaret & premeret, vt contemptus sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur. Sed & Salomon in spiritu sancto constitutus, testatur & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas & potestas dicens, *Ex tota anima tua time deum, & sacerdotes eius sanctifica:* & iterum, *Honora deum ex tota anima tua, & honora sacerdotes eius.* Quorum præceptorum memor beatus apostolus Paulus, secundum quod in Actis apostolorum legimus, cum ei diceretur, *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo?* Respondit & dixit, *Nesciebam fratres quia pontifex esset: scriptum est enim, Principem populi tui non maledices.* Dominus etiam ipse noster Iesus Christus rex & iudex & Deus noster vsque ad passionis diem, seruauit honorem pontificibus & sacerdotibus, quanuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent. nam cum leprosum emundasset, dixit illi, *Vade & monstra te sacerdoti, & offer donum.* Humilitate ea quæ nos quoque esse humiles docuit, sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Item sub ictu passionis cum alapam accepisset, & ei diceretur, *Sic respondes pontifici?* nihil ille contumelioſe loquutus est in personam pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est dicens, *Si male locutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis?* Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humi-

Deut. 17.

Numer. 16.

1. Reg. 8.

Ecclesia. 7.

Act. 23.

Exod. 26.

Lucæ 5.

Ioan. 18.

humiliter atque patienter,vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim ſacerdotes veros legitime & plene honorari, dum circa falſos ſacerdotes ipſe talis extitit. Meminiſſe autem diaconi debẽt, quoniam apoſtolos,id eſt epiſcopos & præpoſitos dominus elegit:Diaconos autẽ poſt aſcenſum Domini in cælos apoſtoli ſibi conſtituerunt epiſcopatus ſui & eccleſiæ miniſtros. Quod ſi nos aliquid audere contra deum poſſumus, qui epiſcopos facit,poſſunt & ij contra nos audere,à quibus diaconi fiunt:& ideo oportet diaconum de quo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, & honorẽ ſacerdotis agnoſcere, & epiſcopo præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere. Hæc ſunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus ſchiſmaticorum male cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de eccleſia receditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem atque Dei rebellatur. Quod ſi vltra te cõtumeliis ſuis exacerbauerit & prouocauerit,fungaris circa eum poteſtate honoris tui,vt eum vel deponas vel abſtineas.nam ſi apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens dixit, *Iuuentutem tuam nemo deſpiciat*, quanto magis tibi à collegis tuis dicendũ eſt, Senectutẽ tuam nemo deſpiciat. Et quoniam ſcripſiſti quendam cum eodem diacono tuo ſe miſcuiſſe, & ſuperbiæ eius atque audaciæ participem eſſe, hunc quoque & ſi qui tales extiterint, & contra ſacerdotem Dei fecerint, vel coërcere poteris vel abſtinere. niſi quod hortamur & monemus,vt peccaſſe ſe potius intelligant & ſatisfaciant,& nos propoſitum noſtrum tenere patiantur. Magis enim optamus & cupimus contumelias & iniurias ſingulorum clementi patientia vincere, quàm ſacerdotali licentia vindicare. Opto te frater chariſsime ſemper bene valere.

ARGVM. *Ad presbyteros & diaconos epiſtola, vt diligentiores ſint circa ea gerenda quæ adminiſtratio religioſa depoſcit.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. XXXVIIII.

OPTAVERAM quidem fratres chariſsimi,vt vniuerſum clerum noſtrum integrum & incolumem meis literis ſalutarem:ſed quoniam infeſta tempeſtas,quę plebem noſtram ex maxima parte proſtrauit, hinc quoque addidit noſtris doloribus cumulũ,vt etiam cleri portionem ſua ſtrage perſtringeret,oramus Dominum,vt vos quos in conſtantia & fidei virtute ſtare cognouimus, tutos quoque in poſterum per diuinam miſericordiam ſalutemus: & quanquam cauſa compelleret, vt ipſe ad vos properare & venire deberem, primo cupiditate & deſiderio veſtri,quæ res in votis meis ſumma eſt:tunc deinde vt ea quæ circa eccleſiæ gubernacula vtilitas communis expoſcit,tractare ſimul & plurimorum conſilio examinata limare poſſemus,tamen potius viſum eſt adhuc interim latebram & quietem tenere reſpectu vtilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium noſtrorum pertinent & ſalutem, quarum vobis à Tertullo fratre noſtro chariſſimo ratio redderetur, qui pro cetera ſua cura,quam impenſe diuinis operibus impertit, etiam huius conſilij auctor fuit, vt cautus & moderatus exiſterem, nec me in conſpectu publico & maxime eius loci vbi toties flagitatus & quæſitus fuiſſem, temere committerem. Fretus ergo & dilectione & religione veſtra,quam ſatis noui,his literis & hortor & mando, vt vos quorum minime illic inuidioſa & non adeo periculoſa præſentia eſt,vice mea fungamini circa gerenda ea quæ adminiſtratio religioſa depoſcit. Habeatur inte-

rim quantum potest & quomodo potest, pauperum cura, sed qui tamen inconcussa fide stantes gregem Christi non reliquerunt, vt his ad tolerandam penuriam sumptus per vestram diligentiam suggeratur, ne quod circa fidem tempestas non fecit, circa laborantes necessitas faciat. Confessoribus etiam glorioſis impertiatur cura propensior. Et quanquam sciam plurimos ex his fratrum voto & dilectione susceptos, tamen si qui sunt qui vel vestitu, vel sumptu indigeant, sicut etiam pridem vobis scripseram, cum adhuc essent in carcere constituti, subministrentur eis quæcunque sunt necessaria, modo vt sciant ex nobis & instruantur & discant, quid secundum Scripturarum magisterium ecclesiastica disciplina deposcat, humiles & modestos & quietos esse debere, vt honorem sui nominis seruent, vt qui glorioſi voce fuerunt, sint & moribus glorioſi. Faciant se dignos, vt in omnibus dominum promerentes, ad cælestem coronam laudis suæ consummatione perueniant. Plus enim su-
Eccles. 11. pereſt, quàm quod transactum videtur, cum scriptum sit, *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Et iterum, *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coro-*
Apocal. 2. *nam vitæ.* Et dominus quoque dicat, *Qui tolerauerit vsque ad finem, hic saluabi-*
Matth. 10. *tur.* Imitentur dominum qui sub ipso tempore passionis non superbior, sed
Ioan. 13. humilior fuit. Tunc enim apostolorum suorum pedes lauit dicens, *Si ego laui pedes vestros magister & Dominus, & vos debetis aliorum pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt sicut ego feci, & vos aliis faciatis.* Item Pauli apostoli documenta testantur, qui post carcerem sæpe reperitum, post flagella, post bestias, circa omnia mitis & humilis perseuerauit, nec post tertium cælum & paradi-
2. Thessal. 3. sum quicquam sibi insolenter adsumpsit dicens, *Neque enim gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, vt ne quem*
Lucæ 14. *vestrum grauaremus.* Hæc singula oro vos insinuate fratribus nostris. Et quia is exaltabitur, qui se humiliauerit, nunc magis insidiantem aduersarium metuant, qui fortiorem quenque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso quia victus est, superantem superare conatur. Dominus faciat, vt & ego illos mature videre, & salutari exhortatione componere mentes eorum ad seruãdam gloriam suam possim. Doleo enim quando audio quosdam improbe & insolenter discurrere ad ineptias, vel ad discordias vacare, Christi membra etiam Christum confessa per concubitus inlicitos inquinare: nec à diaconis aut presbyteris regi posse, sed id agere, vt per paucorũ prauos & malos mores, multorum & bonorum confessorum gloria honesta maculetur: quos vereri debent, ne ipsorum testimonio & iudicio condemnati, ab eorum societate priuentur. Is enim demum confessor inlustris & verus est, de quo postmodum non erubescit ecclesia, sed gloriatur. Ad id vero quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus & Fortunatus, & Nouatus, & Gordius, solus rescribere nil potui, quando à primordio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro, & sine cõsensu plebis, mea priua sententia gerere. Sed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel gesta sunt, vel gerẽda, sicut honor mutuus poscit, in commune tractabimus. Opto vos charissimi ac desideratissimi, semper bene valere, & mei meminisse. fraternitatem siqua vobiscum est, multum à me salutate, & vt nostri meminerint, admonete.

ARGVMENT. Ad Cornelium Papam, de nonnullis ad ecclesiam reuersis, qui schismaticorum venenata astutia circunuenti fuerant.

CYPRIA-

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. XL.

QVANTAM ſollicitudinem & anxietatem ſuſtinuimus de his confeſſoribus qui dolo & malitia hominis callidi & veteratoris fuerant circunuenti & pene decepti, & ab eccleſia alienati, tantam lætitiam adepti ſumus, & deo omnipotenti, & Chriſto domino noſtro gratias agimus, cum eos cognito ſuo errore intelligamus, hominis maligni velut ſerpentis aſtutia venenata derelicta, ad eccleſiam vnde exierant, ſicut ipſi ex ſuo corde profitentur, ſimplici voluntate veniſſe. Et primo quidem fratres noſtri probatæ fidei, amantes pacem, vnitatem optantes, tumorem illorum, horum mollitiam nunciabant. fides tamen nõ idonea, vt facile nobis credere daretur, illos penitus eſſe mutatos. Poſtea verò quàm Vrbanus & Sidonius confeſſores ad presbyteros noſtros venerunt, adfirmãtes Maximum confeſſorem & presbyterum ſecum pariter cupere in eccleſiam redire, ſed quoniam multa præceſſerant ab eis deſignata, quæ tu quoq; epiſcoporum noſtrorum & meis literis cognouiſti, vt non temere eis fides haberetur, ex ipſorum ore & confeſsione iſta quæ per legationem mandauerant, placuit audiri. Qui cum veniſſent, & à presbyteris quæ geſſerant exigerẽtur, nouiſsime quod per omnes eccleſias literæ calumniis & maledictis plenę eorum nomine frequenter miſſæ fuiſſent, & pene omnes eccleſias perturbaſſent, circunuentos ſe eſſe adfirmauerunt, neq; in iſtis literis quid ineſſet, ſciſſe, tantummodo circunductos ſe commiſiſſe quoque ſchiſmata, & hæreſis auctores fuiſſe, vt paterẽtur & manus quaſi in epiſcopatum imponi. qui cum hæc & cetera eis fuiſſent exprobrata, vt abolerentur, & de memoria tollerẽtur deprecati ſunt. Omni actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, vt firmato cõſilio, quid circa perſonam eorum obſeruari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur. Et vt motum omnium & conſiliũ ſingulorum dignoſceres, etiam ſententias noſtras placuit in notitias veſtras perferri, quas & ſubiectas leges. His ita geſtis in presbyterium venerunt Maximus, Vrbanus, Sidonius, & plerique fratres qui eis ſe adiunxerant, ſummis precibus deſiderantes, vt ea quę ante fuerant geſta, in obliuionem cederent, nulláque eorum mentio haberetur, proinde atque ſi nihil eſſet vel commiſſum, vel dictum inuicem, omnibus remiſsis, cor mundum & purum exhiberent, ſequentes euangelicam vocem, beatos eſſe puros corde, quoniam ipſi deum videbunt. Quod erat conſequens, omnis hic actus populo fuerat inſinuandus, vt & ipſos viderent in eccleſia conſtitutos, quos errantes & palabundos iam viderant & dolebant, quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concurſus factus eſt: vna vox erat omnium gratias deo agentium: gaudium pectoris lachrimis exprimentes, complectentes eos, quaſi hodie pœna carceris fuiſſent liberati. Et vt ipſorum propria verba deſignem, Nos, inquiunt, Cornelium epiſcopum ſanctiſsimæ catholicæ eccleſiæ electum à deo omnipotente & Chriſto domino noſtro ſcimus. nos errorem noſtrum confitemur: impoſturam paſsi ſumus: circunueti ſumus perfidiæ loquacitate factioſa. nam videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe: ſincera tamen mens noſtra ſemper in eccleſia fuit: nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe dominum noſtrum, quem confeſsi ſumus: vnum ſpiritũ ſanctum: vnum epiſcopũ in catholica eccleſia eſſe debere. Iſta eorum profeſsione non moueretur quis, vt quod apud poteſtatem ſeculi erant confeſsi, in eccleſia conſtituti comprobarent? Quapropter Maximum presbyte-

rum locum ſuum agnoſcere iuſsimus: ceteros cum ingentis populi ſuffragio recepimus. Omnia autē remiſimus deo omnipotenti, in cuius poteſtate ſunt omnia reſeruata. Hæc igitur frater eadem hora, eodem momento ad te per ſcripta tranſmiſimus, & Nicephorum acoluthum deſcēdere ad nauigandum feſtinantem, de ſtatione ad vos ſtatim dimiſi, vt nulla procraſtinatione habita, velut præſens in iſto Clero, & in iſto populi cœtu, nobiſcum pariter Deo omnipotenti & Chriſto domino noſtro gratias ageres. Credimus autem fore, quinimmo iam pro certo confidimus, ceteros quoque qui in hoc errore ſunt cōſtituti, in eccleſiam breui reuerſuros, cum auctores ſuos viderint nobiſcum agere. Has literas puto te frater debere chariſsime, & ad ceteras eccleſias mittere, vt omnes ſciant ſchiſmatici huius & hæretici dolum & prꝛuaricationem de die in diem euacuari.

ARGVMEN. Ad eundem de quibuſdam ſchiſmaticis.

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. XLI.

NE quid minus ad pœnam futuram huius ſcelerati hominis deeſſet, proſtratus virtutibus dei, cum Maximus & Longinus & Macheus inde fuiſſent expulſi, denuo reſurrexi, & ſicut prioribus literis tibi quas per Augendum confeſſorem miſi, ſignificari putem, Nicoſtratum & Nouatum & Euariſtum & Primum, & Zoticum illo iam peruenisse. Inuigiletur ergo, vt omnibus coëpiſcopis noſtris & fratribus innoteſcat, Nicoſtratum multorum criminum reum, & non ſolum patronæ ſuæ carnali, cuius rationes geſsit, fraudes & rapinas feciſſe, verum etiam quod eſt illi ad perpetuam pœnam reſeruatum, eccleſiæ depoſita non modica abſtuliſſe: Euariſti vero, cum auctor ſchiſmaticis fuiſſet, ſucceſſorem plebi cui antea præfuerat, Zetum in locum eius epiſcopum eſſe conſtitutum. Maiora verò & grauiora hic deſignauit malitia & inexplebili prauitate ſua, quàm quæ illic apud vos ſemper exercuit, vt ſcias quales duces & protectores iſti ſchiſmaticus & hæreticus lateri ſuo ſemper iunctos habeat.

ARGVM. *Ad Stephanū de Martiano Arelatenſi epiſcopo hæreſiarcha, vt eo abſtento, alius loco eius ſubſtituatur, & in refouendis Chriſti ouibus diligentia plena exhibeatur.*

CYPRIANVS, STEPHANO FRATRI, SALVTEM. XLII.

EAVSTINVS collega noſter Lugduni conſiſtens frater chariſsime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea quæ etiam vobis ſcio vtique nunciata, tam ab eo quàm à ceteris coëpiſcopis noſtris in eadem prouincia conſtitutis, quòd Martianus Arelate conſiſtens, Nouatiano ſe coniunxerit, & à catholicę eccleſiæ vnitate, atque à corporis noſtri & ſacerdotij conſenſione diſceſſerit, tenens hæreticæ præſumptionis duriſsimam prauitatem, vt ſeruis Dei pœnitentibus & dolentibus, & ad eccleſiam lachrimis & gemitu & dolore pulſantibus, diuinæ pietatis & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia cludantur, nec ad fouenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communionis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli proiiciantur. Cui rei noſtrum eſt cōſulere & ſubuenire frater chariſsime, qui diuinam clementiam cogitātes, & gubernandæ eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus,

mus,vt tamen lapsis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & misericordiæ diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos,ne vltra Martianum peruicacem & superbum,& diuinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum,collegio nostro insultare patiãtur, quod necdum à nobis videatur abstentus, qui iam pridem iactat & prædicat, quod Nouatiano studens, & eius peruicaciam sequens à communicatione se nostra segregauerit: cum Nouatianus ipse quem sequitur, olim abstentus & hostis ecclesiæ iudicatus sit: & cum ad nos in Africam legatos misisset, optans ad communicationem nostram admitti, hinc à concilio plurimorum sacerdotum qui præsentes eramus,sententiam retulerit se foris esse cœpisse,nec posse à quoquam nostrum sibi communicari,qui episcopo Cornelio in catholica ecclesia de dei iudicio & cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare,& sacrilega contra verum sacerdotem sacrificia offerre tentauerit. Proinde si resipiscere, & ad sanæ mentis consilium redire vellet,ageret pœnitẽtiam & ad ecclesiam supplex rediret. Quàm vanum est frater charissime,vt Nouatiano nuper retuso & refutato, & per totum orbem à sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur inludere, & de maiestate ac dignitate ecclesiæ iudicare. Dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelate consistentem à te literæ: quibus abstento Martiano,alius in locum eius substituatur, & grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur,colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace: vel ceteris subueniatur qui supersunt, & diebus ac noctibus ingemiscunt, & diuinam ac paternam misericordiam deprecantes, solatium nostræ opitulationis exposcunt. Idcirco enim frater charissime, copiosum corpus est sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque vnitatis vinculo copulatum, vt si quis ex collegio nostro hæresin facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentauerit, subueniant ceteri, & quasi pastores vtiles & misericordes, oues dominicas in gregem colligant. Quid enim si in mari portus aliquis munitionibus suis ruptis infestus & periculosus esse nauibus cœperit, nónne nauigantes ad alios proximos portus naues suas dirigunt, vbi sit tutus & salutaris introitus & statio secura? Aut si in via stabulum aliquod obsideri & teneri à latronibus cœperit, vt quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur, nónne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi sint fida hospitia & receptacula commeantibus tuta? Quod necesse est apud nos esse frater charissime, vt fratres nostros, qui iactati Martiani scopulis petunt ecclesiæ portus salutares, suscipiamus ad nos prompta & benigna humanitate, & stabulum commeantibus præbeamus tale quale est in euangelio, quo à latronibus sauciati & vulnerati susci- Lucæ 10.
pi & foueri & tutari ab stabulario possint. Quæ est enim maior aut melior cura præpositorum, quàm diligenti sollicitudine & medela salubri fouendis & conseruandis ouibus prouidere? cum Dominus loquatur & dicat, *Quod infirmatum est, non confortastis: & quod male habuit, non corroborastis: & quod contribulatum est, non consolidastis: & quod errauit, non reuocastis: & quod* Ezech.34.
periit, non inquisistis: & dispersæ sunt oues meæ eo quod non sint pastores, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri, & non fuit qui inquireret, neque qui reuocaret,propterea hæc dicit dominus,Ecce ego super pastores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos vt non pascant oues meas, & iam non pascent eas, & extraham eas de ore eorum, & pascam eas cum iudicio. Cum ergo pastoribus talibus per quos dominicæ oues negliguntur & pereunt, sic Dominus comminetur, quid nos aliud facere oportet frater charissime,quã colligendis & refouẽdis

Christi ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapsorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam, quando etiam Dominus in euangelio moneat & dicat, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Nam & si pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere & fouere debemus, nec pati supplices & dolentes fratres nostros crudeliter despici, & superba quorundam præsumptione calcari, cum scriptum sit, *Ille autem qui contumax est, Vir sui tactans, nihil omnino proficiet, qui dilatauit tanquam infernus animam suam.* & eiusmodi homines Dominus in euangelio suo culpet & damnet, dicens, *Vos estis qui iustificatis vos in conspectu hominum, Deus autem dignoscit corda vestra: quoniam quod excelsum est in hominibus, execratio est in conspectu Dei.* Execrabiles & detestabiles dicit esse, qui sibi placeant, qui tumidi & inflati aliquid sibi arroganter assumant. Ex quibus cum Martianus esse cœperit, & se Nouatiano coniungens, aduersarius misericordiæ & pietatis extiterit, sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat quasi ipse iudicauerit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab vniuersis sacerdotibus iudicatus. Seruandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu frater charissime, honorificare & seruare grauitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Domini, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, & pœnitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non esse, literis suis signauerunt, quam rẽ omnes omnino vbique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diuersus in quibus vnus esset spiritus: & ideo manifestum est eum spiritus sancti veritatem cum ceteris non tenere, quem videmus diuersa sentire. Significa plane nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit substitutus, vt sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus. Opto te frater charissime semper bene valere.

Matth. 9.

Esa. 5.

Lucæ 16.

FIRMILIANI AD CYPRIANVM EPISTOLA.

ARGVMENT. Aduersus Stephanum scribit de rebaptizandis iis qui ab hæreticis fuerant primum baptizati.

FIRMILIANVS, CYPRIANO FRATRI IN DOMINO, SALVTEM. XLIII.

ACCEPIMVS per Rogatianum charissimum nostrum diaconũ à vobis missum, literas quas ad nos fecisti frater dilectissime, & gratias propter hęc domino maximas egim°: quod cõtigerit, vt qui corpore abinuicẽ separamur, sic spiritu adunemur, quasi non vnã tantum regionẽ tenentes, sed in ipsa atq; in eadẽ domo simul inhabitãtes: quod & decet dicere, quia & spiritalis domus domini vna est, *Erit enim in nouissimis*, ait, *diebus manifestus mõs domini, & domus domini super vertices montiũ:* in quã conueniẽtes cũ iocunditate adunãtur, secundũ quod & in psalmo hoc postulatur à domino, inhabitare in domo dei per omnes dies vitę. Vnde & in alio loco manifestatum est esse apud sanctos magnã voluntatis charitatẽ in vnũ conuenire, *Ecce*, inquit, *quam bonum & voluptabile est, vt inhabitent fratres in vnum.* Adunatio enim & pax & concordia, non solũ hominibus fidelibus & cognos-

cognoscẽtibus veritatem, sed & angelis ipsis cælestibus voluptatẽ maximam prẽstat: quibus dicit sermo diuinus, esse gaudium in vno peccatore pœnitentiam agẽte, & ad vnitatis vinculum reuertente. Quod vtiq; non diceretur de angelis, conuersationẽ in cælis habentibus, nisi ipsi quoq; essent nobis adunati, qui nostra adunatione lætantur: sicut econtrario vtique contristantur, quando vident diuersas quorundam mentes, & scissas voluntates, quasi non tantum vnum & eundẽ dominum simul inuocẽt, sed separatis & diuisis abinuicem: nec confabulatio iam possit esse, aut sermo cõmunis, nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus: quod per illius inhumanitatem nunc effectũ sit, vt fidei & sapientiæ vestrę experimentũ caperemus. Sed non enim si nos propter Stephanum hanc beneficij gratiã cepimus, statim Stephanus beneficio & gratia digna commisit. Neque enim & Iudas perfidia sua & proditione quæ scelerate circa saluatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum ipse præstiterit, vt per illum mundus & gentium populus passione domini liberaretur. Sed hæc interim quæ ab Stephano gesta sunt, prætereantur, ne dum audaciæ & insolentiæ eius meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus. De vobis autẽ cognoscentes, quod secundũ regulam veritatis & sapientiam Christi, hoc de quo nunc quæritur disposueritis, cum magna lætitia exultauimus & deo gratias egimus, quia inuenimus in fratribus tam longe positis tantã nobiscum fidei & veritatis vnanimitatẽ. Potens est enim gratia dei copulare & coniungere charitatis atque vnitatis vinculo etiam ea quæ vidẽtur longiore terrarum spacio esse diuisa, secundũ quod & olim interuallo temporum separatos ab Iob & Noe qui in primis fuerant Ezechielem & Danielem, posteriores ætate ad vnanimitatis vinculum virtus diuina coniunxit, vt quanuis temporibus longis discreti essent, eadem tamen diuina inspiratione sentirent. quod & nunc in vobis animaduertimus, vt qui longissimis regionibus à nobis separati estis, sensu tamẽ & spiritu copulatos vos esse nobiscum probaretis, quod totum hoc fit diuina vnitate. nam cum Dominus vnus atq; idem sit qui habitat in nobis, coniungit vbiq; & copulat suos vinculo vnitatis. Vnde in vniuersam terram exiuit sonus eorum, qui à Domino missi sunt vnitatis spiritu velociter currentes: sic econtrario nihil prodest aliquos proximos & iunctos sibi esse corporibus, si animo & mente dissideãt, quando adunari animę omnino non possint, quæ se à dei vnitate diuiserint, *Ecce enim*, inquit, *qui longinquãt se abs te, peribunt*: sed tales iudiciũ domini pro merito suo subibũt recedẽtes à verbis eius qui patrẽ pro vnitate deprecatur, & dicit, *Pater da vt quomodo ego & tu vnũ sumus, sic & hi in nobis vnum sint*. nos vero ea quę à vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscepimus, nec in trãscursu legimus, sed sępe repetita memorię mãdamus: neq; obest vtilitati salutari aut eadẽ retexere, ad cõfirmandã veritatẽ, aut & quædam addere ad cumulandam probationẽ. Si quid autem à nobis additum fuerit, non sic additur quasi à vobis aliquid minus dictum sit, sed quoniã sermo diuinus humanam naturam supergreditur, nec potest totũ & perfectum anima concipere. Idcirco & tantus est numerus prophetarum, vt multiplex diuina sapiẽtia per multos distribuatur. Vnde & tacere præcipitur, primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit reuelatũ, qua ex causa necessario apud nos fit, vt per singulos annos seniores & præpositi in vnum conueniamus ad disponenda ea quæ curę nostræ commissa sunt, vt si qua grauiora sunt, communi consilio dirigantur: lapsis quoque fratribus & post lauacrum salutare à diabolo vulneratis, per pœnitentiam medela quæratur, non quasi à nobis remissionem peccatorum consequantur, sed vt per nos ad intelligentiam delictorum suorum conuertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur. Quoniam

vero legatus iſte à vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat,& hibernum tempus vrgebat, quantum potuimus ad ſcripta veſtra reſcripſimus. Et quidem quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, quaſi apoſtoli eos qui ab hæreſi veniant baptizari prohibuerint, & hoc cuſtodiendum poſteris tradiderint,pleniſsime vos reſpondiſtis,neminem tam ſtultum eſſe qui hoc credat apoſtolos tradidiſſe, quando etiam ipſas hæreſes conſtet execrabiles ac deteſtandas poſtea extitiſſe, cũ & Marcion Cerdonis diſcipulus inueniatur ſero poſt apoſtolos & poſt longa ab eis tempora ſacrilegam aduerſus Deum traditionem induxiſſe. Apelles quoque blaſphemiæ eius conſentiens,multa alia noua & grauiora fidei ac veritati inimica addiderit: ſed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt apoſtolos & poſt longam ætatem aduerſus eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellauerint. Ceteros quoque hæreticos conſtat prauas ſuas ſectas & inuentiones peruerſas, prout quiſque errore ductus eſt, induxiſſe, quos omnes manifeſtum eſt à ſemetipſis damnatos eſſe,& ante diem iudicij inexcuſabilem ſententiam aduerſus ſemetipſos dixiſſe:quorum baptiſma qui confirmat,quid aliud quàm cum ipſis ſe adiudicat, & ſe ipſe participem talibus faciendo condemnat? eos autem qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſeruare quæ ſint ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere. Scire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies paſchę,&circa multa alia diuinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illos aliquas diuerſitates,nec obſeruari illic omnia æqualiter quæ Hieroſolymis obſeruantur,ſecundum quod in ceteris quoque plurimis prouinciis multa pro locorum & nominum diuerſitate variantur:nec tamen propter hoc ab eccleſiæ catholicæ pace atque vnitate aliquãdo diſceſſum eſt,quod nunc Stephanus auſus eſt facere,rũpẽs aduerſum vos pacem quã ſemper anteceſſores eius vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt. Adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint,qui in epiſtolis ſuis hæreticos execrati ſunt,& vt eos euitemus monuerunt:vnde apparet traditionem hanc humanã eſſe , quæ hæreticos aſſerit & baptiſma quod non niſi ſolius eccleſiæ eſt,eos habere defendit.Sed & ad illam partem,bene à nobis reſponſum eſt,vbi Stephanus in epiſtola ſua dixit, Hęreticos quoque ipſos in baptiſmo cõuenire: & quod ad alterutrum ad ſe veniẽtes non baptizent, ſed cõmunicent tantũ, quaſi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco etſi vos iam probaſtis ſatis ridiculum eſſe,vt quis ſequatur errãtes,illud tamẽ ex abũdãti addimus,nõ eſſe mirũ ſi ſic hęretici agãt,qui etſi in quibuſdã minoribus diſcrepant,in eo tamẽ quod eſt maximũ,vnũ & eundẽ cõſenſumtenẽt,vt blaſphemẽt creatorẽ,quędã ſomnia ſibi & phãtaſma ignoti dei cõfingẽtes. quo vtiq; conſequẽs eſt ſic cõſentire in baptiſmi ſui vanitate,vt cõſentiunt in repudiãda diuinitatis veritate.De quibus quoniã lõgũ eſt ad ſingula eorũ,vel ſceleſta,vel ſuperuacua reſpõdere,ſatis eſt breuiter illud in cõpẽdio dicere,quod eos qui teneãt verũ dominũ patrẽ,tenere nõ poſſe nec filij nec ſpirituſſancti veritatẽ, ſecundum quod etiã illi qui Cataphryges appellãtur,& nouas prophetias vſurpare conãtur,nec patrẽ poſſunt habere nec filiũ.à quibus ſi quęramus quẽ Chriſtum prędicẽt,reſpõdebũt eũ ſe prędicare qui miſerit ſpiritũ per Montanũ & Priſcam locutũ.In quibus cũ animaduertamus nõ veritatis ſpiritum, ſed erroris fuiſſe , cognoſcimus eos qui falſam illorum prophetiã contra Chriſti fidem vindicant,Chriſtum habere non poſſe.Sed & ceteri quique hæretici,ſi ſe ab eccleſia dei ſciderint,nihil habere poteſtatis aut gratię poſſunt,quando omnis poteſtas & gratia in eccleſia cõſtituta ſit,vbi præſident maiores natu,qui & baptizandi & manum imponendi & ordinandi poſsident poteſtatem.Hæreticum enim ſicut ordinare non licet,nec manum imponere, ita nec baptizare,

zare,nec quicquam ſancte & ſpiritaliter gerere,quando alienus ſit à ſpiritali & deifica ſanctitate: quod totum nos iampridem in Iconio qui Phrygiæ locus eſt,collecti in vnum,conuenientibus ex Galatia,& Cilicia & ceteris proximis regionibus confirmauimus,tenendum contra hęreticos firmiter & vindicandũ,cum à quibuſdã de iſta re dubitaretur. Et quoniã Stephanus & qui illi conſentiunt contendunt dimiſsionem peccatorum,& ſecundã natiuitatẽ in hæreticorum baptiſma poſſe procedere,apud quos etiam epiſcopi cõfitẽtur ſpiritũ ſanctũ non eſſe,conſiderent &intelligant ſpiritalẽ ſine ſpiritu eſſe nõ poſſe,ſecundũ quod & beatus Paulus apoſtolus eos qui ab Iohãne baptizati fuerant,priuſquã miſſus eſſet à domino ſpiritus ſanctus, baptizauit denuo ſpiritali baptiſmo,& ſic eis manũ impoſuit,vt acciperent ſpiritũ ſanctũ. Quale eſt autẽ vt cũ Paulum poſt Iohannis baptiſma iterato diſcipulos ſuos baptizaſſe videamus,nos eos qui ab hæreſi ad eccleſiã veniũt,poſt inlicitã & profanam eorum tinctionẽ baptizare dubitemus,niſi ſi his epiſcopis quibus nunc minor fuit Paulus, vt hi quidẽ poſsint per ſolã manus impoſitionẽ veniẽtibus hæreticis dare ſpiritũ ſanctũ:Paulus autẽ idoneus non fuerit qui ab Iohanne baptizatis ſpiritũ ſanctũ per manus impoſitionẽ daret,niſi eos prius etiam eccleſiæ baptiſmo baptizaſſet.Illud quoq; abſurdũ quod non putant, quęrendũ eſſe,quis ſit ille qui baptizauerit,eo quod qui baptizatus ſit,gratiã cõſequi potuerit.Inuoca trinitatẽ nominũ patris & filij & ſpiritusſancti:deinde hæc erit ſapientia quã ſcribit Paulus eſſe in his qui perfecti ſunt,vt qui eſt in eccleſia perfectus & ſapiẽs.Hoc autẽ defendat,aut credat quod inuocatio hęc nominum nuda ſufficiat ad remiſsionẽ peccatorũ,& baptiſmi ſanctificationem.Cum hæc tunc vtique proficiant,quando & qui baptizat habet ſpiritum ſanctum, & baptiſma quoque ipſum non ſit ſine ſpiritu conſtitutum: ſed dicunt eum qui quomo docunque foris baptizatur,mente & fide ſua baptiſmi gratiam conſequi poſſe: quod & ipſum ſine dubio ridiculum eſt,quaſi de cælo adducere ad ſe poſsit aut mens praua,iuſtorum ſanctificationẽ:aut fides falſa,credentiũ veritatẽ.Non omnes autẽ qui nomen Chriſti inuocant, audiri & inuocationẽ ſuam conſequi aliquid gratiæ poſſe,dominus ipſe manifeſtat dicens,*Multi venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos fallent*.Nulla denique differentia eſt inter pſeudoprophetã & hæreticũ.Nam vt ille in nomine dei aut Chriſti,ita iſte in ſacramẽto baptiſmi fallit.Mẽdacio vterq; nititur,ad decipiẽdas hominũ voluntates.Volo autẽ vobis & de hiſtoria quę apud nos facta eſt exponere, ad hoc ipſum pertinente. Ante viginti enim & duos fere annos temporibus poſt Alexandrum imperatorem multę iſtic conflictationes & preſſuræ acciderunt,vel in commune omnibus hominibus,vel priuatim Chriſtianis, terræ etiam motus plurimi & frequentes extiterunt,vt per Cappadociam & per Pontum multa ſubruerint,quædã etiam ciuitates in profundum receptæ dirupti ſoli hiatu deuorarentur, vt ex hoc perſecutio quoque grauis aduerſum nos Chriſtiani nominis fieret. quæ poſt longam retro ætatis pacem repente oborta de inopinato & inſueto malo ad turbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt. Serenianus tunc fuit in noſtra prouincia, præſes acerbus & dirus perſecutor. In hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus, & huc atque illuc perſecutionis metu fugientibus, & patrias ſuas relinquentibus, atque in alias partes regionum tranſeuntibus(erat enim tranſeundi facultas,eo quod perſecutio illa,non per totum mundũ,ſed localis fuiſſet)emerſit iſtic ſubito quædã mulier quę in extaſi conſtituta, prophetam ſe proferret, & quaſi ſancto Spiritu plena ſic ageret: ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur,vt per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens,& facere ſe terrã moueri polliceretur,non quòd dæmoni tan-

ta esset potestas, vt terram mouere aut elementum concutere nisu valeret: sed quod nonnunquam spiritus nequam præsciens & intelligens terræmotũ futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & iactationibus subegerat mentes singulorum, vt sibi obedirent, & quocunque præciperet, & duceret, sequerentur, faceret quoque mulierẽ illam cruda hieme nudis pedibus per asperas niues ire, nec vexari in aliquo aut lædi illa discussione: diceret etiam se in Iudęam & Hierosolymã festinare, fingens tanquam inde venisset. hic & vnum de presbyteris rusticum, item & alium diaconum fefellit, vt eidem mulieri commiscerẽtur, quod paulopost detectũ est. nã subito apparuit illi vnus de exorcistis vir probatus, & circa religiosam disciplinam bene semper conuersatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorũ, qui & ipsi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit se cõtra illum spiritum nequam reuincendũ, qui subtili fallacia etiam hoc paulo ante prędixerat, venturum quendam auersum & tentatorem infidelem: tamen ille exorcista inspiratus Dei gratia fortiter restitit: & esse illum nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur ostendit: atq; illa mulier quæ prius per præstigias & fallacias dæmonis multas ad deceptionẽ fidelium mouebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, vt & inuocatione non contẽptibili sanctificare se pacem: & eucharistiam facere simularet, & sacrificium domino sine sacramento solitæ prædicationis offerret, baptizaret quoque multos vsitata & legitima verba interrogationis vsurpãs, vt nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de huius baptismo dicemus, quomodo nequissimus dæmõ per mulierem baptizauit? Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt comprobant? maxime cui nec symbolum trinitatis, nec interrogatio legitima & ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio pecçatorum data, aut lauachri salutaris regeneratio rite perfecta, vbivis omnia quanuis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? nisi si & dæmonem in nomine patris, & filij, & spiritus sancti gratiam baptismi dedisse contendunt qui hæreticorum baptisma defendunt. Apud quos sine dubio idem error est, dæmonum fallacia ipsa est, quando apud illos omnino Spiritus sanctus non est. Illud etiam quale est, quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur, adesse præsentiam & sanctimoniam Christi? Nam si non mentitur Apostolus dicens, *Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis*: vtique qui illic in Christo baptizatus est, induit Christum: si autem induit Christum, accipere potuit & Spiritum sanctũ qui à Christo missus est, & frustra illi venienti ad accipiendum spiritum manus imponitur: nisi si à Christo spiritum induit, vt apud hæreticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus sanctus. Decurramus verò breuiter & cetera quę à vobis copiose & plenissime dicta sunt, festinante vel maxime ad vos Rogatiano diacono charissimo nostro. Sequitur enim illud, quod interrogandi sunt à nobis qui hæreticos defendunt, vtrum carnale sit eorum baptisma, an spiritale. Si enim carnale est, nihil differunt à Iudæorum baptismo, quo sic illi vtuntur, vt eo tanquam communi & vulgari lauachro tantum sordes lauentur. Si autem spiritale est, quomodo apud illos esse baptisma spiritale potest, apud quos Spiritus sanctus non est? Ac per hoc aqua qua tinguntur, lauachrum est illis carnale tantum, non baptismi sacramentum. Quod si baptisma hæreticorum habere potest regenerationem secundæ natiuitatis, non hæretici, sed filij Dei cõputandi sunt qui apud illos baptizantur. Secunda enim natiuitas quæ est in baptismo, filios Dei generat. Si autem sponsa Christi vna est quæ est ecclesia catholica, ipsa est quæ sola generat Dei filios. neque enim multæ sponsæ Christi, cum dicat Apostolus, *Despondi vos vni viro virginem sanctam castam assignare Christo.* &, *Audi filia, & vide,*

& vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui: quia deſiderauit rex ſpeciem tuam. &, *Veni ſponſa de Libano, aduenies & pertranſibis à principio fidei.* &, *Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea, ſponſa.* Videmus vnam perſonam vbiq; proponi, quia & ſponſa eſt vna. non eſt autem vna nobiſcum hæreticorum ſynagoga, quia nec ſponſa eſt adultera & fornicaria. Vnde nec poteſt filios Deo parere, niſi ſecundum quod Stephano videtur, hæreſis quidē parit, & exponit: expoſitos autem eccleſia ſuſcipit: & quos nō ipſa peperit, pro ſuis nutrit, cum filiorū alienorū mater eſſe non poſsit. Et ideo Chriſtus dominus noſter vnam eſſe manifeſtans ſponſam ſuā, & vnitatis eius ſacramentū declarans, ait, *Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit.* Si enim nobiſcū eſt Chriſtus, hæretici autem non ſunt nobiſcū, pro certo aduerſus Chriſtū ſunt hęretici. Et ſi nos colligimus cum Chriſto, non colligunt autē nobiſcum hæretici, ſine dubio ſpargunt. Sed nec illud prætereūdum eſt à nobis, quod à vobis neceſſario dictū eſt, quod eccleſia ſecundum Canticum canticorū, hortus ſit concluſus, & fons ſignatus, paradiſus cū fructu pomorum. Qui autē nunquam in hunc hortum introierunt, neque paradiſum à Deo creatore plantatum viderunt, quomodo de fonte qui intus incluſus eſt, & diuino ſigillo ſignatus eſt, aquam viuam lauachri ſalutaris præbere alicui poterunt? Cum vero & archa Noë nihil aliud fuerit quàm ſacramentum eccleſiæ Chriſti, quæ tunc omnibus foris pereūtibus, eos ſolos ſeruauit qui intra archam fuerunt, manifeſte inſtruimur ad eccleſiæ vnitatē perſpiciendum, quemadmodum & Petrus poſuit dicens, *Sic & vos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma,* oſtēdens quoniam quomodo qui cum Noë in archa non fuerunt, non tantum purgati & ſaluati per aquā non ſunt, ſed ſtatim diluuio illo perierunt: ſic & nunc quicunq; in eccleſia cū Chriſto non ſunt, foris peribunt, niſi ad vnicum & ſalutare eccleſiæ lauachrum per pœnitentiā conuertantur. Qualis vero error ſit, & quanta ſit cæcitas eius qui remiſsionem peccatorum dicit apud ſynagogas hæreticorum dari poſſe, nec permanet in fundamento vnius eccleſiæ quæ ſemel à Chriſto ſupra petram ſolidata eſt, hinc intelligi poteſt, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit, *Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* & iterum in euangelio quando in ſolos Apoſtolos inſufflauit Chriſtus dicens, *Accipite Spiritum ſanctum: ſi cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: & ſi cuius tenueritis, tenebuntur.* Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & eccleſiis quas illi à Chriſto miſsi conſtituerunt, & epiſcopis qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. Hoſtes autē vnius catholicæ eccleſiæ in qua nos ſumus, & aduerſarij noſtri qui Apoſtolis ſucceſsimus, ſacerdotia ſibi inlicita cōtra nos vindicātes, & altaria profana ponentes, quid aliud ſunt quàm Chore & Dathan & Abiron, pari ſcelere ſacrilegi, & eaſdem quas & illi pœnas daturi, cum his qui ſibi conſentiunt, ſecundum quod etiam tunc illorum participes & fautores pariter cū eis perierunt. Atque ego in hac parte iuſte indignor ad hāc tam apertam & manifeſtā Stephani ſtultitiam, quod qui ſic de epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta eccleſiæ conlocata ſunt, multas alias petras indicat, & eccleſiarum multarum noua ædificia conſtituat, dum eſſe illic baptiſma ſua auctoritate defendit. nam qui baptizātur, complent ſine dubio eccleſiæ numerum. Qui autem baptiſma eorum probat, de baptizatis & eccleſiam illic eſſe confirmat. Nec intelligit offuſcari à ſe & quondammodo aboleri Chriſtianæ petræ veritatem, qui ſic prodit & deſerit vnitatem. Iudæos tamen quanuis ignorantiæ cæcos & grauiſsimo facinore conſtrictos, zelum Dei Apoſtolus habere profitetur, Stephanus qui per ſucceſsionem cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo aduerſus

concedens illis non modicam,ſed maximam gratiæ poteſtatem,vt dicat eos & aſſeueret per baptiſmi ſacramentum ſordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare,regeneratione cæleſti filios Dei facere,ad æternam vitam diuini lauacri ſanctificatione reparare. Qui ſic magna & cæleſtia eccleſiæ munera hæreticis concedit & tribuit, quid aliud quàm communicat eis quibus tantum gratiæ defendit ac vindicat? Et fruſtra iam dubitat in cæteris quoque conſentire ei & particeps eſſe, vt & ſimul cum eis conueniat,& orationes pariter cum eiſdem miſceat, & altare ac ſacrificium commune conſtituat.Sed in multum,inquit,proficit nomen Chriſti ad fidem & baptiſmi ſanctificationem, vt quicunque & vbicunque in nomine Chriſti baptizatus fuerit,conſequatur ſtatim gratiam Chriſti, quando huic loco breuiter occurri poſsit & dici, quoniam ſi in nomine Chriſti valuit foris baptiſma ad hominem purgandum, in eiuſdem Chriſti nomine valere illic potuit & manus impoſitio ad accipiẽdum ſpiritum ſanctum. Et incipient cetera quoque quæ apud hæreticos aguntur,iuſta & legitima videri,quando in nomine Chriſti gerantur,ſecũdum quod vos in epiſtola veſtra exſecuti eſtis, non niſi in eccleſia ſola valere poſſe Chriſti nomen,cui vni cõceſſerit,Chriſtus cæleſtis gratiæ poteſtatem. Quod autem pertinet ad conſuetudihem refutandam,quam videntur opponere veritati, quis tam vanus ſit vt veritati conſuetudinem præferat? aut qui perſpecta luce tenebras non derelinquat? Niſi ſi & Iudæos Chriſto aduentante,id eſt veritate, adiuuat in aliquo antiquiſsima conſuetudo,quod relicta noua veritatis via,in vetuſtate remanſerint. Quod quidem aduerſus Stephanum vos dicere Afri poteſtis, cognita veritate errorem vos conſuetudinis reliquiſſe. Ceterum nos veritati & conſuetudinem iungimus,& conſuetudini Romanorum,conſuetudinem ſed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & ab apoſtolis traditum eſt.Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe,cum ſemper iſtic obſeruatum ſit, vt non niſi vnam Dei eccleſiam noſſemus, & ſanctum baptiſma non niſi ſanctæ eccleſiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptiſmo dubitabant, qui & ſi non vos prophetas recipiunt, eoſdem tamen patrem & filium noſſe nobiſcum videntur, plurimi ſimul conuenientes Iconio diligentiſsime tractauimus & confirmauimus, repudiandum eſſe omne omnino baptiſma quod ſit extra eccleſiam conſtitutum. Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt & aiunt apoſtolum dixiſſe, ſiue per occaſionem,ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur,vt reſpondeamus,ineptum eſt,quando manifeſtum ſit apoſtolum in epiſtola ſua qua hoc dixit, neque hæreticorum, neque baptiſmi eorum mentionem feciſſe, ſed locutum eſſe de fratribus tantum,ſiue perfide ſecum loquentibus,ſiue in fide ſincera perſeuerantibus. Nec oporteat hoc longo tractatu excutere, ſed ipſam ſatis ſit epiſtolam legere, & quid Apoſtolus dixerit, de ipſo apoſtolo recognoſcere. Quid ergo,inquiunt, fiet de his qui ab hæreticis venientes ſine eccleſiæ baptiſmo admiſsi ſunt? Si de ſeculo exceſſerunt, in eorum numero qui apud nos catechiſati quidem ſunt,ſed priuſquam baptizarentur obierunt, habentur. non modo dicunt emolumentum veritatis & fidei,ad quam relicto errore peruenerãt,& ſi conſummationem gratiæ conſecuti non ſunt,morte præuenti. Qui autem adhuc in ſeculo permanent, baptizẽtur eccleſię baptiſmo, vt remiſsionem peccatorum conſequi poſsint, ne per alienam præſumptionem in priſtino errore manentes, ſine gratiæ conſummatione moriantur. Ceterum quale delictum eſt, vel illorum qui admittuntur, vel eorum qui admittunt,vt non ablutis per eccleſiæ lauacrum ſordibus, nec peccatis expoſitis,vſurpata temere communicatione contingant corpus & ſanguinem domini, cum ſcriptum ſit, *Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini*

indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini? Nos etiam illos quos hi qui prius in Ecclesia catholica episcopi fuerant, & postmodum sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes baptizauerant, pro non baptizatis habendos iudicauimus. Et hoc apud nos obseruatur, vt quicunque ab illis tincti ad nos veniunt, tanquã alieni & nihil consecuti, vnico & vero ecclesiæ catholicæ baptismo apud nos baptizentur, & lauachri vitalis regenerationem consequantur. Et tamẽ multum interest inter eum qui inuitus & necessitate persecutionis coactus succubuit, & illum qui sacrilega voluntate audax cõtra ecclesiam rebellat, vel in patrem & Deum Christi, & totius mundi conditorem, impia voce blasphemat. Et non pudet Stephanum hoc asserere, vt per eos qui ipsi in omnibus peccatis sint constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari? Quasi possit esse in domo mortis lauachrum salutis. Vbi ergo erit quod scriptum est, *Ab aqua aliena abstine te, & à fonte alieno ne biberis*? si relicto ecclesię fonte signato, alienã aquã pro tua suscipis, & profanis fontibus ecclesiam polluis? Quãdo enim baptismo hæreticorum communicas, quid aliud quàm de voragine & cœno illorũ imbibis, & ipse ecclesiæ sanctificatione purgatus, alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis iudicium Dei, hæreticis testimonium contra ecclesiam perhibens, cum scriptum sit, *Falsus testis, non erit impunitus*. Quinimmo tu hæreticis omnibus peior es. nam cum inde multi cognito errore suo ad te veniant, vt ecclesiæ verũ lumen accipiant, tu venientium errores adiuuas, & obscurato lumine ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque se illi in peccatis esse, & nihil gratiæ habere se, ac propterea ad ecclesiam venire fateantur, tu eis remissionem peccatorum subtrahis quæ in baptismo datur, dum dicis eos iam baptizatos, & extra ecclesiam, ecclesiæ gratiã consecutos. nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri, cum iudicij dies venerit, qui sitientibus ecclesię potũ negasti: & volentibus viuere causa mortis fuisti, & insuper indignaris. Vide qua imperitia, vt reprehendere audeas eos qui contra mendaciũ pro veritate nituntur. Quis enim iustius indignari cõtra alterũ debuit? vtrúmne qui hostes Dei asserit, an vero qui aduersus eum qui hostes Dei asserit, pro ecclesiæ veritate consentit? nisi quod imperitos, etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilij & sermonis ad iracundiam facile vertuntur, vt de nullo alio magis quàm de te dicat scriptura diuina, *Homo animosus parit lites, & Vir iracundus exaggerat peccata*. Lites enim & dissensiones quantas parasti per ecclesias totius mũdi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quãdo te à tot gregibus scidisti. excidisti enim teipsum: noli te fallere. Si quidem ille est vere schismaticus, qui se à communione ecclesiasticæ vnitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulã veritatis & pacis vel apostoli præcepta potuerunt, monentis & dicentis, *Obsecro ergo vos ego vinctus in domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus & lenitate, cum patientia sustinentes inuicẽ in dilectione, satis agẽtes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnũ baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*. Hæc Apostoli mandata & monita salutaria, quam diligẽter Stephanus impleuit, humilitatem sensus & lenitatem primo in loco seruans: quid enim humilius aut lenius quam cum tot episcopis per totum mundũ dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum orientalibus, quod nec vos latere confidimus: modo nobiscum, qui in meridie estis, à quibus legatos episcopos patienter satis & leniter suscepit, vt eos nec ad sermonẽ saltem colloquij communis admitteret: adhuc insuper dilectionis & charitatis

memor præciperet fraternitati vniuerſæ,ne quis eos in domum ſuam reciperet,vt venientibus non ſolum pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur.Hoc eſt ſeruaſſe vnitatem ſpiritus in coniũctione pacis,abſcindere ſe à charitatis vnitate,& alienum per omnia fratribus facere,& contra ſacramentum & fidem,cõtumacis furore diſcordiæ rebellare. Apud talem poteſt eſſe vnum corpus & vnus ſpiritus, apud quem fortaſſe ipſa anima vna non eſt,ſic lubrica & mobilis & incerta? Sed quantũ ad illum pertinet,relinquamus:excutiamus potius id de quo tum maxima quæſtio eſt. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos ſic recipi oportere, tanquam legitimi baptiſmi gratiam conſecutos, vnum nobis atque illis baptiſma dicunt eſſe, & in nullo diſcrepare.Sed quid ait apoſtolus Paulus? *Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus.* Si vnum atque idem eſt cum noſtro baptiſma hęreticorum, ſine dubio & fides vna eſt: ſi autem fides vna eſt, vtique & dominus vnus: ſi dominus vnus eſt, conſequens eſt dicere, quia vnus eſt.ſi autem hæc vnitas quæ ſeparari omnino & diuidi non poteſt,etiã apud hæreticos ipſa eſt, quid vltra contẽdimus?Vt quid illos hæreticos,& nõ Chriſtianos vocamus? Porro cũ nobis & hæreticis nec Deus vnus ſit,nec dominus vnus,nec vna eccleſia,nec fides vna,ſed nec vnus ſpiritus, aut corpus vnum, manifeſtum eſt nec baptiſma nobis nec hæreticis commune eſſe poſſe, quibus nihil eſt omnino commune. Et tamen non pudet, Stephanum talibus aduerſus eccleſiam patrocinium pręſtare,& propter hæreticos aſſerendos,fraternitatem ſcindere: inſuper & Cyprianum,pſeudochriſtum,& pſeudoapoſtolũ & doloſum operarium dicere? Quæ omnia in ſe eſſe conſcius, pręuenit vt alteri ea per mendacium obiiceret, quę ipſe ex merito audere deberet. Bene te valere omnibus nobis, cum vniuerſis qui in Africa ſunt epiſcopis, & cunctis clericis, & omni fraternitate vniuerſi optamus, vt perpetuo vnanimes, & vnũ ſentientes habeamus nobiſcum etiam de longinquo adunatos.

ARGVM. *Maximi,Vrbani,Sidonij,Macarij epiſtola ad Cyprianum.*

CYPRIANO FRATRI, MAXIMVS, VRBANVS, SIDONIVS, ET MACARIVS, SALVTEM. XLIIII.

CERTI ſumus frater chariſsime,te quoque nobiſcum pari voto congaudere,quòd nos habito conſilio,vtilitatibus eccleſiæ & paci magis conſulentes,omnibus rebus prætermiſsis,& iudicio Dei ſeruatis,cum Cornelio epiſcopo noſtro pariter, & cum vniuerſo Clero pacem feciſſe, cũ gaudio etiam vniuerſæ eccleſiæ prona etiã omnium charitate hoc factum his literis noſtris certiſsime ſcire debuiſti.Oramus te frater chariſsime multis annis bene valere.

ARGVMEN. *Ad clerum, de quibuſdam presbyteris qui temere pacem lapſis dederunt, necdum ſedata perſecutione, & citra conſcientiam epiſcoporum.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. XLV.

Diu pa-

DIV patientiam meam tenui fratres chariſsimi, quaſi verecundum ſilentium noſtrum proficeret ad quietem: ſed cum quorundam immoderata & abrupta præſumptio temeritate ſua & honorem martyrum, & confeſſorum pudorẽ, & plebis vniuerſæ trãquillitatẽ turbare conetur, tacere vltra nõ oportet, ne ad periculũ & plebis pariter & noſtruui taciturnitas nimia procedat. Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa domini, quando aliqui de presbyteris, nec euangelij nec loci ſui memores, ſed neque futurum domini iudicium, neque nunc ſibi præpoſitum epiſcopum cogitantes, quod nunquã omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu prępoſiti totum ſibi vindicent: atque vtinam non proſtrata fratrum noſtrorũ ſalute ſibi omnia vindicarent. Cõtumelias epiſcopatus noſtri diſsimulare & ferre poſſem, ſicut diſſimulaui ſemper & pertuli: ſed diſsimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrum, qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt. Summũ enim delictum eſſe quod perſecutio committi coègit, ſciunt ipſi etiam qui commiſerũt, cũ dixerit dominus & iudex noſter, *Qui in me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego in illo coram patre meo qui in cælis eſt: qui autem me negauerit, & ego in illo negabo.* & iterum dixerit, *Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ. qui autem blaſphemauerit ſpiritum ſanctum, non habet remiſſam, ſed reus eſt æterni peccati.* Item beatus Apoſtolus dixerit, *Non poteſtis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. non poteſtis menſæ domini communicare, & menſæ dæmoniorum.* Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris decipit miſeros, vt qui poſſunt agere pœnitentiam veram Deo patri & ad miſericordiam precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, vt magis pereant: & qui erigere ſe poſſunt, plus cadant. nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionẽ epiſcopi & Cleri, ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore perſecutionis adhuc perſeuerante, nondum reſtituta eccleſię ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomine eorum, & nondum pœnitentia acta, nondũ exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo aut Clero impoſita, euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit, *Qui ederit panem aut biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini.* Sed nunc illi rei non ſunt, qui minus ſcripturæ legem nouerunt: erunt autem rei, qui pręſunt & hæc fratribus non ſuggerũt, vt inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo & pręſcripta obſeruatione. Exponũt deinde inuidiæ beatos martyres, & glorioſos ſeruos Dei cum Dei ſacerdote committunt, vt cum illi memores loci noſtri ad me literas direxerint, & petierint tunc deſideria ſingulorũ examinari, & pacẽ dari, cum ipſa ante mater noſtra pacẽ de miſericordia domini prior ſumpſerit, & nos diuina protectio reduces ad eccleſiam ſuam fecerit, hi ſublato honore, quem nobis beati martyres cum confeſſoribus ſeruãt, contempta domini lege & obſeruatione, quam iidem martyres & confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum pene martyrum exceſſum communicent cum lapſis & offerant, & euchariſtiam tradant, quando etiam ſi martyres per calorem glorię minus ſcripturam contemplantes, contra legem domini plus aliquid cuperẽt, à presbyteris & diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præterito factum eſt. Caſtigare nos itaque diuina cenſura nec noctibus deſinit nec diebus. Præter nocturnas enim viſiones, per dies quoque impletur apud nos ſpiritu ſancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt oculis, & audit,

Lucæ 12. Marci 3. 1. Cor. 10. 1. Cor. 11.

& loquitur ea quibus nos dominus monere & instruere dignatur. Et audietis omnia quando me ad vos reducem fecerit dominus, qui vt secederē iussit. Interim temerarij & incauti & tumidi quidam inter vos, qui hominē non cogitant, vel dominum timeant, scientes quoniam si vltra in iisdem perseuerauerint, vtar ea admonitione, quam dominus iubet, vt interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud cōfessores ipsos, & apud plebem vniuersam causam suā domino permittente, cum in sinum matris ecclesiæ recolligi cœperimus. De hoc & ad martyres, & confessores ipsos, & apud plebē literas feci, quas vtrasq; legi vobis mandaui. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi in domino semper bene valere, & nostri meminisse. Valete.

ARGVMEN. *Ad martyres & confessores epistola, qui lapsis petierunt pacē dari: & corripit presbyteros qui pacem dederūt.*

CYPRIANVS, MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS CHARISSIMIS FRATRIBVS, SALVTEM. XLVI.

SOLLICITVDO loci nostri, & timor Dei compellit, fortissimi ac beatissimi martyres, admonere vos literis nostris, vt à quibus tam deuote & fortiter seruatur fides domino, ab iisdem lex quoq; & disciplina domini reseruetur. Nā cum omnes milites Christi custodire oporteat prȩcepta imperatoris sui, tum vos magis præceptis eius obtemperare plus conuenit, qui exemplum ceteris facti estis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem presbyteros & diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos & instruere plenissime circa euangelij legem, sicut & in præteritū semper sub anteceſſoribus nostris factū est, vt diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent: sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic non suggeri diuina præcepta, sed adhuc potius impediri, vt ea quæ à vobis ipsis & circa Deum caute, & circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, à quibusdam presbyteris resoluantur, qui nec timorem Dei, nec episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra & quibusdam lapsis pacem dare postulastis, cum persecutione finita conuenire in vnum cum Clero & recolligi cœperimus: illi contra euāgelij legem, contra vestram quoq; honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesin grauissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis & eucharistiam dare, id est sanctum domini corpus profanare audeant, cū scriptum sit, *Qui ederit panem, aut biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini.* Et lapsis quidem potest in hoc venia cōcedi. Quis enim non mortuus viuificari properet? quis non ad salutem suam venire festinet? Sed præpositorum est præceptū tenere, & vel properantes vel ignorātes instruere, ne qui ouium pastores esse debent, lanij fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est. nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque discant, quod docere debuerant. Petitiones & desideria vestra episcopo seruent, ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectantes. Ante est vt à domino pacem mater prior sumat, tunc secundum vestra desideria de filiorum pace tractetur. Et quoniam audio fortissimi & charissimi fratres, impudentia vos quorundam premi, & verecundiam vestram vim pati, oro vos quibus

1. Cor. 11.

possum

possum precibus, vt euangelij memores, & considerantes quæ & qualia in præteritũ anteces sores vestri martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite & caute petẽtium desideria ponderetis, vtpote amici domini, & cum illo postmodum iudicaturi, inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte & indigne vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos ecclesia nostra erubescere incipiat. Visitamur enim & castigamur frequenter, & vt in nobis domini mãdata incorrupta & inuiolata permaneant, admonemur. Quod quidem nec illic 1.Cor.11.
apud vos cessare cognosco, quo minus plurimos quoque ex vobis instruat ad ecclesiæ disciplinam diuina censura. Hoc autem totum potest fieri, si ea quæ à vobis petuntur, ne facile tribuantur, religiosa contemplatione moderemini, intelligentes & comprimẽtes eos qui personas accipientes in beneficiis vestris, aut gratificantur, aut inlicitæ negociationis nundinas aucupantur. De hoc ad clerum & ad plebẽ literas feci, quas vtrasque legi vobis mandaui. Sed & illud ad diligentiam vestram redigere & emendare debetis, vt nominatim designetis eos quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, vt dicatur, Communicet ille cum suis. Quod nunquam omnino à martyribus factũ est, vt incerta & cæca petitio inuidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet quando dicitur, Ille cũ suis, & possunt nobis viceni, & triceni, & amplius offerri, qui propinqui & affines, & liberti ac domestici esse asseuerarentur eius qui accepit libellum: & ideo peto vt eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorũ pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes literas dirigatis. Opto vos fratres fortissimi ac dilectissimi in domino semper bene valere, & nostri meminisse. Valete.

ARGVM. *Ad plebem scribit, significans quid ad eum martyres de lapsis petierint.*

CYPRIAVVS, FRATRIBVS IN PLEBE CONSISTENTIBVS, SALVTEM. XLVII.

INGEMISCERE vos & dolere ruinas fratrum nostrorum, ex me scio fratres charissimi, qui & ipse vobiscum pro singulis ingemisco pariter & doleo, & patior ac sẽtio, quod beatus Apostolus dicit, *Quis infirmatur*, inquit, *& ego nõ in-* 2.Cor.11.
firmor? quis scandalizatur, et ego non vror? Et iterũ posuit in epistola sua dicens, *Si patitur membrorum vnum, compatiuntur &* 1.Cor.12.
cetera membra: et si lætatur vnum membrũ, & conlætantur cetera membra. Compatior ergo & condoleo fratribus nostris, qui lapsi & persecutionis infestatione prostrati, partem nostrorum viscerum secum trahentes, acrem dolorem nobis suis vulneribus intulerunt. Quibus potens est diuina misericordia medelã dare, properandũ tamẽ nõ puto, nec incaute aliquid & festinanter gerendum, ne dum temere pax vsurpatur, diuinæ indignationis offensa grauius prouocetur. Fecerunt ad nos de quibusdam beati martyres literas, petentes examinari desideria sua: cùm pace nobis omnibus à domino prius data, ad ecclesiam regredi cœperimus, examinabuntur singula præsentibus & iudicantibus vobis. Audio quosdam tamen de presbyteris nec euangelij memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes, nec episcopo honorem sacerdotij sui & cathedræ reseruantes, iam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & eucharistiam dare, quando oporteat ad

hæc per ordinem peruenire. Nã cum in minoribus delictis, quæ non in Deũ committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat inspecta vita eius qui agit pœnitentiam: nec ad cõmunicationẽ venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo & clero manus fuerit imposita, quanto magis in his grauissimis & extremis delictis caute omnia & moderate secundũ disciplinam domini obseruari oportet? Quod quidem nostri presbyteri & diaconi monere debuerant, vt commendatas sibi oues fouerent, & diuino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruerent. Ego plebis nostræ & quietem noui pariter & timorẽ, qui in satisfactione Dei & in deprecatione vigilarent, nisi illos quidam de præpositis gratificantes decepissent. Vel vos itaque singulos regite, & consilio ac moderatione vestra secundũ diuina præcepta lapsorum animos temperate. Nemo importuno adhuc tempore acerba poma decerpat. nemo nauem suam quassatam & perforatam fluctibus prius quàm diligenter eam refecerit, in altum denuo committat. nemo tunicam scissam accipere & induere properet, nisi eam ab artifice perito resartam viderit, & à fullone curatam receperit. Audiant quæso patienter consilium nostrum, expectent nostram regressionem, vt cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, conuocatis coëpiscopis, plures secundũ domini disciplinam & confessorũ præsentiã & vestrã quoq; sentẽtiã beatorũ martyrũ literas, & desideria examinare possimus. De hoc ad clerum, & ad martyres, & ad confessores literas feci, quas vtrasq; legi vobis mandaui. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi in domino semper bene valere, & nostri meminisse. Valete.

ARGVMENT. Ad clerum epistola, propter lapsos & catechumenos, ne vacui exirent.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. XLVIII.

MIROR vos fratres charissimi, ad multas epistolas meas, quas vobis frequenter misi, nihil rescripsisse, cum fraternitatis nostræ vel vtilitas vel necessitas sic vtique gubernetur, si à vobis instructi rerum gerendarum consilium limare possimus. Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & iam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & grauibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, vt qui libellos à martyribus acceperũt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quencunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeses facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis desiderauerunt. Ceteram quoque partem plebis quę lapsa est, præsentia vestra fouete: & vt à fide & misericordia domini non deficiant, vestro solatio focillate. neque enim deserentur ab ope & auxilio domini, qui mites & humiles, & pœnitentiam vere agentes in bonis operibus perseuerauerint, quo minus illis quoque diuino remedio consulatur. Audientibus etiam si qui fuerint periculo præuenti, & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit, implorantibus diuinã gratiam misericordia domini non denegetur. Opto vos fratres charissimi semper bene valere, & nostri meminisse. Fraternitatem vniuersam meo nomine salutate, & vt nostri meminerint, admonete & rogate. Valete.

ARGV

ARGVM. *Ad clerum epistola, de iis qui ad eucharistiam festinant.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. XLVIIII.

LEGI literas vestras fratres charissimi, quibus scripsistis salubre consilium vestrum non deesse fratribus nostris, vt temeraria festinatione deposita, religiosam patiētiam Deo præbeant: vt quando in vnum per eius misericordiā venerimus, de omnibus speciebus secundum ecclesiasticā disciplinam tractare possimus: maxime cum scriptum sit, *Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam.* Pœnitentiam autem ille agit, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis & operibus iustis Dominum promeretur. Quoniam tamen significastis quosdam immoderatos esse, & communicationem accipiendam festinanter vrgere: & desideras tis in hac re formam vobis à me dari, satis plene scripsisse me ad h anc rem proximis literis ad vos factis, credo: vt qui libellum à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam imposita, cum pace à martyribus sibi promissa ad dominum remittantur. Ceteri vero qui nullo libello à martyribus accepto inuidiam faciunt, quoniam non paucorū, nec ecclesiæ vnius, aut vnius prouinciæ, sed totius orbis hæc causa est, expectēt ante, de domini protectione, ecclesiæ ipsius publicam pacē: hoc enim & verecundiæ & disciplinæ & vitæ ipsi omnium nostrum conuenit, vt præpositi cū clero conuenientes, vt præsente etiā stantiū plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilij communis religione possimus. Ceterū inreligiosum est, & ipsis quoque festinantibus pernicioſum, vt cum extorres facti, & patria pulsi, ac bonis suis omnibus spoliati, nondum ad ecclesiam redierint: quidam de lapsis confessores ipsos præuenire, & ante ad ecclesiā introire festinent. Qui si nimium properent, habeant in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus quam postulant largiente. Acies adhucgeritur, & agon quotidie celebratur. Si commissi vere & firmiter pœnitet, & fidei calor prȩualet, qui differri nō potest, potest coronari. Opto vos fratres charissimi semper bene valere, & nostri meminisse. Fraternitatē vniuersam meo nomine salutate, & vt nostri memores sint, admonete. Valete. Apoc. 2.

ARGVMEN. *Ad clerum epistola, non esse temere pacem dandam lapsis.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. L.

DOMINVS loquitur & dicit, *Super quem respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Hoc cū debeamus omnes esse, tū magis huiusmodi illi esse debent quibus laborandum est, vt post grauem lapsum vera pœnitentia & humilitate tota promereri dominum possint. Legi autem & vniuersorum confessorum literas, quas voluerunt per me collegis omnibus innotescere, & ad eos pacem à se datam peruenire. Quibus dum apud nos ratio constiterit, quid post commissum egerint, quæ res cum omnium nostrum consilium & sententiam Esaiæ. 66.

spectet, præiudicare ego & solum mihi rem communem vindicare non audeo. Et ideo instetur interim epistolis, quas ad vos proxime feceram: quarũ exemplum collegis quoque multis iam misi, qui rescripserunt placere sibi quod statuimus: nec ab eo recedendũ esse, donec pace nobis à domino reddita, in vnum conuenire, & singulorum causas examinare possimus. Sed & quid mihi Calidonius collega meus scripserit, quidque ego ei rescripserim, vt sciretis, vtriusque epistolæ exemplum literis meis iunxi: quod totum peto fratribus nostris legatis, vt magis ac magis ad patientiam componantur: nec delicto priori adiiciant adhuc aliud delictum, dum nec nobis nec euangelio volũt seruire: nec secundũ vniuersorum confessorum literas, causas suas examinari permittunt. Opto vos fratres charissimi, semper bene valere, & nostri meminisse. Fraternitatem vniuersam salutate. Valete.

ARGVMEN. *Ad Calidonium episcopum epistola, insinuans quid super lapsis egerit.*

CYPRIANVS, CALIDONIO FRATRI, SALVTEM. LI.

ACCEPIMVS literas tuas frater charissime, satis sobrias & integritatis ac fidei plenas: nec miramur, si exercitatus & in scripturis dominicis peritus, caute omnia & cõsulte geras. Recte autem sensisti circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi per veram pœnitentiam & dominicæ confessionis gloriam reddiderunt, sermonibus suis iustificati, quibus se ante damnauerant. Cum ergo abluerint omne delictum, & maculam primam adsistente sibi domino posteriore virtute deleuerint, iacere vltra sub diabolo quasi prostrati nõ debent, qui extorres facti, & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt. Atque vtinã sic ceteri post lapsum pœnitentes in statum pristinum reformentur: quos nunc vrgentes & pacẽ temere atque importune extorquentes, quomodo dispoſuerimus vt scires, librum tibi cum epistolis numero quinque misi: quas ad clerum & ad plebem, & ad martyres quoq; & confessores feci. Quæ epistolæ etiã plurimis collegis nostris missæ placuerunt, & rescripserunt se quoque nobiscum in eodem consilio secundum catholicam fidem stare. Quod ipsum tu etiam ad collegas nostros, quos potueris, transmittes, vt apud omnes vnus actus & vna consensio secundum domini præcepta teneatur. Opto te frater charissime, semper bene valere.

ARGVM. *Ad clerum Romæ consistentem epistola, insinuans se ab eo de morte Vrbici collegæ sui certiorem redditum.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS ROMAE CONSISTENTIBVS FRATRIBVS, SALVTEM. LII.

CVM de excessu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres charissimi, & opinio dubia nutaret, accepi à vobis literas ad me missas per Clementiũ hypodiaconum: quibus plenissime de glorioso eius exitu instruerer. Et exultaui satis, quod pro integritate administrationis eius, cõsummatio quoque honesta processerit. In quo vobis quoque plurimum gratulor, quod eius memoriam tã celebri & illustri testimonio prosequamini: vt per vos innotesceret no-

ret nobis, quod & vobis esset circa præpositi memoriam gloriosum, & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. nam quantum pernicioſa res est ad sequentium lapsum ruina præpositi, in tantum contra vtile est & salutare, cum se episcopus per firmamentum fidei, fratribus præbet imitandum. Legi etiam alias literas, in quibus nec quis scripserit, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum est. Et quoniam me in iisdem literis & scriptura, & sensus & chartæ ipsæ quoque mouerunt, ne quid ex vero vel subtractum sit vel immutatũ, eandem ad vos epistolã authenticã remisi, vt recognoscatis an ipsa sit quã Clementio hypodiacono perferendã dedistis. perquã etenim graue est, si epistolæ clericæ veritas mendacio aliquo & fraude corrupta est. Hoc igitur vt scire possimus, & scriptura & subscriptionean vestra sit recognoscite, & nobis quid sit in vero rescribite. Opto vos fratres charissimi, semper bene valere. Valete.

ARGVMEN. *Ad clerum, insinuans quod vtrasque Romæ literas misisset, feciſſetq; Optatum hypodiaconũ, & Saturum lectorem.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. LIII.

NE quid conscientiã vestrã lateret fratres charissimi, quid mihi scriptũ sit, quídue ego rescripserim, vtriusq; epistolæ exẽplum vobis misi: & credo vobis id quod rescripsi, nõ displicere. Sed & illud ad vos perferre literis meis debui, vrgẽte causa, & Clero in vrbe consistẽti literas me misisse: & quoniã oportuit me per clericos scribere: scio autẽ nostros plurimos absentes esse: paucos vero, qui illic sunt, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere: necesse fuit nouos aliquos cõstituere qui mitterẽtur. Feciſſe autem me sciatis lectorem Saturum & hypodiaconũ Optatum confessorẽ: quos iampridem communi cõsilio Clero proximo feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterum lectionem dedimus: aut quomodo cum presbyteris doctoribus lectores diligentes probaremus, Optatum inter lectores doctorũ audientium constituimus, examinantes an congruerent illis omnia quæ esse deberent in his qui ad Clerum parabantur. Nihil ergo à me absentibus vobis nouum factum est: sed quod iam pridem communi consilio omnium nostrum cœperat, necessitate vrgente promotum est. Opto vos fratres charissimi semper bene valere, & nostri meminisse. fraternitatem salutate. Valete.

ARGVM. *Ad Fortunatum epistola & ceteros, de his qui per tormenta superantur.*

CYPRIANVS, FORTVNATO, HAIMO, Optato, Priuatiano, Donatulo & Felici fratribus, S. LIIII.

SCRIPSISTIS mihi fratres charissimi, quod cũ in Capsensi ciuitate propter ordinationem episcopi essetis, pertulerit ad vos nuper frater & collega noster, Ninum, Clementianum, & Florum, fratres nostros, qui in persecutione apprehensi prius fuerant, & nomen domini confessi violentia magistratus & populi frementis impetum vicerant: postmodum cum apud proconsulem pœnis grauibus excruciarentur, vi tormentorum subactos esse & de gradu glo-

riæ,ad quam plena fidei virtute tendebant,diutinis cruciatibus excidisse: nec tamen post hunc grauem lapsum non voluntate, sed necessitate susceptum, à pœnitentia agenda per hoc triennium destitisse : de quibus consulendum putastis,an eos ad communicationem iam fas esset admittere. Et quidē quod mei ad animi sententiam pertinet, puto his indulgentiam domini non defuturam,quos constat stetisse in acie,nomen domini confessos esse,violētiam magistratuum, & populi furentis incursum immobiles fidei obstinatione vicisse,passos esse carcerem diu,inter minas proconsulis & fremitum populi circunstantis, tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciātibus repugnasse:vt quod in nouissimo infirmitate carnis subactum videtur,meritorum præcedentium defensione releuetur:& sit satis talibus gloriā perdidisse, non tamen debere nos eis & veniæ locum cludere, atque eos à paterna pietate,& à nostra communicatione priuare,quibus æstimamus ad deprecandā clementiam domini posse sufficere,quòd triennio iugiter & dolenter,vt scri bitis,cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt.Certe non puto incaute & temere his pacem committi, quos videmus militiæ suæ fortitudine nec prius pugnæ defuisse:& si acies etiam denuo venerit,gloriam suam posse reparare.Nam cum in concilio placuerit,pœnitentiā agentibus,in infirmitatis periculo subueniri & pacem dari, debent vtique in accipienda pace præcedere:quos videmus non animi infirmitate cecidisse,sed in prælio congressos & vulneratos,per imbecillitatem carnis confessionis suæ coronam non potuisse perferre, maxime cum cupientibus mori non permitteretur occidi, sed tandiu fessos tormenta laniarent,quandiu non fidē,quæ inuicta est,vincerent,sed carnē quę infirma est,fatigarent. Quoniam tamen scripsistis,vt cū pluribus collegis de hoc ipso plenissime tractē, & res tāta exigit maius & impensius de multorum collatione consilium, & nunc omnes fere inter prima paschæ solennia apud se cum fratribus demorantur,quando solennitati celebrandæ apud suos satisfecerint, & ad me venire cœperint , tractabo cum singulis plenius , vt de eo quod consuluistis figatur apud nos & rescribatur vobis firma sententia,à multorum sacerdotum consilio ponderata. Opto vos fratres charissimi,semper bene valere.

ARGVMENT. Ad clerum, de cura pauperum.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIAconis fratribus charissimis,salutem. LV.

SALVTO vos fratres charissimi,per Dei gratiam incolumis, optans cito ad vos venire, vt desiderio tā meo quàm vestro,& omnium fratrū satisfiat. Oportet nos tamen paci cōmuni consulere,& interdum quanuis cū tædio animi nostri deesse vobis, ne præsentia nostri inuidiam & violentiā gentilium prouocet: & simus auctores rūpendę pacis,qui nos magis quieti omnium consulere debemus. Quando ergo vos scripseritis rebus cōpositis me venire debere: aut si ante dominus dignatus fuerit ostendere , tunc ad vos veniam. Vbi enim mihi aut melius possit esse? aut lætius quam illic vbi me Deus & credere voluit & crescere? Viduarum & infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint , sumptus suggeratis de quantitate mea propria,quam apud Rogatianum compresbyterū nostrum dimisi: quæ quantitas, ne forte iam vniuersa erogata sit, misi eidem per Naricum acoluthum aliam portionem, vt largius & promptius circa laborantes fiat operatio. Opto vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGV-

ARGVM. Ad Seagrium & Rogatianum & ceteros confessores in carcere constitutos consolatoria, vt charitatis futuræ gloriam cogitantes, pressuras omnes viriliter calcent.

CYPRIANVS, ROGATIANO ET SEAGRIO ET CETERIS CONFESSORIBVS IN DOMINO, perpetuam salutem. LVI.

SALVTO vos fratres charissimi, optans ipse quoq; conspectu vestro frui, si me ad vos peruenire loci conditio permitteret. quid enim mihi optatius & lætius possit accidere, quàm nunc vobis inhærere, vt complecteremini me manibus illis quę puræ & innocentes & dominicam fidem seruantes, sacrilega obsequia respuerunt? quid iucundius & sublimius, quàm osculari nunc ora vestra, quæ glorioſa voce dominum confessa sunt? conspici etiam præsentem ab oculis vestris, qui despecto seculo, conspiciendo deo digni extiterunt? Sed quoniam huic lætitiæ interesse facultas non datur, has pro me ad aures & ad oculos vestros vicarias literas mitto, quibus gratulor pariter & exhortor, vt in confessione cælestis gloriæ fortes & stabiles perseueretis, & ingressi viam dominicæ dignationis ad accipiendam coronam spiritali virtute pergatis, habentes dominum protectorem & ducem, qui dixit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem mundi.* Matth.28. O beatum carcerem, quem inlustrauit vestra præsentia. ô beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cælum. ô tenebras lucidiores sole ipso, & luce hac mundi clariores, vbi modo constituta sunt Dei templa, & sanctificata diuinis confessionibus membra vestra. Nec quicquam nunc versetur in cordibus & mentibus vestris, nisi diuina præcepta & mandata cælestia, quibus vos ad tolerantiam passionis spiritus sanctus semper animauit. nemo mortem cogitet, sed immortalitatem: nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cum scriptum sit, *Preciosa est in conspectu Dei mors iustorum eius.* Psal.115.& & iterum, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* 50. Et iterum vbi loquitur scriptura diuina de tormentis quæ martyres Dei consecrant, & in ipsa passionis probatione sanctificant, *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent: iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum.* Sapien.3. Quando ergo iudicaturos vos & regnaturos cum Christo domino cogitatis, exultetis necesse est, & futurorum gaudio præsentia supplicia calcetis, scientes ab initio mundi sic institutum, vt laboret istic in seculari conflictatione iustitia, quando in origine statim prima Abel iustus occiditur: & exinde iusti quique & prophetæ, & apostoli missi, Gen.4. quibus omnibus dominus quoque in seipso constituit exemplum, docens ad suum regnum non nisi eos qui se per suam viam secuti sint, peruenire, dicens, *Qui amat animam suam in isto seculo, perdet illam. & qui odit animam suam in isto seculo, in vitam æternam conseruabit illam*, Ioan.12. & iterum, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest & animam & corpus occidere in gehennã.* Matth.10. Paulus etiam nos adhortatur, vt qui ad domini promissa venire cupimus, imitari dominum in omnibus debeamus. *Sumus*, inquit, *filij Dei, si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si quidem compatiamur, vt & commagnificemur.* Rom.8. Addit etiam compara-

Rom. 8. tionem præsentis temporis, & futuræ claritatis, dicens, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam claritatem quæ reuelabitur in nobis.* Cuius claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones tolerare nos conuenit, quia etsi sunt multæ pressuræ iustorum, ex omnibus tamen liberantur qui in domino confidunt. Beatas etiam fœminas saluto quæ vobiscum sunt in eadem confessionis gloria constitutæ, quæ dominicam fidem tenentes, & sexu suo fortiores non solum ipsæ ad coronam proximæ sunt, sed & ceteris quoque fœminis exemplum de sua constantia præbuerunt. Ac ne quid deesset ad gloriam numeri vestri, vt omnis vobiscum & sexus & ætas esset in honore, pueros etiam vobis glorioſa confessione sociauit diuina dignatio, repręsentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias & Misael, inlustres pueri aliquãdo fecerunt: quibus inclusis in camino cesserunt ignes, & refrigerij locum flammę dederunt, præsente cum illis domino, & probante quod in confessores & martyres eius nihil posset gehennæ ardor operari, sed quod qui in deum crederent, incolumes essent, & tuti in omnibus perseuerarent. Et vt consideretis diligentius, peto pro vestra religione, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri plenius deum potuit. Ad omnia enim parati, sicut omnes esse debemus, aiunt regi Nabuchodonosor, *Rex, non*

Dan. 3. *opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos seruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, liberare nos: & si non, notum sit tibi, quoniam diis tuis non seruimus, & imaginem auream quam statuisti, non adoramus.* Cum se & crederent, & pro fide sua scirent posse etiam de præsenti supplicio liberari, iactare hoc tamen & vindicare sibi noluerunt dicentes, Et si non, ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis, addiderunt posse omnia deum facere, sed tamen non in hoc fidere, vt liberari in præsentia vellẽt, sed illam libertatis & securitatis æternæ gloriam cogitarẽt. Quam fidem nos quoque retinentes, & die ac nocte meditantes, toto corde ad deum prompti, contemptu præsentium, futura tantummodo cogitemus, fructum regni æterni, complexum & osculum & conspectum Dei, vt sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum glorioſum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religioſa virtute & diuina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper & sobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparauit, & metator quodammodo vester, nunc quoq; vos antecedit. Quod vt consummetur in vobis, assiduis orationibus dominum deprecamur, vt initiis ad summa pergentibus, quos cõfiteri fecit, faciat & coronari. Opto vos fratres chariſsimi ac beatiſsimi in Domino semper bene valere, & ad coronam cælestis gloriæ peruenire.

CAECILII CYPRIANI, QVOD IDOLA DII NON SINT. LVII.

ARGVM. *Docet contra Paganos, idola deos non esse, nec ab his regna defendi, quæ acceptũ tempus certo fine custodiunt: & vnum verum Deum esse & dominum omnium, quem Christiani colunt.*

QVOD idola dij non sint, & quod vnus Deus sit: & quod in credentibus ratum sit, deos non esse quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cœperunt: inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulachra. nam & immolabant hostias, & dies festos dando honores cele-

res celebrabant:inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant adsumpta solatia: & videamus, an stet hæc apud singulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria,& fiunt postmodum maris numina. Castor & Pollux alternis moriuntur,vt viuant.Æsculapius vt in Deum surgat, fulminatur. Hercules vt hominem exsuat, Oeteis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pauit. Laomedonti muros Neptunus instituit,nec mercedem operis infelix instructor accepit. Antrum Iouis in Creta videtur, & sepulchrum eius ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum manifestum est: inde Latium de latebra eius, nomen accepit. hic literas imprimere,hic signare nummos in Italia primus instituit,inde ærarium Saturni vocitatur.nam & rusticitatis hic cultor fuit,inde ferens falcem pingitur: hunc fugatum hospitio, Ianus exceperat, de cuius nomine Ianiculũ dictum est, & mensis Ianuarius institutus est: ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus,annum incipientem pariter ac recedentem spectare videatur. Mauri vero manifeste reges colunt,nec vllo velamẽto hoc nomen obtexunt: vnde per gentes & prouincias singulas varia deorum religio mutatur, dum non vnus ab omnibus Deus colitur, sed & propria cuique maiorum suorum cultura seruatur. Hoc ita esse Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis proditũ sibi de diis hominibus,à sacerdote secretũ, quod maiorum & regum memoria seruata sit: inde colendi & sacrificandi ritus inoleuit. Si autem aliquando dij nati sunt, cur non hodiéque nascuntur? nisi forte Iupiter senuit,aut partus in Iunone defecit. Cur vero deos putas pro Romanis posse,quos videas nihil prorsus aduersus eorum arma valuisse?Romanorum enim vernaculos deos nouimus: est Romulus peierãte Proculo,deus factus:& Picus,& Tiberinus, & Pilumnus, & Consus, quem Deum fraudis, velut consiliorum Deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit: Deam quoque Cloacinam Tatius inuenit & coluit, Pauorem Hostilius atque Pallorem: mox à nescio quo Febris dedicata, & Acca & Flora meretrices: hi dij Romani.Ceterum Mars Thracius, & Iupiter Creticus,& Iuno vel Argiua,vel Samia, vel Pœna: & Diana Taurica, & deûm mater Idæa:& AEgyptia portenta, non numina, quæ vtique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna seruassent. Plane sunt apud Romanos & victi Penates,quos AEneas profugus aduexit. Est & Venus calua, multo hic turpius calua,quàm apud Homerum vulnerata.Regna autem non merito accidunt,sed sorte variantur. Ceterum imperium ante tenuerunt & Assyrij,& Persæ:& Græcos, & AEgyptios regnasse cognouimus.Ita vicibus potestatum,Romanis quoq; vt & ceteris imperãdi tempus obuenit.Ceterũ si ad originẽ redeas,erubescas. Populus de sceleratis & nocentibus congregatur,& asylo constituto,facit numerum impunitas criminum.nunc vt rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida: atque vt matrimonium faciat, rem concordiæ per discordias auspicatur. rapiunt, ferociunt, fallunt,ad copiam ciuitatis agendam. Nuptiæ sunt illis rupta hospitij fœdera, & cum soceris bella crudelia. Est & gradus summus in Romanis honoribus,consulatus. Sic consulatum cœpisse videmus, vt regnum. Filios interficit Brutus,vt crescat de suffragio sceleris commẽdatio dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis Romana regna creuerunt,sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Ceterum & Regulus auspicia seruauit,& captus est:& Mancinus religionem tenuit,& sub iugum missus est.Pullos edaces habuit Paulus, & apud Cãnas tamen cæsus est. C. Cæsar ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, auguriis & auspiciis retinentibus spreuit: eo facilius & nauigauit & vicit.Horum autem omnium ratio est illa quæ fallit & decipit, & præstigiis cæcantibus veritatem,stultum &

prodigum vulgus inducit. Spiritus insinceri & vagi, qui postea quàm terrenis vitiis immersi sunt,& à vigore cælesti terreno contagio recesserunt,non desinunt perditi perdere,& deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & poëtæ dæmonas norunt,& Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat:& Magis inde est ad pernicioſa vel ludicra potentatus, quorum tamen præcipuus Ostanes formam veri Dei negat conspici posse,& angelos veros sedi eius dicit adsistere.In quo & Plato pari ratione consentit,& vnum deum seruans,ceteros angelos,vel dæmonas dicit.Hermes quoque Trismegistus vnum deum loquitur,eumque incomprehensibilem atque inęstimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt.Hi adflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant,sortes regunt,oracula efficiunt,falsa veris semper inuoluunt. nam & falluntur & fallunt, vitam turbant, somnos inquietant: irrepentes etiam, in corporibus occultę mentes, terrent,mẽbra distorquent, valetudinem frangunt,morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant: vt nidore altarium & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur.Hæc est de illis medela,cum ipsorum cessat iniuria:nec aliud his studium est, quàm à deo homines auocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis auertere:& cum sint ipsi pœnales,quęrere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Hi tamen adiurati per deum verum, nobis statim cedunt,& fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & operatione, maiestatis occultæ flagellis cedi,igni torreri,incremẽto pœnæ propagantis extendi,eiulare,gemere,deprecari:vnde veniant,& quando discedant,ipsis etiam qui se colunt audientibus,confiteri:& vel exiliunt statim,vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis adspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, vt nos odisse incipiant homines antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint,aut damnare non possint. Vnus igitur omnium Dominus est Deus. neque enim illa sublimitas potest habere consortẽ,cum sola omnem teneat potestatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni societas,aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia: & Romanos geminos vnum non capit regnum,quos vnũ vteri cepit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt,nec tamẽ necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt.Nec hoc tu de homine mireris,cum in hoc omnis natura consentiat.Rex vnus est apibus,& dux vnus in gregibus,& in armentis rector vnus: multò magis mundi vnus est rector,qui vniuersa quęcunque sunt,verbo iubet,ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi,tactu purior est:nec ęstimari,sensu maior est.& ideo sic eum digne ęstimamus,dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit deus, cuius templum totus est mundus, & cum homo latius maneat, intra vnam ædiculam vim tantæ maiestatis includat? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. nec nomen Dei quæras, Deus nomen est illi.Illic vocabulis opus est, vbi propriis adpellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est. Ergo vnus est, & vbique totus diffusus est. nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur,cum mens & anima sui auctoris & principis admonetur.Dici frequenter audimus, O Deus:&,Deus videt:&, Deo commendo:&, Deus mihi reddet:& Quod deus vult:&,Si deus dederit. At quæ est hæc summa delicti, nolle agnoscere quẽ ignorare non possis? Quod vero & Christus sit,& quomodo per ipsum nobis salus venerit,sic est ordo,sic ratio: Iudæis primũ erat

apud

apud Deum gratia: sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant. Inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit. Sed illi negligentes disciplinæ, superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quàm fuerit illis vero profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi & palabundi vagantur, soli & cæli sui profugi per hospitia aliena iactantur. Necnon Deus ante prædixerat fore, vt vergente seculo, & mundi fine iam proximo, ex omni genere & populo & loco cultores sibi allegeret deus multo fideliores, & melioris obsequij, qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudæi contemptis religionibus perdidissent. Indulgentiæ igitur huius & gratię disciplinæque arbiter & magister, sermo & filius dei mittitur, qui per prophetas omnes retro inluminator & doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius & gloria. hic in virginem inlabitur, carnē spiritu sancto cooperante induitur. Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, vt & homo possit esse quod Christus est. Sciebant & Iudæi Christum esse venturum: nam hoc illis semper prophetis monētibus annunciabatur: sed significato duplici eius aduentu: vno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur: altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primum aduentum, qui in passione præcessit occultus, vnum tantum credunt qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate multati, vt qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaq; cum Christus Iesus secundum à prophetis ante prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, inluminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, seruire ventos, maria obedire, inferos cedere, Iudæi qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis & corporis, existimabant magum de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos & doctrina ille & sapientia reuincebat, accensa ira & indignatione prouocata, postremo detentum, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem eius & mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitātes. Hoc eos facturos & ipse prædixerat, & prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, Oportere illum pati, non vt sentiret mortem, sed vt vinceret: & cum passus esset, ad superos denuo regredi, vt vim diuinæ maiestatis ostenderet. Fidem itaque, rerum cursus impleuit. nam & crucifixus, præuento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit. Adparuit discipulis suis talis vt ante fuerat, & agnoscendum se videntibus præbuit, simul victus & substantiæ corporalis firmitate conspicuus ad dies quadraginta remoratus est, vt denuo ad præcepta vitalia instrui possent, & discerent quæ docerent. Tunc in cælum circunfusa nube sublatus est, vt hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad patrem victor imponeret. Iam venturus è cælo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis potestate: per orbē vero discipuli magistro & deo monente diffusi, præcepta Dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent: cæcos & ignaros, ad agnitionem veritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida, & de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor qui veritatis testis est, admouetur, vt Christus dei filius, qui hominibus ad vitam

datus creditur, non tantum præconio vocis, sed & passionis testimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, cælum pariter & patrem quærentibus & credentibus pollicentem. Quod est Christus, erimus Christiani, si Christum fuerimus secuti.

ARGVM. Cypriani nonnullorúmque coepiscoporum ad Pomponium epistola de Virginibus Deo dicatis.

CYPRIANVS, CAECILIVS, VICTOR, SEDATVS, TERTVLLVS, CVM PRESBYTERIS QVI PRESENTES aderant, Pomponio fratri, salutem. LVIII.

LEGIMVS literas tuas frater charissime, quas per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans & desiderans vt tibi rescriberemus, quid nobis de his virginibus videatur, quæ cum semel statum suum continenter & firmiter tenere decreuerunt, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mãsisse cum masculis, ex quibus vnum diaconum esse dicis. Plane easdem quę se cum viris dormisse cõfessæ sint, asseuerare se integras esse. Circa quam rem, quoniam consilium nostrum desiderasti, scias nos ab euangelicis & apostolicis traditionibus nõ recedere, quo minus fratribus & sororibus nostris constanter & fortiter consulatur, & per omnes vtilitatis & salutis vias ecclesiastica disciplina seruetur, cum Dominus loquatur & dicat, *Et dabo vobis pastores secundum cor meum,* Hiere. 3. *& pascent vos pascentes cum disciplina.* & iterũ scriptũ sit, *Disciplinam qui abiicit,* Sapien. 3. *infelix est:* & in psalmo quoque spiritus sanctus admoneat & instruat dicens, Psal. 2. *Continete disciplinam, ne forte irascatur Dominus, & pereatis à via recta, cum exarserit cito ira eius super vos.* Primo igitur in loco frater charissime, & præpositis & plebi nihil aliud elaborandum est, quàm vt qui Deum timemus, cum omni obseruatione disciplinæ diuina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres nostros, & pro arbitrio & fructu suo viuere, sed ad vitam singulis fideliter consulere: nec pati virgines cum masculis habitare, non dico simul dormire, sed nec simul viuere: quando & sexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frenari à nobis & regi debeat, ne diabolo insidianti & sæuire cupienti, ad nocendum detur occasio: quando & Apostolus dicat, *Nolite locum* Ephes 4. *dare diabolo.* Liberanda est vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Exuẽda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis superuenientibus concremetur. Nemo diu tutus est, periculo proximus: nec euadere diabolum seruus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicauit. Intercedendum est cito talibus, vt separentur, dum adhuc separari innocentes possunt, quia diuidi postmodum nostra intercessione non poterũt, posteaquàm grauissima conscientia cohæserint. Denique quàm graues multorum ruinas hinc fieri videmus, & per huiusmodi inlicitas & periculosas cõiunctiones corrumpi plurimas virgines cum summo animi nostri dolore cõspicimus. Quod si se ex fide Christo dicauerint, pudicę & castę sine vlla fabula perseuerent, ita fortes ac stabiles prẹmium virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem delictis suis cadant. Certe nullum fratribus aut sororibus scandalũ faciant, cum scriptum sit, *Si cibus scandalizat fratrem, non manducabo carnem in seculum, ne fratrem scandalizem.* Nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod inspici & probari possit an virgo sit, cum & manus obstetricum & oculi sæpe fallan-

fallantur. Et si incorrupta inuenta fuerit virgo ex ea parte sua qua mulier potest esse, potuerit tamen & ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest. Certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur? Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat, nónne indignatur & fremit, & per zeli dolorem fortasis & gladium in manum sumit? Quia Christus dominus & iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur, & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur? Cuius vt gladium spiritalem, & venturum iudicij diem vnusquisque fratrum possit euadere, omni consilio prouidere & elaborare debemus. Et cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis præpositos & diaconos curare hoc fas est, qui exemplum & documentum ceteris de conuersatione & moribus suis præbeant. Quomodo enim possunt integritati & continentiæ præesse, si ex ipsis incipiant corruptelæ, & vitiorum magisteria procedere? Et idcirco consulte & cum vigore feciſti frater charissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed & ceteros qui cum virginibus dormire consueuerunt. Quod si pœnitentiam huius inliciti concubitus sui egerint, & à se inuicem recesserint, inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter, & si virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione ad ecclesiam admittantur: hac tamen interminatione, vt si ad eosdem masculos post modum reuersæ fuerint, aut si cum eisdem in vna domo & sub eodem tecto simul habitauerint, grauiore censura eiiciantur, nec in ecclesiam postmodum tales facile recipiantur. Si autem de eis aliquæ corruptæ fuerint deprehensæ, agant pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et ideo æstimato iusto tempore, postea exomologesi facta, ad ecclesiam redeant. Quod si obstinate perseuerant, nec se ab inuicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione nunquam à nobis admitti in ecclesiam posse, ne exemplum ceteris ad ruinas delictis suis facere incipiant. Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis & sacerdotibus obtemperare noluerint, cum in Deuteronomio dominus Deus dicat, *Et homo quicunque fecerit in superbia vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & non aget impie etiam nunc.* Deut. 17. Interfici Deus iussit, sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circuncisio carnalis manebat: nunc autem, quia circuncisio spiritalis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia eiiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in ecclesia possit. Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant salubribus preceptis, testatur scriptura diuina quę dicit, *Non diligit indisciplinatus castigantem se: qui autem oderunt correptiones, turpiter consumentur.* Ergo ne indisciplinati consumantur & pereant, da operam frater charissime, vt quantum potes consiliis salutaribus fraternitatem regas, & singulis ad salutem suam consulas. Arcta & angusta est via per quam ingredimur ad vitam: sed summus & magnus est fructus cum peruenimus ad gloriam. Qui se semel castrauerunt propter regnum cælorum, Deo per omnia placeant, nec sacerdotes Dei ecclesiam Domini contemnentes, scandalo se fratribus offerant. Et si ad præsens à nobis contristari videntur, nos tamen in salubri persuasione maneamus, scientes & Apostolum dixisse, *Ergo ego inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Galat. 4. Quod si obtemperauerint,

nobis, gratiſsimum eſt, ſtantes eos ad ſalutem pariter dignatione noſtri ſermonis formauimus. ſi autem quidam de peruerſis obtemperare noluerint, ſequamur eundem Apoſtolum dicentem, *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*: ſi quibuſdam ſuadere non poſſumus, vt eos Chriſto placere faciamus, nos certe, quod noſtrum eſt, Chriſti domini & Dei noſtri præcepta ſeruantes, placeamus. Opto te frater chariſsime ſemper bene valere.

Galat.1.

ARGVM. *Ad Antonianum de Cornelio & ſchiſmatico Nouatiano epiſtola, in qua declarat quid erga lapſos egerit, docens neminem à pœnitentia agenda debere prohiberi.*

CYPRIANVS, ANTONIANO FRATRI, SALVTEM. LVIIII.

ACCEPI primas literas tuas frater chariſsime, concordiam collegij ſacerdotalis firmiter obtinentes, & catholicæ eccleſiæ cohęrentes, quibus ſignificaſti cum Nouatiano te non communicare, ſed ſequi conſilium noſtrum, & cum Cornelio coëpiſcopo noſtro vnum tenere cõſenſum. Scripſiſti etiam, vt exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam noſtrum tranſmitterem, vt depoſita omni ſollicitudine iam ſciret te ſecum, hoc eſt cum catholica eccleſia communicare. Sedenim ſuperuenerunt poſtmodum aliæ literæ tuæ per Quintum compresbyterum miſſæ, in quibus adnimaduerti animum tuum Nouatiani literis motum nutare cœpiſſe. nam cum & conſilium & conſenſum tuum firmiter ante fixiſſes, deſideraſti in his literis vt reſcriberem tibi quam hæreſin Nouatianus introduxiſſet, vel Cornelius qua ratione Trophimo & thurificatis communicet. Quod quidem ſi pro ſollicitudine fidei anxie curas, & rei dubiæ veritatem ſollicitus exploras, reprehendenda non eſt in timore diuino æſtuantis animi ſollicitudo ſuſpenſa. Quoniam tamen video poſt primam ſententiam epiſtolæ tuæ, Nouatiani literis poſtmodum te eſſe commotum, illud frater chariſsime, primo in loco pono, graues viros & ſemel ſuper petram robuſtam ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aura leui, ſed nec vento aut turbine commoueri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus, frequenter agitetur, & à propoſito ſuo cum quadam leuitatis reprehenſione mutetur. Quod ne apud quenquam Nouatiani literæ faciant, vt deſideraſti frater, rationem rei tibi breuiter exponam, & quidem primum, quoniam de meo quoque actu motus videris: mea apud te & perſona, & cauſa purganda eſt, ne me aliquis exiſtimet à propoſito meo leuiter receſsiſſe. Et cum euangelij vigorem primo & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum à diſciplina, & cenſura priore flexiſſe, vt his qui libellis conſcientiam ſuam maculauerint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putauerim. Quod vtrunque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt. nam cum acies adhuc inter manus eſſet, & prælium glorioſi certaminis in perſecutione ferueret, toto hortatu & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & maxime lapſorum mentes claſsico quodam noſtræ vocis animandæ, vt pœnitentiæ viam non ſolum precibus, & lamentationibus ſequerentur: ſed quoniam repetendi certaminis & reparandæ ſalutis dabatur occaſio, ad confeſsionis potius ardorem, & martyrij gloriam noſtris increpiti vocibus prouocarentur. Denique cum de quibuſdam ad me presbyteri & diaconi

ſcripſi-

scripsissent, eos immoderatos esse, & ad communicationem accipiendam festinanter vrgere, rescribens eis in epistola mea quæ extat, & hoc addidi: Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus quàm postulant largiente. Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur. Si commissi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor præualet, qui differri non potest, potest coronari: de eo tamen quod statuendum esset circa causam lapsorum, distuli, vt cum quies & tranquillitas data esset, & episcopis in vnum conuenire indulgentia diuina permitteret, tunc communicato & librato de omnium collatione consilio, statueremus quid fieri oporteret. Si quis verò ante consilium nostrum, & ante sententiam de omnium consilio statutam, lapsis temere communicare voluisset, ipse à communicatione abstineretur. Quod etiam ad Romanum Clerum tunc adhuc sine episcopo agentem, & ad confessores Maximum presbyterum, & ceteros in custodia constitutos, nunc in ecclesia cum Cornelio iunctos, plenissime scripsi. Quod me scripsisse de eorum rescriptis poteris noscere. nam in epistola sua ita posuerunt, Quanquam nobis in tam ingenti negocio placeat, quod & tu ipse tractasti, prius esse ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem. Additum est etiam Nouatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & presbytero Moyse, tunc adhuc confessore, nunc iam martyre subscribente, vt lapsis infirmis & in exitu constitutis pax daretur. Quæ literæ per totum mundum missę sunt, & in notitiam ecclesiis omnibus & vniuersis fratribus perlatæ sunt. Secundum quod tamen antè fuerat destinatũ persecutione sopita, cum data esset facultas in vnum conueniendi, copiosus episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in vnum conuenimus, & scripturis diu ex vtraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione librauimus, vt nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi ecclesia cluderetur, secuti seculum gentiliter viuerent: nec tamen rursum censura euangelica solueretur, vt ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ & voluntates, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te peruenisse confido, vbi singula placitorum capita conscripta sunt. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Roma super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis coëpiscopis habito consilio, in eandem nobiscũ sententiam pari grauitate & salubri moderatione consensit, de quo tibi necesse tunc fuit scribere, vt scias me nihil leuiter egisse, sed secundum quod literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune consilij nostri consilium distulisse, & nemini quidem de lapsis prius communicasse, quando adhuc erat: vnde non tantum indulgentiam, sed & coronam lapsus acciperet: postea tamen sicut & collegij concordia, & colligendæ fraternitatis, ac medendi vulneris vtilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse, & saluti multorum prouidendum putasse, & nunc ab his non recedere, quæ semel in consilio nostro de communi collatione placuerunt, quanuis multa multorum vocibus ventilentur, & mendacia aduersus sacerdotes Dei, diaboli ore prolata, ad rumpendam catholicæ vnitatis concordiam vbique iactentur. Sed te oportet vt bonum fratrem atque vnanimem consacerdotem, non quid maligni atque apostatæ dicant, facilè susципere, sed quid collegæ tui modesti & graues viri faciant, de vitæ & disciplinæ nostræ ratione perpendere. Venio iam-

iam nunc frater chariſsime,& ad perſonam Cornelij collegæ noſtri, vt Cornelium nobiſcum verius noueris,non de malignorum &detrahentium mendacio, ſed de Dei iudicio, qui eum epiſcopum fecit: & coëpiſcoporum teſtimonio, quorum numerus vniuerſus per totum mundum concordi vnanimitate conſenſit.Nam quod Cornelium chariſsimum noſtrum deo & Chriſto & eccleſiæ eius,item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione cõmendat,non iſte ad epiſcopatum ſubito peruenit,ſed per omnia eccleſiaſtica officia promotus,& in diuinis adminiſtrationibus Dominũ ſępe promeritus, ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde epiſcopatum ipſum nec poſtulauit,nec voluit, nec vt ceteri quos arrogantiæ & ſuperbię ſuæ tumor inflat,ſed quietus & modeſtus,& quales eſſe conſueuerunt,qui ad hunc locum diuinitus eliguntur,pro pudore virginalis continentiæ ſuæ,& pro humilitate ingenitę ſibi & cuſtoditę verecundiæ,non vt quidam, vim fecit vt epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt vt epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis inluſtres de eius ordinatione miſerunt. Factus autem eſt Cornelius epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, id eſt, cum locus Petri & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſquis iam epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat eccleſiæ ordinationem, quia eccleſiæ non tenet vnitatem: quiſque ille fuerit, multum de ſe licet iactans, & ſibi plurimum vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſsit, quiſque poſt vnum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt,non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Tum deinde poſt epiſcopatum non exambitum,nec extortum,ſed de Dei qui ſacerdotes facit, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto epiſcopatu ſuo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos ſimplici corde & perſpicere penitus, & laudare debemus: ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore quo tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & tolerabilius audiret leuari aduerſus æmulum principem, quàm conſtitui Romæ Dei ſacerdotem. Nónne hic frater chariſsime,ſummo virtutis & fidei teſtimonio prædicãdus eſt? Nónne inter glorioſos confeſſores & martyres deputandus, qui tantum temporis ſedit, expectans corporis ſui carnifices, & tyranni ferocientis vltores, qui Cornelium aduerſus edicta feralia reſiſtentem, & minas,& cruciatus,& tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio inuaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viſcera eius & membra laniarent? Etiam ſi maieſtas Domini protegentis & bonitas ſacerdotem quem fieri voluit, factum quoque protexit, tamen Cornelius quantum ad eius deuotionem pertinet & timorem, paſſus eſt quicquid pati potuit, & tyrannum armis, & bello poſtmodum victum prior ſacerdotio ſuo vicit. Quod autem quædam de illo inhoneſta & maligna iactantur, nolo mireris, cum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt,in alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias, & veriſsime comperiſſe, nulla illum libelli, vt quidam iactitant, labe maculatum eſſe, ſed neque cum epiſcopis qui ſacrificauerunt,communionem ſacrilegam miſcuiſſe, ſed eos demum quorũ cauſa audita & innocẽ-

tia

tia probata sit,coniunxisse nobiscum. Nam & de Trophimo , & de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est, vt ad te pertulit rumor & mendacium malignorum. nam sicut & antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris charissimis , frater noster Cornelius necessitate succubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad ecclesiam Trophimo & satisfaciente , & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitẽte,& fraternitatem quam nuper abstraxerat cum plena humilitate & satisfactione reuocante , auditæ sunt eius preces , & in ecclesiam domini nõ tam Trophimus quàm maximus fratrũ numerus qui cum Trophimo fuerat,admissus est:qui omnes regressuri ad ecclesiam nõ essent,nisi cum Trophimo comitãte venissent. Tractatu ergo illic cũ collegis plurimis habito,susceptus est Trophimus,pro quo satisfaciebat fratrum reditus,& restituta multorum salus:sic tamen admissus est Trophimus,vt laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum sacerdotij vsurpet. Sed & quod passim communicare sacrificatis Cornelius tibi nunciatus est, hoc quoque de apostatarum fictis rumoribus nascitur.neque enim possunt laudare nos,qui recedunt à nobis:aut expectare debemus, vt placeamus illis,qui nobis displicentes &contra ecclesiam rebelles,sollicitandis de ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare & de Cornelio , & de nobis quæcunque iactantur,nec audias facilè, nec credas frater charissime. Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis,sicut placuit, in periculo subuenitur,postea quàm tamen subuentum est,& periclitantibus pax data est , suffocari à nobis non possunt , aut opprimi , aut vi & manu nostra in exitum mortis vrgeri : vt quoniam morientibus pax datur , necesse sit mori eos qui acceperint pacem,cum magis in hoc iudicium diuinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat,quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt,hi quoque ad vitam percepta pace teneantur.Et idcirco si accepta pace commeatus à Deo datur , nemo hoc debet in sacerdotibus criminari , cum semel placuerit fratribus in periculo subueniri.Nec tu existimes frater charissime,sicut quibusdam videtur,libellaticos cum sacrificatis æquari oportere,quando inter ipsos etiam qui sacrificauerint, & conditio frequenter & causa diuersa sit.neque enim æquandi sunt : ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosiliuit , & qui reluctatus & congressus diu ad hoc funestum opus necessitate peruenit: ille qui & se & omnes suos prodidit , & qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens , vxorem , & liberos , & domum totam periculi sui pactione protexit:ille qui intimos vel amicos suos ad facinus compulit , & qui inquilinis & colonis pepercit : fratres etiam plurimos qui extorres & profugi recedebant,in sua tecta & hospitia recepit , ostendens & offerens Deo multas viuentes & incolumes animas , quæ pro vna saucia deprecentur. Cum ergo inter ipsos qui sacrificauerint , multa sit diuersitas , quæ inclementia esset , & quam acerba duritia,libellaticos cum iis qui sacrificauerint iungere , quando is cui libellus acceptus est, dicat , Ego prius legeram , & episcopo tractante cognoueram non sacrificandum idolis , nec simulachra seruum Dei adorare debere : & idcirco ne hoc facerem quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata , quem nec ipsum acciperem , nisi ostensa fuisset occasio,ad magistratum vel veni,vel alio eunte mandaui Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse,dare me ob hoc præmium,ne quod nõ licet faciam. Nunc tamen etiam iste qui libello maculatus est,posteaquã nobis admonentibus didicit nec hoc se facere debuisse , & si manus pura sit , & os eius feralis cibi contagia nulla polluerint,conscientiam tamen eius esse pollutam,flet auditis nobis & lamentatur: & quod deliquerit nunc admonetur,& non tam crimine quàm errore dece-

ptus, quod iam de cetero instructus & paratus sit, contestatur. Quorũ si pœnitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum vxoribus, cum liberis quos incolumes reseruauerant, in hæresin vel schisma diabolo inuitãte rapiuntur. Et adscribetur nobis in die iudicij, nec ouem sauciam curasse, & propter vnam sauciam multas integras perdidisse. Et cum Dominus relictis nonaginta nouem sanis, vnam errantem & lapsam quæsierit, & inuentam humeris suis ipse portauerit, nos non tantum non quæramus lapsos, sed & venientes arceamus, & cum pseudoprophetæ gregem Christi, nunc vastare & lacerare non desinant, occasionem canibus & lupis demus, vt quos persecutio infesta non perdidit, eos nos duritia nostra & inhumanitate perdamus. Et vbi erit frater charissime, quod Apostolus dicit? *Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi est vtile, sed quod multis vt saluentur. Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* & iterum, *Factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucrarer.* & iterum, *Si patitur vnum membrum, cõpatiuntur & cetera membra: & si lætatur vnum membrum, collætantur & cetera membra.* Alia est philosophorum & Stoicorum ratio frater charissime, qui dicunt, Omnia peccata paria esse, & virum grauem non facile flecti oportere. Inter Christianos autem & philosophos plurimum distat. Et cum Apostolus dicat, *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam*, vitanda sunt quæ non de Dei clementia veniunt, sed de philosophiæ durioris præsumptione descendunt. De Moyse autem legimus in scripturis dictum, *Et fuit Moyses homo lenis nimis.* Et Dominus in euangelio suo dicit, *Estote misericordes, quomodo & pater vester misertus est vestri.* Et iterum, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Quam potest exercere medicinam, qui dicit, Ego solos sanos curo, quibus necessarius medicus non est? Opem nostram, & medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes iacere eos quos persecutione funesta sauciatos videmus: qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodum & confessores & martyres fierent. Sed quoniam est in illis quod pœnitentia sequente reualescat ad fidem, & ad virtutem de pœnitentia robur armatur: quod armari non poterit, si quis desperatione deficiat, si ab ecclesia dure & crudeliter segregatus, ad gentiles se vias & secularia opera cõuertat, vel ad hæreticos & schismaticos reiectus ab ecclesia transeat. Vbi etsi occisus propter nomen Christi postmodum fuerit, extra ecclesiam constitutus, & ab vnitate atque à charitate diuisus, coronari in morte non poterit. Et ideo placuit frater charissime, examinatis causis singulorum, libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subueniri, quoniam exomologesis apud inferos non est, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur. Si prælium prius venerit, corroboratus à nobis, inuenietur armatus ad prælium: si vero ante prælium infirmitas vrserit, consolatio pacis & communicationis abscedit. Neque enim præiudicamus domino iudicaturo, quo minus si pœnitentiam plenam & iustam peccatoris inuenerit, tunc ratum faciat quod à nobis fuerit hic statutum. Si vero nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit, Deus qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his quæ nos minus perspeximus iudicet, & seruorum sententiam Dominus emendet, dum tamen nos meminisse frater debeamus scriptum esse, *Frater fratrem adiuuans, exaltabitur.* & Apostolum quoque dixisse, *In contemplatione habentes vnusquisque, ne & vos tentemini, alterutrorum onera sustinete, & sic adimplebitis legem Christi.* Item quod superbos redarguens & arrogantiam frangens in epistola sua ponat, *Et qui se putat stare, videat ne cadat.* Et alio in loco dicat, *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus stabilire illum.*

Lucæ 15. Matth. 18.

1. Corin. 9. 1. Cor. 4. 1. Cor. 9.

Numer. 12. Lucæ 6. Matth. 9.

Prouer. 18. Galat. 6.

1. Cor. 10 Rom. 14.

Iohannes

Iohannes quoque Iesum Christum dominum nostrum aduocatum & deprecatorem pro peccatis nostris probet dicens, *Filioli mei ista scribo vobis, ne delinquatis, & si quis deliquerit, aduocatum habemus apud patrẽ, Iesum Christum iustum, & ipse est deprecatio pro delictis nostris.* 1.Ioan.2. Et Paulus quoque Apostolus in epistola sua posuit, *Si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc iustificati in sanguine illius liberabimur per illum ab ira.* Rom.5. Cuius pietatem & clementiam cogitantes, non acerbi adeò, nec duri, nec in fouendis fratribus inhumani esse debemus, sed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum possumus, auxilio & solatio nostræ dilectionis erigere, nec adeo immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam retundendam, nec iterum soluti & faciles ad communicationem temere laxandam. Iacet ecce saucius frater ab aduersario in acie vulneratus. inde diabolus conatur occidere quem vulnerauit, hinc Christus hortatur ne in totum pereat, quem redemit. Cui de duobus adsistimus? in cuius parte stamus? vtrúmne diabolo fauemus vt perimat, & semianimem fratrem iacentem, sicut in euãgelio sacerdos & leuites, præterimus? an vero vt sacerdotes Dei & Christi, quod Christus & docuit & fecit imitantes, vulneratum de aduersarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reseruemus? Nec putes frater charissime hinc aut virtutem fratrũ minui, aut martyria deficere, quod lapsis laxata sit pœnitentia, & quod pœnitentibus spes pacis oblata. Manet vere fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deũ, stabilis & fortis perseuerat integritas. nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur: non tamen idcirco virginitas in ecclesia deficit, aut continentiæ propositum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorẽ gloriæ suæ seruat: nec quia adultero pœnitentia ac venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est, ad veniam stare: aliud, ad gloriam peruenire: aliud, missum in carcere nõ exire inde donec soluat nouissimum quadrantem: aliud, statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud, pro peccatis longo dolore cruciatũ emũdari & purgari diu igne: aliud, peccata omnia passione purgasse: aliud deniq; pendere in die iudicij ad sententiam domini: aliud, statim à domino coronari. Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria cluserunt: non tamen à coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ ecclesiæ vnitatem vel duritiæ vel censuræ suę obstinatione ruperunt: vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur, manente concordiæ vinculo, & perseuerante catholicæ ecclesiæ indiuiduo sacramento: actũ suum disponit & dirigit vnusquisque episcopus, rationem propositi sui domino redditurus. Miror autem quosdam sic obstinatos esse, vt dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cũ scriptum sit, *Memento vnde ecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera.* Apocal.2. Quod vtiq; ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem dominus hortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est, *Eleemosyna à morte liberat*: & non vtique ab illa morte quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris baptismi & redemptoris nostri gratia liberauit, sed ab ea quę per delicta postmodum serpit. Thob.4. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam non agenti dominus comminatur: *Habeo*, inquit, *aduersus te multa, quod vxorem Iezabel, quæ se dicit Prophetam, sinis docere & seducere seruos meos, fornicari & manducare de sacrificio: & dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & pœnitere noluit à fornicatione, ecce mitto eam in lectum, & qui cum ea fornicati sunt, in maximam tribulationem, nisi pœnitentiam egerit ab operibus suis.* Apocaly. 2. Quos vtique ad pœnitentiam dominus non horta-

Purgatorij ignis.

Lucæ 15. retur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in euangelio, *Dico*, inquit, *Vobis, sic erit gaudium in cælo super Vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia.* Nam cum scriptum sit, *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione Vivorum*, vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Ioel Prophetam clamat & dicit, *Et nunc hæc dicit dominus Deus Vester, Reuertimini ad me ex toto corde Vestro, simulque & ieiunio, & fletu, & planctu, & discindite corda Vestra, & non Vestimenta Vestra, & reuertimini ad dominum Deum Vestrum, quia misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias inrogatas.* In psalmis etiam legimus censuram pariter & clementiam Dei comminantis simul atque parcentis: punientis vt corrigat, & cum correxerit reseruantis. *Visitabo*, inquit, *in Virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Dominus quoque in euangelio pietatem Dei patris ostendens ait, *Quis est ex Vobis homo, quem si petierit filius eius panem, lapidem porrigat illi? aut si piscem postulauerit, serpẽtem illi porrigat? Si ergo Vos, cum sitis nequam, scitis bona data dare filiis Vestris, quanto magis pater Vester cælestis dabit bona poscentibus se?* Comparat hîc dominus carnalem patrem & Dei patris æternam largamq; pietatem: quod si iste in terris nequam pater, offensus grauiter à filio peccatore & malo, si tamen eundem postmodum viderit reformatum, & depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios & bonos mores, & ad innocentiæ disciplinam pœnitentiæ dolore correctum, gaudet & gratulatur, & susceptum quem ante proiecerat cum voto paternæ exultationis, amplectitur: quanto magis vnus ille & verus pater bonus, misericors & pius, immò ipse bonitas & misericordia, & pietas, lętatur in p[illegible]nitentia filiorum suorũ: nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lam[illegible]ntibus pœnam comminatur, sed veniam magis & indulgentiam pollic[illegible]. Vnde dominus in Euangelio beatos dicit plangentes, quia qui plangit, misericordiam prouocat: qui peruicax est & superbus, irã sibi & pœnã iudicij venientis exaggerat. Et idcirco frater charissime, pœnitentiã non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibẽdos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio cõpellit, nec dignus est in morte accipere solatiũ, qui se non cogitauit esse moriturum. Quod vero ad Nouatiani personam pertinet frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi, quã hæresin introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cũ foris doceat. Quisque ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est. Iactet se licet, & philosophiã vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatẽ, nec ecclesiasticam vnitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit: nisi si episcopus tibi videtur, qui episcopo in ecclesia à sedecim coëpiscopis facto, adulter atq; extraneus episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur: & cum sit à Christo vna ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item episcopatus vnus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam & vbique coniunctam catholicæ ecclesiæ vnitatem, humanam conetur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos apostolos suos mittat, vt quædam recentia institutionis suæ fundamẽta constituat, cumque iam pridẽ per omnes prouincias, & per vrbes singulas ordinati sint episcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoëpiscopos audeat, quasi possit aut totum orbẽ noui conatus obstinatione peragrare, aut ecclesiastici corporis

poris compaginem discordię suæ seminatione rescindere: nescíens schismaticos semper inter initia feruere: incrementa vero habere non posse, nec augere quod illicite cœperint, sed statim cum praua sua æmulatione deficere. Episcopatũ autem tenere non posset, etiam si episcopus prius factus à coëpiscoporum suorum corpore & ab ecclesiæ vnitate desciscéret, quando Apostolus admoneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, ne ab vnitate quam Deus constituit, recedamus, & dicat, *Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis.* Ephes.4. Qui ergo nec vnitatem spiritus nec coniunctionẽ pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo atque à sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem. Tum deinde quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantiæ suæ quanta iactatio, vt quis audeat, aut facere posse se credat, quod nec apostolis concesit dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas conetur à tritico separare? cumque Apostolus dicat, *In domo autem magna non solum vasa aurea sunt et argentea, sed et lignea & fictilia*: aurea & argẽtea vasa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere, abiicere, damnare? quando non nisi die domini vasa lignea diuini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data est ferrea virga, frangantur. Aut si se cordis & renis scrutatorem constituit & iudicem, per omnia æqualiter iudicet: & cum sciat scriptum esse, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat*: fraudatores & mœchos à latere atque à comitatu suo separet, quando multo & grauior & peior sit mœchi quàm libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccauerit: hic existimans sibi satis esse quod non sacrificauerit, errore deceptus sit: ille matrimonij expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad cloacam & cœnosam voraginem vulgi, sanctificatum corpus & Dei templum detestabili conluuione violauerit, sicut Apostolus dicit, *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem mœchatur, in corpus suum peccat.* Quibus tamen & ipsis pœnitentia conceditur, & lamentandi ac satisfaciendi spes relinquitur, secundum ipsum Apostolum dicentem, *Timeo ne forte veniens ad vos, lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus.* Nec sibi in hoc noui hæretici blãdiantur, quod se dicant idololatris nõ communicare, cum sint apud illos & adulteri, & fraudatores, qui teneantur idololatriæ crimine, secundũ Apostolum dicẽtem, *Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immũdus, aut fraudator, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Coloss.3. Et iterũ, *Mortificate itaque membra vestra quæ in terra sunt, exponẽtes fornicationem, immunditiam, & concupiscentiam malam, & cupiditatem, quæ sunt idolorum seruitus, propter quæ venit ira Dei.* Nam cum corpora nostra membra sint Christi, & singuli simus templum Dei, quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violat: & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmoniis & idolis seruit. Neque enim mala facta de sancto spiritu veniunt, sed de aduersarij instinctu, & de immundo spiritu natæ concupiscentiæ contra Deum facere, & diabolo seruire compellunt. Ita fit vt si peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non delinquentẽ transire sua assuetione contendunt, excusari secundum suam vocem non possint ab idololatriæ crimine, cum constet de apostolica probatione mœchos & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras esse. Nobis autem secundum fidem nostram, & diuinę prædicationis datam formã cõpetit ratio veritatis, vnumquenque in peccato suo reum teneri, nec posse alterum pro altero reum fieri, cum Deus præmoneat & dicat, *Iustitia iusti super eum erit, & scelus scelerati* Ezech.18.

2.Timo.2.

Matth.13.

Iohan.3.

1.Cor.6.

2.Cor.12.

1.Corin.10.

4.Reg.14. *super eum erit.* Et iterum, *Non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus. Vnusquisque in peccato suo morietur.* Quod legentes scilicet & tenentes neminē putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendū, cū sciamus iuxta scripturarū diuinarum fidē, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendā pœnitentiā peccatores redigi, & veniā atq; indulgentiā pœnitētibus nō denegari. Atq; ô frustrandæ fraternitatis irrisio, ô miserorū lamentantiū caduca deceptio, ô hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio: hortari ad satisfactionis pœnitētiā, & subtrahere de satisfactione medicinā: dicere fratrib⁹ nostris, Plāge & lachrimas funde, & diebus ac noctib⁹ ingemisce, & pro abluēdo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare: sed extra eccleſiā post omnia ista morieris. quæcunq; ad pacē pertinēt, facies: sed nullā pacem quam quæris, accipies. quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? quis non animum suum à proposito lamentationis auertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris, Agrū peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullā vindemiam premes, nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si ei cui dominium & vsum nauium suadens, dicas, Materiam de excellentibus siluis mercare frater: carinam prævalidis & electis roboribus intexe clauo, funibus, velis, vt fabricetur atque armetur nauis, operare: sed cum hæc feceris, fructum de actibus eius & cursibus nō videbis? Præcludere est atque abscindere iter doloris ac pœnitendi viam, vt cum in scripturis dominus Deus reuertentibus ad se & pœnitētibus blandiatur, nostra duritia & crudelitate dū fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitētia ipsa tollatur. Quòd si inuenimus à pœnitentia agenda neminē debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus domini misericordiam, secundum quod ille misericors & pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde pœnituerint & rogauerint, in ecclesiam debent interius suscipi, & in ipsa domino reseruari, qui ad ecclesiam suam venturus de illis vtique, quos in ea intus inuenerit, iudicabit. Apostatæ vero & desertores, vel aduersarij & hostes & Christi ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine eius foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad ecclesiæ pacem, quando nec spiritus, nec ecclesiæ tenuerunt vnitatem. Hæc interim frater charissime, pauca de multis quantum potui breuiter decucurri, quibus & desiderio tuo satisfacerem, & te magis ac magis collegij & corporis nostri societati coniungerem. Si autem tibi veniendi ad nos opportunitas & facultas fuerit, plura in cōmunione cōferre, & vberius ac plenius quæ in salutarē concordiam faciant, tractare poterimus. Opto te frater charissime, semper bene valere in domino.

ARGVMENT. Ad Moysen & Maximum presbyteros & ceteros confessores epistola, de confessione eorum, & quod in persecutionibus fidem integram seruarunt.

CYPRIANVS, MOYSI ET MAXIMO presbyteris & ceteris confessoribus dilectissimis fratribus, salutem. LX.

GLORIAM fidei & virtutis vestræ fortissimi ac beatissimi fratres, iampridem de opinione cognoueram, lętatus satis & plurimum gratulatus, quod vos confessione sui nominis parauerit ad coronam domini nostri præcipua dignatio. Vos enim primores & duces ad nostri temporis prælium facti, cælestis militiæ signa mo-

gna mouiſtis. Vos ſpiritale certamen, quod nũc geri Deus voluit, veſtris virtutibus imbuiſtis. Vos ſurgentis belli impetus primos, immobili robore atq; inconcuſſa ſtabilitate fregiſtis. Inde initia felicia pugnãdi orta ſunt, inde vincendi auſpicia cœperunt. Contigit hic per tormenta conſummari martyria: ſed qui in congreſsione præcedens exemplum virtutis fratribus factus eſt, cũ martyribus in honore communis eſt. Coronas veſtra manu ſertas inde huc tradidiſtis, & de poculo ſalutari fratribus propinaſtis. Acceſsit ad cõfeſsionis exordia glorioſa & militiæ victricis auſpicia, diſciplinæ tenor, quem de epiſtolæ veſtræ vigore perſpeximus, quam modo ad collegas veſtros in confeſſione vobiſcum domini copulatos, ſollicita admonitione miſiſtis, vt euangelij ſancta præcepta, & tradita nobis ſemel mandata vitalia, forti & ſtabili obſeruatione teneantur. Ecce alius gloriæ veſtræ ſublimis gradus, ecce iterum cum confeſsione geminatus promerendi Dei titulus. Stare firmo gradu, & in hac acie quæ in euangelium conatur irrumpere, & præceptis domini ſubruendis, manus impias inferentes fidei robore ſubmouere, præbuiſſe ante initia virtutum, & nunc morum magiſteria præbere. Dominus poſt reſurrectionem mittens apoſtolos mandat & dicit, *Data eſt mihi poteſtas omnis in cælo & in terra. ite ergo & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia quæcunq; præcepi vobis.* Matth. 28. Et Iohãnes Apoſtolus huius mandati memor, in epiſtola ſua poſtmodũ ponit, *In hoc,* 1. Ioan. 2. inquit, *intelligimus quia cognouimus eum, ſi præcepta eius cuſtodiamus, qui dicit quoniam cognouit eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, & veritas in illo non eſt.* Hæc præcepta cuſtodienda ſuggeritis, diuina & cæleſtia mandata ſeruatis. Hoc eſt eſſe confeſſorem domini, hoc eſt eſſe martyrem Chriſti, ſeruare vocis ſuæ inuiolatam circa omnia & ſolidam firmitatem, nec propter dominum martyrem fieri, & præcepta domini deſtruere conari, vti aduerſus illum dignatione, quam tibi dederit armis ab illo acceptis, rebellem quodammodo fieri, hoc eſt Chriſtum confiteri velle, & euangelium Chriſti negare. Lætor igitur ex vobis fortiſsimi ac fideliſsimi fratres, & quantum gratulor martyribus iſtic coronatis ob virium gloriam, tantum gratulor pariter & vobis ob dominicæ etiam diſciplinæ coronam. Dignationem ſuam dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes & glorias ſpiritales copioſa varietate diſtribuit: honoris veſtri participes & nos ſumus, gloriã veſtram, noſtram gloriam computamus, quorum tempora illuſtrauit tanta felicitas, vt ætatem noſtram videre contingeret probatos ſeruos Dei, & Chriſti milites coronatos. Opto vos fortiſsimi ac beatiſsimi fratres ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe.

ARGVMEN. *Ad clerum, quem docet aduerſa tunc imminẽtia propter nimia peccata veniſſe, ideóque inſtanter orandum, quoniam Deus ad hoc corripit vt emendet.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIS FRATRIBVS, SALVTEM. LXI.

QVANQVAM ſentiam fratres chariſsimi, pro timore quem ſinguli debemus Deo, vos quoque illic aſsiduis orationibus & enixis precibus inſtanter incumbere, admoneo tamen & ipſe religioſam ſollicitudinem veſtram, vt ad placandũ atque exorandum dominum, non voce ſola, ſed & ieiuniis, & lachrimis, & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Intelligendũ eſt enim & confitendum, preſſuræ iſtius tam turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum ma-

xima ex parte populata est & adhuc vsque populatur, secundum peccata nō
stra veniſſe, dum viam domini nō timemus, nec data nobis ad ſalutem cæle-
ſtia mandata ſeruamus. Facit dominus noſter voluntatem patris, & nos non
facimus domini voluntatem, patrimonio & lucro ſtudentes, ſuperbiā ſectan-
tes, æmulationi & diſſenſioni vacantes, ſimplicitatis & fidei negligentes, ſe-
culo verbis ſolis & non factis renunciantes, vnuſquiſque ſibi placentes, &
Lucæ 12. omnibus diſplicentes. Vapulamus itaque vt meremur, cum ſcriptum ſit, *Ser-
uus autem ille qui cognoſcit voluntatem domini ſui, & non paruerit voluntati eius,
vapulabit multis.* Quas autem plagas, quæ verbera non meremur, quādo nec
confeſſores qui exemplo ceteris ad bonos mores eſſe debuerāt, teneant di-
ſciplinam? Itaque dum quoſdam inſolenter extollit confeſsionis ſuę tumida
& inuerecunda iactatio, tormenta venerunt, & tormenta ſine fine tortoris,
ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis: tormenta, quæ ad coronam non
facile dimittant, ſed tandiu torqueant, quandiu deiiciant, niſi ſi aliquis diui-
na dignatione ſubtractus inter ipſa cruciamēta profecerit, adeptus gloriam,
non termino ſupplicij, ſed velocitate moriendi. Hæc patimur delicto & me-
Pſal. 88. rito noſtro, ſicut prȩmonuit diuina cenſura, dicens, *Si dereliquerint legem meam
& in iudiciis meis non ambulauerint, iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta
mea non obſeruauerint, viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum.*
Virgas igitur & flagella ſentimus, qui Deo nō bonis factis placemus, nec pro
peccatis ſatisfacimus. Rogemus de intimo corde & de tota mente miſericor-
diam Dei, quia & ipſe addidit, dicens, *Miſericordiam autem meam non diſpergam*
Ioan. 16. *ab eis.* Petamus & accipiemus, & ſi in accipiendo mora & tarditas fuerit, quo-
niam grauiter offendimus, pulſemus, quia & pulſanti aperitur, ſi modo pul-
ſent oſtium preces & gemitus & lachrimæ noſtræ, quibus inſiſtere & immo-
rari oportet, & ſi ſit vnanimis oratio. Nam quod magis ſuaſit & compulit, vt
Matth. 7. has ad vos literas ſcriberem, ſcire debetis, ſicut dominus oſtendere & reue-
lare dignatus eſt, dictū eſſe in viſione, *Petite & impetrabitis.* tunc deinde prę-
ceptum plebi adſiſtenti, vt pro quibuſdam perſonis deſignatis ſibi peterent:
in petendo autem fuiſſe diſſonas voces, & diſpares voluntates, & vehemen-
Lucæ 12. ter hoc diſplicuiſſe illi qui dixerat, *Petite & impetrabitis*, quod plebis inęqua-
litas diſcreparet, nec eſſet fratrū conſenſio vna & ſimplex & iuncta concor-
Pſal. 97. Act. 4. dia, cum ſcriptum ſit, *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Et in Actis
Apoſtolorum legamus, *Turbæ autem eorum qui crediderant, animo ac mente vna*
Ioan. 15. *agebant*: & dominus ſua voce mandauerit, dicens, *Hoc eſt mandatum meum, vt*
Matth. 18. *diligatis inuicem.* Et iterum, *Dico autem vobis, quoniam ſi duobus ex vobis conuene-
rit in terra, de omni re quācunque petierit is, continget vobis à patre meo qui in cælis eſt.*
Quòd ſi duo vnanimes tantū poſſunt, quid ſi vnanimitas apud omnes eſſet?
quid ſi ſecundum pacem quam dominus nobis dedit, vniuerſis fratribus cō-
ueniret? Iampridem de diuina miſericordia impetraſſemus quod petimus,
nec tandiu in hoc ſalutis & fidei noſtræ periculo fluctuaremus, immo vero
nec veniſſent fratribus hæc mala, ſi in vnum fraternitas fuiſſet animata. Nam
& illud oſtenſum eſt, quod ſederet paterfamilias ſedente ſibi ad dexteram
iuuene, qui iuuenis anxius & cum quadam indignatione ſubtriſtis, maxillam
manu tenens, mœſto vultu ſedebat. Alius vero in ſiniſtra parte conſiſtens, re-
te portabat, quod ſe mittere, vt circunſtantem populum caperet, minabatur:
& cum miraretur quid hoc eſſet ille qui vidit, dictum eſt ei: Iuuenem qui ad
dexteram ſic ſederet, contriſtari & dolere quod præcepta ſua non obſerua-
rentur: illum vero in ſiniſtra exultare, quod ſibi daretur occaſio vt à patre-
familias poteſtatem ſumeret ſæuiendi. Hoc prius longe oſtenſum eſt, quàm
tempeſtas huius vaſtitatis oriretur. Et videmus impletum quod fuerat oſten-
ſum, vt dum domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata ſalu-

taria

taria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos iactu retis operiret. Oremus instanter, & assiduis precibus ingemiscamus. nam & hoc nobis non olim per visionem fratres charissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus, & Deus vtique qui quem corripit, diligit, quando corripit, ad hoc corripit vt emendet, ad hoc emendat vt seruet. Excutiamus itaque & abrumpamus somni vincula, & instãter ac vigilanter oremus, sicut Paulus apostolus præcipit dicens, *Instate orationi vigilantes in ea.* Nam & apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt: & dominus quoque ipse disciplinæ magister & exempli nostri via, frequenter & vigilanter orauit, sicut in euangelio legimus, *Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei,* & vtique quod orabat, orabat ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret. Adeo autem pro nobis ille deprecabatur, vt legamus alio loco, *Dixit autem dominus ad Petrum: Ecce satanas postulauit vt vos vexaret quomodo triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* quòd si pro nobis ac pro delictis nostris ille & laborat & vigilat & precatur, quanto nos magis insistere precibus & orare, & primo ipsum dominũ rogare, tunc deinde per ipsum Deo patri satisfacere debemus? Habemus aduocatũ & deprecatorem pro peccatis nostris, Iesum Christum dominum & Deum nostrum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta nostra, quibus nunc Deum offendimus, vel decetero nos ambulare in viis eius, & præcepta eius metuere spondeamus. Pater nos & corrigit & tuetur, stantes tamen in fide & in pressuris atque in angustiis licet Christo eius firmiter adhærentes, sicut scriptum est, *Quis nos separabit à dilectione Christi? pressura, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Nihil horum potest separare credentes, nihil potest auellere corpori eius & sanguini cohærentes. Persecutio ista examinatio est atque exploratio peccati nostri: excuti nos Deus voluit & probari, sicut suos semper probauit: nec tamen in probationibus eius aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutũ, & dignatione eius indignũ, tamen ille pro sua circa nos bonitate mãdare dignatus est. Dic illi, inquit, securus sit, quia pax vẽtura est. Sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. Sed & de victu parco, & sobrio potu diuinis dignationibus admonemur, scilicet ne à vigore cælesti sublime iam pectus inlecebra secularis eneruet, vel ne largioribus epulis mens grauata minus ad preces orationis euigilet. Dissimulare hæc singula & apud conscientiam meam, solus occultare non debui, quibus vnusquisque nostrum & instrui & regi possit. Nec ipsi vtique apud vos hanc epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis. Intercipere enim quibus nos dominus admonere & instruere dignatur, eius est qui admoneri & instrui dedignatur, eius est qui admoneri & instrui fratrem suum nolit. Probari nos à domino nostro sciant, nec à fide, qua in eum semel credidimus, præsentis pressuræ conflictatione deficiant. Delicta sua singuli recognoscentes, vel modo conuersationem veteris hominis exponant. *Nemo enim retro attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei.* Denique vxor Loth, quæ liberata, contra præceptum retro respexit, quod euaserat perdidit. Adtẽdamus non posteriora, quo diabolus reuocat, sed priora, quo Christus vocat. Oculos erigamus ad cælum, ne oblectamentis & inlecebris nos suis terra decipiat. Vnusquisque oret dominum, non pro se tantum, sed & pro omnibus fratribus, sicut dominus Iesus orare nos docuit, vbi non singulis priuatã precem mandauit, sed oratione communi & concordi prece orantes, orare pro omnibus iussit. Si nos dominus humiles & quietos, si

Coloss. 4.

Lucæ 6.

Lucæ 22.

Rom. 8.

Lucæ 9.

Gene. 19.

nos inuicem copulatos, si circa iram suam timidos, si præsenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infestationibus exhibebit. Præcessit disciplina, sequetur & venia. nos tãtum sine cessatione poscendi, & cum fide accipiendi, simplices & vnanimes dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, sicut deprecari oportet eos qui sint positi inter plangentium ruinas, & timentiũ reliquias, inter numerosam languentium stragem, & exiguam stantium paucitatem. Rogemus pacem maturius reddi, cito latebris nostris & periculis subueniri. In plerisque famulis suis dominus dignatur ostendere redintegrationem ecclesiæ suæ, securitatem salutis nostræ, post pluuias serenitatem, post tenebras lucem, post procellas & turbines placidam lenitatem, pia paternæ dilectionis auxilia, diuinæ maiestatis solita magnalia, quibus & persequentium blasphemia retundatur, & lapsorum pœnitentia reformetur, & fortis & stabilis perseuerantium fiducia glorietur. Opto vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGVM. *Ad clerum & plebem de Celerino confessore lectore ordinato.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET PLEBI VNIVERSAE FRATRIBVS, SALVTEM. LXII.

AGNOSCENDA & amplectenda sunt fratres dilectissimi, beneficia diuina, quibus ecclesiam suam dominus inlustrare temporibus nostris & honestare dignatus est, commeatum dando bonis cõfessoribus suis & martyribus glorioſis, vt qui sublimiter Christum confessi essent, clerum postmodum Christi ministeriis ecclesiasticis adornarent. Exultate itaque & gaudete nobiscum lectis literis nostris, quibus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter & moribus glorioſum, clero nostro, non humana suffragatione, sed diuina dignatione coniunctum, qui cum cõsentire dubitaret, ecclesiæ ipsius admonitu & hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret, nobis suadentibus, cui plus licuit, & coëgit, quia nec fas fuerat nec decebat sine honore ecclesiastico esse, quem sic dominus honorauerit cælestis gloriæ dignitate. Hic ad tẽporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia feruẽtia cum ipso infestationis principe & auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui aduersarium vincit, vincendi ceteris viam fecit, non breui compendio vulnerum victor, sed hęrentibus diu & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triũphator. Per decem & nouem dies custodia carceris septus, in neruo ac ferro fuit: sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate cõtabuit, sed animam fide & virtute viuentem nutrimentis spiritalibus Deus pauit. Iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus. Et quanuis ligati neruo pedes essent, calcatus serpens & obtritus & victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerũ signa, eminent & apparent in neruis hominis ac mẽbris longa tabe consumptis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quę de virtutibus eius ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit, qui minus auribus credat, nec oculorũ fides deest, vt quisquis quod audit & videat. In seruo Dei victoriã gloria vulnerum

nerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut nouus est in Celerino charissimo nostro titulus gloriarum, per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili diuinæ dignationis æquatur. Auia eius Celerina iampridē martyrio coronata est, itē patruus eius & auunculus Laurētinus & Egnatius, in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spiritales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à domino & coronas inlustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria cōmemoratione celebramus. Nec degener ergo esse, nec minor poterat, quem sic domesticis exemplis virtutis ac fidei prouocabat familiæ dignitas & generosa nobilitas. Quòd si in familia seculari prædicationis & laudis est, esse patritium, quanto maioris laudis & honoris est fieri in cælesti prædicatione generosum? Non inuenio quem beatiorem magis dicam, vtrúmne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine glorioſa. ita æqualiter apud eos recurrit & commeat diuina dignatio, vt & illorum coronam dignitas sobolis inlustret, & huius gloriam sublimitas generis inluminet. Hunc ad nos fratres dilectissimi, cū tanta domini dignatione venientem testimonio & miraculo eius ipsius qui se persecutus fuerat inlustrem, quid aliud quàm super pulpitum, id est super tribunal ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & euangelium domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? vox dominum confessa in his quotidie quæ dominus locutus est, audiatur? Viderit an sit vlterior gradus ad quem proficisci in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quàm vt dum euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisque audierit, imitetur. Iungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris societate coniunctus est: cum quo omnibus virtutis & laudis insignibus copulatus est. Pares ambo, & vterque consimiles. In quantum gloria sublimes, in tantum verecundia humiles. quantum diuina dignatione promoti, tantum sua quiete & tranquillitate summissi, & virtutum pariter & morum singulis exempla præbentes, & congressioni & paci congruentes: illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus seruis lætatur dominus. In eiusmodi confessoribus gloriatur, quorum secta & conuersatio sic proficit ad præconium gloriæ, vt magisterium ceteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse in ecclesia diu voluit, ad hoc de media morte subtractos, quadam dixerim resurrectione circa eos facta, incolumes reseruauit: vt dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissius à fratribus cernitur, hos eosdem fraternitas sectata comitetur. Hos tamen lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, vnde omnibus luceat: & glorioſos vultus in loco altiore constitui, vbi ab omni fraternitate circunstante conspecti, incitamentum glorię videntibus præbeant. Ceterum presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iisdem cū presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquitatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum prouectis & corroboratis annis suis, quanuis in nullo minor possit videri ætatis indole, qui consummauit ætatem gloriæ dignitate. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi semper bene valere.

ARGVMEN. *Plebem Thibari consistentem hortatur, vt mente incorrupta, fide integra, virtute deuota Christi confessionem seruet.*

CYPRIANVS, PLEBI THIBARI CONSISTENTI, SALVTEM. LXIII.

COGITAVERAM quidem fratres dilectiſsimi, atque in votis habebam, ſi rerum ratio ac temporis conditio permitteret, ſecundum quod frequenter deſideraſtis, ipſe ad vos venire, & quãtulacunque mediocritate exhortationis noſtræ prẽſens illic fraternitatẽ corroborare: ſed quoniam ſic rebus vrgentibus detinemur, vt longe iſtinc excurrere, & diu à plebe, cui de diuina indulgentia præſumus, abeſſe non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias literas miſi. Nam cũ domini inſtruẽtis dignatione inſtigemur ſæpius & admoneamur, ad veſtram quoque conſcientiam admonitionis noſtræ ſollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & occaſum ſeculi atque Antichriſti tempus adpropinquaſſe, vt parati omnes ad prælium ſtemus, nec quicquam niſi gloriam vitæ æternæ, & coronam cõfeſsionis dominicæ cogitemus, nec putemus talia eſſe quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ tranſierunt. Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quã fide incorrupta, & virtute robuſta parare ſe debeant milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, vt poſsint & ipſi propter Chriſtum, ſanguinem fundere. Hoc eſt enim velle cũ Chriſto inueniri, id quod Chriſtus & docuit & fecit imitari, ſecundum Iohannem apoſtolum dicentem, *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit & ipſe ambulare.* Item beatus apoſtolus Paulus exhortatur & docet, dicens, *Sumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſiquidem compatiamur, vt & commagnificemur.* Quę nunc omnia conſideranda ſunt nobis, vt nemo quicquam de ſeculo iam moriente deſideret, ſed ſequatur Chriſtum, qui & viuit in æternum, & viuificat ſeruos ſuos in fide ſui nominis conſtitutos. Venit enim tempus fratres dilectiſsimi, quod iampridem dominus noſter prænunciauit, & docuit aduenire, dicens, *Veniet hora, vt omnis qui vos occiderit, putet ſe officium Deo facere. Sed hoc facient, quoniam non cognouerunt patrem neque me. Hæc autem locutus ſum vobis, vt cum venerit hora eorum, memores ſitis quia ego dixi vobis.* Nec quiſquam miretur perſecutionibus nos aſsiduis fatigari, & preſſuris angentibus frequenter vrgeri, quando hæc futura in nouiſsimis temporibus dominus ante prædixerit, & militiam noſtram magiſterio & hortamento ſui ſermonis inſtruxerit: Petrus quoque apoſtolus eius docuerit, ideo perſecutiones fieri, vt probemur, & vt dilectioni Dei iuſtorum præcedentium exemplo, nos etiam morte & paſsionibus copulemur: poſuit enim in epiſtola ſua, dicens, *Chariſsimi nolite mirari ardorem accidẽtem vobis, qui ad tentationem veſtram fit, nec excidatis tanquam nouum vobis contingat, ſed quotes communicatis Chriſti paſsionibus, per omnia gaudete, vt & in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Chriſti, beati eſtis, quia maieſtatis & virtutis domini nomen in vobis requieſcit. Quod quidem ſecundum illos blaſphematur, ſecundum nos autem honoratur.* Docuerunt autem nos Apoſtoli ea quæ de præceptis dominicis & cæleſtibus mandatis ipſi quoque didicerunt, domino ipſo ſcilicet corroborante nos & dicente, *Nemo eſt, qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut ſorores, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam.* Et iterum, *Beati,* inquit, *eritis, cum odio vos habuerint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro, quaſi nequam, propter filiũ hominis: gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis.*

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 2.

Rom. 8.

Ioan. 16.

1. Petr. 4.

Lucæ 18.

Matth. 19. Lucæ 6.

Gaudete

Gaudere nos & exultare voluit in perſecutionib⁹ dominus, quia quãdo perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cæli. neque enim ſic nomen militiæ dedimus, vt pacem tantummodo cogitare, & detrectare ac recuſare militiam debeamus, quando in ipſa militia primus ambulauerit dominus, humilitatis & tolerantiæ & paſsionis magiſter: vt quod fieri docuit, prior faceret, & qui pati hortatur, prior pro nobis ipſe pateretur. Sit ante oculos fratres dilectiſsimi, quod qui omne iudicium à patre ſolus accepit, & qui venturus eſt iudicaturus, iam iudicij ſui & cognitionis futuræ ſententiam protulerit, prænuncians & conteſtans, confeſſurũ ſe coram patre ſuo confitentes, & negaturum negantes. Si mortem poſſemus euadere, merito mori timeremus. porrò autem cum mortalem mori neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de diuina promiſsione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis: nec vereamur occidi, quos conſtet quãdo occidimur, coronari. nec quiſquam fratres dilectiſsimi, cum populum noſtrũ fugari conſpexerit metu perſecutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſunt, quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt. Vbicũque in illis diebus vnuſquiſque fratrum fuerit, à grege interim hac neceſsitate temporis corpore non ſpiritu ſeparatus, non moueatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens ſolitudine deſerti loci terreatur: ſolus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt: ſolus non eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicunque fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames ac ſitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properãtem tempeſtas aut procella ſubmerſerit: expectat militem ſuum Chriſtus vbicunque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmium reddit, quod daturũ ſe in reſurrectione promiſit. nec minor eſt martyrij gloria, non publice & inter multos periſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit ad teſtimonium martyrij ſui, teſtis ille qui probat martyres & coronat. Imitemur fratres dilectiſsimi Abel iuſtum, qui initiauit martyria, dum propter iuſtitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicũ, qui non eſt cunctatus vt filium victimã ſuis manibus offerret, dum Deo fide deuotionis obſequitur. Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam, & Miſaelem, qui nec ętate territi, nec captiuitate fracti, Iudæa deuicta & Hieroſolymis captis, in ipſo regno ſuo regem fidei virtute vicerunt, qui adorare ſtatuam quam Nabuchodonoſor rex fecerat, iuſsi, & minis regis & flammis fortiores extiterunt, proclamãtes & fidẽ ſuam per hæc verba teſtãtes, *Nabuchodonoſor rex, non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. eſt enim Deus cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex, liberabit nos: et ſi non, notum ſit tibi, quia diis tuis non ſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti non adoramus.* Dan.3. Credebant ſe illi ſecundum fidem poſſe euadere, ſed addiderunt, *Et ſi non*, vt ſciret rex illos propter Deum quem colebant & mori poſſe. Hoc eſt enim robur virtutis & fidei, credere & ſcire quod Deus à morte præſente liberare poſsit, & tamen mortem nõ timere nec cedere vt probari fortius fides poſsit. Erupit per os eorum ſpiritus ſancti incorruptus & inuictus vigor, vt appareat vera eſſe quæ in euangelio ſuo dominus edixit, dicẽs, *Cum autem vos apprehenderint, nolite cogitare quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Matth.10. Dixit quid loqui & reſponderе poſsimus, dari nobis in illa hora diuinitus & offerri: nec nos tunc eſſe qui loquimur, ſed ſpiritum Dei patris, qui cum à confitentibus non diſcedit neq; diuiditur, ipſe in nobis & loquitur & coronatur. Sic & Daniel cum compel-

leretur adorare idolum Bel, quem tunc & rex & populus colebant, in asse-
rendũ Dei sui honorem plena fidei libertate prorupit, dicens, *Nihil colo ego*
Dan. 14. *nisi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram.* Quid in Maccabæis
beatorum martyrum grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœ-
næ, & confortans liberos suos mater in pœnis, & moriens ipsa quoque cum
liberis? nónne magnæ virtutis & fidei documenta testantur, & nos ad marty-
rij triumphum suis passionibus adhortantur? Quid prophetæ quos ad præ-
scientiam futurorum spiritus sanctus animauit? Quid apostoli quos Domi-
nus elegit? nonne cum iusti occiduntur propter iustitiam, mori nos quoque
docuerunt? Christi natiuitas à martyriis infantum statim cœpit, vt ob nomen
eius à bimatu & infra qui fuerant, necarentur. AEtas necdum habilis ad pu-
gnam, idonea extitit ad coronam, vt appareret innocentes esse qui propter
Christum necantur, infantia innocens ob nomen eius occisa est. Ostensum
est neminem esse à periculo persecutionis immunem, quando & tales marty-
ria fecerunt. Quàm vero grauis causa sit hominis Christiani, seruũ pati nol-
le, cum passus sit prior Dominus: & pro peccatis nostris nos nolle pati, cum
peccatum suum proprium ille non habens, passus sit ille pro nobis? Filius dei
passus est, vt nos filios Dei faceret: & filius hominis pati non vult, vt esse Dei
filius perseueret? Si odio seculi laboramus, odiũ seculi sustinuit prior Chri-
Ioan. 13. stus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus, grauiora
expertus est mundi factor & Dominus, qui & admonet, dicens, *Si seculum*, in-
quit, *vos odit, mementote quoniam me primo odit. Si de seculo essetis, seculum quod*
suum esset amaret: sed quia de seculo non estis, & ego vos elegi de seculo, propterea
odit vos seculum. Mementote sermonis quem dixi vobis, Non est seruus maior domino
suo. si me persecuti sunt, & vos persequentur. Dominus & Deus noster quicquid
docuit & fecit, vt discipulus excusatus esse non possit, qui discit & non facit.
Neque aliquis ex vobis fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu, aut
Antichristi imminentis aduentu sic terreatur, vt nõ euangelicis exhortatio-
nibus & præceptis ac monitis cælestibus ad omnia inueniatur armatus. Ve-
nit Antichristus, sed superuenit & Christus. Grassatur & sæuit inimicus, sed
& statim sequitur Dominus, passiones nostras & vulnera vindicaturus. Ira-
scitur aduersarius & minatur, sed est qui possit de manibus eius liberare. Ille
metuendus est, cuius iram nemo poterit euadere, ipso præmonente & dicen-
Matth. 10. te, *Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. magis*
autem metuite eum qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. & iterum.
Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet illam: & qui odit animam suam in isto seculo, in vi-*
Apocaly. 14. *tam æternam conseruabit illam.* Et in Apocalypsi instruit & præmonet dicens,
Si quis adorat bestiam & imaginem eius, & accipit notam in fronte sua & in manu,
bibet & ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & sulphure
sub oculis sanctorũ angelorum, & sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum ascen-
dit in secula seculorum, nec habebunt requiem die ac nocte, quicunque adorant bestiam
& imaginem eius. Ad agonem secularem & exercentur homines & parantur,
& magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo, & im-
peratore prẹsente cõtigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coro-
nẹ cælestis glorioſus prẹmio, vt spectet nos certantes Deus, & super eos quos
filios facere dignatus est, oculos suos pãdẽs certaminis nostri spectaculo per-
fruatur. Præliantes nos & fidei cõgressione pugnantes spectat deus, spectant
angeli eius, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas
præside deo congredi, & Christo iudice coronari? Armemur fratres dilectis-
simi viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, vir-
tute deuota. Ad aciem quæ nobis indicitur, dei castra procedant. Armentur
integri, ne perdat integer quod nuper stetit. Armentur & lapsi, vt & lapsus

recipiat

recipiat quod amisit. Integros honor, lapsos dolor ad præliũ prouocet. Armari & parari nos beatus Apostolus docet dicens, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates & principes huius mundi harum tenebrarum, aduersus spiritus nequitiæ in cælestibus. Propter quod induite tota arma Dei, vt possitis resistere in die nequissimo: vt cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate, induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparatione euangelij pacis, adsumentes scutum fidei, in quo possitis omnia ignita iacula nequissimi extinguere, & galeam salutis, & gladium spiritus qui est sermo Dei.* Ephes. 6. Hæc arma sumamus, his nos tutamentis spiritalibus & cælestibus muniamus, vt in die nequissimo resistere diaboli minis & repugnare possimus. Induamur loricam iustitiæ, vt contra inimici iacula munitum sit pectus & tutum. Calciati simus euangelico magisterio, & armati pedes, vt cum serpens calcari à nobis & obteri cœperit, mordere & supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente quicquid iaculatur inimicus, possit extingui. Accipiamus quoque ad tegmentum capitis, galeam salutarem, vt muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videant detestãda simulachra: muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur: muniatur os, vt dominum suum Christum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio spiritali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, vt eucharistiæ memor, qui domini corpus accepit, in ipso dominũ suum complectatur, postmodum à domino suo sumpturus præmium cælestium coronarum. O dies ille qualis & quantus aduenier fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum dominus recensere, & diuinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedẽ fidei & deuotionis exoluere. Quæ erit illa gloria, & quanta lætitia, admitti, vt Deum videas honorari, vt cum Christo domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudiũ capias? Abraham, & Isaac, & Iacob, & patriarchas omnes, & prophetas, & apostolos, & martyres salutare, cum iustis & Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere: sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit? Maiora enim nos accipere, quàm quod hic aut operamur, aut patimur, Apostolus prædicat dicens, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam claritatem quæ reuelabitur in nobis.* 1. Cor. 2. Rom. 8. Cum reuelatio illa venerit, cum claritas super nos Dei fulserit, iam beati erimus, & læti dignatione domini honorati. Quàm rei remanebunt & miseri, qui Dei desertores aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli, vt eos necesse sit cum ipso simul inextinguibili igne torqueri? Hæc fratres dilectissimi hæreant cordibus vestris. hæc sit armorum nostrorum præparatio, hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere, & cogitatione semper ac sensibus voluere iniquorum supplicia, & præmia ac merita iustorum: quid negantibus dominus comminetur ad pœnam, quid contra confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditãtibus nobis superuenerint persecutionis dies, miles Christi præceptis eius & monitis eruditus, non expaueſcit ad pugnam, sed paratus est ad coronam. Opto vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGVM. *Ad Magnum epistola de his qui in lecto gratiam consequuntur: vbi insinuat, quocunque tempore gratiam, Dei profectione non carere, dum ab ægro fides non exulet.*

CYPRIANVS, MAGNO SALVTEM. LXIIII.

QVAESISTI etiam fili chariſsime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur: an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi. Qua in parte nemini verecũdia & modeſtia noſtra præiudicat, quo minus vnuſquiſque quod putat ſentiat, & quod ſenſerit faciat. Nos quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia diuina, nec minus aliquid illic poſſe cõtingere, vbi plena & tota fidè & dantis & ſumentis accipitur, quod de diuinis muneribus hauritur. neque enim ſic in ſacramento ſalutari, delictorũ contagia, vt in lauachro carnali & ſeculari ſordes cutis & corporis abluuntur, vt & aphronitris, & ceteris quoque adiumentis, & ſolio, & piſcina opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſsit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In ſacramentis ſalutaribus neceſsitate cogente, & deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia. Nec quenquam mouere debet, quod aſpergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam conſequuntur, quando

Ezech. 16. ſcriptura ſancta per Ezechielem prophetam loquatur & dicat, *Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulachris veſtris: & mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum*

Numer. 19. *nouum dabo in vobis.* Item in Numeris, *Et homo qui fuerit immundus vſque ad veſperam, hic purificabitur die tertio, & die ſeptimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio, & die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſrael, quoniam aqua aſperginis non eſt ſuper eum ſparſa.* & iterum, *Et locutus eſt dominus ad Moyſen dicens, Accipe Leuitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos.*

Numer. 8. *& ita facies eis purificationem eorum, circunſparges eos aqua purificationis.* & iterum, *Aqua aſperſionis, purificatio eſt.* Vnde apparet aſperſionem quoque aquę inſtar lauachri ſalutaris obtinere: & quãdo hæc in eccleſia fiunt, vbi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia & conſummari ac perfici poſſe maieſtate domini & fidei veritate. Porrò autem quod quidam eos ſalutari aqua & fide legitima Chriſti gratiam conſecutos, non Chriſtianos, ſed Clinicos vocant, non inuenio vnde hoc nomen aſſumant, niſi forte qui plura & ſecretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum, Clinicos iſtos deprehenderunt. Ego enim qui Clinicum de euangelio noui, ſcio paralytico illi & debili per longa ætatis curricula in lecto iacenti, nihil infirmitatem ſuam obfuiſſe, quo minus ad firmitatem cæleſtem pleniſsime perueniret. nec tantum indulgentia dominica excitatum de grabbato eſſe, ſed ipſum grabbatum ſuum reparatis & vegetatis viribus ſuſtuliſſe. Et idcirco quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſentẽtia hæc eſt, vt Chriſtianus iudicetur legitimus, quiſque fuerit in eccleſia lege & iure fidei diuinam gratiam conſecutus. Aut ſi aliquis exiſtimat eos nihil conſecutos, eo quòd ab aqua ſalutari tantũ perfuſi ſint, ſi inanes & vacui ſunt, non decipiantur, vt ſi incommodum languoris euaſerint, & conualuerint, baptizentur: ſi autem baptizari non poſſunt, qui iam baptiſmo eccleſiaſtico ſanctificati ſunt, cur in fide ſua & domini indulgentia ſcandalizentur? An conſecuti ſunt quidem gratiam dominicam, ſed breuiore & minore menſura muneris diuini ac Spiritus ſancti, vt habeãtur quidem Chriſtiani, non ſint tamen ceteris adæquãdi? Quin immo Spiritus ſanctus nõ de menſura datur, ſed ſuper credentem totus infunditur. nam ſi dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari & æquali luce diffunditur, quanto magis Chriſtus ſol & dies verus in eccleſia ſua lumen vi-

tæ

tæ æternæ pari æqualitate largitur? Cuius ęqualitatis sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cum de cælo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cælestis & cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus, vel ætatis, gomor à singulis ęqualiter colligebatur. Vnde apparebat Christi indulgentiam & cælestem gratiam postmodum secuturam æqualiter omnibus diuidi: sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ, super omnem Dei populum spiritalis gratiæ munus infundi. Planè eadem gratia spiritalis, quæ æqualiter in baptismo à credentibus sumitur, in conuersatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur, vt in euangelio dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terrę aliud absumitur, aliud in multiformem copiam vel tricesimi, vel sexagesimi, vel centesimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc verò cum singuli ad denarium vocentur, quid est vt quod à deo æqualiter distribuitur, humana interpretatione minuatur? Quod si aliquis in illo mouetur, quod quidam de iis qui ægri baptizabantur, spiritibus adhuc immundis tentantur, sciat diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere: in baptismo verò omne nequitiæ suæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, & in sua perfidia demoratus, tam diu resistere potuit & præualere, donec ad aquam veniret: quò cum venisset, & victus est, & extinctus. Mare autem illud sacramentum baptismi fuisse, declarat beatus Paulus apostolus dicens, *Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare trãsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*: & addidit dicens, *Hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt.* Quod hodie etiam geritur, vt per exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur & vratur, & torqueatur diabolus. Et cum exire se & homines dei dimittere sæpe dicat, & in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat: cum tamen ad aquam salutarem, atque ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo dicatus deo diuina indulgẽtia liberatur. nam si scorpij & serpentes, qui in sicco præualent, in aquam præcipitati, præualere non possunt, aut sua venena retinere: sic & spiritus nequam, qui scorpij & serpentes appellantur, & tamen per nos, data à domino potestate, calcantur, permanere vltra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare. Hoc denique & rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgente in ægritudine baptizati & gratiam consecuti, careant immundo spiritu quo antea mouebantur, & laudabiles ac probabiles in ecclesia viuant, plusque per dies singulos in augmentum cælestis gratiæ per fidei incrementa proficiant. Et contra, sæpe nonnulli de illis qui sani baptizãtur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur: vt manifestum sit, diabolum in baptismo fide credentis excludi: si fides postmodum defecerit, regredi. Nisi si iustum quibusdam videtur, vt illi qui extra ecclesiam apud aduersarios & Antichristos profana aqua polluuntur, baptizati iudicẽtur: hi verò qui in ecclesia baptizantur, minus indulgentiæ & gratiæ diuinæ consecuti esse videantur, & tantus honor habeatur hæreticis, vt inde venientes non interrogentur, vtrúmne loti sint an perfusi, vtrúmne Clinici sint an Peripatetici. Apud nos autem de integra fidei veritate detrahitur, & baptismo ecclesiastico maiestas sua & sanctitas derogatur. Rescripsi fili charissime, ad literas tuas, quantum parua nostra mediocritas valuit, & ostendi quid nos quantum in nobis est, sentiamus, nemini præscribentes, quo minus statuat quod putat vnusquisq; præpositus, actus sui rationem domino redditurus, secundum quod beatus apostolus Paulus in epistola sua ad

Exod. 16.

Matth. 13.

1. Cor. 11.

Rom.14. Romanos scribit & dicit, *Vnusquisque nostrum pro se rationem dabit. non ergo nos inuicem iudicemus.* Opto te fili charissime semper bene valere.

ARGVM. *Ad Cornelium papam epistola de Polycarpo Adrumetino, vbi & de literis ad presbyteros missis se purgat, & cuncta ad illius dignitatem se fecisse ostendit.*

CYPRIANVS, CORNELIO FRATRI, SALVTEM. LXV.

LEGI literas tuas frater charissime, quas per Primitiuum compresbyterum nostrum misisti, in quibus te comperi motũ, quod cum de Adrumetina colonia Polycarpi nomine ad te literę dirigerentur, postea quã nos ego & Liberalis in eundem locũ veniissemus, cœpissent illuc ad presbyteros & diaconos literę dirigi. Quod scire te voluimus & pro certo credere, nulla id leuitate aut contumelia factum: sed cum statuissemus collegæ complures, qui in vnum conueneramus, vt legatis ad vos coëpiscopis nostris Calidonio & Fortunato missis, omnia interim integra suspenderentur, donec ad nos iidẽ collegæ nostri rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis redirent, presbyteri & diaconi in Adrumetina consistentes, Polycarpo coëpiscopo nostro absente, ignorabant quid nobis in commune placuisset. At vbi nos in præsentiam venimus, comperto consilio nostro, ipsi quoque id quod & ceteri obseruare cœperunt, vt in nullo ecclesiarũ istic consistentium consensio discreparet. Quidam tamen mentes nonnunquam & animos sermonibus suis turbant, dum aliter quædam quàm se habet veritas, nunciant. Nos enim singulis nauigantibus, ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse vt ecclesiæ catholicæ matricem & radicem agnoscerent ac tenerẽt. Sed quoniam latius fusa est nostra prouincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærẽtes, ne in vrbe schisma factum absentium animos in certa opinione confunderet, placuit vt per episcopos, retenta à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate maiore, tum demum scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino in prouincia ista positos literæ fierẽt, sicut fiunt, vt te vniuersi collegę nostri & communicationem tuam, id est, catholicæ ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent. Quod diuinitus euenisse, & consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. sic enim nunc episcopatus tui & veritas pariter & dignitas apertissima luce & manifestissima & firmissima comprobatione fundata est, vt ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos literas inde fecerunt, & ex relatione ac testimoniis coëpiscoporum, Pompeij & Stephani & Calidonij ac Fortunati, ordinationis tuæ & origo necessaria, & ratio iusta, & gloriosa quoque innocentia ab omnibus nosceretur. Quod vt simul cum ceteris quoque collegis nostris stabiliter ac firmiter administremus, atque vt catholicæ ecclesię pacẽ concordię vnanimitate teneamus, perficiat diuina protectio, vt dominus qui sacerdotes sibi in ecclesia sua eligere & cõstituere dignatur, electos quoque & constitutos sua voluntate atque opitulatione tueatur, gubernantes inspirans ac subministrans, & ad improborum contumaciam frenandam, vigorem, & ad lapsorum fouendam pœnitentiã, lenitatem. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVM.

ARGVM. Ad Florentium Puppianum epistola, vbi dolens quòd temere de obtrectatoribus crediderit, se purgat, & animi illius lenitatem ostendit.

CYPRIAVS, QVI ET THASCIVS, FLORENTIO CVI ET PVPPIANO FRATRI, salutem. LXVI.

EGO te frater, credideram tandem iam ad pœnitentiam conuerti, quod in præteritum tam infanda, tam turpia, tam etiã gentilibus execranda, aut audisses de nobis temere, aut credidisses. Porrò autem etiam nunc in literis tuis animaduerto eundem te adhuc esse qui prius fueras, eadẽ te de nobis credere, & in eo quod credideras, perseuerare: & ne forte claritatis & martyrij tui dignitas, nostra cõmunicatione maculetur, in mores nostros diligenter inquirere, & post Deum iudicem qui sacerdotes facit, te velle, non dicam de me, quantus enim ego sum? sed de dei & Christi iudicio iudicare: hoc est in deum non credere, hoc est rebellem aduersus Christum & aduersus euangelium eius exsistere, vt cum ille dicat, *Nõnne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris volunta-* Matth.10. *te?* & probet maiestas eius & veritas sine consensu & permissu Dei etiam minima non fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia eius in ecclesia ordinari? nam credere quod indigni & incesti sunt qui ordinãtur, quid aliud est quàm credere quod non à Deo, nec per Deum sacerdotes eius in ecclesia constituantur? An putas maius esse de me meum, quàm dei testimonium? cum Dominus ipse doceat & dicat, Testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis exsistat: eo quod vnusquisque vtique sibi faueat, nec cõtra se aliquis infesta & aduersa depromat: fides vero sincera sit veritatis, si in prædicationibus nostris alius sit prædicator ac testis. *Si testimonium*, inquit, *dixero de me,* Ioan.5. *testimonium meum non est verum: alius est enim qui testis est de me.* Quod si ipse dominus qui omnia postmodum iudicaturus sit, noluit de testimonio suo sibi credi, sed maluit de iudicio ac testimonio dei patris probari: quanto magis hoc seruos eius obseruare oportet, qui iudicio ac testimonio Dei non probantur tantum, sed etiam gloriantur? Præualuit autem apud te contra diuinam sententiam, & contra conscientiam nostram fidei suę viribus nixam, inimicorum & malignorum commentum, quasi apud lapsos & profanos, & extra ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit spiritus sanctus, esse aliud possit, nisi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cum iudicij dies venerit. Quod vero dixisti, sacerdotes humiles esse debere, quia & Dominus & apostoli eius humiles fuerunt: humilitatem meam & fratres omnes, & gentiles quoque optime norunt & diligunt: & tu quoque noueras & diligebas, cum adhuc in ecclesia esses, & mecum communicares. Quis autem nostrum longe est ab humilitate? vtrúmne ego qui quotidie fratribus seruio, & venientes ad ecclesiam singulos benigne & cum voto & gaudio suscipio? an tu qui te episcopum episcopi, & iudicem iudicis ad tempus à deo dati constituis? cum dominus Deus in Deuteronomio dicat, *Et homo quicunque fecerit in* Deut. 17. *superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit, & non agent impie etiã nunc.* Et iterum ad Samuelem loquitur & dicit, *Non te spreuerunt, sed me spreuerunt,* 1.Reg.8. Et adhuc dominus in euangelio, cum ei dictum esset, *Sic respondes pontifici?* cu- Ioan.18. stodiens & docens sacerdotalem honorem seruari oportere, contra pontifi-

cem nihil dixerit, sed innocentiam suam tantummodo purgans respondebit
Act.23. dicens, *Si male locutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis?* Item beatus Apostolus, cum ei dictum esset, *Sic insilis in sacerdotem dei maledicendo?* nihil contumelioſe locutus sit aduersus sacerdotem, quando & potuerit se cõstanter exerere aduersus eos qui dominum crucifixissent, & qui iam deum & Christum, & templum & sacerdotium perdidissent. Sed quanuis in falsis & spoliatis sacerdotibus, vmbram tamen ipsam inanem sacerdotalis nominis
Exod.22. cogitans dixerit, *Nesciebam fratres quia pontifex est, scriptum est enim, Principem plebis tuæ non maledices.* Nisi si sacerdos tibi fui ante persecutionem, quando mecum communicabas, sed post persecutionem sacerdos esse desiui. Persecutio enim veniens, te ad summam martyrij sublimitatem prouexit: me autem proscriptionis onere depressit, cum publice legeretur, Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilij Cypriani episcopi Christianorum, proscribatur, vt etiam qui non credebant deo episcopum constituenti, vel diabolo crederent episcopum proscribenti. Nec hæc iacto, sed dolens profero, cum te iudicem dei constituas & Christi, qui dicit ad apostolos, ac per hoc ad omnes
Lucæ 10. præpositos, qui apostolis vicaria ordinatione succedunt, *Qui audit vos, me audit: & qui audit me, audit eum qui me misit. Et qui reiicit vos, me reiicit, & eum qui me misit.* Vnde enim schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur? dum episcopus qui vnus est & ecclesiæ præest, superba quorundã præsumptione contemnitur, & homo dignatione dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos & sacerdotes vocare? ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententia tua absoluti, ecce iam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec deus sacerdotẽ. Subueniat Puppianus & sententiam dicat: iudicium dei & Christi in acceptũ referat: ne tantus fideliũ numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis & pacis exisse videatur: ne nouus credentium populus nullam per nos consecutus esse gratiam baptismi & spiritus sancti iudicetur: ne tot lapsis & pœnitẽtibus pax data, & communicatio nostra examinatione concessa iudicij tui auctoritate soluatur. Annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, & episcopatũ nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, vt deus & Christus eius agere tibi gratias possint, quod per te sit antistes & rector altari eorum pariter & plebi restitutus. Apes habent regem, & ducem pecudes, & fidem seruant: latrones, mancipi obsequio pleno humilitatis obtemperant. Quanto simpliciores & meliores vobis sunt brutę pecudes, & muta animalia, & cruenti licet ac furentes inter gladios atq; inter arma prædones? Præpositus illic agnoscitur & timetur, quem non sententia diuina constituit, sed in quem factio perdita & nocẽs caterua consensit. Dixisti sanè scrupulum tibi esse tollendũ de animo, in quẽ incidisti: incidisti, sed tua crudelitate irreligiosa: incidisti, sed tua mẽte & volũtate sacrilega, dum ĩcesta, dum impia, dũ nefanda contra fratrẽ, contra sacerdotem facile audis, & libenter credis, aliena mendacia quasi propria
Eccles.28. & priuata defendis, nec recordaris scriptum esse, *Sepi aures tuas spinis, & noli*
Prouer.17. *audire linguam nequam.* & iterum, *Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus autem non intendit labiis mendacibus.* Quare in hunc scrupulum non inciderunt martyres spiritu sancto pleni, & ad cõspectũ dei & Christi eius, passioni iam proximi, qui ad Cyprianum episcopum literas de carcere direxerunt, sacerdotem dei agnoscentes & cõtestantes ei? Quare in hunc scrupulum non inciderunt tot coëpiscopi collegę mei, qui vel cum de medio recederent, proscripti sunt, vel adprehẽsi in carcere & in cathenis fuerunt, aut qui in exilium relegati, inlustri itinere ad dominum profecti sunt, aut qui quibusdam locis animaduersi cęlestes co-

ſtes coronas de domini clarificatione ſumpſerunt? Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt de plebe iſta noſtra quæ apud nos eſt, & nobis de dei dignatione commiſſa eſt, tot confeſſores quæſtionati & torti, & inſigniũ vulnerum & cicatricum memoria glorioſi? tot virgines integræ, tot laudabiles viduæ? Eccleſię deniq; vniuerſæ per totum mundum nobiſcum vnitatis vinculo copulatæ? niſi ſi omnes iſti communicantes mecum, ſecundum quod ſcripſiſti, polluto noſtro ore polluti ſunt, & ſpem vitę ęternæ communionis noſtræ contagione perdiderunt: Puppianus ſolus integer, inuiolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo atq; in regno cælorum ſolus habitabit. Scripſiſti quoque, quod eccleſia nunc propter me portionem ſui in diſperſo habeat, quando omnis eccleſiæ populus & collectus ſit & adunatus, & indiuidua cõcordia ſibi iunctus, & ſoli illi foris remanſerint, qui & ſi intus eſſent, eiiciendi fuerant, ne patiatur dominus populi ſui protector & tutor, triticum de area ſua diripi, ſed ſolæ poſſint paleę de eccleſia ſeparari, quãdo & Apoſtolus dicat, *Quid enim ſi exciderunt à fide quidam illorum? nunquid infidelitas illorum fidem dei euacuauit? abſit. eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. 3.

Et dominus quoq; in euangelio, cum eum loquentem diſcipuli derelinquerent, conuerſus ad duodecim dixerit, *Nunquid & vos vultis ire? Reſpondit ei Petrus dicens, Domine ad quem ibimus? verbum vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognouimus, quoniã tu es filius dei viui.* Loquitur illic Petrus, ſuper quẽ ędificata fuerat eccleſia, eccleſiæ nomine, docẽs & oſtẽdens, quia etſi contumax ac ſuperba obaudire volentiũ multitudo diſcedat, eccleſia tamẽ à Chriſto non recedit: & illi ſunt eccleſia & plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærẽs. Vnde ſcire debes epiſcopũ in eccleſia eſſe, & eccleſiã in epiſcopo, & ſi qui cũ epiſcopo non ſint, in eccleſia nõ eſſe: & fruſtra ſibi blandiri eos qui pacem cum ſacerdotibus dei non habẽtes obrepunt, & latenter apud quoſdam cõmunicare ſe credunt, quando eccleſia quæ catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicẽ ſacerdotum glutino copulata. Quamobrem frater, ſi maieſtatẽ dei qui ſacerdotes ordinat, & Chriſti cogitaueris: ſi Chriſtum qui arbitrio & nutu ac prẽſentia ſua & præpoſitos ipſos, & eccleſiã cum præpoſitis gubernat, aliquando reſpexeris: ſi de innocentia ſacerdotum non humano odio, ſed diuino iudicio credideris: ſi temeritatis & ſuperbię atque inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitẽtiam cœperis: ſi deo & Chriſto eius quibus ſeruio, & quibus puro & immaculato ore ſacrificia, & in perſecutione pariter & in pace indeſinẽter offero, pleniſſime ſatisfeceris, communionis tuæ poterimus habere rationem, manẽte tamen apud nos diuinæ cenſuræ reſpectu & metu, vt prius dominum meum conſulam an tibi pacem dari, & te ad communionem eccleſię ſuę admitti ſua oſtẽſione & admonitione permittat. Memini enim quid iam mihi ſit oſtẽſum, immo quid ſeruo obſequenti & timenti de dominica & diuina auctoritate præceptum, qui inter cetera quæ oſtẽdere & reuelare dignatus eſt, & hoc addidit. Itaq; qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſtea credere incipiet ſacerdotem vindicanti. Quanquam ſciam ſomnia, ridicula & viſiones ineptas quibuſdam videri, ſed vtique illis qui malunt contra ſacerdotes credere, quàm ſacerdoti: ſed nihil mirum, quando de Ioſeph fratres ſui dixerint, *Ecce ſomniator ille venit. Nunc ergo venite, occidamus illum*: & ſomniator poſtea quod ſomniauerat conſecutus ſit: & occiſores ac venditores confuſi ſint, vt qui verbis prius non credidiſſent, factis poſtmodum crederent. De iis autem quę tu egiſti vel in perſecutione, vel in pace, ſtultum eſt vt velim te iudicare, quando tu magis iudicem te noſtri conſtitueris. Hæc pro animi mei pura cõſcientia, & domini & dei mei fiducia reſcripſi. Habes tu literas meas, & ego tuas: in die iudicij ante tribunal Chriſti vtræque recitabuntur. Gen. 27.

ARGVM. Ad Clerum de Numidico confessore presbytero ordinato.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET PLEBI VNIVERSAE, CHARISIMIS AC DESIderatissimis fratribus, salutem. LXVII.

NVNCIANDVM vobis fuit fratres charissimi, quod pertineat & ad cõmunem lætitiam, & ad ecclesię nostræ maximam gloriam. Nam admonitos nos & instructos sciatis dignatione diuina, vt Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginiẽsium numero, & nobiscum sedeat in Clero, luce clarissima cõfessionis inlustris, & virtutis ac fidei honore sublimis, qui hortatu suo copiosum martyrũ numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit. Quique vxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum ceteris, vel conseruatam magis dixerim, lętus aspexit, ipse semiustulatus: & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio eadauer patris inquireret, semianimis inuentus, & extractus & refocillatus à comitibus, quos ipse præmiserat, remansit inuitus. Sed remanendi vt videmus, hæc fuit causa, vt eum Clero nostro dominus adiũgeret, & desolatã per lapsum quorundam presbyterorum nostrorum copiam glorioſis sacerdotibus adornaret. Et promouebitur quidem, cum deus permiserit, ad ampliorem locũ religionis suę, quãdo in prędentiã protegente domino venerimus. Interim quod ostẽditur fiat, vt cum gratiarum actione suscipiamus hoc dei munus, sperantes de misericordia domini eiusmodi ornamenta complura, vt redintegrato ecclesiæ suæ robore, tam mites & humiles faciat in confessus nostri honore florere. Opto vos fratres charissimi ac desideratissimi semper bene valere.

ARGVM. Ad Cæcilium de sacramento dominici calicis, docens per multas patrum Veteris testamenti similitudines & prophetarum testimonia, hoc ante fuisse significatum. Nec calicem cum aqua sine vino recte offerri, nec vinum absque aqua iuxta Christi traditionem consecrari posse.

CYPRIANVS, CAECILIO FRATRI, SALVTEM. LXVIII.

QVANQVAM sciam frater charissime, episcopos plurimos ecclesiis dominicis in toto mundo diuina dignatione præpositos, Euangelicæ veritatis ac dominicę traditionis tenere rationem: nec ab eo quod Christus magister & præcepit & gessit, humana & nouella institutione decedere: tamen quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice dominico sanctificando, & plebi ministrãdo, non hoc faciunt quod Iesus Christus dominus & Deus noster sacrificij huius auctor & doctor fecit & docuit: religiosum pariter ac necessarium duxi, de hoc ad vos literas facere, vt si quis in isto errore adhuc tenebatur, veritatis luce perspecta, ad radicem atque originem traditionis dominicæ reuertatur. Nec nos putes frater charissime, nostra & humana mente conscribere, aut vltronea voluntate hoc nobis audacter assumere, cum mediocritatem nostrã semper humili & verecunda moderatione teneamus: sed quando aliquid deo inspirante & mandante præcipitur, necesse est domino seruus fidelis obtemperet

ret, excusatus apud omnes, quod nihil sibi adroganter adsumat, qui offensam domini timere compellitur, nisi faciat quod iubetur. Admonitos autem nos scias, vt in calice offerendo dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis dominus prior fecit: vt calix qui in commemoratione eius offertur, mixtus vino offeratur. nam cũ dicat Christus, *Ego sum vitis vera*, sanguis Christi non aqua est vtiq;, sed vinum. nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramẽto ac testimonio prædicetur. Inuenimus enim & in Genesi sacramẽtum circa Noe hoc idem præcurrisse, & figurã dominicæ passionis illic extitisse: quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est, quòd fuit recubans nudis & patentibus fœmoribus: quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est, & foras nunciata, à duobus vero maiore & minore contecta. Et cetera quæ necesse non est exequi, cum satis sit hoc solum complecti, quòd Noe typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinũ biberit, & sic imaginẽ dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech sacrificij dominici sacramẽtum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur & dicit, *Et Melchisedech rex salem protulit panem & vinum.* Fuit autem sacerdos dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat spiritus sanctus in psalmis ex persona patris ad filium dicens, *Ante luciferum genui te. Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech.* Qui ordo vbique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos dei summi fuit, quòd panẽ & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos dei summi quàm dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiũ deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad nostrum populum pertinebat. nam si Abraham Deo credidit, & deputatum est ei ad iustitiam: vtique quisque Deo credit & fide viuit, iustus inuenitur, & iam pridem in Abraham fideli benedictus & iustificatus ostenditur, sicut beatus Paulus apostolus probat, dicens, *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad iustitiam. Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes.* Igitur qui ex fide sunt, benedicti sunt cum fideli Abraham: vnde in Euangelio inuenimus de lapidibus excitari, id est de gentibus colligi filios Abrahæ. Et cum Zacchæum laudaret dominus, respondit & dixit, *Salus hodie domui huic facta est: quia & hic filius est Abrahæ.* Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem spiritus sanctus typum dominici sacrificij præmonstrat immolatæ hostiæ panis & vini, sed & altaris & apostolorum faciens mentionem. *Sapientia*, inquit, *ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactauit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & parauit suam mensam. Et misit seruos suos conuocans cum excelsa prædicatione ad craterem, dicens, Qui est insipiens, declinet ad me: & egentibus sensu dixit, Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis.* Vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce denunciat, vt appareat in passione dominica id esse gestum quod fuerat ante prædictum. In benedictione quoque Iudæ hoc idem significatur, vbi & illic Christi figura exprimitur, quod à fratribus suis lau-

Gen. 9.

Gen. 14.

Psal. 109.

Gala. 3.

Gen. 26.

Matth. 5.

Lucæ 19.

Prouer. 9.

dari & adorari haberet, quod inimicorum dorsa cædentium atque fugientium manibus, quibus crucem pertulit & mortem vicit, cõpressurus fuisset: quódque ipse sit leo de tribu Iuda, & recubet dormiens in passione, & surgat, & sit ipse spes gentium, quibus scriptura diuina adiungit & dicit, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum.* Quando autem sanguis vuæ dicitur, quid aliud quàm vinum calicis dominici sanguinis ostenditur? necnon & apud Esaiam hoc idem & Spiritus sanctus de Domini passione testatur, dicens, *Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni & percalcati?* Nunquid rubicunda vestimenta aqua potest facere? aut in torculari aqua est, quæ pedibus calcatur vel prælo exprimitur? Vini vtique mentio est, & ideo ponitur vt Domini sanguis vino intelligatur, & quod in calice dominico postea manifestatum est, prophetis annunciantibus prædicaretur. Torcularis quoque calcatio & pressura taxatur, quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset & pressus, & calicem prior biberet, in quo credentibus propinaret. Quotiescunque autem aqua sola in scripturis sanctis nominatur, baptisma prædicatur, vt apud Esaiam significari videmus. *Nolite,* inquit, *priora meminisse, & antiqua nolite reputare. ecce ego facio noua, quæ nunc orientur, & cognoscetis, & faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquisiui, vt virtutes meas exponeret.* Prænunciauit illic per prophetam Deus, quod apud gentes in locis quæ inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, & electum genus Dei, id est per regenerationem baptismi filios Dei factos adaquarent. Item denuo præcanitur, & ante prædicitur, Iudæos si sitierint, & dominum Christum quæsierint, apud nos esse potaturos, id est baptismi gratiam consecuturos. *Si sitierint,* inquit, *per deserta adducet illis aquam, de petra producet illis. Findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea.* Quod in Euangelio adimpletur, quando Christus qui est petra, finditur ictu lanceæ in passione. Qui & admonens quid per prophetam sit ante prædictum, clamat & dicit, *Si quis sitit, veniat & bibat. Qui credit in me, sicut scriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Atque vt magis possit esse manifestum, quia non de calice, sed de baptismo illic loquitur dominus, addidit scriptura dicens, *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant qui in eum credebãt.* Per baptisma enim Spiritus sanctus accipitur, & sic à baptizatis & spiritum sanctum consecutis ad bibendum calicem domini peruenitur. Neminem autem moueat, quod cum de baptismo loquatur scriptura diuina, sitire nos dicit & bibere, quando & dominus in Euangelio dicat, *Beati esurientes & sitientes iustitiam,* quia quod auida & sitienti cupiditate suscipitur, plenius & vberius hauritur. Sicut & alio loco ad Samaritanam mulierem dominus Christus loquitur, dicens, *Omnis qui biberit ex aqua ista, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non sitiet in æternum.* Quo & ipso baptisma salutaris aquę significatur, quod semel scilicet sumitur, nec rursus iteratur. Ceterum calix domini in ecclesia semper & sititur & bibitur. Nec argumentis plurimis opus est frater charissime, vt probemus adpellatione aquæ baptisma significatum semper esse, & sic nos intelligere debere, quando dominus adueniens, baptismi & calicis manifestauerit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitę æternę præceperit credentibus in baptismo dari: calicem vero docuerit exemplo magisterij sui vini & aquæ coniunctione misceri. Calicẽ etenim sub die passionis accipiẽs, benedixit, & dedit discipulis suis dicens, *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis noui testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico vobis, non bibam à modo ex ista creatura vitis vsque in diem illum quo vobiscum bibam nouum in regno*

Gene. 49.

Esaiæ. 63.

Esa. 43.

Esa. 48.

Ioan. 6.

Matth. 5.

Ioan. 4.

Matth. 26.

in regno patris mei. Qua in parte inuenimus calicem mixtum fuisse quem dominus obtulit, & vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Vnde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici: nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis nouum vinum cum Christo in regno patris bibemus, si in sacrificio dei patris & Christi vinũ non offerimus, nec calicẽ domini dominica traditione miscemus? Beatus quoq; apostolus Paulus à domino electus & missus, & prędicator veritatis Euangelicæ constitutus, hæc eadem in epistola sua ponit, dicens, *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias egit, & fregit, & dixit, Hoc est corpus meũ quod pro vobis tradetur: hoc facite & vos in meam commemorationem. Simili modo & calicem postquam cœnatũ est, accepit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunq; enim ederitis panem istum, & calicem biberitis, mortem domini annũciabitis quoadusque veniat.* Quod si & à domino præcipitur, & ab Apostolo eius hoc idẽ confirmatur & traditur, vt quotiescunq; biberimus, in commemorationem domini hoc faciamus, quod fecit & dominus, inuenimur non obseruari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem pari ratione miscentes, à diuino magisterio non recedamus. Ab euangelicis autem præceptis omnino recedẽdum non esse, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulos quoque obseruare & facere debere constantius & fortius, alio in loco beatus Apostolus docet, dicens, *Miror quod sic tam cito demutamini ab eo qui vos vocauit in gratiam, ad aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de cælo aliter annunciet, præterquam quod annunciauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis annunciauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Cum ergo neque ipse Apostolus, neque angelus de cælo annunciare possit aliter aut docere, præterquam quod semel Christus docuit, & apostoli eius annunciauerunt, miror satis vnde hoc vsurpatum sit, vt contra Euangelicam & apostolicam disciplinã, quibusdam in locis aqua offeratur in dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere. Cuius rei sacramẽtum nec in psalmis tacet spiritus sanctus, faciens mentionem dominici calicis, & dicens, *Calix tuus inebrians perquam optimus.* Calix autem qui inebriat, vtique vino mixtus est. neque enim aqua inebriare quenquam potest. Sic autem calix dominicus inebriat, vt & Noe in Genesi vinũ bibẽs inebriatus est. Sed quia ebrietas dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis est ebrietas vini secularis, cum diceret spiritus sanctus in psalmo, *Calix tuus inebrians*, addidit, *perquam optimus*, quod scilicet calix dominicus sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalẽ sapientiam redigat, vt à sopore isto seculari ad intellectum dei vnusquisq; resipiscat: & quẽadmodum vino isto cõmuni mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur: ita epoto sanguine domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinę secularis, & mœstũ pectus ac triste, quod prius peccatis angẽtibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur. Quod tunc demũ potest lætificare in ecclesia domini bibentẽ, si quod bibitur dominicam teneat veritatem. Quàm vero peruersum est, quamq; contrarium, vt cum dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus: cũ sacramentum quoq; rei illius admonere & instruere nos debeat, vt in sacrificiis dominicis vinũ potius offeramus. nam quia apud Iudęos defecerat gratia spiritalis, defecit & vinum. Vinea enim domini sabaoth domus erat Israel: Christus autem docens & ostẽdens gentium populum succedere, & in locum quem Iudæi perdiderant, nos

1. Cor. 11.

Gala. 1.

Psal. 22.

Ioan. 2.

postmodum merito fidei peruenire, de aqua vinum fecit, id est quod ad nuptias Christi & ecclesiæ Iudæis cessantibus plebs magis gentium conflueret & conueniret, ostendit. Aquas nanque populos significare in Apocalypsi
Apocaly.7. scriptura diuina declarat dicens, *Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes ethnicorum sunt & linguæ.* quod scilicet perspicimus & in sacramento dominici calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice domini, vt commixtio illa non possit abinuicem separari. Vnde ecclesiam, id est plebem in ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit, perseuerantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minus hæreat semper & maneat indiuidua dilectione. Sic autē in sanctificādo calice domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quādo autem vtrunque miscetur, & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cæleste perficitur. Sic vero calix domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrunque sibi misceatur: quomodo nec corpus domini, potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum. Quo & ipso sacramento populus noster ostēditur adunatus, vt quemadmodum grana multa in vnum collecta & commolita & commixta, panem vnum faciunt: sic in Christo qui est panis cælestis, vnum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus & adunatus. Nō est ergo frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinem, si qui in præteritum in calice dominico aquam solam offerendam putauerunt. Quærendum est enim, ipsi quem sint secuti. nam si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faIoan.15. ciendum esse mandauit, quando ipse in Euangelio suo dicat, *Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos seruos, sed amicos.* Et quod Christus debeat solus
Matth.17. audiri, pater etiam de cælo contestatur, dicens, *Hic est filius meus dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite.* Quare si solus Christus audiendus est, non debemus adtendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed dei veritatem, cum per Esaiam prophetam Deus loquatur & dicat, *Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.* Et iterEsaiæ.29. rum dominus in Euangelio hoc idem repetat dicens, *Reiicitis mandatum Dei,*
Matth.15. *vt traditionem vestram statuatis.* Sed & alio in loco ponit & dicit, *Qui soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Quod si nec minima de mandatis dominicis licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud quàm quod diuinitus institutum sit, humana traditione mutare. Nam si Iesus Christus dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium deo patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui cōmemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in ecclesia deo patri, si sic incipiat offerre secundū quod ipsum Christum videat obtulisse. Ceterum omnis religionis et veritatis disciplina subuertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur, fideliter reseruetur, nisi si in sacrificiis matutinis

hoc

hoc quis veretur, ne per saporē vini redoleat sanguinē Christi. Sic ergo incipit & à passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dū in oblationibus discit de sanguine eius & cruore confundi. Porrò autem dominus in Euāgelio dicit, *Qui confusus me fuerit, confundetur eum filius hominis.* Et Apostolus quoque loquitur dicens, *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Galat.1. Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere? An illa sibi aliquis contēplatione blanditur, quod & si mane aqua sola offerri videtur, tamen cū ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus? Sed cū cœnamus, ad conuiuium nostrum plebem conuocare non possumus, vt sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus. At enim non mane, sed post cœnam mixtū calicem obtulit dominus. Nunquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est, *Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorū Israel ad vesperam.* Exod.12. Et iterum in psalmis, *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Psal.114. Nos autem resurrectionem domini mane celebramus. Et quia passionis eius mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim domini, sacrificium quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit, *Quotiescunque enim ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem domini annunciabitis quoadusque veniat.* 1.Cor.11. Quotiescunque ergo calicem in commemorationem domini & passionis eius offerimus, id quod constat dominum fecisse, faciamus. Et viderit frater charissime, si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc obseruauit & tenuit, quod nos dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati eius de indulgentia domini venia concedi: nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à domino admoniti & instructi sumus, vt calicem dominicum vino mixtum, secundū quod dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoque ad collegas nostros literas dirigamus, vt vbique lex euangelica & traditio dominica seruetur, & ab eo quod Christus & docuit & fecit, non recedatur. Quæ vltra iam contemnere, & in errore pristino perseuerare, quid aliud est quàm incurrere in obiurgationē domini increpantis in psalmo & dicentis? *Ad quid exponis iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam & abiecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, & inter mœchos particulam tuam ponebas.* Psal.49. Exponere enim iustificationes & testamentū domini, & non hoc idem facere quod fecerit dominus, quid aliud est quàm sermones eius abiicere, & disciplinam dominicam contemnere? nec terrena, sed spiritalia furta & adulteria committere? dū quis de euangelica veritate furatur domini nostri verba & facta, & corrumpit atque adulterat præcepta diuina? sicut apud Hieremiam scriptum est: *Quid est,* inquit, *paleis ad triticum? propter hoc ecce ego ad prophetas, dicit dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo: & seducunt populum meum in mendaciis suis, & in erroribus suis.* Hiere.23. Item apud eundē alio loco, *Et mœchata est,* inquit, *lignum & lapidem, & in his omnibus non est reuersa ad me.* Hiere.3. Quod furtum & adulterium ne in nos etiam cadat, cauere sollicite & timide ac religiosè obseruare debemus. nam si sacerdotes Dei & Christi sumus, non inuenio quem magis sequi quàm Deum & Christū debeamus, quando ipse in euangelio maxime dicat, *Ego sum lumen seculi: qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ioan.8. Ne ergo in tenebris ambulemus, Christū sequi & præcepta eius obseruare debemus, quia & ipse in alio loco mittēs Apostolos, dixit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite ergo & docete gentes omnes, tingentes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Docentes eos* Matth.28.

obseruare omnia quæcunque præcepi vobis. Quare si in lumine Christi ambulare volumus, à præceptis eius & monitis non recedamus, agentes gratias, quòd dum instruit in futurum quid facere debeamus, de præterito ignoscit quod simpliciter errauimus. Et quia iam secundus eius aduentus nobis adpropinquat, magis ac magis benigna eius & larga dignatio corda nostra luce veritatis inluminat. Religioni igitur nostræ congruit & timori, & ipsi loco atque officio sacerdotij nostri frater charissime, in dominico calice miscẽdo & offe rendo custodire traditionis dominicæ veritatẽ, & quod prius apud quosdã vi detur erratum, domino monẽte corrigere, vt cum in claritate sua & maiestate cælesti venire cœperit, inueniat nos tenere quod monuit, obseruare quod docuit, facere quod fecit. Opto te frater charissime semper bene valere.

AD MOYSEN ET MAXIMVM, ET CETEROS CONFESSORES, DE LAVDE MARTYRII. LXVIIII.

ETSI incongruens est fratres charissimi, in hoc fauore dicendi aliquid trepidationis adferre, minimeque decet gloriam tantæ deuotionis infringere, ex eo quod fatear me cœpisse dubitare: tamen identidem dico, ipsa animũ meũ deliberatione confringi, qui exequendæ laudis cupiditate succenditur, & à loquendo magnitudine virtutis inhibetur. Cum autem non deceat tacere, aut periculosum sit parum dicere, nisi quod hæc æstuanti res sola subuenit, quod videatur ei facile ignosci posse, qui non timuit audere. Quam ob rem charissimi fratres, etsi potentia rei oneratur facultas ingenij, vt quantũ se in exprimenda martyrij dignitate protulerit, tantũ ipso pondere laudis oppressa atque æstimatione rerũ omnium, de quibus cum maxime loquitur, debilitata ac fracta, intra se ipsa illaqueata oratione deficiat, nec habenis liberis ac solutis in apertum sermonis eloquium vim tantæ laudis expromat: tamen erit aliqua, nisi fallor, in eloquendo facultas, quæ ipsius operis oratione munita vage fundat, quod à dicendo impar ingenij conscientia submouebat. Cum igitur fratres charissimi, tot tantisque rebus impliciti, ad comprobandos salutis eximios pulcherrimosq; prouentus, omni studio ac labore nitamur, non vereor ne quo ignauiæ metu territus, vel reuocer, vel extinguar: cũ si quis ad id voluerit, de quo agimus, intueri, spe deuotionis expensa, atque ipsa eius magnitudine ponderata, magis miretur audere potuisse, in quo me positũ & amplitudo rei premeret, & confusam gaudio mentẽ in angustias animi voti sui feruor vrgeret. Nam & quis est quem non ista res terreat? Quis quem non admirationis suæ pauore subuertat? Est enim profecto, nisi fallor, etiam in ipso conscientiæ robore admiranda formido, quæ nos exagitet pariter & inflammet. Cuius quanto penitius inspexeris potestatem, tanto ex ipso venerandę claritatis aspectu religionis suæ præmittat horrorem. Considerare enim vtique debetis, quantæ sit glorię, vitæ quam libet maculã & sordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe concreta contagia, tantoque temporis tractu mundi crimen exceptũ, vnius ictus remediis expiare, quo & augeri merces, & crimen possit excludi. Vnde omnis consummatio & status vitæ in martyrio est collocatus. Hoc fundamentũ vitæ & fidei, hoc præsidium salutis, hoc vinculum libertatis & honoris: & quãuis sint & alia per quæ adipisci lux possit, tamen ad proximitatem muneris repromissi pœnis melius patrocinantibus peruenitur. Quantæ enim sit gloriæ ponderate, huius vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura mundique commercio segregatum, contra

aduer-

aduersantis discrimen opponere, nec sæuitiam torquentis horrere, animari hominem dolore quo credatur extingui, & id sibi in augmentũ virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse qui punit. Nam prędurantibus licet costis resultãs vngula recurrat in vulnus, & euntibus flagris cum auulsa corporis parte rediens habena ducatur, stat immobilis tamen, pœnis suis fortior: hoc solum secum ipse conuoluens, quod in illa crudelitate carnificum plus pro quo patitur, Christus ipse patiatur. nam quando si negauerit dominum, pro eo crimen subeat, pro quo vicisse debebat, necesse est eum videri cuncta tolerare, cui victoria debetur & pœna. Igitur quoniam res summa martyriũ est, tria sunt quæ ex eo nobis proposuimus esse dicenda, Quid sit, quantũ sit, cui rei prosit? Quid ergo est martyrium? delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiæ magister, domus vitæ: quo perfecto etiam ea occidunt quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari. Per hoc & testimonium nomini redditur, & maiestas nominis ampliatur, non quod per se ipsam minui possit, vel de scelere tractantis magnitudo eius infringi, sed quod redundet ad gloriæ cumulum, dum circunstrepentis populi terror impauidos animos dat dolori, & minis frendentis inuidiæ addit ad titulum. Quod tantũ sibi mens crescat in pugna, quantũ se ille putauerit vincere, per quem Christus hominẽ voluerit coronare. Tunc ergo omne fidei robur expenditur, tunc credulitas comprobatur, cum in sermones vulgi atque in opprobrium veneris: cúmque te contra illas populares insanias religiosa mente firmaueris, conuincens scilicet ac repugnans, quicquid super persona tua in iniuriam Christi profanus sermo iactauerit: vt cum aduerso mari moles opposita reluctatur, feriant licet fluctus, & reuolutum æquor identidem pulset, tamen hæret immobilis virtus, nec vndis circũspumãtibus ad operta succumbit, donec per scopulos vis digesta se supprimat, & superiacens saxis in aperta littoris spacia victũ æquor euadat. Quid enim est in illis aliud quàm sermo vacuus, & inane colloquium, & inanium voluptas praua verborum? sicut scriptum est, *Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt: Grauatum est cor insipiens eorum, ne quando conuertantur & sanem illos.* Pſal.113. Esa.6. Non enim dubium est, quin hoc de omnibus dixerit, quorum dura mens semper, & obstinata pectoris feritas, à deuotione vitali fugata dissentit, ducente dementia, furore rapiente, omni denique illos immanitate vexante, qua instigantur pariter ac feruntur: vt cum illis ad pœnam sua facta sufficerent, pœnam ipsam persecutionis agitatę, crimen oneraret. Totũ hoc in laudẽ martyrij spectat, totum gloriam passionis inluminat, in qua spes futuri temporis cernitur, in qua Christus operatur ipse, cuius aguntur exempla quæ petimus: cuius & virtus est qua repugnamus. Et quia in hoc loco aliquid proferre suppetit, summa nimirum est ista atque admiranda dignatio, & quam nec mente concipere, nec verbis valeamus implere. Quid enim nobis amplius potuisset larga pietate largiri, quàm vt in se primus ostenderet, quid in aliis coronaret? mortalis factus est, vt immortales esse possemus: & humanæ sortis exitũ pertulit, per quem reguntur humana, vt nobis videretur præstitisse quod passus est: confessionem tribuit, martyria subiecit, omnia denique quibus lux supprimi posset, in remedium salutare natiuitatis suæ meritis relegauit humilitate præcipua, virtute diuina. Cuius rei quique digni esse meruerunt, caruerunt omni hac mundi teterrima labe, subactę mortis conditionem vicerunt. Non enim dubium est quantum à domino consequantur, qui saluti suæ nomen Dei prætulerunt, vt in illa iudicij die meliores cruor faceret, sanguis viuos esse monstraret. Mors quippe integriorem facit vitam, mors magis deducit ad gloriã: sic quotiescunque lætantibus stipulis distenta imbribus frumenta turgescunt, fœcundæ messes coguntur æstate. Sic quoties ferro vitis

abſcinditur erũpentibus pampinis, melius vua veſtitur. nam & in augmentũ prouenturi temporis cedit, quicquid iniuria ſua proficit: flãmas quippe plerunque agris iuuit immittere, quo calore vagantis incendij cæca terræ ſpiramenta laxaret: iuuit leues ſtipulas crepitanti igne torrere, vt ſe altius grauida ſeges tolleret, parturiẽtibus culmis denſior ariſta floreret. Igitur talis & martyrij primo caſus, poſtmodũ fructus eſt, qui morte vitam condemnat, vt vitã morte cuſtodiat. Quid enim tam eximium atque ſublime eſt, quàm inter tot inſtrumenta carnificum deuotione robuſta cunctã fidei reſeruare virtutem? Quid tam magnum tamque pulcherrimum, quàm inter tot circunſtantiũ gladios libertatis ſuæ dominum, ac ſalutis auctorem, repetita ſæpius voce profiteri? & maxime ſi ante oculos tuos ponas, nihil deteſtabilius eſſe dedecore, nihil fœdius ſeruitute, nihil aliud te debere iam petere, aliud optare, quàm eripiendum eſſe cladibus ſeculi, eximendum malis mundi, nec inter ruinas orbis iamiamque perituri, alienum à terrena contagione verſari? Quid enim tibi cum hac luce, cui lux æterna promiſſa eſt? Quid cum hoc vitæ naturæq; commercio, quẽ cęli amplitudo depoſcit? Sane teneat cupiditas iſta viuendi, ſed quos inexpiabili malo ſæuiens ignis æterna ſcelerum vltione torquebit. Teneat cupiditas iſta viuẽdi, ſed quibus & mori pœna eſt, & durare tormentum. Tibi iam & mundus ipſe ſuccumbit, & terra cedit, qui morientibus cunctis ad hoc reſeruatus es, vt martyr eſſe potuiſſes. An non quotidiana cernimus funera? cernimus nouos exitus diuturnos factis & ſæuientibus morbis inexpertæ cuiuſdam cladis exitia, ac ſtrages populatarum vrbium intuemur? vt poſsimus agnoſcere quanta martyrij habenda ſit dignitas, ad cuius gloriã nos cogere etiã lues cœpit. Etenim chariſsimi fratres, reſpicite ad hoc, quæſo, vos plenius, in quo & ſalus vertitur, & ſublimitas computatur, licet non ſim neſcius, etiam vos pleniſsime noſſe ſtatũ omnium noſtrũ iudiciis contineri: neque ignorare, hanc eſſe nobis traditam diſciplinam, vt ſine vllo terrore militiæ vim tanti nominis tueamur: quippe quos pridem à deſiderio lucis iſtius cupiditas æternæ memoriæ deduxerit, quos futurorum vota diu diuellerint, quoſq; ab omnibus vitiis optãda Chriſti ſocietas ſegregarit: niſi ſi hic exitio ſuccumbere, morti animam dubitamus offerre. Nec non iam retinenda ſunt nobis & amplectenda beneficia diuina, quorum vltra rerum ardorem, tanta ſit merces, quantũ in dicendo humana mediocritas vix poſsit implere. Sanguini noſtro patet cælũ: ſanguini gehennæ, cedit tabernaculum. Et inter omnium gloriam pulchrior ſanguinis titulus & integrior corona ſignatur: ſic quoties de hoſte triumphalibus ſpoliis onuſtus, miles ingreditur, vulneribus ſuis gaudet. Sic quoties tempeſtatibus diu nauta fatigatus litora tuta contigerit, felicitatem ſuam de perpeſſo periculo ducit. Eſt enim profecto, niſi fallor, labor lætus, per quẽ ſecuritas inuenitur. Igitur toleranda ſunt omnia, patienda cuncta, nec appetendum quo modico gaudeas tempore, & perpetuo puniaris ardore. Meminiſſe enim debes, velut quadam te fœderis pactione conſtrictũ, ex qua aut capeſſendæ ſalutis ſit iuſta conditio, aut pœnæ merita formido: ſtas inter aduerſa pariter ac proſpera, arma inter & tela, hincq; te ſecularis ambitio, inde cæleſtis admonet magnitudo. Si ſalutem times perdere, ſcito te mori poſſe. Porrò autem contemnenda tibi mors eſt, cui Chriſtus occiſus eſt ante oculos: tibi quæſo cõcurrant dominicæ paſsionis exempla: concurrant oblata & præmia, & parata diſcrimina, & quantam inter ſe habeant difficultatem, res vtraſque conſpicito. Neque enim poteris confiteri, niſi ſcias quantũ noceat, ſi negaris. Cęlo martyres gaudent, veritatis inimicos ignis abſumit. Paradiſus Dei teſtibus floret, negatores gehenna complexa æternus ignis inardeſcit. Et vt de ceteris taceam, hoc nos vtique magis debet hortari, quod confeſsio vocis vnius Chriſti perpetua cõfeſsione ſeruetur:

ne ſeruetur: ſicut ſcriptum eſt, *Qui me confeſſus fuerit in terris coram hominibus, & ego confitebor eum coră patre meo, & coră angelis eius.* Adhuc accedũt ad glorię cumulum, ornamenta virtutum: ait enim, *Fulgebunt iuſti tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Magna eſt enim fratres chariſsimi, claritas, vitã ſalutis æternæ honeſtate paſsionis ornare, magna ſublimitas ante ora domini, aſpectũq; Chriſti poteſtatis humanæ tormenta contemnere, nec horrere. Sic Daniel minas regis leonum frementium rabiem per conſtantiam fidei ſuæ vicit, dum adorandũ nullum aliũ eſſe quàm Deum credidit. Sic in camino pueris cõſtitutis in ſe arſit incendiũ, dum ignes iuſti tolerant, quod de gehenna domino credendo, metuebant. Vnde & retulere condigna non in poſterum tracti, non ſalutis æternæ præmio reſeruati. Fidem illorum Deus vidit, vt quod ſibi poſt exitum promiſerant, videre mererentur in corpore: nec enim poterit æſtimari, quãta in præſenti tributa ſit merces. Si ſæuitia fuit, ceſsit: ſi flamma, concedit. erat enim vna mens omnibus, quam nec violentia frangeret, nec ira ſubuerteret, nec à deuotionis obſequio timor mortis inhiberet. Vnde per gratiam domini factum eſt, vt ſic in illis rex potius videretur punitus eſſe, dum euadunt quos ſe crediderat occidere. Nunc iam ad eã rem, fratres chariſsimi, veniam, ex qua oſtendere ſatis poſſum, quãta martyrij virtus habeatur, quæ tametſi eſt omnibus nota, próque ingenitæ claritatis inſignibus expetenda, tamen plus addidit neceſsitas temporis deſiderio voluptatis. Etenim eſt in muneribus magnis, ſi eo tempore quis coronetur, quo coronatum ſe putat, ſi forte moriatur. Igitur cum ſit ſublime excelſumque martyrium, nunc magis eſt neceſſarium, quando mundus ipſe ſubuertitur, partimque orbe concuſſo natura deficiens vltimi exitus monimenta teſtatur. Nam & cum cælo imber incumbit, pluuias aer triſtis oſtendit, & quoties atra tẽpeſtas horrenti imminet pelago, per interapertam nubium noctem coruſca ignium fulmina reluceſcũt: ſed & cũ magnis mare fluctibus voluitur, paulatim vnda ſe tollit, paulatimq; æquor albeſcit, donec cernas ita poſtmodum ruere, vt in illis quibus retunditur ſaxis ſpumam altius iaciat, quàm vndam tumidum pelagus expuebat. Legis ſcriptum eſſe, vſque quadrantem nos vltimũ reddituros, ſed ſolis hæc pars ablata martyribus. Etenim qui ſalutis æternæ cupiditatibus freti vitæ huiuſce deſideria vicerunt, hos expertes doloris vniuerſi, domini promiſſa fecerunt. Igitur hic primum, chariſsimi fratres, poterimus exponere, quanta martyrij virtus poſsit impleri. Atque vt tranſeam cuncta, meminiſſe debemus, quanta ſit gloria, ad Chriſtum immaculatum venire, conſortem paſsionis exſiſtere, perpetuaque cum domino æternitate regnare, carere exitiis imminentibus ſeculi, nec inter cruentam morborum populantium ſtragem in communi cum ceteris ſorte miſceri. Atque vt ſileam de corona, ſi tibi in his naturæ lubricis malis poſito, vitæ promitteretur exceſſus, nonne omni mente gauderes? Si qua te in huius mũdi turbinibus fluctuante vicina arceſſeret requies, nonne mortem pro remedio computares? poſitus inter arma carnificum, ac tela probantium quæſtionum, ſta ſublimis ac fortis, conſiderans quanta ſit pœna, negare eo tempore, quo frui ſeculo nequeas, cuius cauſa negaras: quoniam quidem grauia tormenta, ac puniendi noxias artes in perniciem noſtram dominus ſciebat armari, quo fortes ad omnem tolerantiam faceret: *Fili*, inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore,* Eccleſi. 2. *& præpara animam tuam ad tentationem.* Sed & beatiſsimus Paulus apoſtolus exclamauit & dixit, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Quã ob rem, chariſsimi fratres, firma fide, deuotione robuſta, contra omnes ſeculi atroces & aſperos inſequentium fremitus aduerſa virtute reſiſtendũ eſt, nec timendum, quorum ſpes æternitatis & vita cæleſtis eſt, quorumque ardor in cupi-

dine lucis succenditur,& salus de promissa immortalitate lætatur. Hoc vero quod catenis ardẽtibus manus stricte & circumacti graues ceruicibus nexus solido deprimunt pondere,vel quod eculeo corpus extensum,cadentes stridet ad laminas, non expetendi sanguinis, sed tentationis est causa. Nam & ipsam martyrij dignitatem, quemadmodum agnoscere possemus, nisi illam etiam cum damno corporis nostri cogeremur optare? Sensi equidem,nec me veritas fallit,cum sæuę incumbentium manus membra diuellerent, artusque laniatos tortor sæuiens exararet, nec tamen vinceret, circunstantiũ verbis, Magnum istud est,dici profecto,non doloribus subigi, non pœnis angentibus frangi. Sed erant aliæ dicentium voces, Et puto liberos habet. nam est illi socia in penatibus coniux,& tamen nec vinculo pignorum cedit,nec obsequio pietatis abductus à proposito suo deficit. Noscenda res est, & virtus penitus scrutanda visceribus: nec enim leuis est ista quæcunque confessio, propter quam homo patitur,& mori posse. Etenim charissimi fratres,virtus est tanta martyrij, vt per illam credere etiam ille cogatur qui te voluit occidere. Scriptũ est & legimus, *In dolore sustine, & in humilitate tua habe patiẽtiam, quoniam per ignem probatur aurum & argentum.* Quoniam ergo nos terrenis tentationibus probat dominus,& his seculi malis scrutator Christus expendit, gratulandum nobis est atque lætandum, quod non illis nos perennibus reseruet exitiis, sed gaudeat ab omni contagione purgatos. Ceterum ab his quos hæreditatis participes adsciscit,& in regna cælorum libenter adsumit, quid vtique aliud quàm integritatis ambitum quærit? sua ipse dixit vniuersa, & quæ iacẽtibus se explicant cãpis,& quæ in obliquos se erigunt colles, sed & quod cæli magnitudo circunuenit,& quod pelago circũfluente lubricum æquor includit. Quod si illi adiacent omnia, nec à nobis exposcit, nisi facta sincera, auro,vt ipse dixit,similes esse debemus. Aurum quippe cũ relucentibus terris tremulo videris splendere sub lumine, & in liquidũ flammis torrentibus resolui. Nam & artificum gratia fere sic est, caminis quoties anhelantibus æstuans ignis euomitur, aditu terrestri canali angusto diues flamma eligitur,& refluentibus glebis arena retinetur. Vnde necesse est vniuersa sufferre, quo possimus omni scelere carere, sicut per Prophetam suum dixit, *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, tamen spes illorum immortalitate plena est & vexati in paucis, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos sui, & quasi holocausti hostiam accipit illos.* Quod si te dignitas ambitiosa deterret, & congesta in thesauris pecuniæ admonet magnitudo, quæ semper propositum bonæ mentis auertit,& deuotã pro domino suo animam furiali agit horrore, quæso repetas verba cælestia. nam & ipsa vox dicentis est Christi, *Qui perdiderit animam suam pro nomine meo, recipiet in hoc seculo centuplum, & in futuro vitam æternã possidebit.* Qua vtiq;,nihil maius,nihil aptius, nihil vtilius cõputare debemus. Nam licet preciosarũ vestiũ more purpura in imagines currat, & lentescentibus filis aurum erret ad speciem, nec de effossis grana quibus incumbis desint metalla thesauris, vacua nisi fallor ista atque inania cõputabuntur,si adiacentibus tibi cunctis,sola salus tibi deesse videatur, sicut Spiritus sanctus loquitur, nihil nos inuicem animæ nostræ posse dare. ait enim, *Si totum orbem lucrifeceris, & animam tuam perdideris, quid proderit tibi? aut quam homo commutationem dabit pro anima sua?* Vacua enim sunt vniuersa quæ cernimus,& quæ infirmis radicibus posita, soliditatis suæ vim nequeãt sustinere. Nam quod & de seculo capitur, vetustate tẽporis frustratur, vnde & ne quid esset dulce vel charum,vel quod salutis æternæ præferri cupiditatibus possit,dominicis amputata præceptis, iure proprio ac lege priuata sunt. ne in tormentis scilicet patrem filius frangeret, néve obstrictũ durati roboris pectus in aliam voluntatem affectus forte mutaret. Solam veritatem,

Sapien. 3.

Matth. 19.

ritatē, salutēq; solā inter magnos cōplectēdā esse cruciatus, suo Christus iure cōstituit. In quo cōiux & liberi & nepotes, in quo omnis viscerū suboles relicta, vsurpāda victoria est. Nam & Abrahā sic Deo placuit, qui tētatus est à Deo, & filio nō pepercit, pro quo ignosci forsitā posset, si illū dubitasset occidere. Armauit manus religiosa deuotio, & oēs pietatis affectus domini iubentis imperio pietas paterna neglexit. Nec horruit quod nati funderet sanguinem, nec intremuit ad vocem, & adhuc pro eo Christus non fuerat occisus. Quid enim charius eo quàm qui ne quid inuitus hodie sustineres, prius passus est quod doceret? Quid eo dulcius, qui cum ipse sit dominus & Deus noster, tamē patientē pro se hominē regni cælestis efficit cohæredē? O grāde nescio quid, siue quia illud conscientię ratio vix sustinet capere, quin magna semper miretur ad munera: siue quia tā larga maiestas Dei, vt insperantibus cunctis etiam ea offerat, quæ nobis contēplatione factorū nefas fuerat optare. Etenim si tantū salus daretur æterna, pro ipsa perpetuitate viuēdi haberemur in gratia. At nunc cū cælū, & iudicādi de ceteris facultatē perenni seculo largiatur: quid est in quo se parē iis omnibus possit humana mediocritas experiri? Si iniuriis ageris, prior actus est ille: si cōtumeliis premeris, Dei munus imitaris. Vnde & parū est, quicquid pertuleris pro eo qui nihil amplius potes facere, nisi quod in hoc salus vniuersa cōsistit: quia martyrio totū ille promisit. Deniq; Apostolus, cui cordi fuerūt semper vniuersa, cum instar mu nerum promissorū penitus miraretur, *Æstimo*, inquit, *non esse cō dignas passiones huius temporis ad superuenturā claritatem, quæ reuelabitur in nobis*. Etenim secū ipse voluebat, quātæ merces exsisterēt, vt ei cui sufficeret morte carere, non tantū salutis daretur præmiū, sed & cōscēdere cælū, cęlū quod nec fugata lux cogit in noctē, nec alternis vicibus dies aperit in lucē, sed aēris liquidi serena tēperies, per sudū igneo fulgore rutilantē puram explicat claritatē. Iam superest charissimi fratres, vt debeamus ostēdere, cui rei martyriū prosit. Atq; illud profecto doceamus, quod nos ad hunc gloriæ titulū metus excitet futurorū. Etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt quæ metuenda esse illis videantur. Nā nec se in arma miles accēdit, priusquā inimica hostes tela cōmouerint. nec nauē aliquis statione subducit, nisi animū pelagi pauor strinxerit. Sed & intētans suis opibus scrutator agricola, nō ante felici terrā suscitat vomere, quā in puluerē imbre cōcepto putris gleba soluatur. Ita est omnis naturalis hic vsus, nescire quid prosit, nisi agnoueris quod occidit. Vnde & datur sanctis omnib⁹ præmiū, dū infligūtur iniustis tormēta factorū. Igitur quæ suis promiserit dominus, nemini qui nesciat dubiū, sed nec quātis minetur ignarū. Et quoniā ita se attulit sermo, vt de vtrisq; habeatur ratio: paucis vt de vtrisq; dixi, breuiter exponā. Sæuiens locus, cui gehenna nomē est, magno plāgentiū murmure, & gemitu, & eructantibus flāmis per horrendas spissæ caliginis noctes sæua semper incendia camini fumantis exspirat. Globus ignium artatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæuiendi plurima genera tum in se ipse cōuoluit, quicquid ardoris emisi edax flāma cruciarit. Hos quibus recusata vox domini, & imperia fuere contēpta, dispatibus coërcet exitiis, proq; merito salutis exactæ, vires suas suggerit, dū pars sceleris discrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curuat, alios per abruptū cliuosi tramitis collē vis sęua præcipitat, & cathenarū stridē tium nexū graue pondus inclinat. sunt & quos agēs strictim rota & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se dēsitate cōstrictos adhærens corpori corpus includat: vt & absumat incendiū, & grauet ferrū, & se cruciet turba multorū, quib⁹ aut inquisitus fuit semper Deus aut notus. Nūquā excidit Christi locus vbi iacet gratia, vbi virētibus cāpis terra luxuriās alūno se induit gramine, & redolēte pascitur flore, vbi altum nemora tolluntur in verticē, & vbi arborē

Rom. 8.

denſior coma veſtit, quicquid curuantibus ramis ſcena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris, nec vt in autūno arua requieſcunt, aut vt iterū vere nouo tellus fœcūda parturiat, vnius cuncta ſunt tēporis, vnius poma feruntur æſtatis. Quippe cū nec menſibus ſuis tunc luna deſeruiat, nec per horarū ſol momēta decurrat, aut in noctē lux fugata cōcedat. Habet populos quies lęta, ſedes tenet placida, vbi fons ſcaturiēs medius ſinu aluei prorumpētis emergit, & rauco per interualla circuitu ſinuoſis flexibus labitur, vt in ora naſcētium ſibi fluminū diuidatur. Hinc ergo magna laus martyrum, hinc nobilis corona victorū, quibus maiora his repromiſſa ſunt, quibus auctiora ſint prędmia. Quod vero vel feris corpus obiicitur, vel imminēs gladius non timetur, dignationis oſtēditur ratio, manifeſtatur electio. Etenim incōgruens fuerat, vt quē ęquum tanti muneris iudicaſſet, inter terrena vitia ſordeſcę retineret. Merito enim nihil vobis ô boni martyres, denegatum, quos ſpes æternitatis alit & lucis, quorumcę deuotio vniuerſa, & mens cæleſti dedita cernitur ſeruituti. Merito inquā, merito vobis nihil velle non licitum, quorum animo deſpectus hic mundus, & alienata ſeculi facies, velut cōfuſa tenebrarū inhorruit cæcitate. Cui ſemper hic mūdus loco carceris, tecta pro clauſtris, inuita ſemper habita commeatus. Sic quippe triumphātibus victoria de his malis rapitur, quem non pompatico greſſu vana ſubiecit ambitio, aut popularis extulit magnitudo, ſed quem cæleſti cupiditate flagrantem ſuo Chriſtus addidit regno. Nihil itaq; tam magnum atque venerandum, quàm quod liberat à morte & facit viuere, & dat perpetuo regnare cū ſanctis. Hoc diuitibus aptum, miſeris neceſſarium, omnibus gratum, quo lætantur boni, releuātur abiecti, coronātur electi. Etenim Deus omniū cultor, velut quoddam martyrio remedium vitæ dedit, quādo aliis illud pro merito eorum tribuit, aliis pro miſericordia ſua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis titulum, fide nobiles veniſſe pleroſq;, vt deuotionis obſequiū mors honeſtaret. Sed & alios frequenter aſpeximus interritos ſtetiſſe, vt admiſſa peccata redimentes, cruore ſuo loti haberentur in ſanguine, & reuiuiſcerēt interempti, qui viuentes computabantur occiſi. Mors quippe integriorem facit vitā: mors amiſſam inuenit gloriā. Nam hoc ſpes iam amiſſa percipitur, hoc ſalus cūcta reparatur. Sic cū arentibus cāpis ſemēta defecerint, & herbis terra moriētibꝰ æſtuarit, ſupinis è collibꝰ fluuiū iuuit elicere, & ſcaturiētibꝰ riuis arua ſitiētia tēperare, quo ſe in vberes culmos victa agri ieiunitas funderet, & pluuiali imbre mētito ſeges denſior inhorreret. Quid igitur, fratres chariſsimi, potiſsimū referā, quidúe dicā? ſic in vnū cōueniētibꝰ titulis dignitatis turbatur animus, deducitur ſenſus, & in ipſo conatu enitētis eloquij impar ſermo vaneſcit? Quid enim dici ſatis poſsit? cū ſi vim æternæ ſalutis expreſſeris, occurrat ambitio: ſi ambitum dixeris, prævenat magnitudo: res ſimulque congruūt, ſimúlque cōcurrūt, nec eſt quod dignum præferendum eſſe videatur. Ita omnis impetus orationis audētis velut implicatos, irretitóſque obuiā ex aduerſo martyrij exēpla tenuerūt. Quæ vox, quę latera, quæ vires inſtar muneris tāti capiāt ſuſtinere? cōfeſsioni vocis vnius, aduerſa ſuccūbūt, læta proueniunt, patēt regna, parātur imperia, deuincitur pœna, mors ſubigitur, vita profertur, & infeſtātis inimici repugnātia arma ſoluuntur. Si delictū eſt, occidit: ſi crimen, abſiſtit. Vnde quęſo vos, hoc veſtris mētibus pōderate, tantūcę de noſtra oratione percipite, quātū ſciatis vos poſſe ſentire. Veniat ante oculos veſtros, qui dies ille ſit, cū ſpectāte populo atq; intuētibus cunctis cōtra terrenas cruces, & minas ſeculi incōcuſſa deuotio reluctetur: quàm ſuſpenſi animi, mētes quæ ſollicitę de ancipiti trepidatione gratulante formidine, pauido quatiantur horrore: quæ illic anxietas, quæ exoptatio precū, quæ vota memorentur, cū adhuc nutāte victoria, atq; in incertos exitus caſu victrix capiti

piti coronã depẽdeat. Cũq; illa peſtilens ac furibunda confeſsio accendatur ira, inflãmetur inſania, omni denique pectoris rabie ac minis frendentibus torreatur. Etenim quantũ hoc ſit quis ignorat? vt nõ doloribus vulnerũ, nõ ictibus quæſtionũ, velut deſpecta noſtra fragilitas, & humanę virtutis inopinata cedat audacia: ſtare hominem nec moueri, torqueri, nec tamẽ vinci, ſed pœna ipſa potius qua cruciatur armari. Conſiderate quid ſit, chariſsimi fratres, omnemq́ue martyrij firmitatẽ ſenſibus veſtris animíſq; proponite. Ecce enim in cuiuſlibet paſsione vocati gaudent, iampridẽ acciti è ſeculo martyres, gaudent bonorum omnium nuncij, gaudent pariter electi, ibi lætatur milite ſuo dominus, lętatur teſte nominis ſui Chriſtus. Parum eſt quod dico, fratres chariſsimi, parũ eſt, ita magna mihi ratio in hoc genere dicẽdi, ac moles admirãda ſuſcepta: ſed arbitrij, quęſo vos, grauitas ab intentione propria non deſit, ſciẽs tantũ de martyrio poſſe dici, quãtum potuerit æſtimari. Vnde & hæc ſola exequendæ laudis fuit cauſa, nõ quo parem me gloriæ eius atque idoneum iudicarem, ſed quod tantã in illo cernerẽ eſſe virtutem, vt & ſi parum de eo dicerem, plurimũ me dixiſſe profiterer. Nam pręferatur licet bono fidei cuſtodita iuſtitia, melioręq; ſe inter omniũ laudes virginitas immaculata cognoſcat: cedat tamẽ ſanguini, ſummittatur cruori, illi elegerunt bonum, hi imitati ſunt Chriſtũ. Nũc vero chariſsimi fratres, ne quis me arbitretur omnem ſalutem, nõ in alio ſtatu quàm in martyrio collocaſſe, hoc primo profecto reſpiciat, neq; me tantum eſſe qui loqui videor, neq; ita ſe habere ordinem rerũ, vt immortalitatis ſpes repromiſſa, vnius partis latere nitatur. Sed quoniam ita dominus ſuo ore teſtatus eſt, eſſe habitacula penes patrem multa: nihil maius credidi ea gloria, qua probãtur hic homines, qui ſeculari indigni ſunt vita. Igitur chariſsimi fratres, æmula religione certantes, velut incentiuo quodam mercedis agitati, omnem virium copiam tolerantiamq́; ſubeamus. Non enim mouere nos debẽt caduca, quæ ſemper, in euerſionem ſuam non modo lege propoſita, ſed etiam ipſo fine temporis vrgẽtur. Exclamat Iohannes & dicit, *Iam quidem ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* monſtrans ſcilicet & oſtendens, vltimam eſſe rerum omnium ſenectutem. Sed & ipſe dominus, *Ambulate,* inquit, *dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehẽdant.* Quod ſi illo tempore ambulandum nobis eſſe prædixit, quæ vtique vt nos magis ambularemus oſtẽdit, atque vt ad laudẽ martyrij redeam, vox eſt beatiſsimi Pauli dicẽtis, *Neſcitis quoniam qui in agone currũt, multi certant, vnus autem accipit palmã? vos autẽ ſic currite, vt omnes coronemini.* Sed & alibi quod ad martyriũ poſſit hortari, cohęredes nos Chriſti vocauit, quinetiam ne quid omitteret, *Si cũ Chriſto,* inquit, *cõmortui eſtis, quid tanquam viuentes in hoc mũdo decernitis?* Etenim chariſsimi fratres, qui reſurrectionis præmia ſuſtinemus, qui iudicij diẽ quęrimus, qui denique cum Chriſto regnaturos nos eſſe cõfidimus, ſeculo mortui eſſe debemus. Nec poteris optare martyrium, niſi ante oderis ſeculũ: nec peruenire ad Dei præmium, niſi amaueris Chriſtũ: qui autẽ amat Chriſtũ, nõ amat ſeculũ. Chriſtus enim abiectus eſt ſeculo, ſicut & ſeculũ Chriſto. Ita vt ſcriptũ eſt, *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* Nemini amabilis fuit mundus, quẽ non ante dãnauerit dominus: nec ſalute frui potuit ęterna, qui mũdi gloriatus eſt vita. vox eſt iſta Chriſti dicentis, *Qui in hoc ſeculo amauerit animã ſuã, in futuro perdet illã: qui autẽ in hoc ſeculo oderit illam, in futuro inueniet eã.* Sed & Apoſtolus Paulus, *Imitatores,* inquit, *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Et alibi ipſe, *Volo vos omnes,* ait, *ſi fieri poteſt, imitatores meos eſſe.* Dixit hoc ille qui paſſus eſt, & qui ad hoc paſſus eſt, vt imitaretur dominũ, vtiq; & nos ad hoc voluit pati, vt per ipſum imitaremur Chriſtũ. Si iuſtus es & deo credis, quid pro eo ſanguinẽ fundere metuis, quẽ pro te toties paſſum eſſe cognoſcis? in Eſaia ſectus, in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Ioſeph venundatus, in ho-

Matth.3. Ioan.12. I.Cor.9. Rom.8. Gala.6. Matth.10. I.Cor.4.

mine crucifixus est: & de ceteris quidem taceo, quæ nec oratio potest dicere, nec animus sustinere: vincitur conscientia humilitatis exemplo, & quando considerat quæ dum pateretur acciderint, miratur passum propter quē cuncta trepidarint. Dies fugit in noctem, in tenebras lux cuncta concessit, atque inclinato per alternas vices pondere, omnis terra commota dissoluitur: turbati manes, monimenta aperta sunt, & sepulchris hiatu dehiscentibus terræ, reddita luci corpora restituerūt, fluxu sanguinis mūdus intremuit, scissa quæ foribus dependebant vela, templum omne mugiit, qui moriendo arguit seculum. Igitur cum ad exemplum dominicæ passionis, atque ad omne testimonium Christi animam tuam ponas, nec fundere sanguinem metuas: martyrio totum necesse est cedat, martyrij inestimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæstimabilis titulus, triūphus immensus. Quippe quo & propria confitentis laude præfertur, velut socio Christi cruore decoratus. Itaque charissimi fratres, licet sit hoc totū dominicæ promissionis & muneris, licetque tribuatur ex alto, nec capiatur, nisi eius imperio, sed nec aut mente concipi, aut exprimi verbis, aut oratione percurri, aut quibuslibet eloquentiæ viribus possit impleri: tamen erit hoc beneuolentiæ vestrę, erit charitatis & amoris, si volueritis nostri memores esse, cum in vobis dominus martyriū cœperit honorare: vos intra se sanctū illud altare, vos intra se magna illa venerandi nominis sedes, veluti sinu quodam gremij amplectentis includit, vos imperia perennis tēporis sustinent, & illic conregnaturi semper & victuri. O beati, quibus vere sint dimissa peccata, si tamen qui Christi compares estis, aliquando peccastis. O beati, quos à primordio mūdi domini sanguis infecit, & quos merito splendor iste niuei amictus induerit, & candor stolæ ambientis ornarit. Videor deniq; ipse mihi iam cernere, proq; arbitrio mentis humanę ante oculos & aspectum diuinum illud mihi & insigne concurrit. Videor, inquam, mihi iam cernere, vt ille virorum nobilis numerus Christi sui gloriā iterq; comitetur. Ibit ante ora eius, felix caterua victorū, & se dēsantibus turmis, velut solis exortu totum inluminatū agmen inferet potestatem. Et vtinā perabiecto mihi istud videre contingat, sed hoc dominus poterit efficere, quod vobis petentibus creditur non negare.

ARGVM. *Ad Iubaianum de baptismo hæreticorum.*

CYPRIANVS, IVBAIANO FRATRI, SALVTEM. LXX.

SCRIPSISTI mihi frater charissime, desiderans significari tibi motum animi nostri, quid nobis videatur de hereticorum baptismo, qui foris positi & extra ecclesiam constituti, vindicant sibi rē nec iuris sui, nec potestatis. Quod nos nec ratum possumus nec legitimum iudicare, quando hoc apud eos esse constet inlicitum. Et quoniam super hac re quid sentiremus, literis nostris expressimus, vt compendiū facerem, exēplum earundem literarum tibi misi, quid in concilio cum complures adessemus, decreuerimus, quid item postea Quinto collegæ nostro de eadem re quærenti rescripserimus. Et nunc quoque cum in vnum conuenissemus tam prouinciæ Africæ, quàm Numidiæ episcopi, numero septuaginta & vnus, hoc idem denuo sententia nostra firmauimus, statuentes vnum esse baptisma, quod sit in ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari à nobis. Quicunq; ergo ab adultera & profana aqua veniunt, abluendi sunt, & sanctificandi salutaris aquæ veritate. nec nos mo-

uet

uet frater chariſsime, quod in literis tuis complexus es, Nouatianenſes rebaptizare eos quos à nobis ſollicitãt, quãdo ad nos omnino nõ pertineat, quid hoſtes eccleſiæ faciant, dummodo teneamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem & rationis ac veritatis firmitatem. nam Nouatianus ſimiarũ more, quæ cum homines non ſint, humana tamen imitantur, vult eccleſiæ catholicę auctoritatem ſibi & veritatẽ vindicare, quando ipſe in eccleſia non ſit, immo adhuc inſuper contra eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit. Sciens etenim vnũ eſſe baptiſma, hoc vnum ſibi vindicat, vt apud ſe eſſe eccleſiam dicat, & nos hæreticos faciat. nos autem qui eccleſiæ vnius caput & radicem tenemus, pro certo ſcimus & fidimus nihil illi extra eccleſiam licere, & baptiſma quod eſt vnum, apud nos eſſe, vbi & ipſe baptizatus prius fuerat, quando diuinæ vnitatis & rationem & veritatem tenebat. Quod ſi in eccleſia baptizatos rebaptizandos foris extra eccleſiam Nouatianus exiſtimat, à ſe incipere debuerat, vt prior extraneo & hęretico baptiſmo rebaptizaretur, qui poſt eccleſiã, immo & contra eccleſiam baptizandos foris opinatur. Quale eſt autem vt quia hoc Nouatianus facere audet, nos putemus non eſſe faciendum? Quid ergo? quia & honorẽ cathedrę ſacerdotalis Nouatianus vſurpat, num idcirco nos cathedræ renunciare debemus? aut quia Nouatianus altare collocare, & ſacrificia offerre contra fas nititur, ab altari & ſacrificiis ceſſare nos oportet, ne paria & ſimilia cum illo celebrare videamur? Vanum prorſus & ſtultum eſt, vt quia Nouatianus extra eccleſiam vindicat ſibi veritatis imaginem, relinquamus eccleſiæ veritatem. Apud nos autem non noua, aut repentina res eſt, vt baptizandos eos cenſeamus qui ab hęreticis ad eccleſiam veniunt, quãdo multi iam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro conuenientes in vnum, epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt, atque exinde in hodiernum tot milia hæreticorum in prouinciis noſtris ad eccleſiam conuerſi, nõ aſpernati ſint, neq; cũctati, immo & rationabiliter & libenter amplexi ſint, vt lauacri vitalis & ſalutaris baptiſmi gratiã cõſequerentur. Neq; enim difficile eſt doctori, vera & legitima inſinuare eis qui hęretica prauitate dãnata, & eccleſiaſtica veritate cõperta, ad hoc veniunt vt diſcãt, ad hoc diſcunt vt viuãt. nos non debemus ſtuporẽ hæreticis patrocinio cõſenſus noſtri augere, cũ libẽter ac prõpte obtẽperent veritati. Plane quoniam inueni in epiſtola, cuius exẽplum ad me trãſmiſiſti, ſcriptum eſſe, quod quærendũ non ſit quis baptizauerit, quando is qui baptizatus ſit, accipere remiſſam peccatorũ potuerit ſecundũ quod credidit, prætereundũ hũc locũ non putaui, maxime cũ in eadem epiſtola animaduerterim etiam Marcionis fieri mentionem, vt nec ab ipſo veniẽtes dicat baptizari oportere, quod iam in nomine Ieſu Chriſti baptizati eſſe videantur. Conſiderare itaq; debemus fidem eorũ qui foris credunt, an ſecundum eandẽ fidem poſsint aliquid gratiæ conſequi. Nam ſi fides vna eſt nobis & hæreticis, eſſe poteſt & gratia vna. Si eundem patrem, eundem filium, eundem ſpiritum ſanctũ, eandem eccleſiã confitentur nobiſcũ Patripaſsiani, Anthropiani, Valẽtiniani, Appelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, & ceteræ hæreticorũ peſtes, & gladiis ac venenis ſubuertẽtes veritatẽ, poteſt illic & baptiſma vnum eſſe, ſi eſt & fides vna. Ac ne longũ ſit per hęreſes vniuerſas decurrere, & ſingularum vel ineptias vel inſanias recenſere, quia nec delectat id dicere, quod aut horret aut pudet noſſe, de Marcione interim ſolo cuius mentio in epiſtola à te ad nos trãſmiſſa facta eſt, examinemus, an poſsit baptiſmatis eius ratio cõſtare. Dominus enim poſt reſurrectionem diſcipulos ſuos mittens, quemadmodũ baptizare deberent, inſtituit & docuit dicens, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: ite ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.* Inſinuat trinitatem, cuius ſacramento gentes baptizarentur. Nunquid hanc tri- Matth. 28.

nitatem Marcion tenet? nunquid eundem asserit quem & nos, Deum patrem creatorem? nunquid eundem vnum filium Christum, de Maria virgine natum, qui sermo caro factus est, qui peccata nostra portauerit? qui mortem moriendo vicerit? qui resurrectionem carnis per semetipsum initiauerit, & discipulis suis qui in eadem carne resurrectionem ostenderit? Longe alia est apud Marcionem, sed & apud ceteros hæreticos fides: immo nihil est apud illos, nisi perfidia & blasphemia, & contentio sanctitatis & veritatis inimica. Quomodo ergo potest videri qui apud illos baptizatur, consecutus esse peccatorum remissam, & diuinę indulgentiæ gratiam per suam fidem, qui ipsius fidei non habuerit veritatem? Si enim sicut quibusdam videtur, secundum fidem suam quis accipere aliquid foris extra ecclesiam potuit: vtique id accepit, quod credidit: falsum a utẽ credens, verũ accipere non potuit, sed potius adultera & profana secundum quod credebat accepit. Quem locũ profani & adulteri baptismi, subtiliter Hieremias propheta perstringit dicens,

Hiere.15. *Vt quid qui contristant me prævalent? Plaga mea solida est: Vnde sanabor? Dum fit, facta est mihi quasi aqua mendax, non habens fidem.* Mentionem facit per prophetã spiritus sanctus aquæ mendacis, & fidẽ non habentis, quæ est hæc aqua mendax & perfida? vtique ea quæ baptismi imaginem mentitur, & gratiam fidei adumbrata simulatione frustratur. Quod si secundum prauam fidem baptizari aliquis foris, & remissam peccatorum consequi potuit, secundum eandem fidem consequi & spiritum sanctũ potuit. Et non est necesse ei venienti manum imponi, vt spiritum sanctum consequatur & signetur. Aut vtrunque enim fides de suo foris consequi potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat, accepit. Manifestum est autem, vbi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primũ dominus, super quem ædificauit ecclesiam, & vnde vniuersitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cælis, quod ille soluisset in terris. Et

Ioan.20. post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insprauit, & ait illis, Accipite spiritum sanctum. Si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius retinueritis, tenebuntur.* Vnde intelligimus, nõ nisi in ecclesia præpositis, & in euangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare: foris autem nec ligari aliquid posse, nec solui, vbi non sit qui aut ligare possit aut soluere. Nec hoc frater charissime, sine scripturæ diuinæ auctoritate proponimus, vt dicamus certa lege ac propria ordinatione diuinitus cuncta esse disposita: nec posse quenquam contra episcopos & sacerdotes

Numer. 16. vsurpare sibi aliquid, quod non sit sui iuris & potestatis. Nam & Chore, & Dathan & Abiron contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vindicare conati sunt: nec tamen quod inlicite ausi sunt, impune fe-

Leui.10. cerunt. Et filij Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, in conspectu statim domini indignantis extincti sunt. Quod suppliciũ manet eos qui alienam aquam baptismo inferunt falso, vt diuina censura vlciscatur, & vindicet id hæreticos contra ecclesiam gerere, quod nõ nisi soli liceat ecclesiæ. Quod autem dicunt quidam de eis qui in Samaria baptizati fuerant, aduenientibus

Act.8. apostolis Petro & Iohanne, tantũ super eos manũ impositã esse, vt acciperẽt Spiritum Sanctũ, rebaptizatos tamen eos nõ esse: locũ istum frater charissime, ad prẽsentẽ causam videmus omnino nõ pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intus in ecclesia, quæ vna est, & cui soli gratiã baptismi dare, & peccata soluere permissum est, à Philippo diacono quem iidem apostoli miserant, baptizati erãt. Et idcirco quia legitimum & ecclesiasticum baptismũ consecuti fuerant, baptizari eos vltra non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Iohanne factũ est, vt oratione

tione pro eis habita,& manu impoſita,inuocaretur & infunderetur ſuper eos ſpiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur,vt qui in eccleſia baptizantur, per præpoſitos eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem ſpiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur. Non eſt ergo frater chariſsime quod hæreticis cedendum exiſtimemus, vt baptiſma quod non niſi vni & ſoli eccleſiæ datum ſit, prodendum putemus. Boni militis eſt, aduerſus rebelles & hoſtes imperatoris ſui caſtra defendere:glorioſi ducis eſt, ſibi commiſſa ſigna ſeruare. Scriptum eſt, *Dominus Deus tuus Deus zelans eſt*: qui ſpiritum Dei accepimus, zelum diuinæ fidei habere debemus. Quo zelo Phinees placuit,& Deum promeritus,indignãtis iram populo pereunte leniuit. Quid adulteram & alienigenam & diuinæ vnitatis inimicam in acceptũ referimus, qui non niſi vnum Chriſtum & vnam eius eccleſiam nouimus? Eccleſia paradiſi inſtar exprimẽs arbores fructiferas intra muros ſuos intus incluſit, ex quibus quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor fluminibus,id eſt,euangeliis quatuor,quibus baptiſmi gratiam ſalutari & cęleſti inundatione largitur. Nunquid de eccleſiæ fontibus rigare poteſt, qui intus in eccleſia non eſt? nunquid paradiſi potus ſalubres & ſalutares impertire cuiquam poteſt,qui peruerſus & à ſemetipſo damnatus,& extra paradiſi fontes relegatus aruit,& æternæ ſitis ſiccitate defecit? Clamat dominus, vt qui ſitit,veniat & bibat de fluminibus aquæ viuę,quę de eius ventre fluxerunt. Quo venturus eſt,qui ſitit.vtrúmne ad hærcticos,vbi fons & fluuius aquæ vitalis omnino non eſt? an ad eccleſiam quæ vna eſt, & ſuper vnum qui & claues eius accepit,domini voce fundata eſt?Hęc eſt vna,quæ tenet & poſſidet omnem ſponſi ſui & domini poteſtatem:in hac præſidemus,pro honore eius atque vnitate pugnamus:huius & gratiam pariter & gloriam fidei deuotione defendimus.Nos diuino permiſſu rigamus ſitientem Dei populum,nos cuſtodimus terminos vitalium fontium. Si poſſeſsionis noſtræ ius tenemus, ſi ſacramentum vnitatis agnoſcimus,cur pręuaricatores veritatis,cur proditores vnitatis exiſtimamur? Aqua eccleſiæ fidelis & ſalutaris & ſancta corrumpi & adulterari non poteſt,ſicut & ipſa eccleſia incorrupta,& caſta,& pudica eſt.Et ſi eccleſiæ deuoti,& in eccleſia conſtituti ſunt hæretici,poſſunt & baptiſmo eius,& ceteris ſalutaribus bonis vti: ſi autem in eccleſia non ſunt, immo & contra eccleſiam faciunt, quomodo baptizare baptiſmo eccleſiæ poſſunt? neq; enim parua res hæreticis & modica conceditur,quando à nobis baptiſma eorum in acceptum refertur:cum inde incipiat omnis fidei origo,& ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſsio, & purificandis ac viuificandis Dei ſeruis diuina dignatio. Nam ſi baptizari quis apud hæreticos potuit, vtique & remiſſam peccatorũ conſequi potuit: ſi peccatorum remiſſam conſequutus eſt,& ſanctificatus eſt:ſi ſanctificatus eſt,tẽplum Dei factus eſt:quæro cuius Dei? ſi creatoris, non potuit,qui in eum non credidit:ſi Chriſti, nec huius fieri potuit templum, qui negat dominum Chriſtum: ſi ſpiritus ſancti, cum tres vnum ſint, quomodo placatus ei eſſe potuit, qui aut patris, aut filij inimicus eſt? Proinde fruſtra quidam,qui ratione vincuntur,conſuetudinem nobis opponunt:quaſi conſuetudo maior ſit veritate,aut non id ſit in ſpiritalibus ſequendum, quod in melius fuerit à ſancto ſpiritu reuelatum. Ignoſci enim poteſt ſimpliciter erranti,ſicut de ſeipſo dicit beatus apoſtolus Paulus, *Qui primo*,inquit,*fui blaſphemus,& perſecutor,et iniurioſus:ſed miſericordiam merui,quia ignorans feci*.Poſt inſpirationem vero & reuelationem factam,qui in eo quod errauerat, perſeuerat,prudens & ſciens ſine venia ignorantiæ peccat:pręſumptione enim atque obſtinatione quadam nititur,cum ratione ſuperatur. neque quiſquam dicat, Quod accepimus ab apoſtolis, hoc ſequi-

Deut. 4. Numer.25. Matth.3. Ioan.7. 1.Timo.1.

mur, quando apoſtoli non niſi vnam eccleſiam tradiderunt: & baptiſma vnum, quod non niſi in eadem eccleſia ſit conſtitutum: & neminem inueniamus ab apoſtolis, cum apud hæreticos baptizatus eſſet, in eodem baptiſmate admiſſum eſſe, & communicaſſe, vt videantur apoſtoli baptiſma hæreticorum probaſſe. Quod enim quidam dicunt, quaſi ad hæreticorum ſuffragium pertineat, quod dixerit Apoſtolus Paulus, *Veruntamen omnimodo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur*: inuenimus hoc quoque ad eorum patrocinium qui hęreticis ſuffragãtur & plaudunt, nihil poſſe proficere. Neque enim de hæreticis, aut de eorum baptiſmo loquebatur in epiſtola ſua Paulus, vt aliquid quod ad hanc rem pertineat, poſuiſſe oſtendatur. Loquebatur de fratribus ſiue inordinate & contra eccleſiaſticam diſciplinam ambulantibus, ſiue euangelicam veritatem de Dei timore ſeruantibus. Et quoſdam ex eis poſuit verbum domini conſtanter atq; intrepide loquutos, quoſdam vero in inuidia & diſſenſione verſatos, quoſdam ſeruaſſe circa ſe beneuolam charitatem, aliquos vero habuiſſe maleuolam diſſenſionem: tamen patienter omnia ſe ſuſtinere, dummodo ſiue in veritate, ſiue per occaſionem nomen Chriſti, quod Paulus prædicabat, ad plurimorum notitiam peruenireret, & noua adhuc ac rudis ſermonis ſeminatio loquentium prædicatione crebreſceret. Porrò aliud eſt, eos qui intus in eccleſia ſunt, de nomine Chriſti loqui: aliud eſt eos qui foris ſunt & contra eccleſiam faciunt, in nomine Chriſti baptizare. Quare qui hæreticis patrocinãtur, non id proferunt, quod Paulus de fratribus poſuit, ſed oſtendant ſi hæretico aliquid concedendum putauit, aut ſi fidem & baptiſma eorum probauit, aut ſi perfidos & blaſphemos remiſsionem peccatorum accipere extra eccleſiam poſſe conſtituit. Si autem quid apoſtoli de hæreticis ſenſerint, conſideremus, inueniemus eos in omnibus epiſtolis ſuis execrari & deteſtari hæreticorum ſacrilegam prauitatem. Nam cum dicant ſermonem eorum vt cancer ſerpere, quomodo poteſt is ſermo dare remiſſam peccatorum, qui vt cancer ſerpit ad aures audientiũ? Et cum dicant nullam participationem eſſe iuſtitię & iniquitati, nullam communionem lumini & tenebris, quomodo poſſunt aut tenebrę illuminare, aut iniquitas iuſtificare? Et cum dicant de deo eos non eſſe, ſed eſſe de antichriſti ſpiritu, quomodo gerunt ſpiritalia & diuina tractant qui ſunt hoſtes dei, & quorum pectora obſederit ſpiritus antichriſti? Quare ſi reiectis humanæ cõtentionis erroribus, ad euangelicam auctoritatem atque ad apoſtolicam traditionem ſincera & vera & religioſa fide reuertamur, intelligemus nihil eis ad gratiam eccleſiaſticam & ſalutarem licere, qui ſpargentes atq; impugnantes eccleſiam Chriſti, à Chriſto ipſo aduerſarij, ab apoſtolis eius antichriſti nominentur. Non eſt autem quod aliquis ad circumueniendam Chriſtianam veritatem, Chriſti nomen opponat, vt dicat: In nomine Ieſu Chriſti vbicunque & quomodocunque baptizati, gratiam baptiſmi ſunt conſequuti, quando ipſe Chriſtus loquatur, & dicat, *Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorum:* & iterum præmoneat & inſtruat, ne quis à pſeudoprophetis, & pſeudochriſtis in nomine ſuo facile fallatur, *Multi*, inquit, *venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent:* & poſtea addidit, dicens, *Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia:* vnde apparet, non ea ſtatim ſuſcipienda & adſumenda quæ iactantur in nomine Chriſti, ſed quæ geruntur in Chriſti veritate. Quod enim in euangeliis & apoſtolorum epiſtolis Ieſu Chriſti nomen inſinuatur ad remiſsionem peccatorum, non ita eſt quaſi aut ſine patre, aut contra patrem prodeſſe cunquam ſolus filius poſsit, ſed vt Iudæis qui iactitabant ſe patrem habere, oſtenderetur, quod nihil eis pater profuturus eſſet, niſi in filium crederent, quem ille miſiſſet. nam qui Deum creatorem patrem ſciebant, filium quoque Chriſtum ſcire debebant, ne ſibi

Philip. 1.

Matth. 7.

Marci 13.

blandi-

blandirentur & plauderent de solo patre sine filij eius agnitione, qui & dicebat, *Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Duorum autem cognitionem esse, quæ saluet, idē ipse manifestat, dicens, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum & verū Deum, & quem misisti Iesum Christū.* Cū ergo & ipsius Christi prędicatione & cōtestatione pater ante cognoscendus sit qui misit, tunc deinde Christus qui missus est: nec possit esse spes salutis, nisi duobus simul cognitis, quomodo nō cognito, immo & blasphemato deo patre, qui apud hæreticos Christi nomine baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti iudicātur? Alia enim fuit Iudæorum sub apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi, quia iam legis & Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Iesu Christi erant baptizandi, secundum quod in Actis apostolorum Petrus ad eos loquitur & dicit, *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est promissio & filiis vestris, & omnibus deinceps quoscunque aduocauerit dominus Deus noster.* Iesu Christi mentionē facit Petrus, non quasi pater omitteretur, sed vt patri quoque filius adiungeretur. Denique vbi post resurrectionem à domino, apostoli ad gentes mittuntur, in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizari gentiles iubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra ecclesiam, immo & contra ecclesiam modo in nomine Iesu Christi vbicunque & quomodocunque gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena & adunata trinitate? nisi si qui Christum negat, negatur à Christo, qui patrem eius negat, quem ipse Christus confessus sit, non negatur, & qui in eum blasphemat, quem Christus dominum & Deum suum dixerit, remuneratus à Christo, remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem consequitur. Qua autem potestate consequi in baptismo remissionem peccatorum potest, negans Deum creatorem patrem Christi, quando ipsam potestatem qua baptizamur & sanctificamur ab eodem patre Christus acceperit, quem maiorem dixerit, à quo clarificari petierit, cuius voluntatem vsque ad obsequium bibendi calicis, & subeundæ mortis impleuerit? Quid est igitur aliud quàm participem hæreticis blasphemantibus fieri, defendere velle & adserere, quod remissam peccatorū accipere in Christi nomine possit, blasphemans grauiter & peccans in patrem & dominum Deum Christi? Quid deinde illud, quale est, vt qui filium negat, neque patrem habeat, & qui negat patrem, filium habere videatur? cum filius ipse contestetur & dicat, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit illi datum à patre:* vt manifestum sit, nullam remissionem peccatorum in baptismo accipi à filio posse, quam constet patrem non dedisse, maxime quando adhuc idem repetat & dicat, *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Quod si Christi discipuli discere à Christo nolunt, quantum venerationis & honoris paterno nomini debeatur, vel de exemplis terrenis & secularibus discant, ac sciant, Christum non sine maxima exprobratione posuisse, *Filij seculi huius prudentiores sunt filiis lucis in seculo isto.* Si cuius patri aliquis conuicium fecerit, si contumeliosus & procax pudorem eius & honorem maledico ore lacerauerit, indignatur filius & irascitur, & læsi patris iniuriam quibus potest viribus vindicare conatur. Tu Christum putas impiis & sacrilegis, & in patrem suum blasphemis impunitatem dare, & eis in baptismo peccata dimittere? Quos constet baptizatos, eadem adhuc in personam patris maledicta congerere, & incessabili blasphemantis linguæ scelere peccare? hoc Christianus, hoc Dei seruus potest, aut mente cōcipere, aut fide credere, aut sermone proferre? & vbi erunt legis præcepta diuinæ, quæ dicunt, *Honora patrem & matrem,* si vocabulum patris quod in homine honorari præcipitur, in deo impune violatur?

Ioan. 14. & 17.

Act. 3.

Ioan. 6.

Lucæ 16.

Exod. 20. Matth. 10.

Matth.5. Vbi erit quod ipſe Chriſtus in euangelio ponit & dicit? *Qui maledixerit patrẽ aut matri, morte moriatur:* ſi is qui maledicentes parentibus carnalibus puniri & interfici mandat, in cæleſtem & ſpiritalem patrem maledicos atque eccleſiæ matris inimicos ipſe viuificat? Execranda ac deteſtanda res à quibuſdã prorſus adſeritur, vt is qui blaſphemantẽ in ſpiritum ſanctum reum futurũ peccati æterni comminetur, idem in patrem Deum blaſphemos ſalutari baptiſmo ſanctificare dignetur. Et nunc qui talibus ad eccleſiam venientibus ſine baptiſmo communicandum exiſtimant, non putant ſe alienis, immo æternis peccatis communicare, admittentes ſine baptiſmo eos qui non niſi in baptiſmo poſsint baſphemiarum ſuarum peccata deponere. Quàm vanum eſt porro & peruerſum, vt cum ipſi hæretici repudiato & relicto vel errore, vel ſcelere in quo prius fuerant, agnoſcant eccleſiæ veritatem, nos eiuſdem veritatis iura & ſacramenta mutilemus, & venientibus ac pœnitentibus dicamus, eos remiſsionem peccatorum conſecutos eſſe, quãdo illi ſe peccaſſe, & propter hoc ad eccleſiæ indulgentiam venire fateantur? Quare eccleſiæ catholicæ fidem ac veritatem frater chariſsime, & tenere debemus firmiter, & docere, & per omnia euangelica & apoſtolica præcepta rationem diuinæ diſpẽſationis atque vnitatis oſtendere. Nunquid poteſt vis baptiſmi eſſe maior, aut potior quàm cõfeſsio? quam paſsio? vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur? & tamen nec hoc baptiſma hęreticis prodeſt, quanuis Chriſtum confeſsi, & extra eccleſiam fuerint occiſi, niſi ſi hæreticorum patroni & aduocati hæreticos in falſa confeſsione Chriſti interfectos, martyres prædicant, & contra apoſtoli conteſtationem, qui nihil eos quanuis exuſtos & occiſos dicit poſſe proficere, gloriam eis & coronam paſsionis aſsignant. Quod ſi hæretico nec baptiſma publicæ confeſsionis & ſanguinis proficere ad ſalutem poteſt, quia ſalus extra eccleſiã non eſt, quanto magis ei nihil proderit, ſi in latebra & in latronum ſpelunca adulterę aquę contagione tinctus, non tantum peccata antiqua non expoſuerit, ſed adhuc potius noua & maiora cumulauerit? Quare baptiſma nobis & hęreticis commune non poteſt eſſe, cum quibus nec pater Deus, nec Chriſtus filius, nec ſpiritus ſanctus, nec fides nec eccleſia ipſa communis eſt: & ideo baptizari eos oportet, qui de hæreſi ad eccleſiam veniunt, vt qui legitimo & vero atque vnico ſanctæ eccleſiæ baptiſmo ad regnum Dei regeneratione diuina præparantur, ſacramento vtroque naſcantur, quia ſcriptum eſt, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Quo in loco quidam quaſi euacuare poſsint humana argumentatione, prædicationis euangelicæ veritatem, catechumenos nobis opponunt, ſi quis ex eis antequam in eccleſia baptizetur, in confeſsione nominis adprehenſus fuerit & occiſus, an ſpem ſalutis, & pręmium confeſsionis amittat, eo quod ex aqua prius non ſit renatus. Sciant igitur eiuſmodi homines ſuffragatores & fautores hæreticorum, catechumenos illos primo integram fidem & eccleſiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis caſtris, cum plena & ſincera dei patris, & Chriſti & Spiritus ſancti cognitione procedere: deinde nec priuari baptiſmi ſacramento, vtpote qui baptizentur glorioſiſsimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & dominus dicebat, habere ſe aliud baptiſma baptizari: ſanguine autem ſuo baptizatos, & paſsione ſanctificatos conſummari, & diuinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in euangelio idem dominus, quando ad latronem in ipſa paſsione credentem & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo pollicetur. Quapropter qui fidei & veritati præſumus, eos qui ad fidẽ & veritatem veniunt, & agentes pœnitentiam remitti ſibi peccata depoſcunt, decipere non debemus & fallere, ſed correctos à nobis ac reformatos ad regnum cælorum diſciplinis cæleſti-

Ioan .3.

Iucæ 11.

Ibid. 13.

bus

bus erudire. Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum, de hæresi ad ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt? Potens est dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi, in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter atque obstinate contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari. Nec quisquam existimet hæreticos, eo quod illis *Baptismata*, opponitur, quasi secundi baptismi vocabulo scandalizatos, vt ad ecclesiam veniant retardari: immo vero hoc ipso magis ad necessitatem veniendi testimonio ostensæ sibi & probatæ veritatis adiguntur. Nam si viderint iudicio & sententia nostra id decerni & statui, vt baptisma iustum & legitimum computetur, quo illic baptizantur, putabunt se ecclesiam quoq; & cetera ecclesiæ munera iuste & legitime possidere: nec erit causa veniendi ad nos, quando habentes baptisma, habere videantur & cetera. Porrò autem cum cognoscunt baptisma nullum foris esse, nec remissam peccatorum extra ecclesiam dari posse, auidius ad nos & promptius properant, & munera & dona matris ecclesiæ implorant, certi peruenire se omnino non posse ad veram diuinæ gratiæ pollicitationem, nisi prius venerint ad ecclesiæ vnitatem. Nec recusabunt baptizari apud nos hæretici legitimo & vero ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoque à Paulo eos qui iã baptismo Iohãnis baptizati fuissent, sicut legimus in Actis apostolorum. Et nunc apud quosdam de nostris hæreticorum baptisma occupatum adseritur, & inuidia quadam quasi rebaptizandi baptizare post hostes Dei nefas ducitur, cum baptizatos inueniamus quos Iohãnes baptizauerat. Ille Iohannes maior inter prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Heliæ spiritu & virtute subnixus: qui non aduersarius domini, sed præcursor ac prædicator fuit: qui dominum non tantum verbis prænunciauit, sed & oculis ostendit: qui ipsum Christum per quem baptizantur ceteri, baptizauit. Quod si idcirco hæreticus ius baptismi obtinere potuit, quia prior baptizauit, non possidentis erit iã baptisma, sed occupantis: & cum separari à se & diuidi omnino nõ possint baptisma & ecclesia, qui occupare baptisma prior potuit, & ecclesiam pariter occupauit. Et ineipis tu illi hæreticus videri, qui præuentus posterior esse cœpisti, qui cedendo ac manus dando ius quod acceperas, reliquisti. Quàm periculosum autem sit in diuinis reb⁹, vt quis cedat iure suo & potestate, scriptura sancta declarat in Genesi, cum Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere postmodum id potuerit quod semel cessit. Hæc tibi breuibus pro nostra mediocritate rescripsimus frater charissime, nemini prescribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque episcoporum quod putat, faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis & coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & dominicam pacem tenemus, maxime cum & Apostolus dicat, *Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.* Seruatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotij. Propter hoc etiam nunc libellum de Bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente domino, & inspirante conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione trãsmisimus. Opto te frater charissime semper bene valere.

Act. 19.

Gen. 25.

1. Corin. 11.

ARGVM. Ad Quintum de hæreticis baptizandis.

CYPRIANVS, QVINTO FRATRI, SALVTEM. LXXI.

RETVLIT ad me, frater chariſsime, Lucianus com presbyter noſter, te deſideraſſe, vt ſignificaremus tibi, quid ſentiamus de his qui apud hæreticos & ſchiſmaticos baptizati videantur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coëpiſcopi cum compresbyteris qui aderant cenſuerimus, vt ſcires, eiuſdem epiſtolæ exemplum tibi miſi. Neſcio qua etenim præſumptione ducuntur quidam de collegis noſtris, vt putent eos qui apud hæreticos & ſchiſmaticos tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quòd dicant vnum baptiſma eſſe, quod vnum ſcilicet in eccleſia catholica eſt, quia eccleſia vna eſt, & eſſe extra eccleſiam baptiſma non poteſt. Nam cum duo baptiſmata eſſe non poſsint, ſi hæretici vere baptizant, ipſi habent baptiſma. Et qui illis hoc patrocinium præſtat de auctoritate ſua, cedit illis & conſentit, vt hoſtes & aduerſarij Chriſti habere videantur abluendi & purificandi & ſanctificandi hominis poteſtatem. Nos autem dicimus, eos qui inde veniunt non rebaptizari apud nos, ſed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid vbi nihil eſt, ſed veniunt ad nos vt hic accipiant, vbi & gratia & veritas omnis eſt, quia & gratia & veritas vna eſt. Porrò autem quidam de collegis noſtris malunt hæreticis honorem dare, quàm nobis conſentire. Et dum vnius baptiſmi adſeueratione baptizare venientes nolunt, ſic aut duo, aut multa baptiſmata ipſi faciunt, & dum apud hæreticos baptiſma eſſe dicunt: aut certe quod eſt grauius, hæreticorum ſordidam & profanam tinctionem, vero & vnico & legitimo eccleſiæ catholicæ baptiſmo præponere Eccleſia. 34 & præferre contendunt, non conſiderantes ſcriptum eſſe, *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius?* Manifeſtum eſt autem eos qui non ſunt in eccleſia Chriſti, inter mortuos computari, nec poſſe ab eo viuificari alterum, qui ipſe non viuat, quando vna ſit eccleſia quæ vitæ æternæ gratiam conſecuta & viuit in æternum, & viuificat Dei populum. Et dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinem ſequi, qui quando apud veteres hæreſes, & ſchiſmatum prima adhuc fuerint initia, vt hi illic eſſent qui de eccleſia recedebant, & hic baptizati prius fuerant: quos tunc ad eccleſiam reuertentes, & pœnitentiam agentes neceſſe non erat baptizare. Quod nos quoque hodie obſeruamus, vt quos conſtet hic baptizatos eſſe, & à nobis ad hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & errore digeſto, ad veritatem & matricem redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere, vt quia ouis iam fuerat, hanc ouem abalienatam & errabundam in ouile ſuum paſtor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in eccleſia prius non fuit, ſed alienus in totum & profanus venit, baptizandus eſt vt ouis fiat, quia vna eſt aqua in eccleſia ſancta quæ oues faciat. Et idcirco, quia nihil poteſt eſſe commune mendacio & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, antichriſto & Chriſto, per omnia debemus eccleſiæ catholicæ vnitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hoſtibus cedere. Non eſt autem de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum. nam nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circunciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quòd

eccleſiæ

ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis administrationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus, cui rei Paulus quoque prospiciens, & concordiæ & paci fideliter consulens, in epistola sua posuit dicens, *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & ceteri examinent. si autem alij reuelatum sedenti fuerit, ille prior taceat.* Qua in parte docuit & ostendit, multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquenque non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad ecclesiæ vnitatem pertinent, & spei ac fidei nostræ veritatem, vt nos sacerdotes Dei, & ecclesiæ eius de ipsius dignatione præpositi, sciamus remissam peccatorum non nisi in ecclesia dari posse, nec posse aduersarios Christi quicquam sibi circa eius gratiam vindicare. Quod quidem & Agrippinus bonę memorię vir cum ceteris coëpiscopis suis, qui illo tempore in prouincia Africa & Numidia ecclesiam domini gubernabant, statuit, & librata consilij communis examinatione firmauit. Quorum sententiam, & religiosam, & legitimam, & salutarem, fidei & ecclesiæ catholicæ congruentem nos etiam secuti sumus. Et quales super hac re literas fecerimus, vt scires, exemplum earum ad notitiam tam tuam, quàm coëpiscoporum nostrorum, qui illic sunt, pro communi dilectione transmisimus. Opto te frater charissime semper bene valere.

ARGVMENT. Ad Ianuarium, nonnullosque alios, de his qui ab hæreticis baptizari videntur, in qua probat neminem baptizari foris extra ecclesiam posse, cum vnum baptisma in vna catholica ecclesia sit.

CYPRIANVS, LIBERALIS, CALIDONIVS, Iunius, Primus, Cæcilius, Polycarpus, Nicomedes, Felix, Marutius, Successus, Lucianus, Honoratus, Fortunatus, Victor, Donatus, Lucius, Herculanius, Pomponius, Demetrius, Quintus, Saturninus, Ianuarius, Marcus, alius Saturninus, alius Donatus, Rogatianus, Sedatus, Tertullus, Hortensianus: item alius Saturninus, Sattius: Ianuario, Saturnino, Maximo, Victori, alteri Victori, Casio, Proculo, Modiano, Cirino, Gargilio, Eutychiano, alteri Gargilio, alteri Saturnino, Nemesiano, Nampulo, Antoniano, Rogatiano, Honorato, fratribus, salutem. LXXII.

CVM simul in concilio essemus fratres charissimi, legimus literas vestras, quas ad nos feciſtis de his qui apud hæreticos & schismaticos baptizari videntur, an ad ecclesiam catholicam, quę vna est, venientes, baptizari debeant. De qua re quanquam & ipsi illic veritatem & firmitatem catholicę regulę teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non nouam promimus, sed & iam pridem ab antecessoribus nostris statutam & à nobis obseruatam: vobiscum pari confessione coniungimus: censentes scilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra eccle-

siam posse, cum sit baptisma vnum in sancta ecclesia constitutum: & scri-
Hiere.2. ptum sit domino dicente, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos qui non possunt aquam portare.* & iterum diuina scriptura moneat & dicat, *Ab aqua aliena abstine te, & à fonte aquæ alienæ ne biberis.* Oportet vero mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, vt possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere: quia per Ezechielem pro-
Ezech.36. phetam dominus dicit, *Et aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus simulachris vestris: & mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis.* Quomodo autem mundare & sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, & apud quem
Numer. 19. spiritus sanctus non est? cum dominus dicat in Numeris, *Omnia quæcunque tetigerit immundus, immunda erunt.* Aut quomodo baptizans dare alteri remissam peccatorum potest, qui ipse sua peccata deponere extra ecclesiam non potest? Sed & ipsa interrogatio quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam, intelligimus remissionem peccatorum, non nisi in ecclesia dari: apud hæreticos autem vbi ecclesia non sit, non posse peccata dimitti. Itaque qui hæreticos adserunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem, nisi si eis & ecclesiam tribuunt, quos baptisma habere contendunt. Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, id est vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Porro autem eucharistia est, vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificatum. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec ecclesiam. Vnde nec vnctio spiritalis apud hæreticos po-
Psal.140. test esse, quando constet oleum sanctificari, & eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. Scire autem & meminisse debemus scriptum esse, *Oleum peccatoris non vngat caput meum.* quod ante in psalmis præmonuit spiritus sanctus, ne quis exorbitans, & à via veritatis exerrans, apud hæreticos & Christi aduersarios vngeretur. Sed & pro baptizato quam facere precem
Ioan. 9. potest sacerdos sacrilegus & peccator? cum scriptum sit, *Deus peccatorem non audit: sed qui eum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit.* Quis autem potest dare quod ipse non habeat? Aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit spiritum sanctum? Et idcirco baptizandus est & innouandus qui ad ecclesiam rudis venit, vt intus per sanctos sanctificetur, quia
Leui.19. & 20. scriptum est, *Sancti estote, quia & ego sanctus sum, dicit Dominus:* vt qui in errorem seductus est, & foris tinctus, in baptismo vero & ecclesiastico etiam hoc ipsum deponat, quod homo ad Deum veniens, dum sacerdotem quærit, in sacrilegum fraude erroris incurrit. Ceterum probare est hæreticorum & schismaticorum baptisma, consentire in id quod illi baptizauerint. Neque enim potest pars illic inanis esse, & pars præualere. Si baptizare potuit, potuit & spiritum sanctum dare: si autem spiritum sanctum dare non potest, quia foris constitutus cum sancto spiritu non est, nec baptizare venientem potest, quando & baptisma vnum sit, & spiritus sanctus vnus, & vna ecclesia à Christo domino nostro super petram origine vnitatis & ratione fundata. Ita fit, vt cum omnia apud illos inania & falsa sint, nihil eorum quæ illi gesserint, probari à nobis debeat. Quid enim potest ratum & firmum esse apud Deum, quod illi faciunt, quos Dominus hostes & aduersa-
Lucæ 11. rios suos dicit, in euangelio suo ponens, *Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non mecum colligit, spargit.* Et beatus quoque apostolus Iohannes mandata Domini & præcepta custodiens in epistola sua posuerit, *Audistis, quia antichristus venit, nunc autem multi antichristi facti sunt: vnde cognoscimus quia nouissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex*

nobis,

nobis, nobiſcum manſiſſent. Vnde nos quoque colligere & conſiderare debemus, an qui aduerſarij ſunt Domini, & appellati ſunt antichriſti, poſsint dare gratiam Chriſti. Quare qui cum domino ſumus, & vnitatem Domini tenemus, & ſecundum eius dignationem ſacerdotium eius in eccleſia adminiſtramus, quæcunque aduerſarij eius & antichriſti faciunt, repudiare & reiicere, & profana habere debemus, & eis qui de errore & prauitate venientes, agnoſcunt vnius eccleſiæ veram fidem, dare illis per omnia diuinæ gratiæ ſacramenta, vnitatis & fidei veritatem. Optamus vos fratres chariſsimi ſemper bene valere.

SENTENTIAE EPISCOPORVM LXXXVIII.

DE HAERETICIS BAPTIZANDIS. LXXIII.

CVM in vnum Carthagini conueniſſent Calend. Septembris, epiſcopi plurimi ex prouincia Africa, Numidia, Mauritania, cum presbyteris & diaconibus, præſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent literæ Iubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianum reſcriptæ de hæreticis baptizandis: quídque poſtmodum Cypriano Iubaianus idem reſcripſerit, CYPRIANVS dixit, Audiſtis collegæ dilectiſsimi, quid mihi Iubaianus coëpiſcopus noſter ſcripſerit, conſulens mediocritatem noſtram de inlicito & profano hæreticorum baptiſmo, quídque ego ei reſcripſerim, cenſens ſcilicet, quod ſemel atque iterum & ſæpe cenſuimus, hæreticos ad eccleſiam venientes, eccleſiæ baptiſmo baptizari & ſanctificari oportere. Item lectæ ſunt vobis & aliæ Iubaiani literæ, quibus pro ſua ſincera & religioſa deuotione ad epiſtolam noſtram reſcribens, non tantum conſenſit, ſed etiam inſtructum ſe eſſe gratias egit. Supereſt vt de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum epiſcopum ſe eſſe epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſsitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, támque iudicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum iudicare. Sed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.

CAECILIVS à Bilta dixit, Ego vnum baptiſma in eccleſia ſola ſcio, & extra eccleſiam nullum. Hîc erit vnum vbi ſpes vera eſt, & fides certa: ſic enim ſcriptum eſt, *Vna fides, vna ſpes, vnum baptiſma*: non apud hæreticos, vbi ſpes nulla eſt, & fides falſa: vbi omnia per mendacium aguntur: vbi exorcizat dæmoniacus, ſacramentum interrogat, cuius os & verba cancer emittunt: fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit ſceleratus, & in nomine Chriſti tingit Antichriſtus: benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, Deum inuocat blaſphemus, ſacerdotium adminiſtrat profanus, ponit altare ſacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, vt antiſtes diaboli audeat euchariſtiam facere, aut qui illis adſiſtunt, dicant hæc omnia falſa eſſe de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur eccleſia, & ſine baptiſmo ac venia delictorum communicare compellitur. Quam rem fratres, fugere ac vitare debemus, & à tanto ſcelere nos ſeparare, & vnum baptiſma tenere, quod ſoli eccleſiæ à Deo conceſſum eſt. PRIMVS à Migirpa dixit, Cenſeo omnem hominem ab hæreſi venientem, baptizandum. Fruſtra enim illic putat ſe eſſe Ephes. 4.

baptizatum, cum non sit baptisma, nisi in ecclesia vnum & verum, quia & Deus vnus, & fides vna, & ecclesia vna est, in qua stat vnum baptisma, & sanctitas, & cetera. Nam quæ foris exercentur, nullum habent salutis effectum. POLYCARPVS ab Adrumeto dixit, Qui hæreticorum baptisma probant, nostrum euacuant. NOVATVS à Thamogade dixit, Licet sciamus omnes scripturas sibi testimonium reddere de salutari baptismo, debemus tamen fidem nostram exprimere, Hæreticos & schismaticos ad ecclesiam venientes qui pseudobaptizati videntur, debere eos in fonte perenni baptizari. Et ideo secundum testimonium scripturarum, & secundum decretum collegarum nostrorum sanctissimæ memoriæ virorum, omnes schismaticos & hæreticos qui ad ecclesiam conuersi sunt, baptizari: sed & eos qui ordinati videbantur, inter laicos recipi. NEMESIANVS à Thubunas dixit, Baptisma quod dant hæretici & schismatici non esse verum, vbique in scripturis sanctis declaratum est. Quoniam ipsi præpositi eorum falsi Christi sunt & falsi prophetæ, dicente domino per Salomonem, *Qui fidens est in falsis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes. Deseruit enim vias vineæ suæ, & à semitis agelli sui errauit. Ingreditur autem per auia loca atque arida, & terram destinatam siti, contrahit autem manibus infructuosa.* Et iterum, *Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis, vt longum viuas tempus, adiiciantur etiam tibi anni vitæ.* Et in euangelio diuina sua voce dominus noster Iesus Christus locutus est, dicens, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic est spiritus qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur, vt dicant, quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur: cum manifestum sit vtroque sacramento debere eos renasci in ecclesia catholica. Tunc quippe poterunt filij Dei esse, dicente Apostolo, *Curantes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.* Et hęc omnia in ecclesia catholica loquitur. Et iterũ in euangelio dicit, *Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est, quia spiritus Deus est, & de Deo natus est.* Ergo omnes hæretici & schismatici, omnia quæcunque faciunt, carnalia sunt, dicente Apostolo, *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt, fornicationes, immunditiæ, incestũ, idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, certamina, zelus, ira, diuisiones, hæreses, & his similia: de quibus prædixi vobis sicut prædico, quoniã quicunq; hæc faciunt, regnum dei non hæreditabunt.* Condẽnat æque Apostolus cum omnibus malis & eos qui diuisionem faciunt, hoc est schismaticos & hæreticos. Nisi ergo acceperint baptisma salutare in ecclesia catholica quæ vna est, salui esse non possunt, sed cum carnalibus in iudicio Domini Christi damnabuntur. IANVARIVS à Lambese dixit, Secundum scripturarum sanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos, & sic in ecclesiam sanctam admittendos. LVCIVS à Castragalbe dixit, Cum dominus in euangelio suo dixerit, *Vos estis sal terræ. si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur: ex eo ad nihilum valebit, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus:* & iterum post resurrectionem suam mittens apostolos suos mandauerit dicens, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.* Cum ergo manifestum sit, hæreticos, id est hostes Christi, non integram sacramenti confessionem habere: item schismaticos non posse condire sapientia spiritali, cum ipsi ab ecclesia quæ vna est, recedendo infatuati, contrarij facti sint, fiat sicut scriptum est, *Domus contrariorum legis debent emundationem:* & consequens sit eos qui à contrariis baptizati inquinati sunt, primo purgari, & tum demum

Ioan. 3.

Ephes. 4.

Ioan. 3.

Gala. 5.

Matth. 5.

Matth. 28.

demum baptizari. CRESCENS à Cirta dixit, In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotum lectis literis Cypriani dilectissimi nostri ad Iubaianum, itemq; ad Stephanum, quæ tantum in se sanctorum testimoniorum descendentium ex scripturis deificis continent, vt merito omnes per dei gratiã adunati consentire debeamus: censeo ergo omnes hæreticos siue schismaticos, qui ad catholicam ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi exorcizati & baptizati prius fuerint: exceptis his sanè qui in ecclesia catholica fuerint ante baptizati: ita tamen vt per manus impositionem in pœnitentiam ecclesiæ reconcilientur. NICOMEDES à Segermis dixit, Mea sententia hæc est, vt hæretici ad ecclesiam venientes baptizentur, eo quòd nullam foris apud peccatores remissionem peccatorum consequantur. MONNVLLVS à Girba dixit, Ecclesiæ catholicæ matris nostræ veritas semper apud nos fratres, & mansit & manet, & vel maxime in baptismatis trinitate, domino nostro dicente, *Ite & baptizate gentes in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.* Cum ergo manifeste sciamus hæreticos non habere nec patrem, nec filium, nec spiritum sanctum, debent venientes ad ecclesiam matrem nostram vere renasci & baptizari, vt cancer quod habebant, & damnationis ira, & erroris offensa per sanctum & cæleste lauachrum sanctificetur.

SECVNDINVS à Chedias dixit, Cum dominus noster Christus dicat, *Qui non est mecum, aduersus me est.* Et Iohannes apostolus eos qui ab ecclesia exeunt, antichristos dicat, indubitanter hostes Christi quíque antichristi nominati sunt, gratiam baptismi salutaris ministrare non possunt. Et ideo censeo eos qui de insidiis hæreticorum confugiunt ad ecclesiam, baptizandos esse à nobis, qui amici appellati sumus Dei, eius dignatione. FELIX à Bagai dixit, Sicut cæcus cæcum ducens, simul in foueam cadunt: ita hæreticus hæreticum baptizans, simul in mortem cadunt. Et ideo hæreticus baptizandus & viuificandus est, ne nos viui mortuis communicemus. POLLIANVS à Mileo dixit, Iustum est hæreticum baptizari in ecclesia sancta. THEOGENES ab Hippone regio dixit, Secundum sacramentum Dei gratiæ cælestis quod accepimus, vnum baptisma quod est in ecclesia sancta, credimus. DATIVVS à Badis dixit, Nos quantum in nobis est, hæreticis non communicamus, nisi baptizati in ecclesia fuerint, & remissionem peccatorum acceperint. SVCCESSVS ab Abbir Germaniciana dixit, Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, & spiritum sanctum dare possunt. si autem spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent spiritum sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt: propterea censemus hæreticos baptizandos esse. FORTVNATVS à Thuccabori dixit, Iesus Christus dominus & Deus noster, Dei patris & creatoris filius, super petram ædificauit ecclesiam suam, non super hæresin, & potestatem baptizandi episcopis dedit, non hæreticis. Quare qui extra ecclesiam sunt, & contra Christum stantes oues eius & gregem spargunt, baptizare foris non possunt. SEDATVS à Tuburbo dixit, In quantum aqua sacerdotis prece in ecclesia sanctificata, abluit delicta, in tantũ hęretico sermone velut cancer infecta cumulat peccata. Quare omnibus quidem pacificis viris nitẽdum est, ne quis hęretico errore infectus & tinctus, singulare & verum ecclesię baptismum detrectet accipere, quo quisque nõ fuerit baptizatus, à regno cęlorum fit alienus. PRIVATIANVS à Sufetula dixit, Qui hęreticos potestatẽ baptizandi habere dicit, dicat prius quis hęresin condiderit. Si enim hęresis à Deo est, habere & indulgentiam diuinam potest: si vero à Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre alicui potest? PRIVATVS à Sufibus dixit, Qui hæreticorum baptismum probat, quid aliud quàm hęreticis cõmunicat? HORTENSIANVS à Laribus dixit, Quot sint baptismi viderint aut præ-

Matth. 12. 1. Ioan. 2.

Matt. 15.

Matth. 7.

sumptores, aut fautores hæreticorum: nos vnum baptisma, quod non nisi in ecclesia nouimus, ecclesiæ vindicamus. Aut quomodo possunt in nomine Christi aliquem baptizare, quos ipse Christus dicit aduersarios suos esse? CASSIVS à Macomadibus dixit, Cum baptismata duo esse non possint, qui hæreticis baptisma concedit, sibi tollit. Censeo itaque flebiles & tabidos hæreticos baptizandos esse, cum ad ecclesiam venire cœperint, & sacra & diuina lauatione lotos, & lumine vitæ inluminatos, non hostes, sed pacificos: non alienos, sed fidei domini domesticos: non adulteros, sed Dei filios: non erroris, sed salutis effectos, in ecclesiam recipi, absque eis qui de ecclesia fideles supplantati ad hæresis tenebras transierant, sed eos per manus impositionem restituendos. ALIVS Ianuarius à Vico Cæsaris dixit, Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori. Et ideo nos ecclesiæ adsistimus in qua præsidemus, vt baptismum eius ipsi soli vindicantes, eos quos ecclesia non baptizauit, baptizemus. ALIVS Secundinus à Carpos dixit, Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in ecclesia dei non sunt? Si Christiani non sunt, quomodo Christianos faciunt?
Matth. 12. Aut quo pertinebit sermo domini dicentis, *Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit?* Vnde constat super filios alienos & soboles Antichristi Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere, cum manifestum sit hæreticos baptisma non habere. VICTORICVS à Thabraca dixit, Si licet hæreticis baptizare & remissam peccatorum dare, quid illos infamamus, & hæreticos appellamus? ALIVS Felix ab Vthina dixit, Nemini dubium est sanctissimi cõsacerdotes, non in tantum posse humanam præsumptionem, quantum Domini nostri Iesu Christi adorandam & venerabilem maiestatem. Memores ergo periculi, hoc quoque non tantum obseruare debemus, verumetiam ab omnibus nobis confirmare, vt omnes hæretici qui ad sinum matris ecclesiæ adcurrunt, baptizentur, vt mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est, sanctificatione lauacri purgata in melius reformetur. QVIETVS à Burug dixit, Qui fide viuimus, obsequi iis quæ instruendis nobis ante prædicta sunt, sedula obseruatione debe-
Eccles. 43. mus. Nam scriptum est apud Salomonem, *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius?* Quod vtique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptizantur, per remissionem peccatorum, vitam æternam consecuntur, cur ad ecclesiam veniunt? Si vero à mortuo nihil salutis accipitur, ac propterea agnito errore pristino ad veritatem cum pœnitentia reuertuntur, vno vitali baptismate, quod est in ecclesia catholica, sanctificari debebunt. CASTVS à Sicca dixit, Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur. EVCRATIVS à Thenis dixit, Fidem nostram, & baptismatis gratiam & legis ecclesiasticæ regulam dominus & Deus noster
Ioan. 14. Iesus Christus suo ore apostolos docens, perimpleuit dicens, *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.* Falsum ergo hæreticorum baptisma & iniquum, à nobis pellendum est, & omni detestatione refutandum, de quorum baptismate non vita, nec gratia cælestis, sed blasphemia trinitatis exprimitur. Et ideo venientes ad ecclesiam hæreticos, integro & catholico baptismate baptizari debere manifestum est, vt à blasphemiæ suæ præsumptione purificati, possint Spiritus sancti gratia reformari. LIBOSVS à Vaga dixit, In euangelio dominus, *Ego sum*, inquit, *veritas*: non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati: vt etsi in præteritum quis hæreticos in ecclesia non baptizabat, nunc baptizare incipiat. LEVCIVS à Thebeste dixit, Hæreticos blasphemos

ſphemos atque iniquos verbis variis decerpentes ſancta & adorabilia ſcripturarum verba, execrandos cenſeo: & ideo exorcizandos & baptizandos eſſe. EVGENIVS ab Ammedera dixit, Et ego hoc idem cẽſeo, hæreticos baptizandos eſſe. ITEM alius Felix à Maccura dixit, Et ipſe ſecutus diuinarum ſcripturarum auctoritatem, baptizandos eſſe hęreticos cenſeo, ſed & eos qui apud ſchiſmaticos eſſe ſe baptizatos contendunt. ſi enim ſecundum cautum Chriſti, priuatus fons noſter eſt, intelligãt cuncti eccleſiæ noſtræ aduerſarij, qui alieni ſunt, nobiſcum eſſe non poſſunt. Nec duobus populis ſalutarem aquam tribuere poteſt ille qui vnius gregis paſtor eſt. Et ideo manifeſtum eſt, nec hæreticos, nec ſchiſmaticos aliquid cæleſte poſſe ſuſcipere, qui à peccatoribus hominibus, & ab eccleſia extraneis audeant accipere. Quando danti locus non eſt, vtique nec accipienti prodeſt. ITEM alius Ianuarius Muzulenſis dixit, Miror quod cum omnes confiteantur vnum eſſe baptiſma, non omnes intelligãt eiuſdem baptiſmatis vnitatem: eccleſia enim & hæreſis, duæ & diuerſæ res ſunt. Si hæretici habent baptiſma, nos non habemus: ſi autem nos habemus, hæretici habere non poſſunt. Dubium autem non eſt, eccleſiam ſolam baptiſmum Chriſti poſsidere, quæ ſola poſsideat & gratiã Chriſti & veritatem. ADELPHIVS à Thaſualte dixit, Sine cauſa quidam falſo & inuidioſo verbo impugnant veritatem, vt rebaptizare nos dicant, quando ab eccleſia hæreticus non rebaptizetur, ſed baptizetur. DEMETRIVS Aleptiminus dixit, Vnùm baptiſmum nos cuſtodimus, quia eccleſiæ catholicæ ſoli rem ſuam vindicamus. Qui autem dicunt, quia hæretici vere & legitime baptizare poſſunt, ipſi ſunt qui nõ vnum, ſed multa baptiſmata faciunt. Nam cum hæreſes multæ ſint, pro earum numero & baptiſmata computabuntur. VINCENTIVS à Thibari dixit, Hæreticos ſcimus eſſe peiores quàm ethnicos: ſi ergo conuerſi ad dominum venire voluerint, habemus vtique regulam veritatis quã dominus præcepto diuino mandauit Apoſtolis dicens, *Ite in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite.* Et Marci 10.
alio loco, *Ite & docete gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus* Matth. 28.
ſancti. Ergo primo per manus impoſitionem in exorciſmo, ſecundo per baptiſmi regenerationem: tunc poſſunt ad Chriſti pollicitationem venire: aliâs autem fieri cenſeo non debere. MARCVS à Mactari dixit, Mirãdum non eſt ſi hæretici, hoſtes atque impugnatores veritatis, rem ſibi vindicent poteſtatis & dignationis alienæ: ſed illud mirandum eſt, quod quidam noſtri præuaricatores veritatis, hæreticis ſuffragantur, & Chriſtianis aduerſantur. Propterea decernimus hæreticos baptizandos eſſe. STATIVS à Sicilibba dixit, Si hæreticis in baptiſmo ſua peccata donantur, ſine cauſa ad eccleſiam veniunt. Nam cum in die iudicij peccata ſunt quæ puniuntur, nihil eſt quod timere poſsint hæretici de iudicio Chriſti, ſi ſunt remiſsionem peccatorum conſecuti. VICTOR à Gor dixit, Cum peccata non niſi in eccleſiæ baptiſmo remittantur, qui hæreticum ad communicationem ſine baptiſmo admittit, vtrunque cõtra rationem facit: nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat. AVRELIVS ab Vtica dixit, Cum dicat Apoſtolus, non communi- 1. Titum. 5.
candum peccatis alienis, quid aliud quàm peccatis alienis communicat, qui hæreticis ſine eccleſiæ baptiſmo communicat? Et ideo cenſeo baptizandos eſſe hęreticos, vt accipiant remiſſam peccatorum, & ſic illis communicetur. CONFESSOR Iambus à Germaniciana dixit, Qui hæreticorum baptiſma probant, noſtrum improbant, vt extra eccleſiam non dicam lotos, ſed ſordidatos, negẽt in eccleſia baptizari oportere. LVCIANVS à Rucuma dixit, Scriptum eſt, *Et vidit Deus lucem quia bona eſt, & diuidit inter lucem & tenebras.* Gene. 1.
Si poteſt luci & tenebris conuenire, poteſt nobis & hęreticis aliquid eſſe cõmune. Propterea cenſeo hæreticos baptizãdos eſſe. PELAGIANVS à Lu-

perciana dixit, Scriptũ est: *Aut enim Deus Deus est, aut Baal deus est*: ita & nunc, aut ecclesia ecclesia est, aut hæresis ecclesia est. Porrò si hæresis ecclesia non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma ecclesiæ potest? CONFESSOR & martyr Iader à Midila dixit, Scimus non esse nisi vnum baptisma in ecclesia catholica, & ideo nõ debemus admittere hæreticum, nisi baptizatus apud nos fuerit, ne se putet extra ecclesiam catholicã baptizatũ esse. ITEM alius Felix à Marazana dixit, Vna fides, vnum baptisma, sed ecclesiæ catholicæ, cui soli licet baptizare. CONFESSOR Paulus ab Obba dixit, Me non mouet, si aliquis ecclesiæ fidem, & veritatẽ non vindicat, quando Apostolus dicat, *Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum? nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuabit?* Absit, *Est enim Deus verax: est autem omnis homo mendax.* Si autem Deus verax est, quomodo esse apud hæreticos baptismi veritas potest, apud quos Deus non est? CONFESSOR Põponius à Dionysiana dixit, Manifestum est hæreticos non posse baptizare, & remissionem peccatorum dare, qui potestatẽ nõ habẽt, vt aut soluere, aut ligare aliquid in terris possint. CONFESSOR Venantius à Tinisa dixit, Si maritus peregre profiscisens, amico suo commendasset vxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille quanta posset diligentia conseruaret, ne ab aliquo castitas & sanctitas eius adulteraretur: Christus Deus & dominus noster ad patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit, vtrúmne eam inuiolatam & incorruptã custodiemus? an integritatem eius & castitatẽ mœchis & corruptoribus prodemus? Qui enim baptisma ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit. AYMVS ab Ausuaga dixit, Nos vnũ baptisma accipimus, & ipsum tenemus & exercemus. Qui autem dicit, quia & hæreticis licet baptizare, ipse duo baptismata facit. SATVRNINVS à Victoriana dixit, Si licet hæreticis baptizare, excusati sunt & defensi inlicita facientes. Nec video quare eos aut Christus aduersarios suos, aut Apostolus antichristos appellauerit. ALIVS Confessor Saturninus à Thucca dixit, Gentiles quanuis idola colant, tamen summum Deum patrem creatorem cognoscunt & confitentur. In hunc Marcionitæ blasphemãt, & quidam non erubescunt Marcionis baptismum probare: quomodo tales sacerdotes sacerdotiũ Dei aut seruant, aut vindicant, qui hostes Dei non baptizant, & sic illis communicant? MARCELLVS à Zama dixit, Cum peccata, nõ nisi in ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat. CONFESSOR Irenæus ab Vlulis dixit, Si ideo ecclesia hæreticũ non baptizat, quod dicatur iam baptizatus esse, hæresis maior est. DONATVS à Cibaliana dixit, Ego vnam ecclesiam & vnum baptisma eius noui. Si est qui dicat esse apud hæreticos baptismi gratiam, ante est vt ostendat & probet esse illic ecclesiam. ZOSIMVS à Tharassa dixit, Reuelatione facta veritatis, cedat error veritati: quia & Petrus qui prius circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. IVLIANVS à Telepte dixit, Scriptũ est, *Nemo potest aliquid accipere, nisi datum fuerit illi de cælo.* Si hæresis de cælo est, potest & baptisma dare. CONFESSOR Faustus à Timida regia dixit, Non sibi blãdiantur, qui hæreticis patrocinãtur, qui pro hæreticis ecclesiastico baptismati intercedit, illos Christianos, & nos hæreticos facit. GEMINVS à Furnis dixit, Quidam de collegis hæreticos præponere sibi possunt, nobis nõ possunt: & ideo quod semel decreuimus tenemus, vt ab hæreticis veniẽtes baptizemus. ROGATIANVS à Noua dixit, Ecclesiam Christus instituit, hæresin diabolus: quomodo potest habere baptismum Christi, synagoga satanæ? CONFESSOR Therapius à Bulla dixit, Qui hæreticis ecclesiæ baptisma concedit & prodit, quid aliud quàm sponsæ Christi Iudas exsistit? CONFESSOR item alius Lucius à Mẽbressa dixit, Scriptum est, *Deus pec-*

3.Reg.18.

Ephes.4.

Rom.3.

Galat.2.

Ioan. 3.

Ioan.9.

catorem

catorem non audit. Hæreticus qui peccator est, quomodo audiri in baptismo potest? ITEM alius Felix à Bustacenis dixit, In hæreticis sine ecclesiæ baptismo admittẽdis nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. ALIVS Saturninus à Vitinis dixit, Si potest antichristus dare alicui gratiam Christi, possunt & hęretici baptizare, qui appellati sunt antichristi. QVINTVS ab Aggya dixit, Ille potest dare aliquid, qui aliquid habuerit: hæretici autem quid possunt dare, quos cõstat nihil habere? ALIVS Iulianus à Marcelliana dixit, Si potest homo duobus dominis seruire, Deo & mãmonę: potest & baptisma duobus seruire, Christiano & hæretico. TENAX ab Horreis Cælianis dixit, Baptisma vnũ est, sed ecclesiæ: vbi ecclesia nõ est, baptisma illic esse non potest. CONFESSOR alius Victor ab Assuris dixit, Scriptum est, quia *Deus vnus est, & Christus vnus est, & ecclesia vna, & baptisma vnum.* Quomodo ergo illic baptizari aliquis potest, vbi Deus & Christus, & ecclesia vna non est? DONATVLVS à Capse dixit, Et ego semper hoc sensi, vt hæretici qui nihil foris consequi possunt, quando ad ecclesiam conuertuntur, baptizentur. MARTYR de schismaticis Verulus à Rusiccade dixit, Homo hęreticus dare nõ potest quod nõ habet, multo magis schismaticus, qui quod habuit amisit. PVDENTIANVS à Cuiculi dixit, Nouitas episcopatus effecit fratres charissimi, vt sustinerem quid maiores iudicarent. Nam hæreses nihil habere, nec posse manifestum est, atque ita si qui ex iis venerint, baptizari æquissime statutũ est. MARTYR Petrus ab Hippone Diarito dixit, Cũ baptisma vnũ sit in catholica ecclesia, manifestũ est, non posse extra ecclesiam baptizari: & ideo in hæresi tinctos, siue in schismate venientes ad ecclesiam, censeo baptizari oportere. ITEM alius Lucius ab Ausafa dixit, Secũdũ motum animi mei, & spiritus sancti, cum sit vnus Deus pater domini nostri Iesu Christi, vnus Christus, & vna spes, & vnus spiritus, & vna ecclesia, vnum debet esse & baptisma. Et ideo dico, si quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, rescindi debere: & eos qui inde veniunt in ecclesia baptizandos esse. ITEM alius Felix à Gurgitibus dixit, Ego censeo, vt secundum sanctarum scripturarum præcepta, baptizatus ab hæreticis inlicite extra ecclesiam, cum ad ecclesiam cõfugere voluerit, gratiã baptismi vbi licite datur, cõsequatur. PVSILLVS à Lamasba dixit, Ego credo baptisma salutare non esse, nisi in ecclesia catholica. Quicquid absque catholica fuerit, simulatio est. MARTYR Saluianus à Gazaufala dixit, Hęreticos nihil habere constat, & ideo ad nos veniũt vt possint accipere, quod non habent. HONORATVS à Tucca dixit, Cum Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus, vt hæreticos qui ideo ad nos veniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, ecclesiæ baptismo sanctificemus. VICTOR ab Octauo dixit, Quod & ipsi scitis, non olim sum episcopus constitutus, & ideo expectabam prædecẽssorum consilium. Hoc itaque existimo, vt quicunque ex hæresi venerint, sine dubio baptizẽtur. CONFESSOR Clarus à Mascula dixit, Manifesta est sententia domini nostri Iesu Christi, apostolos suos mittẽtis, & ipsis solis potestatem à patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate ecclesiam domini gubernantes, & credentium fidem baptizantes. Et ideo hæretici, qui nec potestatem foris, nec ecclesiam Christi habent, neminem baptizare baptismo eius possunt. MARTYR Secundianus à Thambis dixit, Non debemus hæreticos nostra pręsumptione decipere, vt in ecclesia domini nostri Iesu Christi non baptizati, ac per hoc remissionem peccatorũ non consequuti, cum iudicij dies venerit nobis imputent, quod per nos non sint baptizati, & indulgentiam diuinę gratię consequuti. Propter quod cum sit vna ecclesia, & vnum baptisma, quando ad nos conuertuntur, simul cum

Matth. 6.

Ephes. 4.

ecclesia & ecclesiæ baptismũ consequantur. ITEM alius Aurelius à Chullabi dixit, Iohannes apostolus in epistola sua posuit dicens, *Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, et Aue illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi Aue, communicat factis eius malis.* Quomodo admitti tales temere in domum Dei possunt, qui in domum nostrã priuatam admitti prohibentur? Aut quomodo cum eis sine ecclesiæ baptismo communicare possumus, quibus si Aue tantum dixerimus, factis eorũ malis communicamus? CONFESSOR Litteus à Gemellis dixit, *Cæcus cæcum si ducat, ambo in foueam cadunt.* Cum ergo hæreticos constet non posse inluminare quenquam, vtpote cæcos, baptisma eorum non valet. NATALIS ab Oëa dixit, Tam ego præsens quàm Pompeius Sabratensis, quàm etiam Dioga Leptimagnensis, qui mihi mandauerunt, corpore quidem absentes, spiritu præsentes, censemus quod & collegæ nostri, quod hæretici communicationem habere nobiscum non possunt, nisi ecclesiastico baptismo baptizati fuerint. IVNIVS à Neapoli dixit, Ab eo quod semel censuimus, nõ recedo, vt hæreticos venientes ad ecclesiam baptizemus. CONFESSOR & martyr Cyprianus à Carthagine dixit, Meam sententiam plenissime exprimit epistola quæ ad Iubaianum collegam nostrum scripta est, hæreticos secundum euangelicam & apostolicam contestationem aduersarios Christi & antichristos appellatos, quãdo ad ecclesiam venerint vnico ecclesiæ baptismo baptizandos esse, vt possint fieri de aduersariis amici, & de antichristis Christiani.

2.Ioan.1.

Matth.15.

2.Ioan.2.

ARGVMENT. Ad Pompeium contra epistolam Stephani.

CYPRIANVS, POMPEIO FRATRI, SALVTEM. LXXIIII.

QVANQVAM plene ea quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis, quarum ad te exempla transmisimus, frater charissime, tamẽ quia desideraſti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripseri t, misi tibi rescripti eius exẽplum, quo lecto magis ac magis eius errorẽ denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos & contra ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cetera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi cõtraria, quæ imperite atq; improuide scripsit, etiam illud adiunxit, vt diceret, Si quis ergo à quacunque hęresi venerit ad nos, nihil innouetur, nisi quod traditũ est, vt manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. A quacunque hæresi venientem baptizari in ecclesia vetuit, id est omnium hæreticorum baptismata iusta esse & legitima iudicauit. Et cum singulæ hæreses singula baptismata & diuersa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans, vniuersorum delicta in sinum suũ coaceruata congesit. Et præcepit nihil aliud innouari, nisi quod traditum est, quasi is innouet, qui vnitatem tenens, vnũ baptisma vni ecclesię vindicat, & non ille vtiq; qui vnitatis oblitus, mendacia & contagia profanæ tinctionis vsurpat. Nil innouetur, inquit, nisi quod traditum est: vnde est ista traditio? vtrúmne de dominica & euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit, ad Iesum Naue dicens, *Non recedet liber legis huius ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo.* Item dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes

Iosue.1.

ri gentes & doceri, vt obseruent omnia quęcunque ille præcepit. Si ergo aut in euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut in Actibus continetur, vt à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, obseruetur diuina hæc & sancta traditio. Si vero vbique hæretici nihil aliud quàm aduersarij & antichristi nominantur, si vitandi & peruersi, & à semetipsis damnati pronunciantur: quale est, vt videantur damnandi à nobis non esse, quos constat apostolica cõtestatione à semetipsis dãnatos esse: vt nemo infamare Apostolos debeat, quasi illi hæreticorum baptismata probauerint, aut eis sine ecclesiæ baptismo cõmunicauerint, quando talia de hæreticis apostoli scripserũt, & hoc cum nondum hæreticæ pestes acriores prorupissent, nec dum quoque Marcion de Ponto emersisset, cuius magister Cerdon sub Hygino tũc episcopo, qui in vrbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion sequutus additis ad crimen augmentis, impudẽtius ceteris & abruptius in Deum patrem creatorem blasphemare instituit, & hæreticum furorem sacrilegis armis cõtra ecclesiam rebellantem, sceleratius & grauius armauit. Quod si hæreses constat postmodum plures & peiores extitisse, & si retro nusquam omnino pręceptum est, neq; conscriptum, vt hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur, & sic ei cõmunicetur, & si baptisma non nisi vnum est, quod apud nos est, & intus est, & soli ecclesiæ diuina dignatione cõcessum est: quæ ista obstinatio est, quæue præsumptio, humanam traditionẽ diuinæ dispositioni anteponere, nec animaduertere, indignari & irasci Deum quoties diuina præcepta soluit & præterit humana traditio? sicut per Esaiam prophetam clamat & dicit, *Populus iste labiis honorificat me, cor vero eorum longe separatum est à me. Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.* Item dominus in Euangelio increpans similiter & obiurgans, ponit & dicit, *Reiecistis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis.* Cuius præcepti beatus Paulus apostolus, monet ipse quoque & instruit, dicens, *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis verbis domini nostri Iesu Christi & doctrinæ eius, stupore elatus est, nihil sciens, discede ab huiusmodi.* Præclara sane ac legitima traditio à Stephano fratre nostro proponitur, quę auctoritatem nobis idoneam prębeat. Nam in eodem loco epistolæ suę addidit & adiecit, cum ipsi hæretici proprie ad se venientes alterutrum non baptizent, sed communicent tantum. Ad hoc enim malorum deuoluta est ecclesia Dei & sponsa Christi, vt hæreticorum exẽpla sectetur, vt ad celebranda sacramẽta cælestia, disciplinã lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani, quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cęcitas, quę prauitas, fidei vnitatem de Deo patre & de Iesu Christi domini & Dei nostri traditione veniẽtem nolle cognoscere? Nam si idcirco apud hęreticos ecclesia nõ est, quia vna est, & diuidi nõ potest: & si ideo illic spiritus sanctus non est, quia vnus est, & esse apud profanos & extraneos non potest: vtique & baptisma, quod in eadem vnitate consistit, esse apud hęreticos non potest, quia separari neque ab ecclesia, neque à spiritu sancto potest: aut si effectum baptismi maiestati nominis tribuunt, vt qui in nomine Iesu Christi vbicũq; & quomodocunque baptizantur, innouati & sanctificati iudicentur, cur in eiusdem Christi nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiẽdum Spiritũ sanctũ? Cur nõ eadẽ eiusdẽ maiestas nominis præualet in manus impositione, quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? Nam si potest quis extra ecclesiam natus, templum Dei fieri, cur non possit super templum & spiritus sanctus infundi? Qui enim peccatis in baptismo expositis sanctificatus est, & in nouum hominem spiritaliter reformatus, ad accipiendum spiritum sanctum idoneus factus non est? cum Apostolus dicat, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Qui potest apud hęreticos Christum

Esaiæ.29.

Matth.15.

1.Timo.6.

induere, multo magis potest spiritum sanctum, quem Christus misit accipere. Ceterum maior erit mittēte qui missus est, vt incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed spiritum sanctū non potuisse percipere, quasi possit aut sine spiritu Christus indui, aut à Christo spiritus separari. Illud quoq; ineptū, vt cū natiuitas secūda spiritalis sit, qua in Christo per lauachrū regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, vbi spiritū negāt esse. Peccata enim purgare, & hominē sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat & sanctum spiritum. Quare aut & spiritum necesse est concedant esse illic, vbi baptisma esse dicūt: aut nec baptisma est, vbi spiritus non est, quia baptisma esse sine spiritu non potest. Quale est autem asserere & contendere, quod esse possint filij Dei, qui non sint in ecclesia nati? Baptisma enim esse in quo homo vetus moritur, & nouus nascitur, manifestat & probat beatus Apostolus dicens, *Seruauit nos per lauachrum regenerationis*: si autem in lauachro, id est in baptismo est regeneratio, quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola, quæ Christo coniuncta & adunata spiritaliter filios generat, eodem Apostolo rursus dicente, *Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, purgans eam lauachro aquæ.* Igitur si hæc est dilecta & sponsa quæ sola à Christo sanctificatur, & lauachro eius sola purgatur, manifestum est hæresin, quæ sponsa Christi nō sit, nec purgari nec sanctificari lauachro eius possit, filios Deo generare non posse. Porro autem non per manus impositionem, quis nascitur quando accipit spiritū sanctum, sed in baptismo, vt spiritum iam renatus accipiat, sicut in primo homine Adā factum est. Ante enim Deus plasmauit, & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ. Nec enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Cū autē natiuitas Christianorū in baptismo sit, baptismi autē generatio, & sanctificatio apud solā sponsam Christi sit, quæ parere spiritaliter, & generare filios Deo possit, vbi & ex qua, & cui natus est, qui filius ecclesiæ non est, vt habere quis possit patrem Deum, ante ecclesiam matrem? Cum vero nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit, cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, vt etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Apelletis, & ceterorum blasphemantium in Deum patrem, contendat filios Deo nasci? & illic in nomine Iesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, vbi blasphematur in patrem, & in dominum & Deum Christum? Quo in loco considerandum est frater charissime, pro fide & religione sacerdotalis loci quo fungimur, an constare sacerdotis Dei ratio in die iudicij possit, asserentis & probantis, & in acceptum referentis blasphemantium baptismata, cum dominus comminetur & dicat, *Et nunc præceptū hoc ad vos est ò sacerdotes, si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro, vt detis honorem nomini meo, dicit dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram.* Dat honorem Deo, qui Marcionis baptismo cōmunicat? Dat honorē Deo, qui apud eos qui in Deum blasphemant, remissionem peccatorum dari iudicat? Dat honorem Deo, qui foris adultera & fornicaria nasci Deo filios asseuerat? Dat honorem Deo, qui vnitatem & veritatē de diuina lege venientem non tenens, hæreses contra ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, sacerdotes Dei, veritatem Christi, & ecclesiæ vnitatē tuētes abstinēdos putat? Si sic honor Deo datur, si sic à cultoribus & sacerdotibus eius Dei timor & disciplina seruatur: abiiciamus arma, manus demus, in captiuitatē tradamus diabolo ordinationē euangelij, dispositionem Christi, maiestatem Dei: diuinæ militiæ sacramenta soluantur, sacrorum cælestium signa prodātur: succumbat & cedat ecclesia hæ-

Titum 3.

Ephes. 5.

Gen. 2.

Malach. 2.

reticis,

reticis, lux tenebris, fides perfidiæ, spes desperationi, ratio errori, immortalitas morti, charitas odio, veritas mendacio, Christus antichristo: merito & sic indies singulos schismata & hæreses surgunt, crebrius atque liberius excrescunt, & serpentinis criminibus pullulãtes aduersus ecclesiam Dei maioribus viribus, venenorum suorum virus exprimunt: dum illis aduocatione quorundam, & auctoritas præstatur & firmitas, dum baptisma eorum defenditur, dum fides, dum veritas proditur, dum id quod contra ecclesiam foris geritur, intus in ipsa ecclesia vindicatur. Quod si est apud nos frater dilectissime Dei timor, si tenor præualet fidei, si custodimus Christi præcepta, si incorruptam atque inuiolatam sponsæ eius sanctitatem tuemur, si hærent nostris sensibus & cordibus verba domini dicentis, *Putas cum venerit filius hominis, inueniet fidem in terra?* quia fideles Dei milites, qui Deo fide & religione sincera militamus, commissa nobis diuinitus castra fideli virtute seruemus: nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet, quo minus veritas præualeat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem, scientes quia & apud Esdram veritas vicit, sicut scriptum est, *Veritas manet & inualescit in æternum, & viuit & obtinet in secula seculorum.* Nec est apud eam accipere personam, nec differentias, sed quæ sunt iusta facit: nec est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo, & regnum, & maiestas, & potestas omnium seculorum. Benedictus Deus veritatis, quam veritatem nobis Christus ostendens in Euangelio suo dicit, *Ego sum veritas.* Propter quod si in Christo sumus, & Christum in nobis habemus, si manemus in veritate, & veritas in nobis manet, ea quæ sunt vera teneamus. Fit autem studio præsumptionis & contumaciæ, vt quis magis sua praua & falsa defendat, quàm ad alterius vera & recta consentiat. Cui rei prospiciens beatus Paulus apostolus ad Timotheum scribit, & monet episcopum non litigiosum, nec contentiosum, sed mitem & docibilem esse debere. Docibilis autem ille est, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis: oportet enim episcopum non tantum docere, sed & discere, quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora. Quod ipsum quoque idem apostolus Paulus docet, præmonens, vt si alij sedenti melius reuelatum fuerit, prior taceat. In compendio est autem apud religiosas & simplices mentes, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatem. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & sacramentorum cælestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius & largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur? vtrúmne arescentibus venis, in capite vnda siccauerit, an vero integra inde & plena procurrens in medio itinere destiterit? vt si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quo minus aqua continua perseueranter ac iugiter flueret, refecto & confirmato canali ad vsum atque potum ciuitatis aqua collecta eadẽ vbertate atque integritate repręsentetur qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta diuina seruãtes, vt si in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem dominicam & euangelicam atque apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Traditum est nobis quod sit vnus Deus, & Christus vnus, & vna spes, & fides vna, & vna ecclesia, & baptisma vnum non nisi in vna ecclesia constitutum, à qua vnitate quisque discesserit, cũ hęreticis necesse est inueniatur: quod dum contra ecclesiam vindicat, sacramentum diuinæ traditionis impugnat. Cuius vnitatis sacramentum expressum videmus etiam in Cantico canticorum, ex persona Christi dicentis, *Hortus con-*

Lucæ 18.

3. Esd. 3.

Ioan. 14.

1. Tim. 3.

1. Cor. 14.

Ephes. 4.

Cant. 4.

cluſus, ſoror mea, ſponſa mea, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum. Si autem eccleſia eius hortus concluſus eſt, & fons ſignatus, quomodo in eundem hortum introire, aut bibere de fonte eius poteſt, qui in eccleſia non eſt? Item Petrus ipſe quoq; demonſtrans, & vindicans vnitatem, mandauit & monuit niſi per vnum baptiſma ſolum vnius eccleſiæ ſaluari nõ poſ-
1.Petr.3. ſe. *In arca,* inquit, *Noe pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam,* quod & nos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma. Quàm breui & ſpiritali compendio, vnitatis ſacramentum manifeſtauit. Nam vt in illo mundi baptiſmo, quo iniquitas antiqua purgata eſt, qui in arca Noe nõ fuit, non potuit per aquam ſaluus fieri: ita nec nunc poteſt per baptiſmum ſaluus videri, qui baptizatus in eccleſia non eſt, quæ ad arcæ vnius ſacramentum dominica vnitate fundata eſt. Obſeruatur itaque à nobis & tenetur frater chariſsime, explorata & perſpecta veritate, vt omnes qui ex quacunque hęreſi ad eccleſiam conuertuntur, eccleſiæ vnico & legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his qui baptizati in eccleſia prius fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierant. Hos enim oportet cum redeunt, acta pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ouile vnde errauerant, à paſtore reſtitui. Opto te frater chariſsime, ſemper bene valere.

ARGVMENT. Ad Magnum de Nouatiano hæretico, & de iis quos ipſe baptizauerit.

CYPRIANVS, MAGNO FILIO, SALVTEM. LXXV.

PRO tua religioſa diligentia conſuluiſti mediocritatem noſtram fili chariſsime, an inter ceteros hæreticos eos quoque qui à Nouatiano veniant, poſt profanum eius lauachrum baptizari & ſanctificari in eccleſia catholica legitimo & vero & vnico eccleſiæ baptiſmo oporteat. De qua re quantum fidei noſtræ capacitas, & Scripturarum diuinarum ſanctitas ac veritas ſuggerit, dicimus, omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis ac iuris. Propter hoc Nouatianus nec debet, nec poteſt excipi, quo minus ipſe quoque extra eccleſiam conſiſtens, & contra pacem ac dilectionem Chriſti faciens, inter aduerſarios & antichriſtos cõputetur: neq; enim dominus noſter Ieſus Chri-
Matth. 12. ſtus cũ in Euãgelio ſuo teſtaretur, aduerſarios ſuos eſſe eos qui ſecũ non eſſent, aliquam hæreticorũ ſpeciẽ deſignauit, ſed omues omnino hęreticos qui
Lucæ 11. ſecũ non eſſent, & ſecũ nõ colligẽtes gregẽ ſuum ſpargerẽt, aduerſarios ſuos oſtendit, dicẽs, *Qui non eſt mecũ, aduerſum me eſt: & qui non mecũ colligit, ſpargit.* Itẽ beatus Iohannes apoſtolus nec ipſe vllã hęreſin aut ſchiſma diſcreuit, aut aliquos ſpeciatim ſeparatos poſuit, ſed vniuerſos qui de eccleſia exiſſent,
2.Ioan.1. quiq; cõtra eccleſiã facerẽt, antichriſtos adpellauit, dicens, *Audiſtis,* inquit, *quia antichriſtus venit: nũc autẽ antichriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus, quia nouiſsima hora eſt. ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Vnde adparet aduerſarios Chriſti antichriſtos omnes eſſe, quos conſtet à charitate atque ab vnitate eccleſiæ catholicæ receſ-
Matth.18. ſiſſe. Adhuc quoque dominus in Euangelio ſuo ponit & dicit, *Si vero & eccleſiam contempſerit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Si autem qui eccleſiam contemnunt, ethnici & publicani habentur, multo magis vtique rebelles & hoſtes falſa altaria & inlicita ſacerdotia, & ſacrificia ſacrilega & nomina adulterata fingentes inter ethnicos & publicanos neceſſe eſt computentur, quando

tur,quando minora peccantes,& tantum ecclesiæ contemptores, ethnici & publicani sententia domini iudicentur. Quod autem ecclesia vna sit, declarat in Cantico canticorum spiritus sanctus ex persona Christi dicens, *Vna est columba mea,perfecta mea:vna est matris suæ,electa genitrici suæ*: de qua item denuo dicit, *Hortus conclusus,soror mea sponsa,fons signatus,puteus aquæ viuæ.* Si autem hortus conclusus est sponsa Christi, quæ est ecclesia, patere res clausa alienis & profanis non potest. Et si fons signatus est, neque bibere inde, neque consignari potest, cui foris posito accessus ad fontem non est. Puteus quoque aquæ viuæ si vnus est,idem qui intus est,viuificari & sanctificari foris positus ex illa aqua non potest,ex qua solis eis qui intus sunt, vsus omnis & potus concessus est. Quod & Petrus ostendens vnam ecclesiam esse,& solos eos qui in ecclesia sint, baptizari posse, posuit & dixit, *In arca Noe pauci, id est octo animæ hominum saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos similiter saluos faciet baptisma*, probans & contestans vnam arcam Noe typum fuisse vnius ecclesiæ.Si potuit tunc in illo expiati & purificati mũdi baptismo saluus per aquam fieri qui in arca Noe non fuit, potest & nunc viuificari per baptisma qui in ecclesia non est, cui soli baptisma cõcessum est. Sed & Paulus Apostolus hoc idem adhuc apertius & clarius manifestans ad Ephesios scribit & dicit, *Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, purgans eã lauachro aquæ.* Quod si vna est ecclesia quæ à Christo diligitur,& lauachro eius sola purgatur,quomodo qui in ecclesia non est,aut diligi à Christo, aut ablui & purgari lauachro eius potest?Propter quod, cũ sola ecclesia habeat aquam vitalem,& baptizandi atq; abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari & sanctificari aliquem posse, prius ostendat & doceat Nouatianum in ecclesia esse, aut ecclesiæ præsidere. Ecclesia enim vna est,quę vna & intus esse & foris non potest.Si enim apud Nouatianum est,apud Cornelium nõ fuit.Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, & quẽ præter sacerdotij honorem, martyrio quoq; dominus glorificauit, Nouatianus in ecclesia non est: nec episcopus computari potest, qui euangelica & apostolica traditione cõtempta, nemini succedẽs, à seipso ortus est:habere nanque aut tenere ecclesiam nullo modo potest,qui ordinatus in ecclesia non est.Foris enim non esse ecclesiam, nec scindi aduersum se aut diuidi posse, sed inseparabilis atque indiuiduæ domus vnitatem tenere,manifestat scripturæ diuinę fides,cum de sacramento paschæ & agni,qui agnus Christum designabat,scriptum sit,*In domo vna comedetur,non eicietis de domo carnem foras.* Quod item circa Raab,quæ ipsa quoque typum portabat ecclesiæ,expressum videmus,cui mandatur & dicitur, *Patrem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad teipsam in domum tuam: & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit.* Quo sacramento declaratur in vnam domum solam, id est in ecclesiam victuros,& ab interitu mũdi euasuros colligi oportere. Quisque autem de collectis foras exierit, id est si quisquam in ecclesia gratiam consecutus recesserit,& ab ecclesia exierit,reum sibi futurum, id est ipsum sibi quod pereat,imputaturum. Quod apostolus Paulus explanat docens, & præcipiens hæreticum vitandum esse,vt peruersum & peccatorem,& à semetipso damnatum.Hic est enim qui reus sibi erit,non ab episcopo eiectus, sed sponte de ecclesia profugus,& hæretica prę̃sumptione à semetipso damnatus.Et idcirco dominus insinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem,ponit & dicit, *Vnum sumus ego & pater*: ad quam vnitatem redigens ecclesiam suam denuo dicit, *Et erit vnus grex & vnus pastor.* Si autẽ grex vnus est,quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui(manente vero pastore, & in ecclesia Dei ordina-

Canti.6.
1bidem 4.
1.Pet.3.
Ephes.5.
Exod.12.
Iosue.2.
Titum.3.
Ioan.10.
Ibidem.

tione ſuccedanea præſidente) nemini ſuccedens & à ſe ipſe incipiens, alienus
fit & profanus, dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimicus, non habitans in
domo Dei, id eſt in eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque vnanimes
Pſal. 76. habitant, loquẽte in pſalmis ſpiritu ſancto & dicente, *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Denique vnitatem Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili charitate connexã, etiam ipſa dominica ſacrificia declarant. Nam quando dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum quem portabat, indicat adunatum. Et quando ſanguinem ſuum, vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in vnum coactum, gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Nouatianus huic dominico pani adunatus eſt, ſi Chriſti poculo & ipſe commixtus eſt, poterit videri, & vnici eccleſiaſtici baptiſmi habere gratiam poſſe, ſi eum conſtiterit eccleſiæ vnitatem tenere. Denique quam ſit inſeparabile vnitatis ſacramentum, & quàm ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui ſchiſma faciunt, & relicto epiſcopo, alium ſibi foris pſeudoëpiſcopum conſtituunt, declarat in libris Regnorum ſcriptura diuina, vbi à tribu Iuda & Beniamin decem tribus ſciſſæ ſunt, & relicto rege, alterum ſibi foris conſti-
3. Reg. 12. tuerunt, *Et indignatus eſt*, inquit, *dominus in omne ſemen Iſrael, & dimouit eos, et dedit eos in direptionem, donec abiiceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſrael à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Hieroboam filium Nabath.* Indignatum eſſe dominum dicit, & eos in perditionem dediſſe, quod ab vnitate diſsipati eſſent, atque alterum ſibi regem conſtituiſſent. Et tanta indignatio domini extitit aduerſus illos qui ſchiſma fecerant, vt etiam cum homo Dei ad Hieroboam miſſus eſſet, qui ei peccata ſua exprobraret, atq; vltionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere & aquã bibere vetaretur. Quod cum non cuſtodiſſet, & contra præceptum Dei prandiſſet, ſtatim diuinæ cenſura maieſtatis percuſſus eſt, vt inde regrediens impetu ac morſu leonis in itinere necaretur. Et audet quiſquam dicere aquam baptiſmi ſalutarem, & gratiam cæleſtem communem cum ſchiſmaticis eſſe poſſe, cum quibus nec terreſtris cibus nec ſecularis potus debet eſſe communis? Satiat adhuc in Euangelio ſuo dominus, & maiorem intelligentiæ lucem manifeſtat, quod iidem qui ſe tunc à tribu Iuda & Beniamin ſciderant, & Hieroſolymis derelictis, Samariam ſeceſſerant, inter profanos & gentiles computarentur. Nam cum primum diſcipulos ſuos in miniſterium ſalutis mitteret, manda-
Matth. 10. uit & dixit, *In viam nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis.* Ad Iudæos prius mittens, gentiles adhuc præteriri iubet. Addendo autem, & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erãt ſchiſmatici, oſtendit ſchiſmaticos gentilibus adæquari. Quod ſi aliquis illud opponit, vt dicat eandem Nouatianum legem tenere, quam catholica eccleſia teneat: eodem Symbolo quo & nos baptizare, eundem noſſe Deum patrem, eundem filium Chriſtum, eundem ſpiritum ſanctum, ac propter hoc vſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe, quod videatur in interrogatione baptiſmi à nobis non diſcrepare: ſciat quiſque hoc opponendum putat, primum non eſſe vnam nobis & ſchiſmaticis ſymboli legem, neque eandem interroga-
Numer. 26. tionem. Nam cum dicunt, *Credis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam eccleſiam?* mentiuntur in interrogatione, quãdo non habeant eccleſiam. Tunc deinde voce ſua ipſi confitentur remiſsionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam eccleſiam poſſe, quam non habentes oſtendunt remitti illic peccata non poſſe. Quod vero eundem quem & nos Deum patrem, eundem filium Chriſtum, eundem ſpiritum ſanctum noſſe dicuntur, nec hoc adiuuare tales poteſt. Nam & Chore & Dathan & Abiron cum

ſacerdote

ſacerdote Aaron & Moyſe eundem Deum nouerant: pari lege & religione viuẽtes, vnum & verum Deum, qui colẽdus atq; inuocandus fuerat, inuocabant. tamen quia loci ſui miniſteriũ tranſgreſsi, cõtra Aaron ſacerdotẽ qui ſacerdotium legitimum dignatione Dei atq; ordinatione perceperat, ſacrificandi ſibi licentiam vindicarunt, diuinitus percuſsi, pœnas ſtatim pro inlicitis conatibus rependerunt: nec potuerunt rata eſſe, & proficere ſacrificia, inreligioſe & inlicite contra ius diuinæ diſpoſitionis oblata. Thuribula quoque ipſa, in quibus incenſum inlicite fuerat oblatum, ne in vſu de cetero eſſent ſacerdotibus, ſed potius indignationis & vltionis diuinæ memoriam corrigendis poſteris exhiberent, iuſſu domini conflata atque igne purgata, in laminas ductiles producuntur, & affiguntur altari, ſecundum quod loquitur ſcriptura diuina: *Memoriale*, inquit, *filiis Iſrael, vt nõ accedat quiſquam alienigena, qui non eſt ex ſemine Aaron, imponere incenſum ante dominum, vt non ſit ſicut Chore.* Et tamen illi ſchiſma non fecerant, nec foras egreſsi contra Dei ſacerdotes impudenter atque hoſtiliter rebellauerãt, quod nunc hi eccleſiam ſcindentes, & contra pacem atque vnitatem Chriſti rebelles, cathedram ſibi conſtituere, & primatum aſſumere, & baptizãdi atque offerendi licentiam vindicare conantur. Quomodo perficere quæ agunt, aut impetrare aliquid inlicitis conatibus de Deo poſſunt, qui contra Deum, quod eis non licet, moliũtur? Quare qui Nouatiano, ſiue ceteris eiuſmodi ſchiſmaticis patrocinẽtur, fruſtra contendũt baptizari & ſanctificari illic aliquẽ ſalutari baptiſmo poſſe, vbi conſtet baptizantẽ baptizandi licentiam non habere. Atq; vt magis intelligi poſſet, contra eiuſmodi licentiam & audaciam, quæ ſit cenſura diuina, inuenimus in tali facinore, non ſolum duces & auctores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe à communione malorum ſeparauerint, præcipiente per Moyſen domino & dicente, *Separamini à tabernaculis hominum iſtorum duriſsimorum, & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccatis eorum*: & quod comminatus per Moyſen dominus fuerat, impleuit, vt quiſque à Chore, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolueret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ & pœnæ futuros, qui ſe ſchiſmaticis contra præpoſitos & ſacerdotes inreligioſa temeritate miſcuerint. Sicut etiam per Oſeæ prophetam Spiritus ſanctus conteſtatur & dicit, *Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabuntur:* docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino cum auctoribus ſupplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. Quæ ergo apud eos merita eſſe circa Deum poſſunt, quibus ſupplicia diuinitus inrogantur? Aut quomodo tales iuſtificare & ſanctificare baptizatos poſſunt, qui hoſtes ſacerdotum aliena & inlicita, & nullo ſibi iure conceſſa vſurpare conantur? Quos tamen ipſos non miramur pro ſua prauitate contendere. Aſſerant neceſſe eſt ſinguli quique quod faciunt, nec volunt victi facile ſuccumbere, quanuis ſciant id quod faciant non licere. Illud mirandum eſt, immo indignandum potius & dolendum, Chriſtianos antichriſtis adſiſtere, & præuaricatores fidei atque eccleſiæ proditores intus in ipſa eccleſia contra eccleſiam ſtare. Qui quoniam pertinaces aliâs & indociles, vel hoc tamen confitentur, quod vniuerſi ſiue hæretici, ſiue ſchiſmatici non habeant Spiritum ſanctum: & ideo baptizare quidem poſsint, dare autem Spiritum ſanctum non poſsint: in hoc ipſo à nobis tenentur, vt oſtendamus nec baptizare omnino eos poſſe, qui non habeant Spiritum ſanctum. Nam cũ in baptiſmo vnicuique peccata ſua remittantur, probat & declarat in Euangelio ſuo dominus, per eos ſolos poſſe peccata dimitti, qui habeant Spiritũ ſanctum. Poſt reſurrectionẽ enim diſcipulos ſuos mittẽs loquitur ad eos & dicit, *Sicut miſit me pater, et ego*

Exod. 28.

Numer. 16.

Oſeæ 9.

Ioan. 20. Matth. 18.

mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & ait illis, Accipite spiritum sanctum. Si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur. Quo in loco ostendit, eum solum posse baptizare, & remissionem peccatorum dare, qui habeat Spiritum sanctum. Deniq; ipsum Iesum Christũ dominum nostrum baptizaturus Iohannes accepit ante Spiritum sanctum, cum adhuc esset in vtero matris constitutus: vt certum esset atque manifestum, baptizare non posse, nisi eos qui habeant Spiritum sanctum. Itaque qui hæreticis siue schismaticis patrocinantur, respondeant nobis habeántne Spiritum sanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur, ad accipiendum Spiritum sanctum, cum iam vtiq; illic acceptus sit, vbi si fuit, dari potuit? Si autem foris cuncti hęretici & schismatici non habent Spiritum sanctũ, & ideo apud nos manus imponitur, vt hic accipiatur, quod illic nec est, nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constet Spiritum sanctum non habere. Et idcirco vt secundum diuinam dispositionem atque euãgelicam veritatem, vt peccatorum remissionem cõsequi & sanctificari, ac templa Dei fieri possint, ecclesiæ baptismo baptizandi sunt omnes omnino, qui ab aduersariis & antichristis ad Christi ecclesiam veniunt.

ARGVMEN. *Ad Stephanum de concilio quod habitum est super iis qui apud hæreticos baptizantur: & quod admitti non debeant in clero presbyteri vel diaconi ab hæresi redeuntes.*

CYPRIANVS ET CETERI, STEPHANO FRATRI, SALVTEM. LXXVI.

AD QVAEDAM disponenda & communis concilij examinatione limanda, necesse habuimus frater charissime, conuenientibus in vnũ pluribus sacerdotibus cogere & celebrare conciliũ, in quo multa quidem prolata atque transacta sunt: sed de eo vel maxime tibi scribendum & cũ tua grauitate ac sapiẽtia conferendũ fuit, quod magis pertineat & ad sacerdotalem auctoritatẽ, & ad ecclesiæ catholicę vnitatem pariter ac dignitatem de diuinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sint foris extra ecclesiã tincti, & apud hæreticos & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad ecclesiam quæ vna est, venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum spiritum sanctum, nisi accipiant & ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari & esse filij Dei possunt, si sacramento vtroque nascantur, cum scriptum sit, *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Inuenimus enim etiam in Actis Apostolorum hoc esse ab Apostolis custoditum, & salutaris fidei veritate seruatum, vt cum in domo Cornelij centurionis super ethnicos qui illic aderant, fidei calore feruentes, & in dominum toto corde credentes, descendisset spiritus sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerẽt, nihilominus tamen beatum apostolum Petrum diuini præcepti atq; euangelij memorem præcepisse, vt baptizarentur iidem illi qui iam fuerant sancto spiritu pleni, vt nihil prętermissum videretur, quo minus per omnia diuini præcepti atq; euangelij legem apostolica magisteria seruarẽt. Baptismum autẽ non esse quo hæretici vtuntur: nec quenquã apud eos qui Christo aduersantur, per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola quæ ad Quintum collegam nostrum in Mauritania cõstitutum, super ea re scripta est: item

Ioan. 3. Act. 10.

in literis

in literis quas collegæ noſtri ad epiſcopos in Numidia præſidentes ante fecerunt, cuius vtriuſque epiſtolæ exempla ſubdidi. Addimus plane & adiungimus frater chariſsime, conſenſu & auctoritate communi, vt etiam ſi qui preſbyteri aut diaconi, qui vel in eccleſia catholica prius ordinati fuerint, & poſt modum perfidi ac rebelles contra eccleſiam ſteterint, vel apud hæreticos à pſeudoepiſcopis & antichriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profana ordinatione promoti ſint, & contra altare vnum atque diuinum ſacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre conati ſint, eos quoque hac conditione ſuſcipi cum reuertuntur, vt communicent laici, & ſatis habeant quod admittuntur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint: nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint. Oportet enim ſacerdotes & miniſtros qui altari & ſacrificiis deſeruiunt, integros atque immaculatos eſſe, cum dominus Deus in Leuitico loquatur & dicat, *Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo.* Item in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat, *Sacerdotes qui accedunt ad dominum Deum ſanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus.* & iterum, *Et cum accedunt miniſtrare ad altare ſancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur.* Quod autem maius poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quàm aduerſus Chriſtum ſtetiſſe? quàm eccleſiam eius quam ille ſanguine ſuo parauit & condidit, diſsipaſſe? quàm Euangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra vnanimem & concordem Dei populum, hoſtilis diſcordiæ furore pugnaſſe? Qui & ſi ipſi poſtmodum ad eccleſiam redeunt, reſtituere tamen eos & ſecum reuocare non poſſunt, qui ab eis ſeducti & foris morte præuenti extra eccleſiam ſine communicatione & pace perierunt, quorum animæ in die iudicij de ipſorum manibus expetentur, qui perditionis auctores & duces extiterunt. Et idcirco ſatis eſt talibus reuertentibus veniam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoueri. Nam quid bonis & innocentibus, atque ab eccleſia non recedentibus reſeruamus, ſi eos qui à nobis receſſerint & contra eccleſiam ſteterint, honoramus? Hæc ad conſcientiam tuam frater chariſsime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter & vera ſunt. Ceterum ſcimus quoſdam quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed ſaluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum vnuſquiſque præpoſitus, rationem actus ſui domino redditurus. Optamus te frater chariſsime, ſemper bene valere.

Leui. 22.

CYPRIANO PAPAE, MOYSES ET MAXIMVS ET NICOSTRATVS ET RVFINVS ET ceteri qui cum eis ſunt confeſſores. LXXVII.

INTER varios & multiplices frater, dolores nobis conſtitutis, propter præſentes multorum per totum pene orbem ruinas, hoc præcipuum nobis ſolatiũ ſuperuenit, quod acceptis literis tuis erecti ſumus, & dolentis animi mœroribus fomenta ſuſcepimus. Vnde intelligere iam poſſumus gratiam diuinæ prouidentiæ forſitan non ob aliam cauſam nos non tam diu clauſos vinculis carceris reſeruare voluiſſe, niſi vt inſtructi & robuſtius animati literis tuis, voto proniore ad coronam deſtinatam poſſemus peruenire. Inluxerunt enim nobis literæ tuæ, vt in

tempestate quadam serenitas, vt in turbido mari exoptata tranquillitas, vt in laboribus requies, vt in periculis ac doloribus sanitas, vt in densissimis tenebris candida lux & refulgens: ita illas animo sitiente perbibimus, & voto esuriente susceptimus, vt ad certamen inimici ex illis satis pasti & saginati gaudeamus. Reddet tibi dominus pro ista tua charitate mercedē, & huius tam boni operis repræsentabit debitam frugem. non minus enim coronæ mercedem condignus est qui hortatus est, quam qui & passus est: non minus laude condignus est, qui fecit, quam qui & docuit: non minus honorandus est qui dimicauit, quam qui adhortatus est: nisi quoniam nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum qui instituit, quàm ad eum qui se docibilem discipulum subministrauit. hic enim fortasis hoc quod exercuit nō habuisset, nisi ille docuisset. Percepimus igitur, iterum dicemus, frater Cypriane, magna gaudia, magna solatia, magna fomēta, maxime quòd & glorioſas martyrum, non dicam mortes, sed immortalitates glorioſis & condignis laudibus prosecutus es. Tales enim excessus, talibus vocibus personandi fuerunt, vt quæ referebantur, sic dicerentur qualiter facta sunt. Ex tuis ergo literis vidimus glorioſos illos martyrum triumphos, & oculis nostris quodammodo cælum illos petentes prosecuti sumus, & inter angelos ac potestates dominationésque cælestes constitutos quasi contemplati sumus: sed & dominum apud patrem suum testimonium illis promissum perhibētem auribus nostris quodammodo sensimus. hoc est ergo quod & nobis animum indies erigit, & ad consequendos gradus tantæ dignitatis incendit. Quid enim glorioſius, quídve felicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices in terris confiteri Deum dominum? quam inter sæuientia secularis potestatis varia & exquisita tormenta, etiam extorto & excruciato & excarnificato corpore, Christum Dei filium, & si recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo cælum petisse? quā desertis hominibus inter angelos stare? quam impedimentis omnibus sęcularibus ruptis, in conspectu Dei iam se liberum sistere? quā cæleste regnum sine vlla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam iudicis sui diuina dignatione iudicem factum fuisse? quam immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quam humanis & sacrilegis legibus contra fidē non obedisse? quam veritatem voce publica cōtestatum fuisse? quam ipsam quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sæuitiæ instrumentis excarnificatum & extortum ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horruisse? quam supplicia sua post fidem amare cœpisse? quam detrimentum vitæ suæ putare vixisse? ad hoc enim prelium quasi quadam tuba euangelij sui nos excitat dominus, dicendo, *Qui plus diligit patrem aut matrem quàm me, non est me dignus: & qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus:* & iterum, *Beati qui persecutionem passi fuerint propter iustitiam. ipsorum est enim regnum cælorum. Beati estis cum vos persecuti fuerint, & odio habuerint. gaudete & exultate: sic enim & prophetas persecuti sunt qui ante vos fuerunt:* &, *Quoniam ante reges & præsides stabitis, & tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium, & qui perseuerauerit vsque ad finem hic saluus erit:* &, *Vincenti dabo sedere super thronum meum, sicut & ego vici & sedi super thronum patris mei.* Sed & Apostolus, *Quis nos separabit à charitate Christi? pressura, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te interficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Hæc & huiusmodi cū & in euangelio conlata perlegimus,

gimus, & quasi faces quasdam ad inflammandam fidem dominicis vocibus suppositas nobis sentiamus, hostes veritatis iam non tantum non perhorrescimus, sed & prouocamus,& inimicos Dei iam hoc ipso quod nō cessimus, vicimus,& nefarias contra veritatem leges subegimus, etsi nondum sanguinem nostrum fudimus, sed fudisse parati sumus. Nemo hanc dilationis nostræ moram dementiam iudicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cælum differt, quæ glorioſum Dei conſpectum inhibet. in huiusmodi enim certamine & in huiusmodi vbi decertat fides, prælio, moram martyres non distulisse, vera dementia est. Pete ergo Cypriane charissime, vt nos gratia sua dominus magis ac magis in dies singulos quosque vberius atque propensius & armet & inlustret, & viribus potentiæ firmet ac roboret: vtque optimus imperator milites suos quousq; adhuc in castris carceris exercuit & probauit, producat & iam ad propopositi certaminis campum, porrigat nobis diuina arma, illa tela quæ nesciunt vinci, loricam iustitiæ quæ nunquam solet rumpi, clipeum fidei qui non potest perforari, gladium spiritus qui non consueuit vulnerari. Cui enim magis hæc vt pro nobis petat, mandare debemus, quam tam glorioso episcopo, vt hostiæ destinatæ petant auxilium de sacerdote? Ecce aliud gaudium nostrum, quod in officio episcopatus, tu licet interim à fratribus pro temporis conditione distractus es, tamen non defuisti, quod literis confessores frequenter corroborasti, quod etiam sumptus necessarios de tuis laboribus iustis prębuisti, quod in omnibus te præsentem quodammodo semper exhibuisti, quod in nulla officij tui parte quasi aliquis desertor claudicasti: sed quod nos ad maiorem lætitiam robustius prouocasti, tacere non possumus, quin omni vocis nostræ testimonio prosequamur. Animaduertimus enim te congruente censura & eos accusasse, & eos digne oburgasse, qui immemores delictorum suorum pacem à presbyteris per absentiam suam festinata & præcipiti cupiditate extorsissent, & illos qui sine respectu euangelij præcipientis Domini, ne margaritas prona facilitate donassent, cū tam grāde delictum & per totum pene orbem incredibili vastatione grassatum nō oporteat, nisi vt ipse scribis, caute moderatéque tractari, consultis omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus & ipsis stantibus laicis, sicut in tuis literis & ipse testaris, ne dum volumus importune ruinis subuenire, alias maiores ruinas videamur parare. Vbi enim diuinus metus relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur? fouendi sane ipsorum animi & ad maturitatis suę tempus nutriendi, & de Scripturis, quia ingens & supra omnia peccata, peccatum commiserint instruendi: nec hoc animentur quia multi sunt, sed ex hoc ipso magis reprimātur, quia nōn pauci sunt. nihil ad extenuationem delicti. Numerus impudens consueuit, sed pudor, sed modestia, sed sapientia, sed disciplina, sed humilitas atque subiectio, sed alienū de se expectasse iudicium, sed alienam de suo actu sustinuisse sententiam: hoc est quod pœnitentiam probat, hoc est quod impresso vulneri ducit cicatricem, hoc est quod deiectæ mentis ruinas erigit & adtollit, quod ardentem delictorum ęstuātium morbum restinguit & finit. non enim ea quæ sanorum sunt corporum, medicus ægris dabit, ne importunus cibus tempestatem valitudinis sæuientis non reprimat, sed accendat: scilicet ne quod potuisset maturius ieiunio attenuante sanari, videatur per impatientiam longius pasta cruditate produci. Eluendæ sunt igitur impio sacrificio manus inquinatę operibus bonis, & nefario cibo ora misera polluta, patientiæ sunt verę sermonibus expianda, & in secretis cordis fidelis nouellandus & consecrandus est animus, vt crebri per patientiam gemitus audiantur. Et iterum fideles ex oculis lachrimæ profundantur, vt illi ipsi oculi qui male simulachra conspexerunt, quæ inlicite commiserant, satisfactionibus Deo

fletibus deleant. Non est pœnitentia nisi in morbis necessaria. luctantur cum suo dolore qui languent, & ita demum sperant sanitatem, si tolerantia superarint dolorem. Infidelis enim cicatrix, quam cito festinans medicus induxit, & ad quemlibet casum medela rescinditur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur: cito rursum in incendium flamma reuocatur, nisi totius ignis etiam vsq; ad extremã scintillam, materia restinguatur, vt merito huiusmodi homines sciant sibi etiã de ipsa mora magis cõsuli, & fideliora de necessariis dilationibus remedia præstari. Ceterũ vbi erit quod custodia squallidi carceris includuntur, qui Christum confitentur, si sine periculo fidei sunt qui negauerunt? vbi quod in nomine Dei cathenarum ambitu vinciuntur, si sine communicatione non sunt qui confessionem dei non retinuerunt? vbi quod detenti martyres glorioſas suas animas ponunt, si qui reliquerunt fidem, periculorum & delictorum suorum non sentiunt magnitudinem? Quod si nimiam impatientiam præ se ferunt, & intolerabilem festinationem communicationis exposcunt, frustra querela ista, & inuidiosa ac nihil aduersum veritatem valentia iactant, petulanti & infreni ore conuicia, quandoquidem licuerit illis suo iure retinere, quod nunc sua sponte quæsita necessitate coguntur postulare. fides enim quæ Christum potuit confiteri, potuit & à Christo in communicatione retineri. Optamus te beatissime ac gloriosissime Papa, in domino semper bene valere, & nostri meminisse.

CYPRIANO FRATRI, NEMESIANVS, DATIVVS, FELIX ET VICTOR, IN DOMINO æternam salutem. LXXVIII.

SEMPER magnis sensibus pro temporis conditione literis tuis locutus es Cypriane charissime, quibus assidue lectis & praui corriguntur, & bonę fidei homines corroborantur. Cum enim non desinis tractatibus tuis sacramenta occulta nudare, sic nos in fidem facis crescere, & de seculo homines ad credulitatem accedere. nam quæcunque bona in multis libris tuis intulisti, nescius ipsum te nobis designasti. es enim omnibus hominibus in tractatu maior, in sermone facundior, in consilio sapientior, in patientia simplicior, in operibus largior, in abstinẽtia sanctior, in obsequio humilior, & in actu bono innocentior. Scis & ipse charissime, nostrũ optabile votum esse, quod te videamus doctorem & amatorem nostrum ad coronam magnæ confessionis peruenisse. Nam quasi & bonus & verus doctor, cuius nos discipuli, sicuti apud præsidem dicere deberemus, prior apud acta proconsulis pronunciasti, & tuba canens, Dei milites cælestibus armis instructos, ad congressionis prælium excitasti, & in acie prima pugnans spiritali gladio diabolum interfecisti. Agmina quoque fratrum hinc & inde verbis tuis composuisti, vt insidię inimico vndique tenderentur, & cadauera ipsius publici hostis, & nerui concisi calcarentur. Crede nobis charissime, quoniam non est à centesimo prẹmio minor tua innocens anima, quæ nec seculi primos impetus timuit, nec ire in exilium recusauit, nec relinquere ciuitatem dubitauit, nec in deserto loco morari horruit. & quoniam multis documentum confessionis dedit, ipse prior martyrium dixit: alios enim ad martyria faciẽda exemplo suo prouocauit, & non tantum martyrium de seculo iam excedentium solatio esse cœpit, sed & cum futuris cælestem amicitiam copulauit. Agunt ergo tibi nobiscũ damnati maximas apud Deum gratias Cypriane charissime, quod literis tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resoluisti, semitonsis

mitonſis capitibus capillaturam adæquaſti, tenebras carceris inluminaſti, montes metalli in plana deduxiſti, naribus etiam fragrantes flores impoſuiſti, & tetrum odorem fumi excluſiſti. fecit autem & proſecutum eſt miniſterium tuum,& Quirini dilectiſsimi noſtri, quod per Herennianum hypodiaconum & Lucanum & Maximum & Amantium acoluthos diſtribuendum miſiſti,quęcunque neceſsitatibus corporum defuerant expediri. Simus ergo orationibus noſtris alterutro adiutores, & rogemus ſicut mandaſti,vt Deum & Chriſtum & Angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores. Optamus te domine frater, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe.Saluta omnes qui tecum ſunt. Omnes noſtri qui nobiſcum ſunt,te amant & ſalutant, & videre deſiderant.

CYPRIANO CHARISSIMO ET DILECTISSIMO, FELIX, IADER, POLIANVS VNA CVM COMPRESbyteris & omnibus nobiſcum commorantibus apud metallum Siguenſem,in domino æternam ſalutem. LXXVIIII.

RESALVTAMVS te frater chariſsime per Herennianum hypodiaconũ & Lucanum & Maximum fratres, nos fortes& incolumes adiuuãtibus orationibus tuis,à quibus accepimus oblationis nomine quãtitatem,vna cum literis tuis quas miſiſti,in quibus dignatus es de verbis cęleſtibus nos tanquam filios confortare:& Deo patri omnipotenti per Chriſtum eius gratias egimus & agimus,quòd ſic confortati & corroborati ſumus per tuam adlocutionem, petentes de animi tui candore, vt nos aſsiduis orationibus tuis in mente habere digneris, vt confeſsionem veſtram & noſtram quam dominus in nobis conferre dignatus eſt, ſuppleat.Saluta omnes qui tecum commorantur. Optamus te frater chariſsime in domino ſemper bene valere.Iader ſubſcripſi,Polianus legi:dominum meum Eutichianum ſaluto.

AD VIGILIVM EPISCOPVM, DE IVDAICA INCREDVLITATE. LXXX.

ETSI plurimos gentilium ſcio Vigili ſanctiſsime,ab ordine atque ratione veritatis auerſos, quo minus dominum noſcant,cęcitate mentis errare,tamẽ magis Iudaïcę plebis inſaniam noui aduerſus nomen domini,pertinaci etiam nunc duritia cordis ingenita patrum iniquitate perſtare, auerſantis veram ſalutem, nec inquirentis vitæ æternæ datorẽ, vt qui delictis ſtirpis antiquæ ſint pari merito nequitiæ genitalis obnoxij, ſaltem vel ſero credentes poſsint conuerſi ad domini timorem ſatisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari: ſed perſtat & durat adhuc & ſemper aduſque progeniem ſuccidaneam innata patrum inreligioſa perfidia, quæ aduerſum odium nominis domini incredulitatis inſania roborata, nec ad noſcendam veritatem poteſt corrigi, nec ad timorem Dei ipſius monitis doceri atque ſuaderi. Cum autẽ doceat dominus & oſtẽdat,dicens, *Ego ſum lumen ſeculi: qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*: quæ, malum,ratio eſt, oſtenſum diuinitus vitæ lumen omittere,& mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere,vt oſtendat damnationis ſuæ propriæ voluntatis liberã & inlicitam perditionẽ,contra Deum etiam illa nolle quæ proſunt, ſecundum quod & per domini vocem increpa-

tam Hierusalem, quod colligi noluerit, Domino illam volente colligere, loquitur spiritus sanctus, & bonitatem Dei manifestat, peccatoribus subuenire iugiter velle, *Hierusalem Hierusalem quæ interficis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos sicut gallina colligit filios suos sub ascellas suas, & noluisti.* à Deo Dei voce manifesta perfidi populi contumacia denotatur, vt etiam salutem propriam suam semper aduersus clementem misericordiam domini spreuisse doceatur. Propheta item alius, beniuolentiam Dei exhortatione, prædicatione offerens, insinuans proclamat, & suadet dicens, *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit dominus.* Alias quoque similiter misericordiam suam Deus sempiternam manere demonstrans, addidit dicens, *Nolo mortem morientis quantum vt reuertatur & viuat, dicit Dominus.* Quid est ergo reuerti, quàm in Christum credendo per eum qui est via veniendi ad patrẽ, Deo reconciliatum posse saluari? quomodo autem reuerti ad Deum possunt, qui ei per quem est agnitio & reuersio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? aut quomodo Deum satisfactione placare potuerunt, qui eum qui est satisfactio & placatio pro nobis apud patrem, sacrilega impugnatione persequi maluerunt? si enim aduocatum Christum habemus apud Deum patrem, seruare ea quæ nos docuit & monuit, quæque ad patrem locuturus est, sollicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in domini metum prona, mandatorum eius monitis insistimus, & religiosi ac venerabilis cordis fide credulitatem de eius timore concipimus, quid aliud sequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quam vt omnia nobis mentis antiquæ nocte discussa, & caligine vitæ prioris absterſa, mandatorum domini salutarium memores, ac vitæ æternæ promissa retinentes, ad eius monita vertamur, & in ipsius lumine quod ostẽdit, firmata credulitate gradiamur, vt qui ignari aliquando salutis futuræ in erroribus implicati vitæ prioris, ac tenebris oberrauimus, inluminati nunc eius veri luminis claritate, & ostenso nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata sequenda & gerenda teneamus. Hoc lumen nobis vitæ salutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum de Dei patris procuratione ac miseratione præsidium magi primi ab Orientali parte veniẽtes, & stella eius duce, Iudæorum regem palam præscia prædicatione quẽrentes, adferentes etiam munera, testificata omnibus inquisitione monstrarunt. & ne aliquibus quis ille, esset absconsum, inuentum puerum procidentes genibus adorarunt, sicut testificatur Euangelium, dicens, *Cum autem natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt in Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente & venimus adorare eum:* testificantes scilicet veritatem de eo, etiam stellam sibi signum atque indicium natiuitatis ipsius esse monstratam, qua indice natum illum magis prædicantibus & adfirmantibus, Hierosolymis crederent. Symeon quoque iustus qui in cæcitate constitutus, diuino monitu audierat, se non ante moriturum quàm vidisset Christum, cum in templum omni populo præsente infantem secum inferret mater, & in Spiritu natum esse Christum sensisset, acceptum in manus puerum vidit, & benedicens Deum, in conspectu & auditu omnium dixit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Symeon quod cæcus audierat, euidenti veritate perfectum est, & veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. ad hoc enim viderat vt referret, vt reuelatione sua quod Christus natus fuisset, ostenderet, & perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret. Nec hoc solum testimonium de eo scripturarum cælestium veritas perhibet, verum & per prophetas ante Spiritus sanctus aduentũ eius in hunc mundum

dum futurum, palam mente omnium consciente prædicauit. Nec est obtẽtus excusationis incredulis, vel ignorasse dei filiũ Christum, vel nescisse futurum saluatoris aduentum, sicut Dauid manifestat dicens, *Dies diei eructat verbũ, & nox nocti indicat scientiam: non sunt sermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & trans fines terræ verba eorũ. In sole posuit tabernaculum suum*, id est in manifesto, in luce, palam seipsum venisse monstrauit: & predicatione per prophetas, sui ostensione quodãmodo, omnibus suã prẽsentiã cõprobauit. hoc etiã Esaias, per quem dominus præsentiã suam clara annũciationis manifestatione mõstrauit, prophetat & dicit, *Ipse qui loquebar veni*, id est qui per prophetas ante aduentus mei futuri prẽloquens fuerã, is propria nũc atq; præclara voce præsentiã meã testis mei ipse manifesto. Quid euidẽtius? quid luce prẽclarius? quid verius potest dici, vt oculis quodãmodo perspect⁹ esset, ostẽdit venisse ipse qui fuerat vẽtur⁹, antequã veniret, & incredulitate mẽtis populi perfidi obstruẽte, veniẽtẽ nemo cognouit. Sicut idẽ Esaïas in prima increpatione populo proclamat dicẽs, *Cognouit bos possessorẽ suũ & asinus præsepiũ domini sui: Israel aũt me nescit & plebs me nõ intellexit.* Esa. 1. palã cũctis sicut ipse prẽdixit apparuit, & sedentibus in tenebris manifestũ vitæ lumẽ effulsit, & iustitia: perfidorũ pectus obsessum postposita propria ac reiecta salute, tenebras potius cẽcitate cordis elegit. Frequẽtatur vbiq; atq; manifestat prophetatio cunctorũ qui sancto spiritu prẽmonente, aduẽtus domini metatores esse sortiti sunt, hoc lumen seculo datũ, & diẽ nobis salutis exortũ, viuificãdis quoq; in eum credentibus destinatũ: docet hoc in psalmis Spiritus sanctus & ostendit dicens, *Lapis quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli: à domino factum est istud & est admirabile in oculis nostris: iste dies est quẽ fecit dominus, ambulemus & iocundemur in eo.* In hoc die nos ambulare Paulus quoq; apostolus prẽcipiẽs & docens ac prẽmonens dicit, *Nunc enim propius est nobis salus quã cũ credidimus: nox præcessit, dies autem adpropinquauit. abiiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus*, id est, in Christo & mãdatis eius, cuius lumine ac monitis luminati, & in claritate diei eius inuenti, proximã nobis salutẽ credulitatis in eũ mente conspicimus. Solẽ quoq; esse Christũ cunctis timẽtibus eũ, Malachias propheta testatur & promittit dicẽs, *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in alis eius:* ostendens ex nullo nobis salutẽ posse cõferri, nisi in passione crucis eius, qua extẽdens manus cuncta seculi saluaturus amplexus est. Cõuerso ad eũ timore credamus, & ad æternitatẽ vitæ spei futuri regni eius animemur. Quis ergo tã stolidus ac demens, quis sic ab intellectu suæ salutis alienus, qui tot & tantis veritatis testimoniis incredulus, nõ aduersus, in merã fidẽ obduratum pectus intellectu veritatis emolliat, & tenebris vitę quondã mortalis exutus, in lumine præceptorũ cælestiũ gradiens, ad diuina monita & domini salutaria gerenda mãdata inluminato corde, tota mentis ac fidei credulitate cõuertat, vt quem prophetæ prædicauerunt, Deũ noscat, vt Christũ qui se palã mundo venisse mõstrauit, intelligat, vt scripturis diuinitus testificantibus dei filiũ & Deũ credat, sicut ipse quę sit vita ęterna manifestat dicẽs, *Hæc est autem*, ait, *vita æterna vt cognoscant te solũ & verũ Deum, & quem misisti Iesum Christum*, docens atq; ostendens nihil aliud esse deũ nosse, quã credere, & oculos cordis in dominũ prona, immo tota pectoris fide deuotæ mentis aperire. inde iã fit vt credendo intelligas, intelligendo quod credis, insensu deũ inluminato corde cõspicias, sicut idẽ ipse dominus & per Esaiã antemonet dicens, *Si nõ credideritis, nec intelligetis.* Tã facilis & prẽstãs & larga est atq; abũdans de domini pietate clemẽtia, vt si quis semel sese in eũ toto timore cõuerterit, ad cæleste munus admissus, iam eius non nisi ad diuina mens pateat, & ad cælum ac superna oculos cordis adtollens, Christi lumen partę iã salutis aspiciat. Exẽplum ac documẽ-

tum noſtri timoris & fidei ex ipſius Abrahæ patriarchę fideli credulitate mõſtratur, qui repromiſsioni dei mẽte ſimplici ſtatim credidit, & ideo ad iuſtitiã deputari ei cõdigna remuneratione cõmeruit. Hoc deus diligit, hoc adpetit, hoc in ſeruis ſuis benignus remunerat, & honorat ſimplicitatẽ mundi cordis: quo quidem eius cernimus timorẽ dilectionis domini, quo probamur: credulã fidem mentis, qua iuſtitię deputamur. Hanc fidẽ ſequi, hunc dei timorẽ ſeruare nos cõuenit, qui cuſtodiẽtes verba cæleſtia, & ſperãtes promiſſa diuina, filij Abrahæ meruimus nũcupari. Quod Apoſtoli Pauli qui dei voce vas electionis eſt dictus, cõteſtatione firmatur dicẽtis, *Sic Abraham credidit deo, & accepto latũ eſt ei ad iuſtitiã. cognoſcite ergo quoniã qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.* Hoc Iudaïcus populus, cui à primordio legis monita loquebãtur, incredulæ mentis duritia, & perfidi cordis inſania ſeruare noluit: & ideo pro diffidentię merito, filiorũ nomen amiſit: nõ tamen omniũ perfidę gentis aduerſ⁹ nomen domini, quo minus intelligerent veritatẽ, odio durata mens eſt: etiãque ſpiritus ſanctus, id eſt Chriſtus dominus noſter, profectus ex deo patre, venit vt ſaluũ faceret quod perierat Iſraelis: qui maior ac fortior ad ſubigenda cõtumaciũ colla in timorẽ ſui nominis & poteſtatẽ, eos qui aduerſ⁹ luminis ſui claritatẽ obſtinata etiã tunc mentis cęcitate durabãt, ad notitiã claritatis & gloriæ ſuæ, tã facile cõuertit, quã vt oẽs ſaluos faceret prouidẽtia ſuæ diuinę miſericordiæ dignat⁹ aduenit. Nã vt duricordis tunc & impię plebis ad domini metũ ipſo domino euãgelizãte cõuerſas mentes ſileã, vt Apoſtolorũ ei⁹ prędicatione multiplicatũ in toto orbe & reuerſũ credentiũ populũ cõticiſcã, illud prędarũ atq; memorabile glorioſumq; Iaſonis Hebręi Chriſtiani, & Papiſci Alexãdrini Iudęi, diſceptationis occurrit, Iudaïci cordis obſtinatã duritiã Hebręa monitione, ac leni increpatione mollitã, victricẽ in Papiſci corde, Iaſonis de ſpirit⁹ ſancti infuſione doctrinã. Qua Papiſc⁹ ad intellectũ veritatis admiſſus, & ad timorẽ domini ipſo domino miſerãte format⁹, & in Ieſũ Chriſtũ filiũ dei credidit, & vt ſignaculũ ſumeret deprecat⁹, Iaſonẽ poſtulauit. Probat hoc ſcriptura cõcertationis ipſorũ, quæ collidẽtiũ inter ſe Papiſci aduerſantis veritati, & Iaſonis aſſerẽtis & vindicãtis diſpoſitionẽ & plenitudinem Chriſti, Græci ſermonis opere ſignata eſt: ad cui⁹ trãſlationẽ ad intellectũ Latinũ animãte dei ope, & fidei viuẽtis firmitate, ſeruata verborũ proprietate, intrepid⁹ acceſsi, & his qui ab intellectu Grecę docilitatis alieni ſunt, interpretata, integra ſignificatione verborũ & intellect⁹ omnis ac veritatis manifeſtatione patefacta, Romani ſermonis ratione diſcuſſa, diſſerui: cui⁹ laboris probationẽ tibi chariſsime, qui vtriuſq; linguæ inſtructione fundat⁹ es, impenſa petitione cõmitto, vt qui ſancti ſpirit⁹ veneratione verecũd⁹ es, collata vtriuſq; operis lectione, audaciã verecũdę temeritatis explores, & examine iudicij tui, quę minus à nobis vel improprie forte digeſta ſunt, auctoritate ſpirit⁹ ſancti, qui in pectus tuũ inundatione gratię cęleſtis influxit, cõprobes & emẽdes, ſitq; ad te de iſta lectione ab humilitate noſtra mãdata legatio, & inſinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio, vt paruitatẽ fidei meæ cũ diſcipulorũ tuorũ inſtructione atq; eruditione cõiungas: & me quẽ in alia parte hui⁹ prouincię cõſtitutũ propter viſendos vult⁹ tuos nõ itineris longinquitas terruit, nec ſeniũ ac difficultas fatigati ac feſsi iã corporis retardauit, ſed animãte ſtimulatu domini, & vrgẽte feſtinata cupiditate properãdi, cõtẽpta quoq; omni tribulatione inopiæ atq; penuriæ, quantacunq; viriũ facultate veniendi, ſanctimoniæ tuæ celebris huc fama perduxit, ad permixtã dilectus tui charitatẽ cũ vnanimitate fraternitatis admittas, & amore tuo quẽ diſcipulis ſuis dominus hęreditatis titulo reliquit, cõiungas pariter & adſciſcas. Expertũ pariter cum fratribus in apertione oris tui ſplẽdorẽ gratiæ luminis Chriſti ſequar, in tractatibus tuis lumen vitę, quod domin⁹ oſtẽdit, quod Chriſtus adueniẽs æternam

nam vitã esse mõstrauit. Certe quã mihi læta illa, quã exoptabilis dies est, cũ misericordię domini fauore accersitione dilata, senectã istã meã proferre cõtigerit, vt & orationibus sanctorũ impense & iugiter depreçantiũ, dominum, Christi martyrẽ videã, vt coronã iustitię, quæ tibi penes dominũ depositа est, portare cõspiciã. Nec putaueris autẽ martyrij tibi secundũ prẽsens votũ fidei nostrę, gloriam tribui: tunc inde felicitatis huius cõlata dignatio est, tunc iudicio suo iusto dominus elegit destinatũ martyrẽ, cũ te exẽptũ de iustorũ grege atq; adsumptũ sibi inopinato cõstituit altari sacerdotẽ. Prẽclara prorsus & glorioſa vocationis electio, & de domini dignatione noua atq; inaudita, & mira felicitas, transmarinæ peregrinationis necessitatibus occupatũ, ad destinatũ tibi munus ignarũ ac nescių repente venisse, atq; ita regressus tui tẽpus ad hoc esse libratũ, vt insperata celeritate veniẽdi, intelligeres atq; dignosceres honorẽ sacerdotij cælestis inter cæteros tibi potissimũ destinatũ, & quod iussione domini expectat⁹ venires atq; occurreres, reseruatus vt eccleſię suæ domin⁹ tota miserationis pietate cõsuleret, dimicationis plebis mora, quem potius eligeret episcopũ, te querenti populo suo Christus inopinatum repẽte obtulit, & cõplacitũ sibi cælestis prouidẽtia manifeste aduent⁹ tui improuisa occursione mõstrauit: documentũ repentini ac perẽnis occursus, procuratio nẽ dei voluntatis ostendit, vt quod difficili expeditione vix potuisset occurrere, facili celeritate perfectũ sit, vrgente domini iussione, & vt prius te in ecclesia dei episcopum stare cõspiceres & stuperes, quã venisse dignosceris. Inde dilectionẽ iã tecum suã dominus initiata charitate firmauit: inde amicitiam tecũ, quã discipulis suis sub triumpho crucis suæ tradidit dedicauitq;, dicẽs, *Si feceritis quæ mando vobis, iam nõ dico vos seruos, sed amicos.* Inde martyrẽ, inde sacerdotij electionẽ signauit. Amicitia est, per quã ad Christi vultus admitteris, extraordinaria hostia peruenis. Sic eliguntur iusti, sic probantur religiosi ac simplices in Christũ timore electi, vt ante remunerationi fidei destineris, ante prẽmio deuotę mentis in domino dignus habearis, quã venerit hora decreti, quã exceperis sententiã Christi, probatam te & paratam hostiã electio cælestis inueniat. Etenim ille te qui non mendax Deus, qui episcopum plebi suæ de improuiso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis & coronabit. Tãtum tunc vt nostri memineris petimus, & oramus, cùm pudicitia adlectionis domini probata atq; immaculata hostia ante Christi tribunal adstiteris, cùm gloriã gratiæ Dei præmio deuotæ mentis ac remunerationis exceperis, memoriæ hæreat & teneas, vt in sensibus tuis maneat quam nobis impertire dignaris, dilectio charitatis, vt orationibus tuis peccata nostra veniam cõsequantur, vt meritis iustitiæ tuæ vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrij instar esse confido, peccatorem iusti martyris petitione meruisse saluari: & vt, cum ipse pro te promouere quod precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Iob iustus pro amicorum trium peccatis à Deo rogaturus & impetraturus, ostenditur, & probatio timoris eius & fidei domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ charissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis, cum in æternitatem perpetuitatemque viuendi regnare cum Christo felici sorte succesſeris, in domini misericordia in mente iam habe puerum tuum Celsum sanctissime.

CAECILII CYPRIANI, ADVERSVS IVDAEOS, Qui insecuti sunt dominum nostrum Iesum Christum. LXXXI.

ADTENDITE sensum & intelligentiam vestram in Spiritu sancto, vt non tantum auribus audiatis, sed etiam oculis cernatis diuinum Christi sacramentum. Cernitis autẽ per fidem vestram: audire enim necessitatis est, credere sollicitudinis. Aurium officium est, indifferenter pariter vana atque vtilia perspicere: fidei

autem,nisi quæ probauerit credere.Neque enim quicquam prodest libenter audire,nisi credulitas auditum confirmet.fidei oculi sunt Spiritus,per quem vidētur spiritalia.Si ergo vos estis spirituales,intelligite cælestia.Similia enim sui similia recognoscunt: etiā muta animalia de vocis sono inuicem se intelligunt,leones fremitum,tauri mugitum,& miles tubam.Quanto ergo verius spirituales spiritalia intelligunt, cælestes & hæredes patris sui præcepta, & ea quæ testamento patris sui cauta sunt?vos ergo cū sitis Christi hæredes,intelligite testamentum eius.Quod si quis per ætatē minus docibilis est,ad intelligendum habet Spiritū sanctum interpretem,illum sequatur:illo duce & magistro facillime poterit noui testamēti iura virtutemq; cognoscere,quod hęreditas gentibus contributa est, hoc modo: Deus & pater in principio fecit hominē sua manu,eumq; posuit in paradiso,data certa conditione pręceptorum vitæ legis & testamenti.Ille autem contemptis patris pręceptis,expulsus est paradiso in suam terrigenam natiuitatem, in qua etiam defunctus est:sed Deus suscitauit genus iustum de semine Adæ,quod semen conseruauit in populum super filiū Noe,&hęredes eius.Ex illo genere inuenit hominē iustum, cui imperauit vt faceret fabricā in modum machinę,capacitatis certæ,mēsurarum cōpagibus,vt illa cōditus cum suis fratribus Noe seruaretur per illud genus:sed iusserat Deus propter iniustitiā hominum orbē terræ aquis inundantibus deperire.Igitur postea saluus factus est cum suis Noe,cui constituit
Gen. 9. & Deus præcepti sui testificationē dicens, *Omnis res cibus vobis,quasi pabulum olerū,excepta carne in sanguine vitæ: & posuit huius testificationis signū in arca.* Post hæc rursus dominus Deus testificatus est Abrahæ in Isaac hoc modo dicens, *Tibi dabo hanc terrā & semini tuo, & faciam te patrem multarū gentium.* & exinde increuit semē in multitudinē populi,& diuisum est in duodecim patriarchas. Sed etiā illis quoq; dominus testificationē posuit in mōte Choreb per Moysem,de quo loco expulsis gētibus,cōstituit illic populū,quē accepit & possedit promissa sibi hęreditate:quibus etiā pleraq; signa& miracula ostēdit deus, quasi charissimo filio:sed idē populus perceptis tot tātisq; beneficiis, aduersatus est patri,& dereliquit Deum viuū.Dereliquit enim Israel dominū,ostēdens ei terga,& nō faciē:nam faciem suā conuertit ad idola, & interficiendo missos ad se prophetas,qui de Christo prędicabāt.exinde cōsueuit Israel per sequi Christū non tantum in corpore aduenientē,sed etiā cū à prophetis adnunciaretur.Vniuersos etenim vates persecuti sunt,ex quibus quosdā lapidibus infectati,alios indigne excruciando,peremerunt,nō tātū ipsos,sed & per eos dominū Christū. Quæ enim huius probatio?scilicet eo quod insimulatos & infidos & perfidos, & mēdaces & cōtrarios Christi susceperint, veros autē & fidei plenos impugnauerint.Moysen maledicebāt,quoniā Christū prędicabat:Dathan amabant,quoniā Christū non prædicabat. Aaron repudiabant in sacerdotio,quoniā Christi similitudinē præferebat:Abiron cōstituebant, quoniā Christo contradicebat.Dauid oderant,quoniā Christū canebat:Saul extollebant, quoniā Christum nō loquebatur. Samuelē respuebant, quoniā Christū loquebatur: Acham seruabant,nihil enim de Christo loquebatur. Hieremiā lapidabant,Christum vaticinātem:Ananiā diligebant Christo aduersantem.Esaiā secabant,Christum vociferantem:Manasse magnificabant, Christum persequentē.Iohānem interimebant,Christum demonstrantē:Zachariam trucidabant,Christum diligentē:Iudam diligebant Christū tradentē.Videtis quemadmodum Christū qui diligunt,odiuntur:qui odiunt,amore flagrant apud indignā plebem.O pertinaciā persecutionis dignā vsq; ad mortis exterminationē.non enim tātūmodo testes domini impugnauerunt,sed & ipsi domino perfidi coloni,cōtumeliā fecerunt patri in filio. Quid igitur digni fuerūt pati ob hoc admissum?scilicet fugari de regno,abdicari hęreditate:&

ita

ita factum est,& ita euenit,digna dignis obtigerunt. Pater enim cõtumeliam passus in filio,filius perpessus in prophetis tempore quo moriebantur,in suo tempore coactus est indignatione scribere nouum testamentum,adhibitis testibus cælo & terra & angelo,de tẽplo adsistẽtibus Moyse & Helia.hos enim testes adhibuit,cum pateretur in Israel: hæc ita facta prædixit per prophetas his verbis,*Audi cælum & præbe aurem terra,quoniã dominus locutus est:filios genui* Esa 1.
& exaltaui:ipsi autem me spreuerunt. Has voces effudit dominus in Israël vociferans ac dicens,Vos me noluistis,alij me recipiẽt qui nondũ nec mentionẽ mei audierũt.vos nuptias meas spreuistis,alij ibunt qui nõ sunt vocati.vos meum rus & vineã colere recusastis,vnde fructus iustitiæ proueniunt: alij colent & fructus capient in Deo. Quę est ista tam dira mens & execranda cogitatio?Interficere ergo potuistis regem & spõsum?propter hoc testes sunt cęlum & terra,& quæ in illis sunt elementa: insuper omnis creatura testis est in mortem Christi.O nouam crudelitatem:cõmota est omnis natiuitas in domini passione:populus mansit immobilis sine trepidatione. Angelus in pœnitentiã cõciso velamine refugit:plebs autẽ sine pauore integra veste permansit.conuersa sunt elementa & confusa: Israel securus durauit. O duritia noua,ô audacia singularis,ô perfidia cruenta.Pilatus exteræ gentis,iudex secularis,potestate temporalis,purificauit manus & abluit scelus necessitatis,dicens,*Innocens & immunis sum ab huius sanguine:* plebs autẽ nec alienum nec exterum imitata est, sed insuper adclamabat,*Adfige in cruce,tolle: sanguis huius super nos & super filios nostros.* Violenta crudelitas & plebs inhumana, & corda obtusa, & oculi recluſi interfecerunt bene merentem suum,nec lachrimas profuderunt. Lugebant Apostoli,& populus gloriabatur:tremebat terra,& plebs lætabatur:iudicabatur dominus,& Israel exultabat: patiebatur Christus, & impij exclamabant:cruciabatur,& plebs lætabatur:suspendebatur dominus,& plebs epulabatur:hac ignominiosa sua solennitate iniqua consilia consignauerunt delicto crudelitatéque sua. Dic mihi & loquere,impie Israel,talem hostiam obtulisti, patri immolando suum filium:talia profudisti libamina,sanguinem pignoris acceptissimi Deo? ducebas choreas Hierusalem, cum interficeretur Christus:faustis vocibus cantus dabas,cum diceres, *Adfige,suspende.* propter hoc in fame & in ægritudine,*Populę Israel* (queritur de te dominus) *neomenias*, ait,*sabbatum & diem magnum non patior: ferias & ieiunium execratur anima mea.* nec immerito Deus odiuit cerimonias vestras, in quibus vnicum & primarium filium eius peremistis.O diem durum,& horã flebilem,& solennitatem lugubrem, & terrã infaustam, & ciuitatem profanam,& populum domini nece cruẽtum.Interfecerunt enim dominum,& latronem liberauerunt. Ob hanc ergo causam coactus est dominus nouum facere testamentum,consignatum septẽ spiritibus,teste Moyse & Helia in monte, vbi præcepit ne patefieret scripturę sacramentum,nisi filius hominis resurrexisset à mortuis:sed mox vt surrexit dominus die tertio,aperuit testamentum nouum, testamentum vitale,atque ita dixit,Venite exterę gentes hęredes mei:Israel enim non obaudiuit. quapropter ite discipuli in vltimam vsque terram, & prædicate per orbem his verbis, Venite vndique patriæ gentium, introite introite in æternam hæreditatem. Israel enim noluit. Ne dubitetis:nulla hic exceptio est,nec ingenuitatis, nec dignitatis, nec conditionis, nec positionis,nec formæ, nec ætatis:licet dignitate magnifici, licet nobiles, licet senes,licet iuuenes,licet pauperes,diuites,boni maliq;,domini atq; serui,æqualiter introite in hęreditatẽ: etsi pedibus captus esset,corpore deformis,& si maculis turpis, & capite defectus,& si oculis defectꝰ videatur,vniuersis libere licet discũbere in cõuiuio & epulari nuptias spõsi.Ne hominẽ pudeat nec ætatis,nec humilitatis,nec valitudinis,nec cõditionis. cõsueuit enim dominus huiusmodi ho-

minem sustinere. Nam & cæcis oculos restituit,& claudos ambulare fecit,& mutis sermonem reddidit, & maculosos emundauit, & mortuos suscitauit. Ne timeatis qui peccastis:priores ad vitam venite. nec qui homicidiũ fecerit paueat quia fecerat,nec qui furatur aliena desperet quia inuolauerat, nec publicanus timeat quia concussérat.omnibus enim remissio peccatorum statuta est,& tales dominus desiderat humilitate abiectos, & specie indecoros, & valitudine fractos, & seruitute depressos. Beati enim & glorioſi & magnifici,& potentes & diuites & fortes noluerunt acquiescere domino,neque introire in nuptias sponsi. Insuper indignissime peremerunt, propterea factus est altissimus quisque eorum,humillimus:& fortissimus,inualidus:& prudẽs, stultus:& nobilis & diues,pauperrimus & hæres abdicatus:quoniam quidem ipsi abdicauerunt regem modestissimum & benignissimum dicentes,Ignoramus quis sit hic:non enim est rex noster: habemus alium regẽ Cæsarem.propterea habent quem petiuerunt. Tunc completa est Prophetiæ vox quæ prædixit illis, *Vos noluistis aquam Siloam quæ vadit silentio, sed magis voluistis aquam Rassin. Quapropter induco vobis regẽ Assyriorum,qui montes vestros in planum dabit, & introibit terras vestras.* Atque ita factum est.repudiatus enim Christus à populo,misit tyrannum quem voluerunt, qui ciuitates eorum diruit,& plebem captiuitate damnauit, & spolia accepit, & ad solitudinem Sodomæ patriam eorũ redegit.Nam dominus ex indignatione abstulit ab Hierusalẽ,virtutem panis & aquę,fortem gigantem hominem & bellatorem,iudicẽ,prophetam, destinatorem, & senem laudabilem, conciliatorem & peritum architectum, & prudentem adiutorem. hęc omnia autem auxilia munitionis propugnaculo transtulit ad gentes, & omne regnum suum infixo signo: inhabitauit in illis,&castra metatus est liminis, & ibi constituit virtutis exercitum, ibique regnauit. Non est iam regnum Hierusalem, sed in nobis:hîc castra, ,hîc exercitus,hîc dux,hîc virtus,hîc sponsus,hîc nuptiæ,hîc rex,hîc Christus, hîc vita,hîc suscitatio,hîc ęternitas,hîc est qui ab initio figuratus est,& à prophetis honoratus,& in viscеribus corporatus,& in Iordane tinctus,&à populo contemptus,& in ligno suspẽsus,& in terra sepultus. Hîc est qui rupit vetus suum testamentum,& scripsit nouum,quo gentes ad passionem bonorum suorum vocauit: ideóque nos gentes humeris nostris crucẽ domini nostri gestamus, crucem quam confessus est Israel dominus,qui eos placide adloquebatur his verbis,*Venite ad me omnes qui subonere laboratis,& ego vos reficiam.est enim iugum meum placidum,& onus leuissimum.* & responderunt, non audiemus: sed gentes nostrę exaudierunt & crediderunt verbo salutari,quo patefactæ sunt aures eorum, & oculi inluminati cæcorum, & elocutæ linguæ impeditorum, claudi prosilierunt velut fera lasciuiẽs: Christus enim cum suo regno sedem posuit illis.plebs autem derelicta nuda,deserta, viduata regno cælesti atque terrestri:nam à cælesti abiecti sunt, consecuti omnia instrumenta quæ posſederunt,lychnum septem luminum, & machinam testamenti, & vasa ærea & tubas,& panẽ de cælo,& terrã sanctã lacte & melle profluentẽ:hac hæreditate priuatus est Israel, & nunc derelictus in omni sua terra sine alimento, sine luminis auxilio.auxilium enim & præsidium interemisti,& lumen persecutus es,& protectorem repulisti,& sponsum adfixisti,& regem suspendisti:propterea exul es de patria tua, oberrans circa gentium flumina, voce supplicum precẽ fleuisti dicens, Expulsus sum miser de propriis sedibus meis, hospes & aduena factus sum alienæ possessionis, sine domo, sine tecto: miserere deserti & impij & indigne victi. Hæc pœna in Israël est,hæc conditio in Hierusalem:& nisi conuerterint mentes & dixerint, Viuit dominus in secula, non poterunt intrare in domini vitam. Viuit etenim,& viuunt hæreditates eius:& viuit quem interfeciſtis impie in Hierusalem: & tamen non tibi totam spem

Esaiæ.8.

denegą-

denegauit dominus. dedit enim veniam pœnitentię,ſiquo modo poſsis pœnitere. Quis tam bonus,quis tam pius,tam miſericors? Accipe, inquit, ſalutem,licet me occideris:hæres eſto cum virgine,licet non merearis.Ignoſco ſi te pœnitet. Ergo ſi fas eſt,ſic capite mentem bonam, vel ſero vel tarde intelligite teſtamentum nouum. Eia vos gentes, abſoluite illis ſcripturas ſuas, & dicite, Adorate dominum pro meritis ſuis.quod manus eius extenderis,licet exaggeres orationem tuam,nõ exaudit. manus enim tuæ plenæ ſunt ſanguine.*Lauamini,mundi eſtote,& venite conloquamur,dicit dominus Deus,eluite ſanguinem ex vobis, & emundabit corda veſtra ſupra niuem , & animas veſtras ſuper lac.* Accedite huc, ſcripturis credite, hîc eſt ſalus de Sion Dei, exiet verbum de Hieruſalem,iudicabit in medio gentium,& corripiet plebẽ multam. cõcidant gladios ſuos in aratra, & frameas ſuas in falcibus commutẽt:non ſumet gens contra gentem gladium:deſinent enim belligerare.Et tu domus Iacob, venite eamus in lumine domini. remiſit enim plebem ſuam : completa eſt regio tua prędagiis alienis,& filij alienati ſunt.Tua enim ipſa terra eſt, & exterũ factum eſt genus domini. Venite ergo,intrate,& eſto quaſi vna gens:miſerere errantium.æquum eſt honorificari ſentẽtiam Dei,qualiter magnifici proſtrati ſunt,& humiles alleuati,fortes debilitati,infirmi confirmati, diuites ad paupertatẽ redacti,hæreditati dominantes ſerui,dominati ſubiecti ad regnũ vocati,videntes orbati,orbi inluminati,prudentes ad ſtultitiam, ſtulti ad prudentiã conuerſi.Etenim qui quondã vecordes & indocti ſpiritu,nũc ſcripturas docent & ſciunt & intelligunt : qui autem ab initio docti & periti & legis diſciplinam ſcientes,neſciunt legem,neſciunt legere, nec intelligunt ſpiritalia:& qui ex illis prudentibus cupiens videre venit, intelligit, rogat puerum aut paruulum,aut anum,aut viduam,aut ruſticum:dicens,Viuere cupio,dux eſto mihi in Sion,enarra mihi nouum teſtamentum, reconcilia me domino: ecce trado me tibi diſcipulum,interpretare mihi legẽ,quæ acta ſunt in Choreb, diſſere præcepta quæ in Sion, & intellige ſine literis.Diſſerit ſcripturas eis, & puer docet ſenem,& anus perſuadet diſerto.Correptus ergo Iſrael ſequitur iniecta manu ad lauachrum , & ibi teſtificatur quod credidit, & accepto ſigno purificatus per ſpiritum,rogat accipere vitam per cibum gratiæ panis qui eſt à benedictione: & fit mirum ſpectaculũ : & qui Leuitæ offerebant, & ſacerdotes immolantes, & ſummi antiſtites libantes,adſiſtunt puero offerenti diſcum,qui olim docebant,& iubetur eis qui præcipiebant,& intingun tur qui baptizabant,& circunciduntur qui circuncidebant : ſic dominus florere voluit gentes. Videtis, quemadmodum vos Chriſtus dilexit.

ARGVMEN. *Cypriani epiſtola ad Succeſſum,de perſecutionibus.*

CYPRIANVS, SVCCESSO FRATRI, SALVTEM. LXXXII.

VT NON vobis in continenti ſcriberem frater chariſſime, illa res fecit, quod vniuerſi clerici ſub ictu agonis cõſtituti, recedere iſtinc omnino non poterant, parati omnes pro animatione diuina & cæleſti corona. Sciatis autem eos veniſſe quos ad vrbem propter hoc miſeram, vt quomodocunq; de nobis reſcriptum fuiſſet, explorata veritate ad nos proferrẽt. multa enim vana & incerta opinionibus ventilantur:quæ autem ſunt in vero, ita ſe habent, Reſcripſiſſe Valerianum ad Senatum, vt epiſcopi & presbyteri & diacones in continenti animaduertantur : ſenatores vero & egregij viri, & equites Romani dignitate

amissa etiam bonis spolientur, & si adeptis facultatibus Christi ani esse perseuerant, capite quoque multentur: matronæ vero, adeptis bonis in exilium relegentur: Cæsariani autem quicunque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittãtur. subiecit etiam Valerianus Imperator orationi suæ exemplum literarum quas ad præsides prouinciarũ de nobis fecit: quas literas quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, & expectãtes de ope & misericordia domini vitæ æternæ coronam. Xistum autem in cœmiterio animaduersum sciatis, octauo Iduum Augustarum die, & cum eo diacones quatuor: sed & huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in vrbe, vt si qui sibi oblati fuerint, animaduertantur, & bona eorum fisco vindicentur: hæc peto per vos & ceteris collegis meis innotescant, vt vbiq; hortatu eorum possit fraternitas corroborari, & ad agonem spiritalem præparari, vt singuli ex nostris non magis mortem cogitent, quam immortalitatem, & plena fide ac tota virtute domino dicata, gaudeãt magis quam timeãt in hac confessione, in qua sciunt Dei & Christi milites non perimi, sed coronari. Amen.

CAECILII CYPRIANI AD QVIRINVM, ADVERSVS IVDAEOS, LIBER PRIMVS. LXXXIII.

CYPRIANVS, QVIRINO FILIO, SALVTEM.

OBTEMPERANDVM fuit fili charissime, desiderio tuo spiritali, impensissima petitione diuina magisteria poscenti, quibus nos dominus per scripturas sanctas erudire & instruere dignatus est, vt à tenebris erroris abducti, & luce eius pura & candida inluminati, viam vitę per salutaria sacrament a teneamus. Et quidem sicut petisti, ita à nobis sermo compositus, & libellus compendio breuiante digestus est, vt quę scribebãtur, nõ copia latiore diffunderẽ, sed quãtum mediocris memoria suggerebat, excerptis capitulis & adnexis, necessaria quęq; colligerem, quibus non tam tractasse, quàm tractãtibus materiam præbuisse videamur. Sed & legentibus breuitas eiusmodi plurimum prodest, dum non intellectum legentis & sensum liber longior spargit, sed subtiliore compendio, id quod legitur, tenax memoria custodit. Complexus sum vero libellos duos pari æqualitate moderatos: vnum, quo ostẽdere enisi sumus, Iudæos secundum quæ fuerant ante prædicta, à Deo recessisse, & indulgentiam domini, quæ sibi iampridem data, & in posterũ promissa fuerat, perdidisse: successisse vero in eorum locum Christianos, fidẽ domini promerẽtes, & de omnibus gentibus ac de toto orbe venientes. Item libellus alius continet Christi sacramentum, quod idem venerit qui secundum scripturas annũciatus esset, & gesserit ac perfecerit vniuersa, quibus intelligi & cognosci posse prædictus est: quæ legenti tibi interim prosunt ad prima fidei liniamenta formanda. Plus roboris tibi dabitur, & magis ac magis intellectus cordis operabitur scrutanti scripturas veteres ac nouas plenius, & vniuersa librorum spiritalium volumina perlegenti. Nam nos nunc de diuinis fontibus impleuimus modicum, quod tibi interim mitteremus. Bibere vberius & saturari copiosius poteris, si tu quoq; ad eosdem diuinæ plenitudinis fontes nobiscum pariter potaturus accesseris. Opto te fili charissime, semper vene valere.

CAP. I. Iudæos in offensam Dei grauiter deliquisse, quod dominum dereliquerint, & idola secuti sint.

II. Item quod prophetis non crediderint, & eos interfecerint.
III. Ante prædictum quod dominum neque cognituri, neque intellecturi, neque recepturi essent.
IIII. Quod scripturas sacras intellecturi Iudæi non essent, intelligi autē haberent in nouissimis temporibus, posteaquam Christus venisset.
V. Nihil posse Iudæos intelligere de scripturis, nisi prius crediderint in Christum.
VI. Quod Hierusalē perdituri essent, & terram quam acceperāt, relicturi.
VII. Item quod amissuri essent lumen domini.
VIII. Quod circuncisio prima carnalis euacuata sit, & secunda spiritalis repromissa sit.
VIIII. Quod lex prior quæ per Moysen data est, cessatura esset.
X. Quod lex noua dari haberet.
XI. Quod dispositio alia & testamentum nouum dari haberet.
XII. Quod baptisma vetus cessaret, & nouum inciperet.
XIII. Quod iugum vetus euacuaretur, & iugum nouum daretur.
XIIII. Quod pastores veteres cessaturi essent, & noui inciperent.
XV. Quod domus & templum Dei Christus futurus esset, & cessasset templum vetus, & nouum cœpisset.
XVI. Quod sacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur.
XVII. Quod sacerdotium vetus cessaret, & nouus sacerdos veniret qui in æternum futurus esset.
XVIII. Quod propheta alius sicut Moyses promissus sit, scilicet qui testamentum nouum daret, & qui magis audiri deberet.
XVIIII. Quod duo populi prędicti sint, maior & minor, id est vetus Iudæorum, & nouus qui esset ex nobis futurus.
XX. Quod ecclesia, quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quàm quot synagoga ante habuisset.
XXI. Quod gentes magis in Christum credituræ essent.
XXII. Quod panem & calicem Christi, & omnem gratiam eius amissuri essent Iudæi, nos vero accepturi, & quod Christianum nouum nomen benediceretur in terris.
XXIII. Quod ad regnum cælorū magis gentes quàm Iudæi perueniant.
XXIIII. Quod solo hoc Iudæi accipere veniam possint delictorum suorum, si sanguinem Christi occisi baptismo eius abluerint, & in ecclesiam transeuntes præceptis eius obtemperauerint.

LIBER PRIMVS.

I Iudæos in offensam Dei grauiter deliquisse, quod dominum reliquerint, & idola secuti sint, in Exodo populus ad Aaron, *Exurge, & fac nobis Deos qui nos præcedant, quia Moyses vir hic, qui nos eiecit de AEgypto, quid ei acciderit, non scimus.* Item illic Moyses ad dominum, *Precor* ait, *te domine, deliquit populus hic delictum grande: fecerunt sibi deos aureos & argenteos, & nunc si dimittis eis delictum, dimitte: sin autem, dele me de libro quem scripsisti. Et dixit dominus ad Moysen, Si quis deliquerit ante me, deleam illum de libro meo.* Item in Deuteronomio, *Sacrificauerunt dæmoniis & non Deo.* Item in libro Iudicum, *Et fecerunt filij Israel malignum contra dominum Deum patrum suorum, qui eiecit eos de terra AEgypti, & secuti sunt deos gentium, qui circa illos sunt, & offenderunt dominum & reliquerunt Deum, & seruierunt Baal.* Item illic, *Et adiecerunt filij Israel iterū facere malignum contra dominum. & seruierunt Baal & diis alienigenarum, & reliquerunt dominum, & non seruierunt illi. Derelictus est Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Hierusalem, quoniam profanauit Iudas sancta domini, in quibus dilexit & affectauit deos alienos. Exterminabit dominus hominem qui facit hæc, & humilis efficietur in taber-*

Exod 32.
Deut. 32.
Iud 20.

naculis Iacob, apud Malachiam.

II. Item quod prophetis non crediderint & eos interfecerint, apud Hieremiam dominus dicit, *Misi ad vos seruos meos prophetas, ante lucem mittebam, & non audiebatis me, neque intendebatis auribus vestris, dicēs, Conuertatur vnusquisque à via sua mala, & à nequissimis affectationibus vestris, et habitabitis in terra ista quā dedi vobis & patribus vestris à seculo & vsque in secula. Nolite ambulare post deos alienos vt seruiatis eis, & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuū vestrarum ad disperdendos vos, & non audistis me.* item in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ libro tertio Helias ad dominū, *Æmulando æmulatus sum dominū Deum omnipotem, quia dereliquerunt te filii Israel, altaria tua demolierunt, et prophetas tuos interfecerunt gladio, & remansi ego solitarius, & quærūt auferre meam animam.* item in Esdra, *Desciuerunt à te, & abiecerunt legem tuam post dorsum suum, & prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos, vt reuerterentur ad te.*

Hiere.6.

3.Reg.19.

III. Ante prædictum, quod dominum neq; cognituri, neque intellecturi, neque recepturi essent, apud Esaiam, *Audi cælum, & præbe aures terra, quoniam dominus locutus est: Filios generaui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, semini nequam: filii scelesti reliquistis dominum, & in indignationem misistis illum sanctum Israel.* item apud eundem dominus dicit, *Vade & dic populo isti, Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassaui enim cor populi huius, et auribus grauiter audierunt, & oculos suos concluserūt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, & corde intelligant, & reuertantur, & curem illos.* item apud Hieremiā dominus dicit, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non poterunt aquam portare.* item apud eundem, *Ecce sermo domini factus est eis in maledictum, & nō volunt illum.* item apud eundē dominus dicit, *Cognouit tempus suum turtur & hirundo, ruris passeres custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognouit iudicium domini. Quomodo dicetis, sapientes sumus, & lex domini nobiscum est? Incassum facta est metatura vestra, scribæ confusi sunt, sapientes trepidauerunt, & capti sunt, quia verbum domini reprobauerunt.* item apud Salomonem, *Quærunt me mali et non inuenient: odio enim habuerunt sapientiam, sermonem autem domini non receperunt.* item in Psalmo XXVII. *Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus domini.* item in psalmo, LXXXI. *Non cognouerunt neque intellexerunt, in vmbra deambulabunt.* item in euangelio ΚΑΤΑ Iohannē, *In sua propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot eum receperunt, dedit illis potestatem vt filii Dei fierēt, qui credunt in nomine eius.*

Esa.1.

Hiere.2.
Ibid.20.&8

Psal.27.
&.13.

Ioan.1.

IIII. Quod scripturas sanctas Iudæi intellecturi non essent, intelligi autem haberēt in nouissimis temporibus, posteaquam Christus veniisset, apud Esaiam, *Et erunt vobis hi omnes sermones sicut sermones libri qui signatus est, quem si dederis homini scienti literas ad legendum, dicet, Non possum legere: signatus est enim. Sed in illa die audient surdi sermones libri, & qui in tenebris, & qui in nebula sunt, oculi cæcorum videbunt.* item apud Hieremiam, *In nouissimo dierum cognoscetis ea.* item apud Danielem, *Muni sermones, & signa librum vsq; ad tempus consummationis, quo addiscant multi, & impleatur agnitio, quoniam cum fiet dispersio, cognoscent omnia hæc.* in epistola Paulus ad Corinthios prima, *Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt.* itē in epistola ad Corinthios secunda, *Obtusi sunt sensus eorum vsque ad hūc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris testamenti manente, quod non reuelatur, quia in Christo euacuatur, & vsque in hodiernum, si quando legitur Moyses, velamentum est super cor eorum. Mox autem vt conuersus est ad dominum, aufertur velamentum.* in euangelio dominus post resurrectionem, *Isti sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quia oportet adimpleri omnia scripta in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de*

Esa.29.

Hiere.23.
Dan.12.

1.Cor.10.

2.Cor.3.

Lucæ 24.

me. Tunc

me. Tunc adaperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, et dixit illis, Quia scriptum est Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissam peccatorum vsque in omnes gentes.

V. Nihil posse Iudæos intelligere de scripturis, nisi prius crediderint in Christũ, apud Esaiam, *Et si non credideritis, neque intelligetis.* Vnde dominus in euãgelio, *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Fide autem stare iustitiam, & illic esse vitã, prædictum est apud Abacuc, *Iustus autem ex fide mea viuet.* inde Abraham pater gentium credidit. in Genesi, *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad iustitiam.* itẽ Paulus ad Galatas, *Abrahã credidit Deo, & deputatum est ei ad iustitiam. Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicti sunt cum fideli Abraham.* Esaiæ.7. Ioan. 8. Abac.2. Gen.15. Gala.3.

V I. Quod Hierusalem perdituri essent, & terram quam acceperant, relicturi, apud Esaiam, *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ igni exustæ, regionem vestram in conspectu vestro: alienigenæ comedent eam, & deserta & subuersa à populis alienis derelinquetur filia Sion. sicut casa in vinea, & sicut custodiarium in cucumerario, quasi ciuitas quæ expugnatur. Et nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similaremus.* itẽ in euangelio dominus dicit, *Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas missos ad te, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Esa. 1. Matth.23.

V I I. Item quod essent amissuri lumen domini, apud Esaiã, *Venite ambulemus in lumine domini: dimisit enim populum suum domum Israel.* item in euãgelio, *Fuit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In hoc mundo fuit, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* item illic, *Qui non crediderit, iam iudicatus est, quia nõ credidit in nomine vnici filii Dei. Hoc autem est iudicium, quoniam lux venit in seculum, & magis dilexerunt tenebras quàm lumen.* Esa.1. Ioan.1. Ioan. 3.

V I I I. Quod circuncisio prima carnalis euacuata sit, & secunda spiritalis repromissa sit, apud Hieremiam, *Hæc dicit dominus viris Iuda, et qui inhabitant Hierusalem: Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaueritis in spinis: circuncidite vos Deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri, ne exeat sicut ignis ira mea, & exurat & non sit qui extinguat.* item Moyses dicit, *In nouissimis diebus circuncidet Deus cor tuum & cor seminis tui, ad dominum Deum amandum.* Item apud Iesum Naue, *Et dixit dominus ad Iesum, Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & abscide & circuncide secundo filies Israel.* item Paulus ad Colossenses, *Circuncisi estis in circuncisione non manufacta in expoliatione carnis, sed in circuncisione Christi.* item quod Adam primus à Deo factus incircũcisus, & Abel iustus, & Enoch qui Deo placuit, & translatus est, et Noe qui in terris omnibus ob delicta pereuntibus, solus in quo humanum genus seruaretur electus est: & Melchisedech sacerdos, secundum cuius ordinem Christus repromissus est, tum quod illud signaculum feminis non proficit. Signo autem domini omnes signãtur. Deuter. 30. Iosue.5. Coloss.2.

V I I I I. Item quod lex prior quæ per Moysen data est, cessatura esset, apud Esaiam, *Tunc manifesti erunt qui signant legem, ne discant. Et dices, Expecto Deum qui auertit faciem suam à domo Iacob, & fidens oro in illum.* item in euangelio, *Omnes prophetæ & lex vsque ad Iohannem prophetauerunt.* Matth.11.

X. Quod lex noua dari hãberet, apud Michęam, *Quoniam lex de Sion proficiscetur, & sermo domini ab Hierusalem. Et iudicabit inter plurimos populos, & reuincet, & deteget validas nationes.* itẽ apud Esaiã, *Ex Sion enim procedet lex, & verbũ domini ab Hierusalem, et iudicabit inter gentes.* itẽ in euãgelio KATA Matthæũ, *Et ecce vox de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo bene sensi, ipsum audite.* Michæ.4. Esa.2. Matth.3.

XI. Quod dispositio alia & testamentum nouum dari haberet, apud Hie-
Hiere3.1. remiam, *Ecce dies veniunt, dicit dominus, & consummabo domui Israel & domui Iuda testamentum nouum. Non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, quia non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Quia hoc testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus, dans leges meas, in sensum illorum scribam illa, & ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in plebem, & non docebunt vnusquisque fratrem suum dicentes, Dinosce dominum: quia omnes scient me à minimo vsque ad maximum eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non ero memor amplius.*

XII. Quod baptisma vetus cessaret, & nouum inciperet, apud Esaiam, *No*
Esa.43. *lite ergo priora meminisse, & antiqua nolite reputare. Ecce facio noua quæ nunc orientur, & cognoscetis, & faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquisiui, vt virtutes meas exponeret.* Item
Matth.3. apud eundem, *Si sitierint per deserta, adducet illis aquam de petra, findetur petra, et fluet aqua, & bibet plebs mea.* Item in euangelio KATA Matthæũ Iohannes di-
Ioan. 3. cit, *Ego vos quidem baptizo in aqua et in pœnitentiam qui venit autem post me, fortior me est, cuius non sum idoneus calciamenta portare. Ipse vos baptizat in spiritu sancto & igni.* Item KATA Iohannem, *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod enim natum est de carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

XIII. Item quod iugũ vetus euacuaretur, & iugũ nouum daretur, in psal-
mo 11. *Ad quid tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterũt reges terræ, & principes collecti sunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christũ eius. Disrumpamus vincula eorum, & abiiciamus à nobis iugum eorum.* Itẽ KATA
Matth.11. Matthæũ dominus dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum bonum*
Hiere.30. *est, & sarcina mea leuis.* Apud Hieremiam, *In illa die contribulabo iugum à ceruice illorum, & vincula illorum disrumpam, & non operabuntur aliis, sed operabuntur domino Deo, & Dauid regem suscitabo ipsis.*

XIIII. Quod pastores veteres cessaturi essent & noui inciperent, apud Ezechielem, *Propterea hæc dicit dominus, Ecce ego super pastores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos, vt non pascant oues meas, & iam non pascent*
Ibid.3. & 31 *eas, & extraham oues meas de ore eorum, & pascam eas cum iudicio.* Item apud Hie remiam dominus dicit, *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina.* Itẽ apud Hieremiã, *Audite verbũ domini gentes, & nunciate in insulis quæ longe sunt, dicite, Qui dispergit Israel congregabit illum, & custodiet sicut pastor gregem suũ. Quia eruit dominus Iacob, et eruit de manu fortioris illius.*

XV. Item quod domus & templum Dei Christus futurus esset, & cessasset templum vetus & nouum cœpisset, BASIΛEIΩN secundo, *Et fuit verbum domini ad Nathan dicens, Vade & dic seruo meo Dauid, Hæc dicit dominus, non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, sed erit cum impleti fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de vtero tuo, & parabo regnum eius: hic ædificabit mihi domum nomini meo, & erigam thronum eius in seculum, & ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, et fidem consequetur domus eius,*
Marc.13. *& regnum eius vsque in secula in conspectu meo.* Item in euangelio dominus di-
cit, *Non relinquetur in templo lapis super lapidem qui non dissoluatur, & post triduum aliud excitabitur sine manibus.*

XVI. Item quod sacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur,
Esa.1. apud Esaiam, *Quid mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum dicit dominus? Plenus sum. Holocaustomata arietum, & pinguamina agnorum, & sanguinem taurorum*

& hirco-

& hircorum nolo. Quis enim exquisiuit ista de manibus vestris? Itē in psalmo XLVIIII. *Non edam carnes taurorū, aut sanguinē hircorū bibam. Sacrifica Deo sacrificiū laudis, & redde altissimo vota tua. Inuoca me in die pressuræ, & eximā te, & clarificabis me.* Itē in psalmo eodem, *Sacrificium laudis clarificabit me, & illic via est, in qua ostendam illi salutare Dei.* Item in psalmo IIII. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Deum.* Item apud Malachiā, *Non est voluntas mihi circa vos, dicit dominus, & sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris: quoniam à solis ortu & vsque in occasum clarificatum est nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incensi offerūtur nomini meo, & sacrificium mundum, quoniam magnum est nomen meum apud gentes, dicit dominus.* Malach.1.

XVII. Itē quod sacerdotiū vet° cessaret, & nouus sacerdos veniret, qui in æternū futurus esset, in psalmo CVIIII. *Ante luciferū genui te. Iurauit dominus et nō pœnitebit eū, tu es sacerdos in æternū secūdum ordinē Melchisedech.* Itē in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ primo Deus ad Heli sacerdotē, *Et suscitabo mihi sacerdotē fidelē, qui omnia quæ sunt in corde meo, faciet, et ædificabo ei domū fidelē, et trāsibit in cōspectu Christorū meorū omnibus diebus: et erit qui remāserit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ et in pane vno.* Psal.109. 1.Reg.2.

XVIII. Quod propheta alius, sicut Moyses, promissus sit, scilicet qui testamentū nouū daret, & qui magis audiri deberet, in Deuteronomio Deus ad Moysem, *Et dixit dominus ad me, Prophetā excitabo eis de fratribus eorū sicut te, & dabo verbū meū in ore eius, & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quisque non audierit quæ loquetur propheta ille in nomine meo, ego vindicabo.* De quo & Christus in euangelio ΚΑΤΑ Iohannē, *Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: hæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Nolite putare, quia ego vos accuso, apud patrem, est qui vos accuset, Moyses, in quem vos speratis. Si enim credidissetis Moysi, crederetis & mihi. de me enim ipse scripsit. Si autem illius scripturis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Detu.18. Ioan.5.

XVIIII. Item quod duo populi prædicti sint, maior & minor, id est vetus Iudæorum, & nouus qui esset ex nobis futurus, in Genesi, *Et dixit dominus Rebeccæ, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori.* Item apud Oseæ, *Vocabo non populum meum, populum meum, & non dilectum, dilectum: erit enim quo loco dicetur, non populus meus, illo loco vocabuntur filij Dei viui.* Gene. 25. Oseæ.2.

XX. Item quod ecclesia quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quàm quot synagoga ante habuisset, apud Esaiam, *Iocundare sterilis, quæ non paris, erūpe & exclama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Dixit enim dominus, Dilata locum tabernaculi tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, & fige funiculos tuos. Noli parcere, longas fac mensuras tuas, & palos tuos confirma. Adhuc in dexteram tuam & in sinistram extende, & semen tuum gētes possidebit, & ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere quia reuinces, neque reuereāris, quia maledicta es, quoniam confusionem æternam obliuiscēris.* Sic & Abrahæ, cum de ancilla natus esset prior filius, Sarra sterilis diu mansit, & sero in senecta de pollicitatione peperit filiū Isaac, qui fuit typus Christi. Sic & Iacob accepit vxores duas, maiorem Liam oculis infirmioribus, in typum synagogę: minorem speciosam Rachel, in typum ecclesiæ, quæ & sterilis diu mansit, & postea peperit Ioseph, qui & ipse fuit typus Christi: & in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ libro primo legitur Helcana vxores duas habuisse, Fennēnam cum filiis, & Annā sterilē, ex qua nascitur Samuel, non secūdum ordinem generandi, sed secundū Dei miserationem & promissionem, cum illa orasset in templo, & natus Samuel typus fuit Christi. Item in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ primo, *Sterilis septē peperit, & quæ plurimos habebat filios, infirmata est.* Filij autē septē, sunt ecclesię septē. Vnde & Paulus septem ecclesiis scripsit: & Apocalypsis, ecclesias septē ponit, vt seruetur septenarius numerus: vt dies septē, quibus dominus mūdū fecit: vt angeli septē, qui adsistūt & cōuersantur ante faciē Dei, sicut Raphael angelus dicit in Esa.54. 1.Reg.1. Apocal.1.

Thobia: & lucerna ſeptiformis in tabernaculo teſtimonij: & oculi domini ſeptem, qui mũdum ſpeculantur: & lapis cum oculis ſeptem, vt Zacharias dicit: & ſpiritus ſeptem: vt & candelabra in Apocalypſi ſeptem, & columnæ ſeptem ſuper quas ædificauit domum ſapientia apud Salomonem.

XXI. Item quod gentes in Chriſtum magis credituræ eſſent, in Geneſi, Gen. 12. *Et dixit dominus Deus ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in illam terram quam tibi oſtendero, & faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam qui te benedixerit, & maledicam qui te maledixerit: & benedicentur in te omnes tribus terræ.* de Ibidem 27. hoc ipſo in Geneſi, *Et benedixit Iſaac Iacob, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. Et det tibi Deus de rore cæli, & à fertilitate terræ multitudinem frumenti & vini & olei, & ſeruient tibi gentes, & adorabũt te principes, & eris dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui, & qui maledixerit tibi, ſit maledictus, & qui be-* Ibidem 48. *nedixerit tibi, ſit benedictus.* De hoc ipſo in Geneſi, *Vt vidit autem Ioſeph quoniam ſuperpoſuit pater ſuus manum dexteram ſuper caput Effraim, graue illi viſum eſt, & adprehendit Ioſeph manum patris ſui auferre eam à capite Effraim ad caput Manaſſe. Dixit autem Ioſeph ad patrem ſuum, Non ſic pater: hic eſt primitiuus meus, ſuperpone dexterã tuam ſuper caput eius. Ille autem noluit, & dixit, Scio fili ſcio, & hic erit in populũ, & hic exaltabitur, ſed frater eius iunior maior illo erit, & ſemen eius erit in multitudinem gentium.* Ibidem 49. Item in Geneſi, *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ ſuper dorſum inimicorum tuorum. Adorabunt te filij patris tui, catulus leonis Iuda: de frutice fili mi aſcendiſti, recubans obdormiſti velut leo, & velut catulus leonis. Quis excitabit illum? Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, quoadusque veniant depoſita illi, & ipſe erit ſtes gentium. Deligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum. Formoſi oculi eius à vino, & candidi dentes eius* Nume. 23. *magis quàm lac.* Inde in Numeris de populo noſtro ſcriptum eſt *Ecce populus qua-* Detu. 28. *ſi catulus leoninus exurget.* In Deuteronomio, *Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in caudam.* Item apud Ezechielẽ, *Audite vocem tubæ, & dixerunt, Non audiemus, propter hoc audient gentes, & qui paſcent pecora in eis.* Item in pſalmo XVI. *Conſtitues me in caput gentiũ. Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obe-* Hiere. 1. *diuit mihi.* De hoc ipſo apud Hieremiam dominus dicit, *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus po-* Eſa. 55. *ſui te.* Item apud Eſaiam, *Ecce poſui illum teſtem nationibus. Manifeſtaui principem & imperantem gentibus.* Item apud eundem, *Gentes quæ non nouerunt te, inuocabunt* Eſaiæ. 11. *te: & populi qui ignorabant te, ad te confugient.* Item apud eundem, *Et erit in illa die radix Ieſſe, qui ſurget imperare gentibus, & in illo gentes ſperabunt, & erit requies eius ho-* Eſa. 9. *nor.* Item apud eundem, *Terra Zabulon & terra Neptalim via maris, & ceteri qui maritimam inhabitatis, & trans Iordanem Galilææ gentium, populus ambulans in tenebris, vide lumen magnum: qui habitatis in regione vmbræ mortis, lumen lucebit ſuper vos.* Eſa. 45. Item apud eundem, *Sic dicit dominus Deus Chriſto meo domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant eum gentes. Fortitudinem regum diſrumpam, aperiam ante illum portas & ci-* Eſa. 66. *uitates non conclaudentur.* Item apud eundem, *Venio colligere omnes gentes & linguas, & venient & videbunt claritatem meam, & dimittam ſuper eos ſignum, & mittam ex eis conſeruatos in gentes quæ longe ſunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes.* Item apud eundem, *Et in omnibus his non ſunt conuerſi: igitur extollet ſignum in gentes, quæ ſunt longe, & adtrahet illos à ſummo terræ.* Item apud eundem, *Quibus non eſt nunciatum* Eſa. 65. *de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Item apud eundẽ, *Manifeſtus factus ſum eis, qui me nõ quærunt: inuentus ſum ab eis, qui me nõ interrogabãt. Dixi, Ecce ſum gen-* Act. 13. *ti, quæ nõ inuocauit nomen meum.* De hoc ipſo in Actis apoſtolorum Paulus, *Vobis primum oportuerat indicari verbum Dei: ſed quia expuliſtis illud, nec vos dignos vita æterna iudicaſtis, ecce conuertimus nos ad gentes: ſic enim dixit per ſcripturas dominus. Ecce lucẽ*

poſui

posui te inter gentes, ita vt sis in salutationem vsque ad fines terræ.

XXII. Quod panem & calicem Christi, & omnem gratiã eius amissuri essent Iudęi, nos vero accepturi: & quod Christianorũ nouum nomen benedicetur in terris, apud Esaiam sic dicit dominus, *Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis: ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos autem sitietis: ecce qui mihi seruiunt, iocundabuntur, vos autem confundemini. Vos interficiet dominus, his autem qui seruiunt mihi, nomen nominabitur nouum, quod benedicetur in terra.* Esa. 65. Item illic, *Igitur extollet signum in gentes, quæ sunt longe, & adtrahet illas ab extremo terræ. Et ecce cito leuiter venient, non esurient neque sitient.* Esa. 5. Item illic, *Ecce itaque dominator dominus Sabaoth auferet à Iuda, & ab Hierusalem, valentem & validam, valentiam panis, & valentiam aquæ.* Esa. 3. Item in psalmo triceſimo tertio, *Gustate & videte quoniam dulcis est dominus. Felix est vir, qui sperat in eum. Timete dominũ Deum omnes sancti eius, quoniam non est inopia eis qui eum metuunt. Diuites eguerunt & esurierunt: qui autem inquirunt dominum, non indigebunt omni bono.* Item in euangelio ΚΑΤΑ Iohannem dominus dicit, *Ego sum panis vitæ, qui venerit ad me, non esuriet, & qui in me crediderit, non sitiet vnquam.* Ioan. 6. Item illic ipse, *Si quis sitit, veniat & bibat. Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Item illic ipse, *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

XXIII. Quod ad regnum cælorum magis gentes quàm Iudęi perueniant, in euangelio dominus dicit, *Multi venient ab oriente & occidente, & recũbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni exibunt in tenebras exteriores. illic erit ploratio & stridor dentium.* Matth. 8.

XXIIII. Quod solo hoc Iudæi accipere veniam possint delictorum suorum, si sanguinem Christi occisi baptismo eius abluerint, & in ecclesiam eius transeuntes, præceptis eius obtemperauerint, apud Esaiam dominus dicit, *Iam non laxabo peccata vestra. Cum extenderitis manus, auertam faciem meam à vobis: et si multiplicaueritis preces, non exaudiam vos: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, à conspectu oculorũ meorum: cessate à nequitiis vestris. Discite bonum facere, exquirite iudicium, conseruate eum qui iniuriam patitur, iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dominus dicit: & si fuerint peccata vestra vt phœniceum, vt niuem exalbabo: & si fuerint quasi coccinum, vt lanam inalbabo: & si volueritis, & audieritis me, bona terræ edetis: si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos consumet. os enim domini locutum est ista.* Esaiæ 1.

LIBRI II. CAPITA.

I. Christum primogenitum esse, & ipsum esse sapiẽtiam Dei, per quem omnia facta sunt.
II. Quod sapientia Dei Christus est, & de sacramento concarnationis eius, & passionis, & calicis & altaris, & apostolorum qui missi prædicauerunt.
III. Quod Christus idem sit sermo Dei.
IIII. Quod Christus idem sit manus & brachium Dei.
V. Quod idem angelus & Deus.
VI. Quod Deus Christus.
VII. Quod Deus Christus venturus esset inluminator & saluator generis humani.
VIII. Quod cum à principio filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem.
VIIII. Quod hoc futurum esset signum natiuitatis eius, vt de virgine nasceretur homo & Deus, hominis & Dei filius.
X. Quod & homo, & Deus Christus ex vtroque genere concretus, vt me-

diator esse inter nos & patrem possit.
XI. Quod de semine Dauid secundum carnem nasci haberet.
XII. Quod in Bethleem nasceretur.
XIII. Quod humilis in primo aduentu suo veniret.
XIIII. Quod ipse sit iustus, quem Iudæi occisuri essent.
XV. Quod ipse dictus sit ouis & agnus qui occidi haberet, & de sacramento passionis.
XVI. Quod idem & lapis dictus sit.
XVII. Quod deinde idem lapis mons fieret, & impleret totam terram.
XVIII. Quod in nouissimis temporibus idem mons manifestaretur, super quem gentes venirent, & in quem iusti quique ascenderent.
XVIIII. Quod ipse sit sponsus, ecclesiam habens sponsam, de qua filij spiritaliter nascerentur.
XX. Quod cruci illum fixuri essent Iudæi.
XXI. Quod in passione crucis & signo virtus sit omnis & potestas.
XXII. Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus qui in frõtibus notẽtur.
XXIII. Quod medio die in passione eius tenebræ futuræ essent.
XXIIII. Quod à morte nõ vinceretur, nec apud inferos remãsurus esset.
XXV. Quod ab inferis tertio die resurgeret.
XXVI. Quod cum resurrexisset, acciperet à patre omnem potestatem, & potestas eius æterna sit.
XXVII. Quod perueniri non possit ad Deum patrem, nisi per filium eius Iesum Christum.
XXVIII. Quod ipse iudex venturus sit.
XXVIIII. Quod ipse sit rex in æternum regnaturus.
XXX. Quod ipse sit & iudex & rex.

CYPRIANI, AD QVIRINVM, LIBER SECVNDVS, ADVERSVS IVDAEOS.

I. Christum primogenitum esse, & ipsum esse sapientiã Dei, per quem omnia facta sint, apud Salomonem, *Dominus condidit me initium viarum suarum in*
Prouer. 8. *opera sua, ante seculum fundauit me, in principio antequam terram faceret, & antequam abyssos constitueret, priusquam procederẽt fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me dominus. Fecit regiones & inhabitabilia, & fines habitabiles sub cælo. Cum pararet cælum, aderam cum illo, & cum secerneret suam sedem, cum super ventos validas faceret desuper nubes, & cum confirmatos ponebat fontes sub cælo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens, ego eram cui adgaudebat. Quotidie autem iocundabar ante faciem eius in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto.*
Eccl. 24. Item apud eundem in Ecclesiastico, *Ego ex ore altissimi prodiui ante omnem creaturam. Ego in cælis feci, vt oriretur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuiui, & in profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo & in omni gente primatũ habui, & omnium excellentium & humilium corda propria virtute calcaui. Spes omnis in me vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Item in psalmo octogesimo octauo, *Et ego primogenitũ ponam eum altissimum apud reges terræ. In æternũ seruabo illi misericordiam meam, & testamentũ meũ fidele illi. Et ponam in seculum seculi semen eius. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: & si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorũ. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Item in euangelio KATA Iohannem dominus di-
Ioan. 17. cit, *Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti*

sisti Iesum Christum. Ego te clarificaui in terra: opus perfeci quod dedisti mihi vt faciã: & nunc tu clarifica me apud teipsum claritate ea quam habui apud te, prius quàm mundus fieret. item Paulus ad Colossenses, *Qui est imago Dei inuisibilis & primogenitus totius creaturæ.* Coloss.1. item illic, *Primogenitus a mortuis, vt fieret in omnibus ipse primatum tenens.* item in Apocalypsi, *Ego sum* A, *&* Ω, *initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Apocal.21. Quod idem sit & sapientia & virtus Dei, Paulus ad Corinthios prima, *Quoniam Iudæi signa desiderant, & Greci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* 1.Cor.1.

II. Quod sapientia Dei Christus sit, & de sacramento cõcarnationis eius, & passionis & calicis, & altaris, & apostolorum qui missi prædicauerũt, apud Salomonem in Paroemiis, *Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactauit suam hostiam, miscuit in cratera vinum suum, et parauit suam mensam, & misit seruos suos conuocans eos cum excelsa prædicatione ad craterem dicens, Qui est insipiens declinet ad me. Et egentibus sensu dixit, Venite edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Derelinquite stultitiam, & quærite prudentiam, et corrigite scientiam in intelligentia.* Prouer.9.

III. Quod Christus idem sit sermo Dei, in psalmo quadragesimo quarto, *Eructauit cor meum sermonem bonum, dico ego opera mea regi.* item in psalmo tricesimo secundo, *Sermone Dei cæli solidati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorũ.* item apud Esaiam, *Verbum consummans & breuians in iustitia, quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ.* Esa. 10. item in psalmo centesimo quinto, *Misit sermonem suum & curauit illos.* item in euangelio KATA Iohannem, *In principio fuit sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Hic erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. quod factum est in illo vita erat, & vita fuit lux hominum, & lux lucet in tenebris, & tenebræ illam non comprehenderunt.* Ioan.1. item in Apocalypsi, *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verus, æquum iustumque iudicans, & præliabatur, erátque coopertus veste conspersa sanguine, & dicitur nomen eius Sermo Dei.* Apoc.6.

IIII. Quod Christus idem manus & brachium Dei sit, apud Esaiam, *Nunquid non valet manus Domini, vt saluos faciat? aut grauauit aurem, vt non exaudiat? sed peccata vestra inter vos & Deum separant, & propter peccata vestra auertit faciem à vobis ne misereatur: manus enim vestræ inquinatæ sunt sanguine, & digiti vestri in peccatis. Labia autem vestra locuta sunt facinus, & lingua vestra iniustitiam meditatur. Nemo loquitur vera, neque est iudicium verum. Fidunt in vanis, & loquuntur inania, quia parturiunt dolorem, & pariunt facinus.* Esaiæ.59. item illic, *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Esa.53. itẽ apud eundem sic dicit dominus, *Cælum mihi thronus est, & terra suppedaneum pedum meorum. Quam mihi sedem ædificabitis? aut quis locus ad requiem mihi? omnia enim ista fecit manus mea.* item apud eundem, *Domine deus altum est brachium tuum, & non sciebant: cum cognouerint autem, confundentur.* Esa.52. item apud eundem, *Reuelauit deus brachium suum illum sanctum in conspectu omnium gentium: videbunt omnes gentes & ipsa suprema terra salutem à deo.* Esa.41. item illic, *Ecce feci te sicut rotas vehiculi triturãtes, nouas, in se retornatas, & triturabis montes, & extenuabis colles & sicut lanuginem pones, et ventilabis, & ventus occupabit illos & procella dispargetur: tu autem iocũ daberis in sanctis Israel, & exultabunt inopes & egeni: quærent enim aquam, et nõ erit: lingua enim eorum à siti siccabitur. ego dominus deus, ego exaudiam, deus Israel et non derelinquam eos, sed aperiam inter montes flumina, et in mediis cãpis fontes: faciam deserta in nemora aquosa, et sitiẽtem terram in aquæ ductus, ponam in inaquosam terram cedrum et buxũ et myrtũ et cypressum et vlmũ et populum, vt videãt et cognoscant et sciãt et credant*

simul, quia manus domini fecit ista, & sanctus Israel ostendit.

Gen.22. V. Quod idem angelus & Deus Christus, in Genesi ad Abraham, *Et vocauit eum angelus domini de cælo, & dixit illi, Abrahã, Abraham. Ille autem dixit, Ecce ego. Et dixit, Noli imponere manum tuam super puerum, neque feceris illi quicquam. Nunc enim cognoui quoniam tu times Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilectissimo, propter me.* itẽ illic ad Iacob, *Et dixit mihi angelus domini in somnis, Ego sum deus quem vidisti in loco Dei, vbi vnxisti mihi titulum lapideũ, et vouisti mihi votũ.* item in Exodo, *Deus autem præibat eos in die quidem per columnam nubis, ostendere illis iter, noctu autem in columna ignis.* & post ea, *Promouit autem angelus Dei, qui præcedebat exercitum filiorum Israel.* itẽ illic, *Ecce ego præmitto angelum meum ante faciem tuam ad custodiendum te in itinere, vt te inducat in terram bonam quam tibi præparaui. Obserua eum & obaudi eum, & ne fueris inobediens ei, & non deerit tibi: nomen enim meum est in illo.* Vnde ipse in euangelio dicit, *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me. Cum alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Et iterum in psalmo CXVII. *Benedictus est qui venit in nomine domini.* & in Malachia, *Testamentum meum fuit cum vita & pace, & dedi illum timorem, à facie nominis mei proficisci illũ. lex & veritas fuit in ore eius: & in pace linguæ corrigẽs ambulauit vobiscum, & multos auertit ab iniustitia: quoniam labia sacerdotis seruabunt scientiam & legem exquirent ab ore eius, quoniã angelus domini omnipotentis est.*

Gen.35. VI. Itẽ quod Deus Christus, in Genesi, *Dixit autem ad Iacob, Exurge & ascende in locum Bethel, et habita illic, & fac illic altare illi Deo, qui tibi adparuit cũ fugeres*

Esa.45. *à facie Esau fratris tui.* item apud Esaiam, *Sic dicit dominus Deus Sabaoth, Fatigata est AEgyptus, & negociatio AEthiopum: & Sabaim viri alti ad te transgredientur, & tui erunt serui, & post te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te. Tu enim es*

Esa.40. *deus, & non sciebamus, Deus Israel saluator. Confundentur & reuerebuntur omnes qui aduersantur tibi, & vadent in confusionem.* item apud eundẽ, *Vox clamantis in eremo, Parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis riuus implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt omnia tortuosa in directum, & aspera in*

Baruch.3. *campum, & videbitur claritas domini, & videbit omnis caro salutare Dei, quoniam dominus locutus est.* item apud Baruch, *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo: qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, et Israel*

zacha.10. *dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* item apud Zachariam Deus dicit, *Et transibunt per mare angustum, & percutient in mari fluctus, & arefacient omnes altitudines fluminum, & confundetur omnis iniuria Assyriorum, & sceptrum AEgypti auferetur, & confortabo eos in domino deo ipsorum, et*

Osee 11. *in nomine eius gloriabuntur, dicit dominus.* item apud Oseæ dominus dicit, *Non faciam iuxta iram indignationis meæ, non sinam deleri Ephraim, quoniam deus ego sum, & non homo in te sanctus, & non introibo in ciuitatem, post deum ibo.* item in psalmo XLIIII. *Thronus tuus deus in secula seculorum, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis super participes tuos.* Item in psalmo quadragesimo quinto, *Vacate & cognoscite, quoniam ego sum deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* item in psalmo octogesimo primo, *Non cognouerunt me neque intellexerunt, in vmbra deambulabũt.* itẽ in psalmo sexagesimo septimo, *Cantate deo, psallite nomini eius: viam facite ei qui ascendit in occasum, deus nomen est illi.* item in euangelio KATA

Ioan.1.&20 Iohannem, *In principio fuit sermo, & sermo erat apud deum, & deus erat sermo.* itẽ in eodem dominus ad Thomam, *Iniice huc digitum tuum, & vide manus meas, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit illi, Dominus meus & deus meus. Dixit illi Iesus, Quia vidisti & credidisti, Felices qui non viderunt &*

Rom.9. *crediderunt.* item Paulus ad Romanos, *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus & cognatis meis qui sunt secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quo-*

rum

rum adoptio est, claritas, & testamentum, & legis constitutio, & famulatus, & promissiones, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. item in Apocalypsi, *Ego sum* A, & Ω, *initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis: qui vicerit possidebit ea, & eorum hæreditatem, et ero eis deus, & ille erit mihi filius.* item in psalmo octogesimo primo, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernens.* & iterum illic, *Ego dixi, Dij estis, filij altissimi omnes. Vos autem sicut homines moriemini.* Quod si iusti qui fuerint & præceptis diuinis obtemperauerint, dij dici possunt, quanto magis Christus Deus Dei filius? Sicut ipse in euangelio KATA Iohannem, *Nonne est scriptum in lege, quoniam ego dixi, Dij estis? Si illos dixit deos, & non potest solui, quem pater sanctificauit & misit in seculum, vos dicitis, quoniam blasphemaui quia dixi, Filius Dei sum? Quod si non facio facta patris, nolite mihi credere: quod si facio, & mihi non vultis credere, factis credite, & cognoscite, quoniam in me est pater, & ego in illo.* item in euangelio KATA Matthæum, *Et vocabis nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Ioan. 10. Matth. 1.

VII. Quod Christus Deus venturus esset inluminator & saluator generis humani, apud Esaiam, *Confortamini manus resolutæ & genua debilia: exhortamini, qui estis pusillanimes, nolite metuere. Deus noster iudicium retribuet, ipse veniet & saluos nos faciet. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut ceruus, & plana erit lingua mutorum, quia rupta est in deserto aqua, & riuus in terra sitienti.* item illic, *Non senior, neque angelus, sed ipse Dominus liberabit illos, quia diligit eos & parcet eis: & ipse redimet eos.* item illic, *Ego dominus Deus vocaui te in iustitia, vt teneam manum tuam, & confortabo te, & dedi te in testamentum tuum, quia tu es Deus saluator generis mei in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, producere de vinculis vinctos, & de domo carceris sedentes in tenebris. Ego dominus Deus, hoc nomen mihi est: claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas sculptilibus.* item in psalmo XXIIII. *Vias tuas domine ostende mihi, & semitas tuas edoce me, & deduc me ad veritatem tuã, & doce me, quoniã tu es deus saluator meus.* Vnde in euãgelio KATA Iohannẽ dominus dicit, *Ego sum lumen mũdi, qui me secutus fuerit, nõ ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* item KATA Matthæũ, Gabriel angelus ad Ioseph, *Ioseph fili Dauid, ne metuas adsumere Mariam vxorem tuam. Quod enim ex illa natũ fuerit, de spiritu sancto est. Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Iesum. hic enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* item KATA Lucã, *Zacharias impletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens, Benedictus dominus Deus Israel, qui prospexit redemptionem populo suo, & excitauit nobis cornu salutis in domo Dauid pueri sui.* item illic, Angelus ad pastores, *Ne timueritis: ecce enim adnuncio vobis, quoniam natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Iesus in ciuitate Dauid.* Esa. 35. Psal 24. Ioan. 8. Matth. 1. Lucæ 1.

VIII. Quod cum à principio filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem, in psalmo secundo, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* item in euangelio KATA Lucam, *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabet, exultauit infans in vtero eius, & impleta est spiritu sancto, & exclamauit voce magna & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi contigit vt veniat mater domini mei ad me?* item Paulus ad Galatas, *At vbi aduenit impletio temporis, misit Deus filium suum natum de muliere.* item in epistola Iohannis, *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est: qui autem negat in carne venisse, de Deo non est, sed est de antichristi spiritu.* Gala. 4. 1. Ioan. 4.

VIIII. Quod hoc futurum esset signũ natiuitatis eius, vt de virgine nasceretur homo & Deus, hominis & Dei filius, apud Esaiam, *Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens, Pete tibi signũ à domino Deo tuo in altitudine sursum, & in altitudine deorsum. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo dominum deum meum.* Esaiæ. 7.

Et dixit, Audi itaque domus Dauid, non pusillum erit vobis certamen cum hominibus quoniam Deus præstat agonem? Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum, Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emanuel. Butyrum & mel mãducabit, priusquã cognoscat, & proferat mala, & eligat bonũ. Hoc semel prędixe
Gen. 3. rat deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli in Genesi, *Tunc dixit Deus ad serpentem, Quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni pecore, & ab omni genere bestiarum terræ. Pectore tuo & uẽtre repes, & erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen eius. ipse tuum observabit caput, & tu observabis calcaneum eius.*

X. Quod & homo & Deus Christus, ex vtroque genere cõcretus, vt media-
Hiere. 17. tor esse inter nos & patrem posset, apud Hieremiam dicit, *Et homo est, & quis*
Numer. 24. *cognoscet eum?* item in Numeris, *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel.* item illic, *Procedet homo de semine eius, & dominabitur gentium multarum, & exaltabitur Gog regnum, & augebitur regnũ eius, & Deus duxit eum ex AEgypto: quasi claritas vnicornis ei, & edet gentes inimicorum suorum, & crassitudines illorum emedullabit, & balliſtis suis configet inimicum. Recubans requieuit quasi leo, & quasi catulus*
Esa. 61. *leonis: quis suscitabit eum? qui benedicunt te, benedicti sunt, & qui maledicunt te, maledicti sunt.* item apud Esaiam, *Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, bene nunciare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, vocare annum domini acceptabilem & diem retributionis.* Vn-
Lucæ 1. de in euangelio Gabriel ad Mariam, *Et respondens angelus dixit ad illam, Spiritus*
1. Cor. 15. *sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te: quapropter quod nascetur sanctum, vocabitur filius dei.* item in epistola Pauli ad Corinthios priore, *Primus homo de terra è limo, secundus homo de cælo: qualis ille è limo, tales & qui de limo: & qualis cælestis, tales & cælestes: quomodo portauimus imaginem eius qui de limo est, portemus & imaginem eius qui de cælo est.*

XI. Quod de semine Dauid secundum carnem nasci haberet, in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ II.
2. Reg. 7. *Et fuit verbum domini ad Nathan dicens, Vade & dic seruo meo Dauid, Hæc dicit dominus, Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: sed erit cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de vtero tuo, & parabo regnũ eius. Hic ædificabit domum nomini meo, & eriguam thronum eius vsque in seculum. Et ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & fidem*
Esa. 11. *consequetur domus eius, & regnum eius vsque in seculum in conspectu meo.* item apud Esaiam, *Et exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini. spiritus sapiẽtiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis,*
Psal. 131. *spiritus scientiæ & pietatis, & implebit eum spiritus timoris dei.* item in psalmo CXXXI. *Iurauit Dominus ipsi Dauid veritatem & non reprobauit eam: De fructu ventris tui ponam super thronum tuum.* item in euangelio ΚΑΤΑ Lucam, *Et dixit angelus ad illã, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce cõcipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi dominus Deus thronum Dauid patris sui, & regnabit super do-*
Apoc. 5. *mum Iacob in secula, & regni eius non erit finis.* item in Apocalypsi, *Et vidi librum in dextera dei sedentis super thronum, scriptum intus & foris, signatum sigillis septem: & vidi angelum fortem prædicantem voce magna, Quis dignus est accipere librum, et aperire signa eius? Nec quisquam poterat, neque in cælo, neque super terram, neque sub terra aperire librum, sed neque perspicere eum. Et ego flebam multum, quod nemo dignus repertus esset qui aperiret librum, aut videret illum. Et vnus ex senioribus dicit mihi, Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, et soluere septem signacula eius.*

Michææ. 5. XII. Quod in Bethleem nasceretur, apud Michęã, *Et tu Bethleem domus illius Ephrata nunquid exigua es, vt constituaris in milibus Iuda? ex te mihi procedet, vt sit princeps apud Israel, & processiones eius à principio à diebus seculi.* item in euãgelio

Et cum

Et cum Iesus natus esset in Bethleem Iudææ in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt in Hierosolyma, dicentes, Vbi est natus rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus cum muneribus adorare illum. Matth. 2.

XIII. Quod humilis in primo aduentu suo veniret, apud Esaiam, *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Adnunciauimus coram ipso sicut pueri, sicut radix in terra sitienti. Non est figura ei, neque claritas, & vidimus illum, & non habuit figuram neque speciem. Sed figura eius sine honore, & deficiens præter ceteros homines. Homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatem, quia auersa est facies eius: inhonoratus est, & non est computatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus illum esse in dolore, & in plaga, & in vexatione: ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra. Doctrina pacis nostræ super illum: liuore eius sanati sumus. Omnes sicut oues errauimus, homo à via sua errauit. Et dominus tradidit illum pro peccatis nostris, & ipse propterea quod vexatus est, non aperuit os suum.* Esa. 53. Item apud eundem, *Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem non auerti à fœditate sputorum, & fuit Deus auxiliator meus.* Esa. 50. Item apud eundem, *Non clamabit, neque audiet quis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, sed in veritate proferet iudicium. Fulgebit & non quassabitur, quoadusque ponat in terra iudicium, & in nomine eius gentes credent.* Esa. 42. Item in psalmo XXI. *Ego autem sum vermis, & non homo, maledictum hominum & abiectio populi. Omnes qui videbant me, despiciebant me, & locuti sunt in labiis, & mouerunt caput. Sperauit in domino eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Item illic, *Aruit velut testa fortitudo mea & lingua mea adglutinata est faucibus meis.* Item apud Zachariam, *Et ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem illum magnum, stantem ante faciem angeli domini, & diabolus stabat ad dexteram eius aduersari ei. Et Iesus erat indutus vestimenta sordida, & stabat ante faciem ipsius angeli, & respondit, & ait ad eos qui stabant ante faciem eius dicens, Auferte vestimenta sordida ab eo, & induite eum poderem. et dixit ad eum, Ecce abstuli iniquitates tuas: & imponite cidarim mundam super caput eius.* zacha. 3. Item Paulus ad Philippenses, *Qui in figura Dei constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum inaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria Dei patris est.* Philip. 2.

XIIII. Quod ipse sit iustus, quem Iudæi occisuri essent, in Sapientia Salomonis, *Circumueniamus iustum, quoniam insuauis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & exprobrat nobis peccata legis. Promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductione cogitationum nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & mutatæ sunt viæ illius: tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & continet se à viis nostris, quasi ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiã illius. Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Sap. 2. Item apud Esaiam, *Videte quomodo iustus perit, & nemo intelligit: & viri iusti tolluntur, & nemo recognoscit. A facie iniustitiæ sublatus est iustus, & erit in pace sepultura eius.* Esa. 57. De hoc ipso ante prædictum est in Exodo, *Innocentem & iustum non occides.* Exod. 23. Item in euangelio, *Iudas pœnitentia ductus, sacerdotibus & senioribus dixit, Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth. 27.

XV. Quod ipse dictus sit ouis & agnus, qui occidi haberet, & de sacramento passionis,

Esa. 53. apud Esaiam, *Sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum: in humilitate iudicium eius sublatum est: nationem autem eius quis enarrabit? Quoniam auferetur à terra vita eius, à facinoribus populi mei adductus est ad mortem, & dabo malos pro sepultura eius, & diuites pro morte eius, quia facinus non fecit, neque insidias ore suo: propterea ipse consequetur multos, & fortium diuidet spolia, propterea quod tradita est ad mortem anima eius, & inter facinorosos deputatus est. Et ipse peccata multorum pertulit, & propter facinora*

Hiere. 11. *illorum traditus est.* Item apud Hieremiam, *Domine significa mihi & cognoscam. tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam: in me cogitauerunt cogitatum, dicentes, Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius, & non erit in memoria nomen eius amplius.* In Exo-

Exod. 12. do Deus ad Moysen, *Accipient sibi singuli ouem per domos tribuum, ouem sine vitio, perfectum, masculum: anniculus erit vobis. Ab agnis & ab hœdis accipietis, & occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israel ad vesperam, & accipient de sanguine, & ponent super duos postes, & super limen in domibus, in quibus edent eum in ipsis, & edent carnes ipsa nocte, assatas igni, & azyma cum picridibus edent. Non edetis de eis crudã, neque coctam in aqua, nisi assatam igni: caput cum pedibus & interaneis, nihil derelinquetis ex his in mane, & os non confringetis ex eo. Quæ autem relicta fuerint ab eo vsque in mane, igni crementur. Sic autem comedetis eum, Lumbi vestri præcincti, & caligæ vestræ in pedibus vestris, & bacula vestra in manibus vestris, &*

Apocaly. 5. *edetis eum festinanter: pascha enim domini est.* Item in Apocalypsi, *Et vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit, & accepit librum de dextera sedentis in throno. Et cum accepisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores prostrauerunt se ante agnum, habentes singuli aureas citharas & pateras aureas plenas odoramentis supplicationum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantauerunt nouum canticum dicentes, Dignus es accipere librum & aperire signa eius, quoniam occisus es, & emisti nos Deo sanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione: & eos regnum Deo nostro, sacerdotésque*

Ioan. 1. *fecisti, & regnabunt super terram.* Item in euangelio, *Altera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus Dei qui aufert peccata mundi.*

Esa. 28. XVI. Quod idem & lapis dictus sit, apud Esaiam sic dicit dominus, *Ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem preciosum, electum, summum, angularem, honoratum, & qui crediderit in eum, non confundetur.* Item in psalmo CXVII. *Lapidem*

Psal. 117. *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factus est iste, & est admirabilis in oculis nostris. Iste dies quem fecit dominus, exultemus & iocundemur in eo. O domine salua igitur, O domine dirige igitur, benedictus qui venit in nomi-*

zacha. 3. *ne domini.* Item apud Zachariam, *Ecce ego adduco puerum meum, oriens nomen est ei, quoniam lapis quem dedi ante faciem Iesu, super ipsum lapidẽ vnum septem oculi sunt.*

Deuter. 27. Iosue. 24. Item in Deuteronomio, *Et scribes super lapidem omnem legem hanc manifeste nimis.* Item apud Iesu Naue, *Et accepit lapidem magnum, & statuit eum illic contra dominum, & ait Iesus ad populum, Ecce lapis iste erit vobis in testimonium, quia iste audiuit omnia quæ dicta sunt à domino, quanta locutus est ad vos hodie: & erit ipse vo-*

Act. 4. *bis in testimonium in nouissimo dierum, quando recesseritis à Deo vestro.* Item in Actibus Apostolorum Petrus, *Principes populi, & seniores Israel, ecce nos hodie interrogamur à vobis super benefacto hominis infirmi, in quo iste saluatus est. Sit vobis omnibus notum, & omni populo Israel, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in illo iste in conspectu vestro sanus adstat, in alio autem nullo. Hic est lapis qui contemptus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Non est enim nomen aliud sub cælo datum hominibus, in quo oportet saluari nos.*

Gen. 28. Hic est lapis in Genesi, quem posuit Iacob ad caput suum, quia

caput

caput viri Christus: & dormiens vidit scalam ad cælum pertingentem, in qua constitutus erat dominus, & angeli ascendebant, & descendebant: quem lapidem consecrauit & vnxit, sacramento vnctionis, Christum significans. Hic est lapis in Exodo, super quem sedit Moyses in cacumine collis, quando Iesus Naue contra Amalech dimicauit, & sacramento lapidis, & stabilitate sessionis, Amalech superatus est ab Iesu, id est, diabolus à Christo victus est. Hic est lapis magnus in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ primo, super quem posita est arca testamẽti, quando eam ab Allophylis remissam & redditam in plaustro boues reportauerunt. Item hic est lapis in Regnorum, quo Dauid frontem Goliæ percussit & occidit, significans diabolum & seruos eius inde prosterni, victa scilicet ea capitis parte quam signatam non habent. quo signo nos & tuti semper sumus & viuimus. Hic est lapis, quem cum alienigenas Israel vicisse, statuit Samuel, & adpellauit nomen eius Abennezer, id est, lapis auxiliator. Exod. 17. 1. Reg. 4. 1. Reg. 17.

XVII. Quod deinde idem lapis mons fieret, & impleret totam terrã, apud Danielem, *Et ecce imago nimis magna, & contemplatio eius imaginis metuenda & elata, stabat cõtra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & fœmora ærea, pedes ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadusque abscisus est lapis de monte sine manibus concidentium: & percussit imaginem super pedes ferreos, & fictiles, & comminuit eos minutatim: & factum est simul ferrum & testa, & æramentum, & argentum, & aurum facta sunt minuta quasi palea, aut puluis in area æstate: & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanserit ex illis, & lapis qui percussit imaginem, factus est mons magnus, & impleuit totam terram.* Dan. 2.

XVIII. Quod in nouissimis temporibus idem mons manifestaretur, super quem gentes venirent, & in quem iusti quique ascenderent, apud Esaiam, *Et erit in nouissimis temporibus manifestus mons domini, & domus domini super verticem montiũ, & exaltabitur super colles: & venient super illũ omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent, Venite ascendamus in montem domini, & in domum Dei Iacob, & nunciabit nobis viam eius, & ambulabimus in illa. De Sion enim procedet lex, & verbum domini ab Hierusalem, & iudicabit inter gentes, & redarguet populum multũ, & concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces, & iam non discent pugnare.* Esaiæ. 2.

Item in psalmo XXIII. *Quis ascendet in montẽ domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, & non iurauit sub dole proximo sibi: iste accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Ista natiuitas quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.*

XVIIII. Quod ipse sit sponsus, ecclesiam habens sponsam, de qua filij spiritaliter nascerentur, apud Ioel, *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, & indicite curationem: congregate populum, sanctificate ecclesiam, excipite maiores natu, colligite paruulos lactantes, procedat sponsus de cubiculo suo, & sponsa de thalamo suo.* Ioel. 2.

Item apud Hieremiam, *Et auferam de ciuitatibus Iuda, & de quadriuiis Hierusalem vocem lætantium, & vocem gaudentium, & vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Hiere. 16.

Item in psalmo XVIII. *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo. Exultauit velut gigas ad currendam viam, à summo cæli profectio eius, & occursio eius vsque ad summum eius, & non est qui lateat à calore eius.* Psal. 18.

Item in Apocalypsi, *Veni ostendã tibi nouam nuptam, vxorem agni, & duxit me in spiritu in montem magnũ, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo, à Deo habentem claritatẽ Dei.* Apocal. 21.

Item in euangelio ΚΑΤΑ Iohannẽ, *Vos mihi testes estis, quoniam dixi eis, qui missi sunt ab Hierosolymis ad me, Quoniam non sum Christus, sed quoniã missus sum ante ipsum. Qui enim habet sponsam, sponsus est: amicus autẽ sponsi est, qui stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocẽ sponsi.* Ioan. 3.

Huius rei mysteriũ ostensum est apud Iesu Naue, quãdo iussus est excalciare se, quod scilicet sponsus non ipse esset. Erat enim in lege, vt quisque nuptias recusaret, calciamentum deponeret, calciaretur vero ille qui sponsus futurus esset. *Et factũ est cum esset Iesus in agro Iericho, circun-* Iosue. 5.

ſpexit oculis, & vidit hominem ſtantem ante faciem ſuam, & frameã tenentem in manu eius, & dixit, Noſter es, an aduerſariorum? Ille autem dixit, Ego ſum dux virtutis domini, nunc adueni. Et Ieſus cecidit in faciem ad terram, & ait illi, Domine quid imperas famulo tuo? & ait dux virtutis domini, Solue calciamentum de pedibus tuis: locus

Exod. 3. *enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Item in Exodo Moyſes iubetur calciamentũ deponere, quod nec ipſe ſponſus eſſet. *Et adparuit ei angelus domini in flamma ignis de rubo, & vidit quoniam rubus arderet igni, rubus autẽ non cremabatur. Et dixit Moyſes, Tranſiens videbo hoc grande viſum, cur vtiq; non crematur rubus. Vt vidit autem, quoniam accedit videre, vocauit eũ dominus Deus de rubo dicens, Moyſes Moyſes. Qui dixit, Quid eſt? & dixit, ne acceſſeris huc, niſi ſolueris calciamentũ de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et dixit ei, Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahã, deus*

Ioan. 1. *Iſaac, Deus Iacob.* Hoc autẽ manifeſtatũ eſt in euangelio KATA Iohannẽ. *Et reſpondit illis Iohãnes, Ego quidem baptizo in aqua, in medio autem veſtrũ ſtat, quem vos*

Lucæ 12. *neſcitis: ipſe eſt enim de quo dixi, Poſt me veniens homo ante me factus eſt, cuius nõ ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere* Item KATA Lucam, *Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando veniat à nuptiis, vt cum venerit & pulſauerit, aperiant illi. Felices ſerui illi, quos*

Apoca. 19. *aduenies dominus inuenerit vigilantes.* Item in Apocalypſi, *Regnauit dominus deus omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus ei gloriæ claritatem, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius ſe præparauit.*

Eſa. 65. XX. Quod crucifixuri illum eſſent Iudæi, apud Eſaiam, *Expandi manus meas tota die ad plebem contradicentem, & contumacem mihi, qui ambulant vias non bo-*

Hiere. 11. *nas ſed poſt peccata ſua.* Item apud Hieremiam, *Venite mittamus lignum in panem*

Deuter. 28. *eius, & eradamus à terra vitam eius.* Item in Deuteronomio, *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Item in pſalmo

Pſal. 21. XXI. *Et foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi autem contemplati ſunt & viderunt me. diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam ſortem miſerunt. Tu autem domine ne elongaueris auxilium tuum, in auxilium meum adtende. Libera à gladio animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Enarrabo nomen tuum*

Pſal. 118. *fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te.* Item in pſalmo CXVIII. *Confige clauis*

Pſal. 140. *de metu tuo carnes meas.* Item in pſalmo CXL. *Alleuatio manuum mearum ſacrificium*

Soph. 1. *veſpertinum.* De quo ſacrificio Sophonias dixit, *Metuite à facie domini Dei, quo-*

zacha. 12. *niam prope eſt dies eius, quia adparauit dominus ſacrificium ſuum, ſanctificauit electos*

Pſal. 77. *ſuos.* Item apud Zachariam, *Et intuebuntur in me, in quem tranſfixerunt.* Item in

Numer. 23. pſalmo LXXVII. *Exclamaui ad te tota die, domine extendi ad te manus meas.* Itẽ in

Ioan. 3. Numeris, *Non quaſi homo Deus ſuſpenditur, neque quaſi filius hominis minas patitur.* Vnde in euangelio dominus dicit, *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui crediderit in filium, habeat vitã æternam.*

XXI. Quod in paſſione crucis, & ſigno virtus omnis ſit & poteſtas, apud

Abac. 3. Abacuc, *Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena eſt terra, & ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius, & conſtituit dilectionem validam. Ante faciem ſuam ibit verbum, & procedet in campos ſecundum*

Eſa. 9. *greſſus ſuos.* Item apud Eſaiam, *Ecce natus eſt nobis puer, & datus eſt nobis filius, cuius imperium ſuper humeros eius, & vocatum eſt nomen eius, Magnæ cogitationis nuncius.* Hoc ſigno crucis & Amalech victus eſt ab Ieſu per Moyſen. In Exodo,

Exod. 17. *Dixit Moyſes ad Ieſum, Elige tibi viros, & exi, & conſtitue cum Amalech in craſtinum: ecce ego ſtabo in cacumine collis, & virga Dei in manu mea. Et factum eſt cum leuabat manus Moyſes, prævalebat Iſrael. Vbi autem ſubmiſerat manus Moyſes, inualeſcebat Amalech: ſed manus Moyſi erant graues, & accepto lapide ſubpoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum, & Aaron & Vr ſuſtentabant manus eius hinc & inde: & factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles, vſque in occaſum ſolis, & fugauit Ieſus Amalech, &*

omnem

mn em populum eius. Et dixit dominus ad Moysen, scribe hoc, vt sit memoria in libro, & da in aures Iesu, quoniam deletione deleam memoriam Amalech de sub cælo.

XXII. Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notẽtur, apud Ezechielẽ dicit dominus, *Transi mediam Hierusalem, & notabis signũ super frontes virorum qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum.* Item illic, *Vadite, & cedite, & nolite parcere oculis vestris, nolite misereri: seniores, & iuuenes, & virgines, & paruulos, & mulieres interficite, vt perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis, & ab ipsis sanctis meis incipite.* Item in Exodo Deus ad Moysen, *Et erit is sanguis in signo vobis super domos, in quibus ibi eritis: & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga deminutionis, cum percutiam terram Aegypti.* Item in Apocalypsi, *Et vidi agnum stantẽ in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, & habebant nomen eius, & nomen patris eius scriptũ in frontibus suis.* Itẽ illic, *Ego sum* A, *&* Ω, *primus & nouissimus, initium & finis. Felices eos qui faciunt præcepta eius, vt sit potestas eorũ super lignum.* Ezech. 9. Exod. 12. Apoca. 21.

XXIII. Quod medio die in passione eius tenebrę futurę essent, apud Amos, *Et erit in illo die, dicit dominus occidet sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis, & conuertam dies festos vestros in luctum, & omnia cantica vestra in lamentationem.* Itẽ apud Hierem. *Exterrita est quæ parit, & teduit anima eius. Subiit sol, & cũ adhuc medius dies esset, confusa est & maledicta: reliquos eorũ in gladio dabo, in conspectu inimicorũ suorum.* Itẽ in euãgelio, *A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super totã terrã, vsque ad horam nonã.* Item in psal. XXIX. *Domine abstraxisti ab inferno animã meam.* Amos 8. Hiere. 15. Matth. 27.

XXIIII. Quod à morte non vinceretur, nec apud inferos remãsurus esset, in psalmo XV. *Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis sanctũ tuum videre corruptionẽ.* Item in psalmo XXVIII. *Domine imposuisti ab inferis animam meam.* Itẽ in psalmo III. *Ego dormiui, & somnũ cœpi, & exsurrexi, quoniã dominus auxiliatus est mihi.* Item KATA Iohannẽ. *Nemo aufert animã meã à me, sed ego à me pono eam, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc enim mandatũ accepi à patre meo.*

XXV. Quod ab inferis tertio die resurgeret, apud Oseæ, *Viuificabit nos post biduum, die tertio resurgemus.* Itẽ in Exodo, *Et dixit dominus ad Moysen, Descẽde, & testificare populo, & sanctifica illos hodie & cras, & lauent vestem suã, & sint parati in perendinum diem: die enim tertio descendet dominus in montẽ Sina.* Itẽ in euãgelio, *Progenies nequam & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ, Quomodo enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Oseæ 6. Exod. 19. Lucæ 11.

XXVI. Quod cum resurrexisset, acciperet à patre omnem potestatem, & potestas eius æterna sit, apud Danielem, *Videbam in visu nocte, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniens: venit vsque ad veterem dierum, & stetit in conspectu eius, & qui adsistebant obtulerunt ei, & data est ei potestas regia, & omnes reges terræ per genus, & omnis claritas seruiens ei, & potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Item apud Esaiam, *Nunc exurgam, dicit dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo spiritus vestri, & vos ignis consumet.* Item in psalmo CIX. *Dixit dominus domino meo, sede ad dextram meam, quoadusque ponã inimicos tuos sup pedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet dominus à Sion, & dominaberis in medio inimicorũ tuorum.* Item in Apocalypsi, *Et conuersus respexi, vt viderem vocem, quæ mecum loquebatur: & vidi septem candelabra aurea, & in medio candelabrorum similem filio hominis vestitum podere, & erat præcinctus supra mammillas zonam auream. Caput autem & capilli eius erant albi velut lana aut nix, & oculi eius velut flamma ignis, & pedes eius aurichalco similes, sicut de fornace ignis: & vox eius, vt sonus aquarum multarum: & habebat in dextera sua septem stellas, & ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius splendebat vt sol* Dan. 7. Esa. 35. Apocal. 1.

in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus, & imposuit super me dexteram suam dicens, Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus qui fueram mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis &
Matth. 28. *inferorum.* Item in euangelio dominus post resurrectionē discipulis dicit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: ite ergo, & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos obseruare omnia quæcunque præcipio vobis.*

XXVII. Quod perueniri non possit ad Deum patrem, nisi per filium eius
Ioan. 14. Christum Iesum, in euangelio, *Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad pa-*
Matth. 13. *trem, nisi per me.* Item illic, *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.* Item illic, *Multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, &*
Ioan. 3. *audire quæ auditis, & non audierunt.* Item illic, *Qui credit in filium, habet vitā æternam. Qui dicto non audiens est in filium, non habet vitam, sed ira Dei manebit super*
Ephes. 2. *eum.* Item Paulus ad Ephesios, *Et cum venisset, adnunciauit vobis pacem qui longe, & pacem iis qui prope, quia per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem.*
Rom. 3. Item ad Romanos, *Omnes enim peccauerunt, & egent claritate Dei: iustificantur autem dono ipsius & gratia per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Item in epistō-
1. Pet. 3. la Petri apostoli, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo.* Item illic, *In hoc enim & mortuis prædicatum est, vt suscitentur.*
1. Ioan. 2. Item in epistola Iohannis, *Qui negat filium, neque patrē habet: qui confitetur filium, & filium & patrem habet.*
Malach. 4. XXVIII. Quod ipse iudex venturus sit, apud Malachiam, *Ecce dies domini venit ardens velut clibanus, erúntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui stipula, & succendet illos aduenies dies, dicit dominus.* Item in psalmo quadragesimo nono, *Deus deorum dominus locutus est, & vocauit terram. A solis ortu vsque ad occasum, ex Sion species decoris eius. Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius, procella nimia. Vocauit cælum sursum & terram, vt separaret populum suum. Colligite illi iustos eius, eos qui disponunt testamentum eius in sa-*
Esaiæ. 42. *crificiis: & adnunciabunt cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.* Item apud Esaiam, *Dominus Deus virtutum prodibit, & comminuet bellum. Excitabit certamen, & exclamabit super inimicos suos cum fortitudine. Tacui, nunquid semper tacebo?* Item in psalmo sexagesimoseptimo, *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eū à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiāt: sicut tabescit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie dei. Et iusti iocundentur, & exultent in conspectu dei, & lætetur in iocunditate. Cantate domino: psallite nomini eius: viam facite ei, qui ascendit in occasum: Deus nomen est illi. Turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit in domo vnanimes, producēs vinctos in virtute, similiter eos qui in amaritudine prouocāt, qui habitant in monumentis. Deus cum prodires in conspectu populi tui, in transeundo in eremū.* Item in psalmo LXXXI. *Exurge Deus & iudica terram, quoniam tu exterminabis in omnibus gentibus.*
Matth. 8. Item in euangelio KATA Matthæum, *Quid nobis & tibi fili Dauid? Quid huc ve-*
Ioan. 5. *nisti ante tempus punire nos?* Item KATA Iohannem, *Nihil pater iudicat, sed omne iudicium filio dedit, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem: qui non ho-*
2. Cor. 5. *norificat filium, non honorificat patrem qui eum misit.* Item in epistola Pauli ad Corinthios secunda, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque sui corporis propria secundum quæ egit, siue bona, siue mala.*
zacha. 9. XXIX. Quod ipse sit rex in æternum regnaturus, apud Zachariam, *Di-*
Esa. 53. *cite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi, iustus & saluans, mitis, sedens super asinum indomitum.* Item apud Esaiam, *Quis nunciabit vobis, quia ignis ardet? quis nunciabit vobis locum illum æternum? Ambulans in iustitia, & manus abstinens à muneribus, grauans aures vt non audiat iudicium sanguinis, & comprimens oculos suos, ne videat iniustitiam: hic habitabit in alta spelunca petræ fortis. Panis illi dabitur, & aquæ*

eius

eius fidelis: regem cum claritate videbitis. item apud Malachiam, *Rex magnus sum* Malach. 1.
ego, dicit dominus, & nomen meum inlustre est apud gentes. Item in psalmo secundo, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, adnuncians præceptum eius.* Item in psalmo XXI. *Commemorabuntur & conuertentur ad dominum omnes termini terræ, & adorabunt in conspectu tuo omnes patriæ gentium: quoniam domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Itē in psalmo XXIII. *Auferte portas principes vestras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus fortis in prælio. Auferte portas principes vestras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex claritatis. Quis est iste rex claritatis? Dominus virtutum ipse est rex claritatis.* Item in psalmo XLIIII. *Eructauit cor meum sermonem bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scriptoris velociter scribentis, Decorus specie super filios hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in secula. Accingere ensem tuum ad fœmur potentissime. Decori & speciei tuæ & intende, & prospere dirige, & regna, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam.* Item in psalmo V. *Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo domine mane, exaudies vocem meam: mane adsistam tibi, & contemplabor te.* Item in psalmo XCVI. *Dominus regnabit, exultet terra, iocundentur insulæ multæ.* Item in psalmo XLIIII. *Adsistit regina ad dexteram tuam in veste inaurata. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui & domus patris tui. Quoniam desiderauit speciem tuam rex, quia ipse est dominus Deus tuus.* Item in psalmo LXXII. *Deus autem rex noster ante seculum operatus est salutem in medio terræ.* Item in euangelio KATA Matthæum, *Cum Iesus natus esset in Bethlem Iudæ in diebus Herodis regis: ecce magi ab oriente aduenerunt Hierosolymam dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Item KATA Iohannem dixit Iesus, *Regnum meum non est de isto* Matth. 2. Ioan. 18.
seculo: si de isto seculo esset regnum meum, ministri mei turbarentur, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit autem Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis, quoniam rex sum ego: Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in seculum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est de veritate, audit meam vocem.

XXX. Quod ipse sit & iudex & rex, in psalmo LXX. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia.* Item in Apo- Apocal. 19.
calypsi, *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur, Fidelis & verus: æquum iustúmque iudicat & prælиatur. Oculi autem eius erunt tanquam flamma ignis, & super caput eius diademata multa: & portabat nomen scriptum, nemini alij nisi sibi notum. Et erat cooperius veste aspersa sanguine, & dicitur nomen eius, Verbum Dei: & exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, induti byssino albo, & mundo, & de ore eius exibat gladius vtrinque acutus, vt ex eo percuteret nationes, quas ipse pasturus est in virga ferrea: & ipse calcabit torcular vini iræ Dei omnipotentis. habet etiam in veste & in fœmore suo nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominorum.* Item in euangelio, *Cum venerit filius hominis in claritate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ: & colligentur ante eum omnes gentes, & segregabit illos ab inuicem, quemadmodum pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram. Tunc dicet rex eis qui ad dexteram suam erunt, Venite benedicti patris mei, percipite quod vobis paratum est regnum ab origine mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & potastis me: hospes fui, & suscepistis me: nudus, & vestistis me: infirmatus fui, & visitastis me: in carcere fui, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & potauimus? quando autem te vidimus hospitem, & suscepimus? nudum, & vestiuimus? quando autem te vidimus infirmari, & in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet eis, Amen dico vobis, quandiu fecistis vni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet iis qui ad sinistram suam erunt, Discedite à me maledicti, in ignem æternum,* Matth. 25.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non potaſtis me: hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me: nudus & non veſtiſtis me: infirmus & in carcere, & non veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Et reſpondebit illis, Amen dico vobis, quàm diu non feciſtis vni ex minimis his, neque mihi feciſtis: & abibunt iſti in ambuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam.

CAECILII CYPRIANI, AD QVIRINVM LIBER TERTIVS.

CYPRIANI QVIRINO FILIO, SALVTEM.

DRO fide ac deuotione tua, quam domino Deo exhibes fili chariſsime, petiſti, vt ad inſtruendum te, excerperem de ſcripturis ſanctis quædam capitula, ad religioſam ſectæ noſtræ diſciplinam pertinentia: lectionis diuinæ ſuccinctam diligentiam quærens, vt animus Deo deditus, non longis aut multis librorum voluminibus fatigetur, ſed eruditus breuiario præceptorum cæleſtium, habeat ad fouendam memoriam ſuam ſalubre & grande compendium. Et quia tibi plenum dilectionis obſequium debeo, feci quod petiſti, vt laborem ſemel, ne tu ſemper laborares. Quantum potuit itaque mediocritas noſtra complecti, collecta ſunt à me quædam præcepta dominica & magiſteria diuina, quæ eſſe facilia & vtilia legentibus poſsint, dum in breuiarium pauca digeſta, & velociter perleguntur, & frequenter iterantur. Opto te fili chariſsime ſemper bene valere.

I. De bono operis & miſericordiæ.
II. In opere & eleemoſynis, etiam ſi per mediocritatem minus fiat, ipſam voluntatem ſatis eſſe.
III. Agapen & dilectionem fraternam religioſe & firmiter exercendam.
IIII. In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit.
V. Humilitatem, & quietem in omnibus tenendam.
VI. Bonos quoſque & iuſtos pl⁹ laborare, ſed tolerare debere, quia probãtur.
VII. Non contriſtandum Spiritum ſanctum, quem accepimus.
VIII. Iracundiam vincendam eſſe, ne cogat delinquere.
IX. Inuicem ſe fratres ſuſtinere debere.
X. In Deum ſolum fidendum, & in ipſo gloriandum.
XI. Eum qui fidem conſecutus eſt, expoſito priore homine, cæleſtia tãtum & ſpiritalia cogitare debere, nec adtendere ad ſeculũ cui iam renunciauit.
XII. Non iurandum.
XIII. Non maledicendum.
XIIII. Nunquam muſsitandum, ſed circa omnia quę accidunt, benedicẽdum Deum.
XV. Ad hoc tentari homines à Deo, vt probentur.
XVI. De bono martyrij.
XVII. Minora eſſe quę in ſeculo patimur, quã ſit premiũ quod promiſsũ eſt.
XVIII. Dilectioni Dei ac Chriſti nihil præponendum.
XIX. Voluntati non noſtræ, ſed Dei obtemperandum.
XX. Fundamentum & firmamentum ſpei & fidei eſſe timorem.
XXI. Non temere de altero iudicandum.

Accepta

XXII. Accepta iniuria remittendum,& ignoſcendum.
XXIII. Vicem malis non reddendam.
XXIIII. Non poſſe ad patrem perueniri,niſi per Chriſtum.
XXV. Ad regnum Dei niſi baptizatus & renatus quis fuerit, peruenire non poſſe.
XXVI. Parum eſſe baptizari, & euchariſtiam accipere, niſi quis factis & opere perficiat.
XXVII. Baptizatum quoque gratiam perdere,quam conſecutus ſit, niſi innocentiam ſeruet.
XXVIII. Non poſſe in eccleſia remitti ei qui in Deum deliquerit.
XXIX. De odio nominis ante prædictum.
XXX. Quod quis Deo vouerit, cito reddendum.
XXXI. Eum qui non crediderit,iam iudicatum eſſe.
XXXII. De bono virginitatis & continentiæ.
XXXIII. Nihil patrem iudicare, ſed filium:& patrem ab eo non honorificari,à quo non honorificetur filius.
XXXIIII. Fidelem gentiliter viuere non oportere.
XXXV. Deum ad hoc patientem eſſe, vt nos pœniteat peccati noſtri & reformemur.
XXXVI. Mulierem ornari ſeculariter non debere.
XXXVII. Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi ob nomen ſolum puniri.
XXXVIII. Seruum Dei innocentem eſſe debere,ne incidat in pœnam ſecularem.
XXXIX. Datum nobis eſſe exemplum viuendi in Chriſto.
XL. Non iactanter nec tumultuoſe operandum.
XLI. Inepte & ſcurriliter non loquendum.
XLII. Fidem in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe quantum credimus.
XLIII. Poſſe eum ſtatim conſequi qui vere crediderit.
XLIIII. Fideles inter ſe diſceptantes,non debere gentilem iudicem experiri.
XLV. Spem futurorum eſſe, & ideo fidem circa ea quæ promiſſa ſunt, patientem eſſe debere.
XLVI. Mulierem in eccleſia tacere debere.
XLVII. Delicto & merito noſtro fieri, vt laboremus, nec Dei opem in omnibus ſentiamus.
XLVIII. Non fœnerandum.
XLIX. Inimicos quoque diligendos.
L. Sacramentum fidei non eſſe profanandum.
LI. Quod nemo in opere ſuo extolli debeat.
LII. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam.
LIII. Dei arcana perſpici non poſſe, & idcirco fidem noſtram ſimplicem eſſe debere.
LIIII. Neminem ſine ſorde & ſine peccato eſſe.
LV. Non hominibus,ſed Deo placendum.
LVI. Deum nihil latere ex his quæ geruntur.
LVII. Fidelem emendari & reſeruari.
LVIII. Neminem contriſtari morte debere, cum ſit in viuendo labor & periculum, in moriendo pax & reſurgendi ſecuritas.
LIX. De idolis quæ gentiles deos putant.
LX. Ciborum nimiam concupiſcentiam non adpetendam.

LXI. Posſidendi concupiſcentiam & pecuniam non adpetendam.
LXII. Matrimonium cum gentilibus non iungendum.
LXIII. Graue delictum eſſe fornicationis.
LXIIII. Quæ ſint carnalia, quæ mortem pariant: & quæ ſpiritalia, quæ ad vitam ducant.
LXV. Omnia delicta in baptiſmo deponi.
LXVI. Diſciplinam Dei in eccleſiaſticis præceptis obſeruandam.
LXVII. Prædictum, quod diſciplinam ſanam aſpernaturi eſſent.
LXVIII. Recedendum ab eo qui inordinate & contra diſciplinam viuat.
LXIX. Non in ſapientia mūdi, nec in eloquentia eſſe regnum Dei, ſed in fide crucis, & virtute conuerſationis.
LXX. Parentibus obſequendum.
LXXI. Patres quoque aſperos circa filios eſſe non oportere.
LXXII. Seruos cū crediderint, plus dominis carnalibus ſeruire debere.
LXXIII. Item dominos mitiores eſſe debere.
LXXIIII. Viduas probatas quaſque honorandas.
LXXV. Suorum & maximè fidelium curam plus vnumquenque habere debere.
LXXVI. Maiorem natu non temere accuſandum.
LXXVII. Peccantem publice obiurgandum.
LXXVIII. Cum hæreticis non loquendum.
LXXIX. Innocentiam fidenter petere, & impetrare.
LXXX. Nihil licere diabolo in hominem, niſi Deus permiſerit.
LXXXI. Mercedem mercenario cito reddendam.
LXXXII. Non augurandum.
LXXXIII. Cirrum in capite non habendum.
LXXXIIII. Barbam non vellendam.
LXXXV. Surgendum, cum epiſcopus aut presbyter veniat.
LXXXVI. Schiſma non faciendum, etiam ſi in vna fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit.
LXXXVII. Fideles ſimplices cum prudentia eſſe debere.
LXXXVIII. Fratrem non circunueniendum.
LXXXIX. Subito venire finem mundi.
XC. Vxorem à viro non recedere: aut ſi receſſerit innuptam manere.
XCI. Tantum vnumquenque tentari, quantum poteſt ſuſtinere.
XCII. Non quicquid licet, eſſe faciendum.
XCIII. Prædictum quod hæreſes futuræ eſſent.
XCIIII. Cum timore & honore euchariſtiam accipiendam.
XCV. Bonis conuiuendum, malos autem vitandos.
XCVI. Factis, non verbis operandum.
XCVII. Et ad fidem, & ad conſecutionem properandum.
XCVIII. Catechumenum peccare iam non debere.
XCIX. Iudicium ſecundum tempora futurum, vel æquitatis ante legem, vel legis poſt Moyſen.
C. Gratiam Dei gratuitam eſſe debere.
CI. Spiritum ſanctum in igne frequenter adparuiſſe.
CII. Correptionem bonos quoſque libenter audire debere.
CIII. A multiloquentia temperandum.
CIIII. Non mentiendum.
CV. Frequenter emendandos qui delinquunt in domeſtico miniſterio.
CVI. Iniuria accepta patientiā tenendam, & vltionē Deo relinquendam.
CVII. Non detrahendum.

Non eſſe

CVIII. Non esse proximo insidiandum.
CIX. Infirmos visitandos.
CX. Susurrones maledictos esse.
CXI. Sacrificia malorum acceptabilia non esse.
CXII. Grauius iudicari de his qui in seculo plus habuerint potestatis.
CXIII. Viduam & pupillos protegi oportere.
CXIIII. Dum in carne est quis, exomologesin facere debere.
CXV. Adulationem pernicioſam esse.
CXVI. Plus ab eo diligi Deum, cui in baptismo plura peccata dimittũtur.
CXVII. Fortem congressionem esse aduersus diabolum, & ideo fortiter nos stare debere, vt possimus vincere.
CXVIII. De antichristo quod in homine veniat.
CXVIIII. Graue fuisse iugum legis, quod à nobis abiectum est: & leue esse iugum domini, quod à nobis susceptum est.
CXX. Orationi insistendum.

I. De bono operis & misericordiæ apud Esaiam, *Exclama*, inquit, *in fortitudine, & noli parcere: sicut tuba exalta vocem tuam, adnuncia plebi meæ peccata ipsorum, & domui Iacob facinora eorum. Me de die in diem quærunt, & cognoscere vias meas concupiscunt, quasi plebs quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei non deseruerit. Postulant me nunc iudicium iustum, & adpropinquare Deo concupiscunt, dicentes, Quid quia ieiunauimus & non vidisti? humiliauimus animas nostras, & non cognouisti? In diebus enim ieiunij inueniuntur voluntates vestræ: aut enim subiectos vobis subpungitis, aut ad iudicia & lites ieiunatis, aut proximos pugnis cæditis, vt quid mihi ieiunatis? vt hodie audiatur vox vestra in clamore? Non hoc ieiunium quod ego elegi, nisi humiliet homo animam suam. Nam etsi contorseris quasi circulum collum tuum, & saccum & cinerem substraueris, nec sic vocabitur ieiunium acceptum. Non tale ieiunium elegi, dicit dominus: sed solue omnem nodum iniustitiæ, resolue suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem & omnem consignationem iniustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti, & domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur. Et præibit ante te iustitia, & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris dicet, Ecce adsum.* De hoc Esa.58.
ipso apud Iob, *Conseruaui egenum de manu potentis, & pupillo, cui non erat adiutor, auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me, cum essem oculus cæcorum, pes quoque claudorum ego essem, & inualidorum pater.* De hoc ipso apud Thobiam, *Et dixi Thobiæ filio meo, Vade & adduc quemcunque pauperem inueneris ex fratribus nostris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde suo, hunc adduc & manducabit pariter mecum prandium hoc. Ecce sustineo te fili donec venias.* item illic, *Omnibus diebus vitæ tuæ fili, Deum in mente habe, & noli præterire præcepta eius. Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Quomodo habueris fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam: si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communicato. Et ne timueris, cum facis eleemosynam: præmium bonum reponis tibi in diem necessitatis: quoniam eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo.* De hoc ipso apud Salomonem in parœmiis, *Qui pauperem miseretur, Deo fœnerat.* item illic, *Qui dat pauperibus, nunquam indigebit: qui autem auertit oculum suum, in multa penuria erit.* item illic, *Eleemosynis & fide peccata purgantur.* item illic, *Si esurierit inimicus tuus, pasces eum, si sitierit potabis eum: hoc enim faciens, carbones viuos superfundes in caput eius.* item illic, *Sicut aqua extinguit ignem,* Thob.2. Thob.4. Prouer.19. 15. 23. Eccles.3. Prouer.3.

Prouer.3. *sic & eleemosyna extinguit peccatum.* Apud eundem in Parœmiis, *Ne dixeris, abi & reuertere, cras ego dabo, cum possis continuo benefacere: non enim scis quid contin-*
20. *gat sequenti die.* item illic, *Qui obturat aures suas ne audiat imbecillum, & ipse inuoca-*
bit Deum, & non erit qui exaudiat. item illic, *Qui conuersatur sine vituperatione in iu-*
Eccl.14. *stitia, beatos filios relinquit.* apud eundem in Ecclesiastico, *Fili si habes, bene fac*
tecum, & Deo dignas oblationes offer: memorare quoniam mors non tardat. item illic,
29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* De hoc
ipso in psalmo XXXVI. misericordiam & posteris prodesse, *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione est.* De hoc ipso in psalmo XL. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit illum Deus.* item
in psalmo CXI. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* De hoc
Oseæ.6. ipso apud Oseæ, *Misericordiam volo magis quam sacrificium, & agnitionem Dei*
Matth.5. *plusquam holocaustomata.* De hoc ipso in euangelio KATA Matthæum, *Beati*
qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. item illic, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* item illic, *Thesaurizate vobis thesauros*
in cælo, vbi neque tinea, neque comestura exterminat, & vbi fures non effodiunt, &
Matth.13. *furantur. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum.* item illic, *Simile est*
regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas: vbi autem inuenerit
preciosam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam. Etiam mo-
Ibidem 10. dicum opus prodesse, item illic, *Et qui potauerit vnum ex minimis istis calicem aquæ*
frigidæ in nomine discipuli: amen dico vobis, non peribit merces eius. Nemini negandam
Lucæ 6. esse eleemosynam, item illic, *Omni poscenti te da, & ab eo qui voluerit mutuari, ne*
Matth. 19. *auersatus fueris.* item illic, *Si vis ad vitam venire, serua mandata.* dicit ille, *Quæ?* & dicit *Iesus, Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices: honora patrem*
& matrem, & diliges proximum tibi tanquam te. Dicit illi iuuenis, *Omnia ista obseruaui,*
quid adhuc mihi deest? Dicit illi *Iesus, Si vis perfectus esse, vade & vende bona tua, &*
da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. item illic, *Cum ve-*
nerit filius hominis in claritate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ, & colligentur ante eum omnes gentes. Et segregabit illos ab inuicem, quemadmodum pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues ad dexteram suam, hœdos autem
ad sinistram. Tunc dicet rex eis, qui ad dexteram suam sunt, Venite benedicti patris mei,
percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi
manducare: sitiui, & potastis me: hospes fui, & adduxistis me. nudus, & vestistis me: in-
firmatus sum, & visitastis me: in carcere fui, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei
iusti, dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & potauimus? quando te vidimus hospitem & adduximus, nudum & vestiuimus? Quando autem
te vidimus infirmum, & in carcere, & venimus ad te? respondens rex dicet, Amen dico vobis, quàm diu fecistis vni horum ex fratribus meis minimis, & mihi fecistis. Tunc
dicet illis qui à sinistris eius sunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem
parauit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non potastis me: hospes fui, & non adduxistis me: nudus fui, & non vestistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt & ipsi dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut
nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Et respondebit illis,
Amen dico vobis, quàm diu non fecistis vni ex minimis his, neque mihi fecistis. Et abibunt
isti in ambustionem æternam: iusti autem in vitam æternam. De hoc ipso in euan-
Lucæ 11. gelio KATA Lucam, *Res vestras vendite, & date eleemosynam.* item illic, *Qui*
& 12. *fecit quod est intus, fecit quod & foris est. Veruntamen date eleemosynam, & ecce*
Ibidem 19. *vobis omnia sunt munda.* item illic, *Ecce dimidium ex substantia mea do egenis, & si*
cui quid defraudaui, quadruplum reddo. Dixit autem Iesus, Quia salus hodie domui huic
facta est: quoniam & ipse filius est Abrahæ. De hoc ipso ad Corinthios secun-

da,

da, *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ* 2.Cor. 8.
sit supplementum, vt sit æqualitas sicut scriptum est, Qui multum habuit, non abun- Exod.16.
dauit, & qui modicum, non indiguit. item illic, *Qui parce seminat, parce & metet.* 2.Cor. 9.
qui seminat in benedictionem, de benedictione & metet. Vnusquisque autem sicut cor-
de proposuit, non quasi ex tristitia, vel ex necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus.
item illic, *Sicut scriptum est, Distribuit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in æter-* Ibidem.
num. item illic, *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad edendum præ-*
stabit. & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ,
vt in omnibus locupletemini. item illic, *Administratio huius officij non tantum sup-*
plet ea quæ sanctis desunt, sed & abundat per multam gratiarum actionem in Deum.
De hoc ipso in epistola Iohannis, *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit* 1.Ioan. 3.
fratrem suum desiderantem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei ma-
net in illo? De hoc ipso in euangelio KATA Lucam, *Cum facis prandium aut* Lucæ 14.
cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque vicinos, neque diuites, ne forte
& illi reinuitent te, & fiat retributio tibi. Sed cum facis epulum, voca pauperes, debiles,
cæcos & claudos, & beatus eris, quoniam non habent retribuere tibi. Retribuetur au-
tem tibi in resurrectione iustorum.

II. In opere & eleemosynis, etiam si per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse, in epistola Pauli ad Corinthios secunda, *Si voluntas* 2.Cor. 8.
prompta est, secundum quodcunque habuerit, acceptabile est, non secundum quod non ha-
buerit: neque vt alijs refrigerium, vobis autem pressura sit.

III. Agapen & dilectionem fraternam religiose & firmiter exercendam, apud Malachiam, *Nonne Deus vnus condidit nos? nonne pater est vnus omnium no-* Malach.2.
strum? Quid vtique dereliquistis vnusquisque fratrem suum? De hoc ipso KATA Iohannem, *Pacem remitto vobis, pacem meam do vobis.* item illic, *Hoc est mandatum* Ioan.14. 15.
meum vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo
habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. item illic, *Felices pacifici, quo-*
niam ipsi filij Dei vocabuntur. item illic, *Amen dico vobis, quoniam si duobus ex*
vobis conuenerit in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo
qui in cœlis est. Vbicunque enim duo fuerint aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis
sum. De hoc ipso ad Corinthios prima, *Et ego quidem fratres non potui vobis* 1. Corin.3.
loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi infantibus in Christo lac vobis po-
tum dedi, non escam. Dum enim adhuc pusilli eratis, non poteratis, sed neque nunc po-
testis. adhuc enim estis carnales. Vbi enim in vobis æmulatio & contentio & disseñ-
siones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? item illic, *Et si ha-* 1.Cor.13.
buero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.
Et si in cibos distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem
autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, cha-
ritas non æmulatur, charitas non agit perperam, non inflatur, non iritatur, non cogitat
malum, non gaudet super iniustitia, conlætatur autem in veritate. Omnia tegit, omnia
credit, omnia sperat, omnia sustinet. charitas nunquam excidit. De hoc ipso ad Ga-
latas, *Diliges proximum tibi tanquam te: si autem mordetis, & incusatis inuicem, vi-* Galat.5
dete ne consumamini ab inuicem. De hoc ipso in epistola Iohannis, *In hoc adparent* 1.Ioan.3.
filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est de Deo: & qui non diligit fratrem
suum. item illic, *Qui enim fratrem suum odit, homicida est: & scitis quia omnis ho-*
micida non habet in se vitam æternam in se manentem. item illic, *Si quis dixerit, quo-* 1.Ioan. 4
niam diligit Deum, & fratrem suum odit, mendax est. qui enim non diligit fratrem
suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? De hoc ipso in
Actibus Apostolorum, *Turbæ autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna* Act. 4.
agebant, nec fuit inter illos discrimen vllum: nec quicquam suum iudicabant ex bonis
quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia. De hoc ipso in euangelio KATA
Matthæum, *Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater* Matth. 5.

tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum ante altare. Item in epistola Iohannis, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* item illic, *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, mendax est, & in tenebris ambulat vsque adhuc.*

1.Ioan. 4.

IIII. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit: in euangelio KATA Iohannem, *Nemo potest quicquam accipere, nisi datum illi fuerit de cælo.* item in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* item in BASIAEIΩN libro primo, *Nolite gloriari neque loquamini elata: non procedat magniloquentia ex ore vestro, quia Deus scientiarum dominus.* item illic, *Inualidus factus est arcus potentium, & infirmi accincti sunt virtute.* De hoc ipso in Maccabæis, *Iustum est subditum Deo esse, & mortalem non paria Deo sentire.* item illic, *Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in stercora erit & in vermes. Hodie extolletur, & cras non inuenietur, quoniam conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.*

Ioan.19. 1.Cor. 4. 1.Reg.2. 2.Macca. 9.

V. Humilitatem & quietem in omnibus tenendam, apud Esaiam, *Sic dicit dominus Deus, Cælum mihi thronus, & terra scabellum pedum meorum. Quam mihi ædem ædificabitis, aut quis locus ad requiem mihi? omnia enim ista fecit manus mea, & sunt mea omnia ista. Et super quem aspiciam alium, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* De hoc ipso in euangelio KATA Matthæum, *Felices mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* De hoc ipso KATA Lucam, *Qui minimus erit in omnibus vobis, hic erit magnus.* item illic, *Qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* De hoc ipso ad Romanos, *Noli altum sapere, sed time. si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* De hoc ipso in psalmo triceſimo tertio, *Et humiles spiritu saluabit.* Item ad Romanos, *Reddite ergo omnibus quæ debentur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* item in euangelio KATA Matthæum, *Diligunt primum recumbendi locum in cœnis, & primam sessionem in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem ne vocaueritis Rabbi. Vnus est enim vobis magister.* item in euangelio KATA Iohannem, *Non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior eo qui se misit. Hæc scientes beati eritis, si ea feceritis.* item in psalmo LXXXI. *Humilem & pauperem iustificate.*

Esaiæ.66. Matth. 5. Lucæ 9. Rom. 11. Ibidem 13. Matth.23. Ioan.13.

VI. Bonos quosque & iustos plus laborare, & tolerare debere, quia probantur, apud Salomonem, *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Item in psalmo quinquageſimo, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* item in psalmo triceſimo tertio, *Proximus est dominus contritis corde, & humiles spiritu saluabit.* item illic, *Multæ pressuræ iustorum, & ex omnibus illis liberabit illos dominus.* De hoc ipso apud Iob, *Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiam ego ibo sub terram: dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccauit Iob labiis suis in conspectu domini.* De hoc ipso in euangelio KATA Matthæum, *Beati plangentes, quoniam ipsi consolabuntur.* item KATA Iohannem, *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in seculo autem pressuram habebitis: sed confidite, quoniam ego vici mundum.* De hoc ipso ad Corinthios secunda, *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar. Propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me. & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur.* De hoc ipso ad Romanos, *Gloriamur in spe claritatis Dei: non solum autem, sed & gloriamur in pressuris, scientes quoniam pressura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem spem. Spes autem non confundit, quia dilectio Dei infusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* De hoc ipso KATA Matthæum,

Eccl.27. Matth.5. Ioan.16. 2.Cor.12. Rom.5.

Quam

Quàm lata & ſpacioſa eſt via quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui introeunt per eam. Matth. 7. *Quàm arta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui eam inueniunt.* De hoc ipſo in Thobia, *Vbi ſunt iuſtitiæ tuæ? ecce quæ pateris.* item in Sapientia Salomonis, *In locis impiorum gemunt iuſti: in illorum autem perditionem abundabunt iuſti.* Thob. 2. Eccl. 3.

VII. Non contriſtandum ſpiritum ſanctum, quem accepimus, ad Epheſios, *Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemiæ auferantur à vobis.* Epheſ. 4.

VIII. Iracundiam vincendam eſſe, ne cogat delinquere, apud Salomonem in parœmiis, *Melior eſt vir patiens forti. qui enim iracundiam continet, melior eſt, quàm qui vrbem capit.* item illic, *Imprudens in eadem die nunciat iram ſuam, abſcondit autem inhonorationem ſuam aſtutus.* De hoc ipſo ad Epheſios, *Iraſcimini & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* item in euangelio KATA Matthæum, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.* Prouer. 16. Prouer. 12. Epheſ. 4. Matth. 5.

VIIII. Inuicem ſe fratres ſuſtinere debere, ad Galatas, *In contemplatione habentes vnuſquiſque, ne & vos tentemini. Alterutrum onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Galat. 6.

X. In Deum ſolum fidendum eſſe, & in ipſo gloriandum, apud Hieremiam, *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque glorietur fortis in fortitudine ſua, neq; glorietur dives in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & noſſe quoniam ego ſum dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam ſuper terram, quoniam in his eſt voluntas mea, dicit dominus.* De hoc ipſo in pſalmo quinquageſimo quinto, *In Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.* item illic, *Non niſi Deo ſoli ſubiecta eſt anima mea.* item in pſalmo centeſimo decimoſeptimo, *Non metuam quid faciat mihi homo, dominus mihi auxiliator eſt.* item illic, *Bonum eſt confidere in dominum, quàm confidere in hominem. Bonum eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus.* De hoc ipſo apud Danielem, *Reſponderunt autem Sidrac, Miſac, & Abdenago, & dixerunt, Nabuchodonoſor regi, Rex non opus eſt nobis de hoc ſermone reſpondere tibi. eſt enim Deus cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex, liberabit nos. Etſi non, notum tibi ſit rex, quia diis tuis non deſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus.* item apud Hieremiam, *Maledictus homo qui ſpem habet in hominem, & benedictus homo, qui fidit in domino, & erit in Deum ſpes eius.* De hoc ipſo in Deuteronomio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* De hoc ipſo ad Romanos, *Et coluerunt & ſeruierunt creaturæ, relicto creatore: propter quod & tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* De hoc ipſo apud Iohannem, *Maior eſt qui in vobis eſt, quàm qui in hoc mundo.* Hiere. 9. Dan. 3. Hiere. 17. Deut. 6. Rom. 1.

XI. Eum qui fidem adſecutus eſt, expoſito priore homine, cæleſtia tantum & ſpiritalia cogitare debere, nec adtendere ad ſeculum, cui iam renunciauit, apud Eſaiam, *Quærite dominum, & cum inueneritis, inuocate eum. Cum autem adpropinquauerit vobis, derelinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas, & conuertatur ad dominum, & miſericordiam conſequetur, quia in multum remittet peccata veſtra.* De hoc ipſo apud Salomonem, *Vidi vniuerſa opera quæ facta ſunt ſub ſole, & ecce omnia vanitas.* De hoc ipſo in Exodo, *Sic autem comedetis illum. lumbi veſtri præcincti, & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi veſtri in manibus veſtris, & edetis eum feſtinanter: paſcha domini eſt.* De hoc ipſo in euangelio KATA Matthæum, *Nolite cogitare dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes inquirunt. ſcit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia iſta adponentur vobis.* item illic, *Nolite cogitare in craſtinum. craſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. ſufficit diei malitia ſua.* item illic, *Nemo retro adtendens & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei.* item illic, *Aſpicite volatilia cæli, quoniam* Esa. 55. Eccleſi. 1. Exod. 12. Matth. 6.

Lucæ 12. *non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater vester cælestis alit illa. Non vos pluris illis estis?* De hoc ipso KATA Lucam, *Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit, aperiant illi. Felices serui illi, quos adueniens*

Matth. 8. *dominus, inuenerit vigilantes.* De hoc ipso KATA Matthæum, *Vulpes cubilia habent, & volucres cæli diuersoria: filius autem hominis non habet vbi caput inclinet.* item illic, *Qui non renunciat omnibus quæ sunt eius, non potest meus discipulus esse.*

1. Cor. 6. De hoc ipso ad Corinthios prima, *Non estis vestri: empti enim estis precio magno, clarificate, & portate Deum in corpore vestro.* item illic, *Tempus collectum: superest ergo vt & qui habent vxores, quasi non habentes sint: & qui flent, quasi non flentes: & qui gaudent, quasi non gaudentes: & qui emunt, quasi non ementes: & qui*

Ibidem 15. *possident, quasi non possidentes: & qui hoc mundo vtuntur, quasi non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.* item illic, *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cælo. Qualis ille è limo, tales & qui è limo: & qualis cælestis, tales & cælestes. Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo est, portemus & imaginem eius qui de cælo*

Philip. 3. *est.* De hoc ipso ad Philippenses, *Omnes quæ sua sunt quærunt, & non quæ sunt Christi, quorum finis est interitus, quorum venter deus est, & gloria in confusionem eorum qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde & saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis*

Gala. 6. *nostræ, conformatum corpori claritatis suæ.* De hoc ipso ad Galatas, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* De hoc ipso ad Timotheum, *Nemo militans Deo, obligat se molestiis secularibus, vt possit placere ei cui se probauit. Sed & si certauerit*

2. Timo. 2. Coloss. 2. *quis, non coronabitur, nisi legitime pugnauerit.* De hoc ipso ad Colossenses, *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tanquam viuentes in mundo vana sectamini?* item de hoc ipso, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ terrena sunt. mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus adparuerit vita vestra, tunc & vos cum eo adparebitis in gloria.* De hoc ipso ad Ephe-

Ephes. 4. sios, *Exponite prioris conuersationis veterem hominem, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis. Innouamini autem spiritu sensus vestri, & induite nouum hominem, qui secundum Deum constitutus est in iustitia, & sanctitate & veritate.* De

1. Pet. 2. hoc ipso in epistola Petri, *Quasi hospites & peregrini abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, conuersationem autem habentes inter gentes*

1. Ioan. 2. *bonam: vt dum vniuersi detrectant de vobis, quasi de malignis, bona opera vestra aspicientes magnificent Deum.* De hoc ipso in epistola Iohannis, *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.* item illic, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi quæ non est à patre, sed ex concupiscentia seculi: & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei patris, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.* item in epistola Pau-

1. Cor. 5. li ad Corinthios prima, *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Nam & pascha nostrum immolatus est Christus: itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Eccl. 23. XII. Non iurandum, apud Salomonem, *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga: & si vane iurauerit, non iustificabitur.* De

Matth. 5. hoc ipso KATA Matthæum, *Dico vobis non iurare in totum. Sit autem sermo ve-*

Exod. 10. *ster, Est est, Non non.* De hoc ipso in Exodo, *Non accipies nomen domini Dei tui in vanum.*

Ibidem 22. XIII. Non maledicendum, in Exodo, *Non maledices, neque principi populi tui*

detraxe-

detraxeris. Item in psalmo tricesimotertio, *Quis est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* De hoc ipso in Leuitico, *Et locutus est dominus ad Moysen, dicens, Produc eum foras, qui maledixerit, extra castra, & imponent omnes qui audierint manus suas super caput eius, & lapidabit eum omnis synagoga filiorum Israel.* De hoc ipso in epistola Pauli ad Ephesios, *Omnis sermo malus de ore vestro non prodeat, sed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* De hoc ipso Paulus ad Romanos, *Benedicentes, & non maledicentes.* De hoc ipso in euangelio KATA Matthæum, *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit in gehennam ignis.* De hoc ipso KATA eundem Matthæum, *Dico autem vobis, quia omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. De sermonibus enim tuis iustificaberis, & de sermonibus tuis condemnaberis.*

Leuit. 24. Ephes 4. Rom. 12. Matt. 5. & 12.

XIIII. Nunquam musitandum, sed circa omnia quæ accidunt, benedicendum Deum, apud Iob, *Dic verbum aliquod in Deum & morere. At ille intuitus eam dixit, Tanquam vna ex ineptis mulieribus locuta es: si bona excepimus de manu domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob labiis suis in conspectu domini.* item illic, *Animaduertisti ad puerum meum Iob? non enim similis est illi quisquam in terris, homo sine querela, verus, Dei cultor, abstinens se ab omni malo.* De hoc ipso in psalmo tricesimotertio, *Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* De hoc ipso in Numeris, *Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur.* De hoc ipso in Actibus Apostolorum, *Circa autem mediam noctem Paulus & Silas orantes, gratias agebant Deo, audiebant autem eos vincti.* Item in epistola Pauli ad Philippenses, *Omnia autem pro dilectione facite, sine murmurationibus & reputationibus, vt sitis sine querela, & immaculati filij Dei.*

Iob. 2. Numer. 11. Act. 16. Philip. 2.

XV. Ad hoc tentari homines à Deo, vt probentur, in Genesi, *Et tentauit Deus Abraham, & dixit ad illum, Accipe filium tuum vnicum quem diligis Isaac, & vade in terram illam & impones illum ibi in holocaustum hostiam, in vno ex montibus, de quo dixero tibi.* De hoc ipso in Deuteronomio, *Tentat dominus Deus vester vos, vt sciat, si diligitis dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra.* De hoc ipso in Sapientia Salomonis, *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est, & in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi hostiæ holocaustum accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, & regnabit dominus eorum in perpetuum.* De hoc ipso in Maccabæis, *Abraham nonne & in tentatione inuentus est fidelis, & deputatum est ei ad iustitiam?*

Gen. 22. Deuter. 13. Sapien. 3. 1. Macca. 2.

XVI. De bono martyrij, in Prouerbiis Salomonis, *Liberat de malis animam martyr fidelis.* Item illic, *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui labores eorum diripuerunt. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam habentes, & per angustiam spiritus gementes, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus solitudines difficiles: viam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transierunt omnia illa sicut vmbra.* De hoc ipso in psalmo centesimo decimoquinto, *Preciosa est in conspectu domini mors iustorum eius.* Item in psalmo centesimo vigesimoquinto, *Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent. Et ambulantes ambulabant, & plorabant mittentes semina sua: venientes autem venient, in exultatione tollentes gremia sua.* De hoc ipso in euangelio KATA Iohannem, *Qui*

Prouer. 14. Sap. 5. Psal. 115. Psal. 125. Ioan. 12.

amat animam suam, perdet illam, & qui odit animam suam in isto seculo, in vitam
Matth.10. æternam inueniet illam. item illic, Cum autem tradiderint vos, nolite cogitare quid
loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in
Ioan.16. vobis. item illic, Veniet hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se
Deo facere. Sed & hoc facient, quoniam non cognouerunt patrem, neque me. De hoc
Matth. 5. ipso KATA Matthæum, Beati qui persecutionem passi fuerint propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. item illic, Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loqui-
Matth.10. tur in vobis. Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. item illic, Quicunque me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo, qui in cælis est. Qui autem me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis est. Qui autem sustinuerit vsque in finem, hic sal-
Lucæ 6. uus erit. De hoc ipso KATA Lucam, Beati eritis cum oderint vos homines, & separauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini vestro quasi nequam propter fi-
Ibidem 18. lium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis. item illic, Amen dico vobis, nemo est qui relinquat domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in isto
Apoca.6. tempore, in seculo autem futuro vitam æternam. De hoc ipso in Apocalypsi, Et cum aperuisset quintum sigillum, vidi sub ara animas occisorum propter verbum Dei, & martyrium suum, & clamauerunt magna voce dicentes, Quousque domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris inhabitant? Et datæ sunt eis singulis stolæ albæ, & dictum est eis vt requiescerent adhuc breui tempore, donec impleatur numerus conseruorum, & fratrum eorum, quique postea occiden-
Ibidem.7. tur exemplo ipsorum. item illic, Post hæc vidi turbam multam, quam dinumerare ex his nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu, & ex omni populo & lingua, stantes in conspectu throni, & in conspectu agni, & erant amicti stolis albis, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & magno clamore dicebant, Salus Deo nostro sedenti super thronum, & agno. Et respondit vnus de senioribus, dicens mihi, Hi qui amicti sunt stolas albas, qui sunt & vnde venerunt? Et dixi ei, Domine mi tu scis. Et ait mihi, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni: ideo sunt in conspectu throni Dei, & seruiunt ei diebus & noctibus in templo eius. Et is qui sedet in throno, inhabitabit super eos: neque esurient, neque sitient vnquam, sed neque sol super eos cadet, neque vllum æstum patientur. Quoniam agnus qui in medio throni est, reget eos, & deducet eos ad fontes vitæ aquarum, & absterget Deus
Ibidem 2. omnem lachrimam ex oculis eorum. item illic, Qui vincet, dabo illi edere ex omni ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. item illic, Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Felices erunt, qui vigilabunt & seruabunt vestimenta sua ne nudi ambulent, & videant turpitudinem suam. De hoc ipso Paulus ad Timotheum in
2.Timo.4. secunda, Ego iam delibor, & tempus instat meæ adsumptionis, bonum agonem certaui, cursum perfeci, fidem seruaui, iam superest mihi corona iustitiæ, quam mihi reddet dominus in illo die iudex iustus: non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt ad-
Rom. 8. uentum eius. De hoc ipso Paulus ad Romanos, Sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Si quidem compatiamur, vt & commagnificemur. De hoc ipso in psalmo CXVIII. Felices qui immaculati sunt in via, & qui ambulant in lege domini. Felices qui perscrutantur martyria eius.

XVII. Minora esse quæ in seculo patimur, quàm sit præmium quod pro-
Rom. 8. missum est, in epistola Pauli ad Romanos, Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad superuenturam claritatem quæ reuelabitur in nobis.

XVIII. Dilectioni Dei & Christi nihil præponendum, in Deuteronomio,
Deuter. 6. Diliges dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute
Matth.10. tua. in euangelio KATA Matthæum, Qui amat patrem aut matrem super me, non

est me

est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est meus discipulus. item in epistola Pauli ad Romanos, *Quis nos separabit à charitate Christi: pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, Quoniam causa tui occidimur tota die, deputati sumus vt oues victimæ, sed in his omnibus superuincimus, pro eo qui dilexit nos.* Rom.8. Psal.43.

XVIIII. Voluntati non nostræ, sed Dei obtemperandum, in euangelio KATA Iohannem, *Non descendi de cælo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit.* De hoc ipso KATA Matthæum, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* item in prece quotidiana, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* item KATA Matthæum, *Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, introibit in regnum cælorum, sed is qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse introibit in regnum cælorum.* item KATA Lucam, *Ille autem seruus qui cognoscit voluntatem domini sui, & non paruerit voluntati eius, vapulabit multis.* item in epistola Iohannis, *Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & ipse manet in æternum.* Ioan. 6. Matth.26. Ibidem.7. Lucæ 12. 1.Ioan.2.

XX. Fundamentum, & firmamentum spei, & fidei esse timorem, in psalmo centesimo decimo, *Initium sapientiæ timor domini.* De hoc ipso in Sapientia Salomonis, *Initium sapientiæ, metuere dominum.* In parœmiis eiusdem, *Beatus est homo qui veretur omnia per metum.* De hoc ipso apud Esaiam, *Et super quem alium respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* De hoc ipso in Genesi, *Et vocauit eum angelus domini de cælo, & dixit illi, Abraham Abraham. Ille autem dixit, Ecce ego. Et dixit, Noli imponere manum tuam in puerum, neque feceris illi quicquam. nunc enim cognoui, quoniam times Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me.* item in psalmo II. *Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* item in psalmo XXXIII. *Timete dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia eis qui eum metuunt.* item in psalmo decimooctauo, *Timor domini castus perseuerans in seculum seculi.* Eccles.1. Prouer.28. Isaiæ.66. Gen.22.

XXI. Non temere de altero iudicandum, in euangelio KATA Lucam, *Nolite iudicare, ne iudicemini: nolite condemnare, ne condemnemini.* De hoc ipso ad Romanos, *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit, stabit autem: potens est enim Deus statuere eum.* & iterum, *Tu autem inexcusabilis es homo omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alium, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Speras autem tu qui iudicas eos qui mala agunt, & eadem facis, quia ipse es fugiens iudicium Dei?* item in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Et qui se putat stare, videat ne cadat.* & iterum, *Si quis se putat scire aliquid, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire.* Lucæ 6. Rom. 17. 1.Cor.10.

XXII. Accepta iniuria remittendum, & ignoscendum, in euangelio in prece cotidiana, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* item KATA Marcum, *Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, remittat vobis peccata vestra: si autem vos non dimiseritis, neque pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.* item illic, *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Matth.6. Marci 11. Ibidem 4.

XXIII. Vicem malis non reddendam, in epistola Pauli ad Romanos, *Nemini malum pro malo reddentes.* item illic, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* De hoc ipso in Apocalypsi, *Et dixit mihi, ne signaueris verba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo est, & hi qui perseuerant nocere, noceant, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: iustus autem adhuc iustiora faciat, similiter & sanctus sanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum facta sua.* Rom.12. Apoca.22.

XXIIII. Non posse ad patrem veniri, nisi per filium eius Iesum Christum, in euangelio KATA Iohannẽ, *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrẽ nisi per* Ioan.14.

me. item illic, *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.*

Ioan. 10.

XXV. Ad regnum Dei nisi baptizatus & renatus quis fuerit, peruenire nō posse, in euangelio KATA Iohannem, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod enim natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est.* item illic, *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.*

Ibidem 3.

Ibidem 6.

XXVI. Parum esse baptizari, & eucharistiam accipere, nisi quis factis & opere perficiat, in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Nescitis quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit palmam? Sic currite, vt occupetis: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam.* in euangelio KATA Matthæum, *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* item illic, *Multi mihi dicent in illa die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia exclusimus, & in tuo nomine virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis, Nunquam vos noui, recedite à me qui operamini iniquitatem.* item illic, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & clarificent patrem vestrum qui in cælis est.* item Paulus ad Philippenses, *Lucete sicut luminaria in mundo.*

1. Cor. 9.

Matt. 3. & 7.

Matth. 9.

Philip. 2.

XXVII. Baptizatum quoque gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam seruet, in euangelio KATA Iohannem, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* item in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei violauerit, violabit eum Deus.* De hoc ipso in Paralipomenon, *Dominus vobiscum est, dum estis vos cum ipso: si dereliqueritis eum, derelinquet vos.*

Ioan. 5.

1. Corin. 3.

2. Parali. 15.

XXVIII. Non posse in ecclesia remitti ei, qui in Deū deliquerit, in euangelio KATA Matthæum, *Qui dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur illi, neque in isto seculo, neque in futuro.* item KATA Marcum, *Omnia peccata remittentur filiis hominum & blasphemiæ: qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habet remissam, sed reus erit æterni peccati.* De hoc ipso in BASILEIΩN primo, *Si delinquendo peccetur aduersus virum, orabunt pro eo dominum: si autem in Deum peccet homo, quis exorabit pro eo?*

Matth. 12.

Marci 3.

1. Reg. 2.

XXVIIII. De odio nominis ante prædictū, in euangelio KATA Lucam, *Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum.* item KATA Iohannem, *Si seculum vos odit, scitote quoniam me priorem odit: si de seculo essetis, seculum quod suum esset amaret: sed quia de seculo non estis, & elegi vos de seculo, propterea odit vos seculum. Mementote sermonis quem dixi vobis, Non est maior seruus domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Lucæ 11.

Ioan. 15.

XXX. Quod quis Deo vouerit, cito reddendum, apud Salomonem, *Prout voueris votum Deo, ne moram feceris reddere illud.* De hoc ipso in Deuteronomio, *Si autem voueris votum domino Deo tuo, non tardabis reddere illud, quia inquirens quæret illud dominus Deus tuus à te, & erit in peccatum: ea quæ egredientur per labia tua, obseruabis: & facies donum quod locutus es ore tuo.* De hoc ipso in psalmo XLVIIII. *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Inuoca me in die pressuræ, & eximam te, & clarificabis me.* De hoc ipso in Actis Apostolorum, *Cur implenit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, cum esset fundus in tua potestate? Non hominibus mentitus es, sed Deo.* item apud Hieremiam, *Maledictus qui facit opera domini negligenter.*

Eccl. 5.

Deut. 23.

Act. 3.

Hiere. 48.

XXXI. Eum qui non crediderit, iam iudicatum esse, in euangelio KATA Iohannem, *Qui non crediderit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnici filij Dei. Hoc autem est iudicium, quoniam lux venit in seculum, & magis dilexerunt homines tenebras, quàm lucem.* De hoc ipso in psalmo primo, *Propterea non exsurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.*

Ioan. 3.

XXXII.

XXXII. De bono virginitatis & continentiæ, in Geneſi, *Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos, & in triſtitia paries filios, & erit conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur.* De hoc ipſo in euangelio KATA Matthæum, *Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt: ſunt enim ſpadones, qui ex vtero matris nati ſunt: & ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus: & ſunt ſpadones, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.* item KATA Lucam, *Filij ſeculi huius generant & generantur: qui autem habuerint dignationem ſeculi illius, & reſurrectionem à mortuis non nubunt, neque nubuntur. Neque enim incipient mori: æquales enim ſunt angelis Dei, cum ſint filij reſurrectionis.* Reſurgere autem mortuos Moyſes ſignificat, quomodo dicit in rubo, *Dominus Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob:* non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum: omnes enim illi viuunt. De hoc ipſo in epiſtola Pauli ad Corinthios prima, *Bonum eſt homini mulierem non contingere: propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro. Vxor corporis ſui poteſtatẽ non habẽt, ſed vir: ſimiliter et vir corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vxor. Nolite fraudare inuicem, niſi ex conuentione & ad tempus, vt vacetis orationi.* & iterum, *Reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. Hoc dico ſecundum veniam, non ſecundum iuſſum: volo autem omnes homines eſſe, ſicut & me: ſed vnuſquiſque proprium habet chariſma à Deo, alius ſic, alius autem ſic.* item illic, *Cælebs cogitat ea quæ ſunt domini, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius, quomodo placeat vxori: ſic & mulier, & virgo innupta cogitat ea quæ ſunt domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ autem nupſit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius, quomodo placeat viro.* De hoc ipſo in Exodo, Cũ præcepiſſet Deus Moyſi, vt ſanctificaret populum in diem tertium, ſanctificauit ille, & adiecit dicens, *Eſtote parati, tribus diebus non accedetis ad mulieres.* De hoc ipſo in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ libro primo, *Et reſpondit ſacerdos ad Dauid, & dixit, Non ſunt panes profani in mea manu, niſi panis ſanctius vnus: ſi obſeruati ſunt pueri à muliere, manducabunt.* item in Apocalypſi, *Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt: virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunque ierit.*

Gen. 3. Matth. 19. Lucæ 20. 1. Cor. 7. Ibidem. Exod. 19. Apoca. 14.

XXXIII. Nihil patrem iudicare, ſed filium: & patrem ab eo non honorificari, à quo non honorificetur & filius, in euangelio KATA Iohannem, *Nihil pater iudicat, ſed iudicium omne filio dedit, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui eum miſit.* item in Geneſi, *Et dominus pluit à domino ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem de cælo.* item in pſalmo LXXI. *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, Iudicare populum tuum in iuſtitiam.*

Ioan. 9. Gene. 19.

XXXIIII. Fidelem gentiliter viuere non oportere, apud Hieremiam, *Hæc dicit dominus, Secundum vias gentilium non ambulaueritis.* De hoc ipſo quod ſegregare ſe quis debeat à gentilibus, ne ſit ſocius culpæ, & fiat particeps plagæ eorum, in Apocalypſi, *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem, Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius, & ne præſtringaris plagis eius: quoniam delicta eius vſque ad cælum peruenerunt, & meminit dominus Deus iniquitatum eius. Ideo reddet ei dupla, & in quo poculo miſcuit, duplum remixtum eſt ei: ſed in quantum ſe clarificauit, & deliciarum habuit, in tantum datur ei, & cruciatus & luctus: quoniam in corde ſuo dicit, Regina ſum, & vidua eſſe non poſſum, nec luctum viſura ſum: propterea vna hora plagæ eius aduenient, mors, & luctus & fames, & igni cremabitur: quia fortis eſt dominus Deus, qui eam iudicabit. Et flebunt & plangent ſe in ea reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, & in delictis conuerſati ſunt.* item apud Eſaiam, *Exite de medio eorum, qui fertis vaſa domini.*

Hiere. 7. Apocaly. 8. Eſa. 3.

XXXV. Deum ad hoc patientem eſſe, vt nos pœniteat peccati noſtri, vt reformemur, apud Salomonem in Eccleſiaſtico, *Ne dixeris, Peccaui, & quid ac-*

Eccleſi. 5.

Rom.2. *cidit mihi triſte? eſt enim altiſſimus patiens redditor.* item Paulus ad Romanos, *An nunquid opulentiam bonitatis eius, & ſuſtinentiam, & patientiam contemnis, ignorãs quia bonitas Dei in pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*

Apocal.17. XXXVI. Mulierem ornari ſeculariter non debere, in Apocalypſi, *Et venit vnus ex ſeptem angelis habentibus ſeptem phialas, & adgreſſus eſt me dicens, Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat pallium purpureum, & coccineum, & adornata erat auro, & lapidibus precioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum, & immunditiæ, &*

1.Timo.2. *fornicationis totius terræ.* item ad Timotheum, *Sint mulieres veſtræ cum verecundia, & pudicitia componentes ſe: non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veſte precioſa, ſed vt decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam conuerſatio-*

1.Pet.3. *nem.* De hoc ipſo in epiſtola Petri ad Ponticos, *Sit in muliere non exterior ornamenti,*

Gene.38. *aut auri, aut veſtis cultus, ſed cultus cordis.* item in Geneſi, *Thamar cooperuit ſe pallio, & adornauit: & cum aſtexiſſet eam Iudas, viſum eſt ei meretricem eſſe.*

XXXVII. Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi ob nomẽ ſolum puniri, in epiſtola Petri ad Ponticos, *Ne quiſquam veſtrum tanquam fur, aut homicida*

1.Petr.4. *patiatur, aut tanquam maleficus, aut curas alienas agens, ſed tanquam Chriſtianus.*

XXXVIII. Seruum Dei innocentem eſſe debere, ne incidat in pœnam

Rom. 13. ſecularem, in epiſtola Pauli ad Romanos, *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.*

XXXVIIII. Datum nobis eſſe exemplum viuendi in Chriſto, in epiſto-

1.Pet.2. la Petri ad Ponticos, *Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Qui cum*

Philip.2. *malediceretur, non remaledixit, cum pateretur, non minabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* item Paulus ad Philippenſes, *Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, vt ſit ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu curuetur, cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus Chriſtus*

Ioan. 13. *in gloria eſt Dei patris.* De hoc ipſo in euangelio KATA Iohannem, *Si ego laui pedes veſtros dominus & magiſter, & vos debetis aliorum pedes lauare. Exemplum dedi enim vobis, vt ſicut ego feci, & vos faciatis.*

XL. Non iactanter, nec tumultuoſe operãdum, in euangelio KATA Mat-

Matth.6. thæum, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi palam.* item illic, *Cum facis eleemoſynam, noli buccinare ante te, quomodo hypocritæ faciunt, in vicis & in ſynagogis, vt clarificentur ab hominibus: Amen dico vobis, compenſauerunt mercedem ſuam.*

XLI. Inepte & ſcurriliter non loquendum, in epiſtola Pauli ad Epheſios,

Epheſ.5. *Stultiloquium & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominẽtur quidem in vobis.*

XLII. Fidem tantum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus,

Gen. 15. in Geneſi, *Et credidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad iuſtitiam.* item apud

Eſa. 7. Eſaiam, *Et ſi non crediderit is, neque intelligetis.* item in euangelio KATA Mat-

Matth.14. thæum, *Modice fidei, quare dubitaſti?* & iterum, *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis.*

Marci 11. item KATA Marcum, *Omnia quæcunq; oratis & petitis, credite, quia accipietis, & erunt*

Abac.2. *vobis.* item rurſus, *Omnia poſſibilia credenti.* item in Abacuc, *Iuſtus autem ex fide*

Dan. 2. *viuet.* Item in Daniele, Ananias, Azarias, Miſael credentes Deo liberati ſunt de flamma ignis.

XLIII.

XLIII. Posse eum statim consequi qui crediderit vere, in Actis Apostolorum, *Ecce aqua, quid est quod me impedit tingi? Tunc dixit Philippus, Si credis ex toto corde tuo, licet.* Act. 8.

XLIIII. Fideles inter se disceptantes, non debere gentilem iudicem experiri, in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Audet quisquam vestrum aduersus alterum negocium habens disceptare apud iniustos, & non apud sanctos? Nescitis quia sancti mundum iudicabunt?* Et iterum, *Iam quidem in totum delictum in vobis est, quia iudicia habetis cum inuicem. Quare non magis iniuriam patimini, & quare non magis iniuriam accipitis? sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus: aut nescitis, quoniam iniusti regnum Dei non consequentur?* 1. Cor. 6.

XLV. Spem futurorum esse, & ideo fidem circa ea quæ promissa sunt patientem esse debere, in epistola Pauli ad Romanos, *Spe saluati sumus: Spes autem quæ videtur, non est spes. quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Rom. 8.

XLVI. Mulierem in ecclesia tacere debere, in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Mulieres vestræ in ecclesia taceant. Si quæ autem quid discere volunt, domi viros suos interrogent.* Item ad Timotheum, *Mulier cum silentio discat in omni submissione. Docere autem mulieri non permitto, neque præpositam esse viro. Adam enim primus formatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta est.* 1. Cor. 14. 1. Timo. 2.

XLVII. Delicto & merito nostro fieri, vt laboremus, ne Dei opem in omnibus sentiamus, apud Oseæ, *Audite sermonem domini filij Israel, quia iudicium est domini aduersus incolas terræ, quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei sit super terram. Execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffusum est super terram. Sanguinem sanguini supermiscent: & idcirco terra lugebit cum vniuersis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus cæli: & deficient pisces maris, vt nemo iudicet, & nemo reuincat.* De hoc ipso apud Esaiam, *Nunquid non valet manus domini, vt saluos faciat: aut grauauit aurem, vt non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos & Deum separant: & propter peccata vestra auertit faciem à vobis ne misereatur. Manus enim vestræ inquinatæ sunt sanguine, & digiti vestri in peccatis: labia autem vestra locuta sunt facinus, & lingua vestra iniustitiam meditatur: nemo loquitur vera, neque est iudicium verum: fidunt in vanis, & loquuntur inania: qui parturiunt dolorem, & pariunt facinus.* Item apud Sophoniam, *Defectione deficiat à facie terræ, dicit dominus. Deficiat homo, & pecudes deficiant, volucres cæli, & pisces maris: & auferam iniquos à facie terræ.* Oseæ 4. Esa. 59. Soph. 1.

XLVIII. Non fœnerandum, in psalmo XIII. *Qui pecuniam suam non dedit in fœnore, & munera super innocentes non accepit: qui ista fecerit, non commouebitur in æternum.* De hoc ipso apud Ezechielem, *Homo autem qui erit iustus, hominem non opprimet, & pignus debitoris reddet, & rapinam non rapiet: & panem suum esurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam suam in vsuras non dabit.* Item in Deuteronomio, *Non fœneraberis fratri tuo vsuram pecuniæ, & vsuram ciborum.* Ezech. 18. Deut. 23.

XLIX. Inimicos quoque diligendos, in euangelio KATA Lucam, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis gratia est? & peccatores enim diligunt eos qui se diligunt.* De hoc ipso KATA Matthæum, *Diligite inimicos vestros, & orate pro his qui vos persequuntur, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Lucæ 6. Matth. 5.

L. Sacramentum fidei non esse profanandum, apud Salomonem in Parœmiis, *In aures imprudentis noli quicquam dicere: ne quando audierit, subsannet sensatos sermones tuos.* De hoc ipso in euãgelio KATA Matthæum, *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte inculcent ea pedibus suis, & conuersi elidant vos.* Prouer. 13. Matth. 7.

LI. Quod nemo in opere suo extolli debeat, apud Salomonem in Eccleſia- Eccles. 6.

Lucæ 17. ſtico, *Noli te extollere in faciendo opere tuo.* Item in euangelio KATA Lucam, *Quis veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſtorem, & venienti de agro dicit continuo, Tranſi, recumbe? ſed dicit illi, Para aliquid quod cœnem: & accingere, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam: & poſtea tu manducabis & bibes. Nunquid habet gratiam ſeruo illi, quia fecit quæ imperata ſunt ei? ſic itaque & vos cum feceritis quæ vobis imperata ſunt, dicite, Serui ſuperuacui ſumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Deut.30. LII. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam, in Deuteronomio, *Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: & elige*
Eſa. 1. *vitam tibi vt viuas.* Item apud Eſaiam, *Et ſi volueritis & obaudieritis me, bona terræ edetis: ſi autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet: os enim domini locutum eſt iſta.* Item in euangelio KATA Lucam, *Regnum Dei intra vos eſt.*

LIII. Dei arcana perſpici non poſſe, & ideo fidem noſtram ſimplicem eſſe
1.Cor.13. debere, in epiſtola Pauli ad Corinthios prima, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut &*
Sap. 1. *ego cognitus ſum.* Item apud Salomonem in Sapiẽtia, *Et in ſimplicitate cordis quærite Deum.* Item apud eũdem, *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter.* Item apud
Eccl.3. & 7. eũdem, *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Item in Salomone,
Eſa. 3. *Noli eſſe multum iuſtus, & noli argumentari plus quàm oportet.* Item apud Eſaiam.
1.Macca.2. *Væ qui arguti ſunt in ſemetipſis.* Item in Maccabæis, *Daniel in ſimplicitate ſua liberatus eſt de ore leonum.*
Rom. 11. In epiſtola Pauli ad Romanos, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & quàm inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi*
2.Timo.2. *claritas in ſecula ſeculorum.* Item ad Timotheum, *Stultas autem & ineruditas quæſtiones deuita, ſciens quia lites generant. Seruum autem Dei non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes.*

Iob.23. LIIII. Neminem ſine ſorde, & ſine peccato eſſe, apud Iob, *Quis enim mundus à ſordibus? nec vnus, etiam ſi ſit vita eius vnius diei in terra.* Item in pſalmo L. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea.* Item in epi-
1.Ioan.1. ſtola Iohannis, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.*

LV. Non hominibus, ſed Deo placendum, in pſalmo LII. *Qui hominibus*
Galat. 1. *placent, confuſi ſunt: quoniam Deus nihil fecit illos.* Item in epiſtola Pauli ad Galatas, *Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem.*

Prouer. 15. LVI. Deum nihil latere ex his quæ geruntur, in Sapientia Salomonis, *In*
Hiere.23. *omni loco ſpeculantur oculi Dei bonos & malos.* De hoc ipſo apud Hieremiam, *Ego Deus adproximans, & non eſt Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego non videbo eum? nonne cælum & terram ego impleo, dicit dominus?* Item
1.Reg.14. in ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ I. *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Item in Apocaly-
Apocal. 2. pſi, *Et ſcient omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis, & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua.* Item in pſalmo XVIII. *Delicta quis intelli-*
2.Cor.3. *git? ab occultis meis munda me domine.* Item in epiſtola Pauli ad Corinthios II. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſque propria corporis ſui ſecundum quæ egit, ſiue bona ſiue mala.*

LVII. Fidelem emendari & reſeruari, in pſalmo CXVI. *Emendans emendauit me dominus, & morti me non tradidit.* Item in pſalmo LXXXVIII. *Viſitabo in virga ferrea facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem*
Mala. 3. *meam non diſpergam ab eis.* Item apud Malachiam, *Et ſedebit conflans & expurgans*
Matth. 5. *ſicut aurum & argentum, & emundabit filios Leui.* Item in euangelio, *Non exibis inde, donec ſoluas nouiſſimum quadrantem.*

LVIII. Neminem contriſtari morte debere, cum ſit in viuendo labor &

pericu-

periculum, in moriendo pax & resurgendi securitas, in Genesi, *Tunc dixit deus* Gen. 3.
ad Adam, Quia exaudisti vocem vxoris tuæ, & manducasti ex illa arbore, de qua sola
præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia
& gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes
pabulum agri tui in sudore vultus tui. Edes panem tuum donec reuertaris in terram, de
qua & sumptus es: quoniam terra es, & in terram ibis. Item illic, *Et complacuit Enoch* Ibidem. 5.
Deo, & non est inuentus postmodum: quia Deus illum transtulit. Item apud Esaiam, Esa. 40.
Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius sicut flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit.
Sermo autẽ domini manet in æternum. Item apud Ezechielẽ, *Ipsi dicunt, Arida facta* Ezech 37.
sunt ossa nostra: periit spes nostra, expirauimus, propterea prophetiza, & dic, Hæc dicit
dominus, Ecce ego aperio monumenta vestra, & educam vos de monumentis vestris, &
inducam vos in terram Israel. Et dabo spiritum meum in vos, & viuetis. Et ponam vos
in terram vestram, & cognoscetis quoniam ego dominus locutus sum, & faciam, dicit
dominus. Item in Sapientia Salomonis, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum* Sap. 4.
illius: placita enim erat Deo anima illius. Item in psalmo LXXXIII. *Quàm dilectis-*
simæ sunt habitationes tuæ Deus virtutum: desiderat & properat anima mea in atria dei.
Item in epistola Pauli ad Thessalonicenses, *Nolumus autem ignorare vos fratres* 1. Thessal. 4.
de dormientibus, ne contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus
quia Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui dormierunt in Iesu adducet cum
eo. Item ad Corinthios prima, *Stulte, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius mor-* 1. Cor. 15.
tuum fuerit. Et iterum, *Stella à stella differt in claritate, sic & de resurrectione mortuo-*
rum. Seminatur corpus in corruptione, resurgit sine corruptela. Seminatur in ignominia,
resurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute. Seminatur corpus anima-
le, resurgit spirituale. Et iterum, *Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptio-*
nem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptiuum hoc induerit in-
corruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet verbum quod scriptum
est, Absorpta est mors in contentionem. Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors cõtentio
tua? Item in euangelio KATA Iohannem, *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego* Ioan. 17.
fuero, & ipsi sint mecum, & videant claritatem meam quam mihi dedisti ante constitu-
tionem mundi. Item KATA Lucam, *Nunc dimittis domine seruum tuum secũdum ver-* Lucæ 2.
bum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Item KATA Iohannem, *Si* Ioan. 14.
me dilexissetis, gauderetis, quoniam vado ad patrem, quia pater maior me est.

LIX. De idolis quæ gentiles deos putant, in Sapientia Salomonis, *Omnia* Sap. 15.
idola nationum æstimauerunt deos, quibus neque oculorum vsus est ad videndum, neque
nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad
tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui
spiritum mutuatus est is finxit illos. Nemo autem sibi similem homo poterit Deum finge-
re. cum sit enim mortalis, mortuum finget manibus iniquis. Melior est autem ipse his quos
colit: quoniam ipse quidem vixit, illi nunquam. De hoc ipso, *Neque opera adtendentes* Sapien. 13.
agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aẽrem, aut gyrum
stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terræ deos putauerunt:
quorum si propter speciem hoc æstimauerunt, sciant quanto his dominus sit speciosior: aut
si virtutes eorum, aut opera mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc instituit
fortia, fortior est illis. Item in psalmo CXXXIIII. *Idola gentium argentũ & aurum,*
opus manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt,
aures habent & non audiunt: neque enim est spiritus in ore eorum: nares habent & non
odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes autem & non ambulabunt. Similes
fiant illis qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in illis. Item in psalmo XCV. *Omnes*
dij gentium dæmonia, dominus autem cælos fecit. De hoc ipso in Exodo, *Non facietis* Exod. 20.
vobis deos aureos, neque argenteos. Et iterum, *Non facies tibi idolum, nec cuiusquam* Deuter. 5.
similitudinem.

LX. Ciborum nimiam concupiscentiam non adpetendam, apud Esaiam, Esa. 22.

Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum istud, quoad-
Exod. 32. *usque moriamini.* Item in Exodo, *Consedit populus manducare & bibere, & surrexe-*
1. Cor. 8. *runt ludere.* In epistola Pauli ad Corinthios 1. *Cibus nos non commendat Deo: ne-*
Ibidem 11. *que si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, egebimus.* Et ite-
rum, *Cum conueneritis ad manducandũ, inuicem expectate. Si quis esurierit domi man-*
Rom. 14. *ducet, vt non in iudicium conueniatis.* Item ad Romanos, *Non est regnum Dei esca*
& potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Item in euangelio KATA
Ioan. 4. Iohannem, *Ego cibum habeo quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem*
eius qui me misit, vt perficiam opus eius.

LXI. Possidendi concupiscentiam, & pecuniam non adpetendam, apud
Eccl. 14. Salomonem in Ecclesiastico, *Qui diligit argentum, non satiabitur argento.* Item in
Prouer. 12. Parœmiis, *Captans annonam, maledictus in plebe est: benedictio autem in capite eius*
Esa. 5. *est qui communicat.* Item apud Esaiam, *Væ qui adiungunt domum ad domum, & a-*
grum agro continuant, vt auferant proximo suo aliquid. Nunquid habitabitis soli super
Soph. 1. *terram?* Item apud Sophoniam, *Aedificabunt domos & non inhabitabunt: & insti-*
tuent vineas, & non bibent vinum earum, quia prope est dies domini. Item in euange-
Lucæ 9. & 12 lio KATA Lucam, *Quid enim prodest homini lucrifacere totum mundum, se autem ip-*
Lucæ 16. *sum perdere?* Et iterum, *Dicit autẽ illi Deus, Stulte, hac nocte exposulatur anima tua,*
quæ ergo parasti, cuius erunt? Et iterum, *Commemorare quoniam recepisti bona in vita*
tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu autem doles. Item in
Act. 3. Actis apostolorum, *Dixit autem Petrus ad eum, Argentum quidem & aurum non*
est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & am-
1. Timo. 6. *bula. Et adprehensa manu eius dextera, excitauit eum.* Item ad Timotheum in pri-
ma, *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus. Habentes*
itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti simus. Qui autem diuites volunt fie-
ri, incidunt in tentationem, & in muscipulam, & desideria multa & nocentia, quæ
mergunt hominem in perditionem, & in interitum. Radix enim omnium malorum est
cupiditas, quam quidam adpetentes, naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus
multis.

Thob. 6. LXII. Matrimonium cum gentilibus non iungendum, apud Thobiam,
Vxorem accipe ex semine parentum tuorum, & noli sumere vxorem alienam, quæ non
Gen. 24. *est ex tribu parentum tuorum.* Item in Genesi, *Mittit puerum suum Abraham, vt de*
1. Esdræ 10. *semine suo accipiatur Rebecca filio eius Isaac.* Item in Esdra satis non fuit deo cum
vastarentur Iudęi, nisi alienigenas vxores cum filiis quoque, quos ex illis pro-
1. Cor. 7. creauerant, reliquissent. Item in epistola Pauli ad Corinthios 1. *Mulier vincta*
Ibidem 6. *est quàm diu viuit vir eius: si autem dormierit, liberata est, vt cui vult nubat, tantum*
in domino: felicior autem erit, si sic permanserit. Item de hoc ipso ad Corinthios 1.
Nescitis quia corpora vestra, membra Christi sunt? Auferam ergo mẽbra Christi, faciam
membra meretricis? absit. Aut nescitis quia qui adhæret meretrici, vnum corpus sunt?
Erunt enim duo in carne vna. Qui autem se coniunxerit domino, vnus spiritus est. Item
2. Corint. 6. ad Corinthios secunda, *Nolite coniungi cum infidelibus. Quæ autem participatio*
est iustitiæ & iniquitati? aut quæ communio est lumini ad tenebras? Item de Salomone
3. Reg. 11. BASILEIWN III. *Et auerterunt vxores alienigenæ, cor eius post deos suos.*

LXIII. Grauius delictum esse fornicationis, in epistola Pauli ad Corin-
1. Cor. 6. thios prima, *Omne delictum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem for-*
nicatur, in carne sua peccat. Non estis vestri: empti enim estis precio magno. Clarificate
& portate dominum in corpore vestro.

LXIIII. Quæ sint carnalia quæ mortem pariant, & quæ spiritalia, quæ ad
Gala. 5. vitam ducant, in epistola Pauli ad Galatas, *Caro concupiscit aduersus spiritum, &*
spiritus aduersus carnem. hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non quæ vultis, ipsa fa-
ciatis. Manifesta sunt autem facta carnis: quæ sunt, fornicationes, adulteria, immundi-
tiæ, spurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes,

animo-

animositates, prouocationes, simultates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est, gaudium, charitas, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

LXV. Omnia delicta in baptismo deponi, in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum adpetitores, neque fraudulēti, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* 1. Corin. 6.

LXVI. Disciplinam dei & in Ecclesiasticis præceptis obseruandam, apud Hieremiam, *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos, pascētes cum disciplina.* Item apud Salomonem in Parœmiis, *Fili ne neglexeris disciplinam dei, neque defeceris ab eo correptus. Quem diligit dominus, corripit.* Item in psalmo 11. *Continete disciplinam ne forte irascatur dominus, & pereatis à via recta. Cum exarserit cito ira eius super vos: beati omnes qui confidunt in eo.* Item in psalmo XLIX. *Peccatori autem dicit Deus, Ad quid exponis iustificationes meas, & adsumis testamentum meum per os tuum: tu autem odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos retro?* Item in Sapientia Salomonis, *Disciplinam qui abiecit infelix est.* Hiere. 3. Prouer. 3. Sapien. 3.

LXVII. Prędictum, quod disciplinam sanam aspernaturi essent, Paulus ad Timotheum 11. *Erit tempus quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes, in audiendo scalpentes aures. Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* 2. Tim. 4.

LXVIII. Recedendum ab eo qui inordinate, & contra disciplinam viuit, in epistola Pauli ad Thessalonicenses, *Præcipimus autem vobis in nomine domini nostri Iesu Christi, vt discedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Item in psalmo XLIX. *Si videbas furem simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* 2. Thessal. 4.

LXIX. Non in sapientia mundi, nec in eloquentia esse regnum Dei, sed in fide crucis, & in virtute conuersationis, in epistola Pauli ad Corinthios 1. *Misit me Christus adnunciare non in sermonis sapientia, ne inanis fiat crux Christi: verbum enim crucis, stultitia est his qui pereunt: his autem qui saluantur, virtus Dei est. scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor seculi huius? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Quoniam quidem Dei non cognouit mundus per sapientiam, Deum, complacuit Deo per stultitiam prædicationis saluare credentes. Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci prudentiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Et iterum, *Nemo se decipiat: si quis putat se sapientem esse in vobis, seculo huic stultus fiat, vt fiat sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, Reprehendam sapientes in astutia ipsorum.* & iterum, *Dominus cognouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* 1. Cor. 1. 1. Cor. 3. Iob. 5.

LXX. Parentibus obsequendum, in epistola Pauli ad Ephesios, *Filij obsequentes estote parentibus vestris: hoc enim est iustum. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in repromissione, vt bene sit tibi, & longæuus sis super terram.* Ephes. 5.

LXXI. Patres quoq; asperos circa filios esse non oportere, *Et patres nolite in iracūdiā mittere filios vestros, sed nutrite eos in disciplina, & in correptione domini.*

LXXII. Seruos cum crediderint, plus dominis carnalibus seruire debere, in epistola Pauli ad Ephesios, *Serui obedite dominis vestris carnalibus, cū metu, tremore & in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi*

hominibus placentes, sed quasi serui Christi.

LXXIII. Item dominos mitiores esse debere, *Et vos eadem domini facite ad eos, laxantes iracundiam, scientes quia & vester & ipsorum dominus est in cælis, & exceptio personarum non est in illo.*

1.Timo.5. LXXIIII. Viduas probatas quasque honorandas, in epistola Pauli ad Timotheum 1. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Quæ autem delicata est, viuens mortua est.* & iterum, *Iuniores autem viduas omitte. cum enim in iis delicatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes iudicium, quoniam primam fidem reprobauerunt.*

LXXV. Suorum & maxime fidelium curam plus vnumquenq; habere debere, ad Timotheum prima, *Si quis autem suorum & maxime domesticorum non*

Esa. 58. *agit curam, fidem denegat & est deterior infideli.* De hoc ipso apud Esaiam, *Si videris nudum vesti, & domesticos seminis tui ne despicias.* De quibus domesticis in e-

Matth.10. uangelio dictum est, *Si patrem familiæ dixerunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius?*

1.Tim.5. LXXVI. Maiorem natu non temere accusandum, ad Timotheum prima, *Aduersum maiorem natu accusationem ne receperis.*

LXXVII. Peccantem publice obiurgandum, in epistola Pauli ad Timotheum 1. *Peccantes coram omnibus corripe, vt & ceteri metum habeant.*

Titum 3. LXXVIII. Cum hæreticis non loquendum, ad Titum, *Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita, sciens quoniam peruersus est huiusmodi & peccat,*

1.Ioan.2. *& est à semetipso damnatus.* De hoc ipso in epistola Iohannis, *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, nobiscum vtique mansissent.* Item ad

2.Timo.2. Timotheum secunda, *Sermo eorum vt cancer serpit.*

1.Ioan.3. LXXIX. Innocentiam fidenter petere & impetrare, in epistola Iohannis,

Matth. 5. *Si cor nostrum non nos reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum, & quodcunque petierimus accipiemus ab eo.* Item in euangelio KATA Matthæum, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Item in psalmo XXIII. *Quis ascendet in montem domini aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus, & mundo corde.*

LXXX. Nihil licere diabolo in hominem, nisi Deus permiserit, in euan-

Ioan.19. gelio KATA Iohannem, *Dixit Iesus, Nullam haberes potestatem aduersum me, nisi*

8.Reg.5. *data tibi esset desuper.* Item in BASIAEIΩN III. *Et excitauit Deus satanam*

Iob. 2. *ipsi Salomoni.* Item in Iob prius deus permisit, & tunc diabolo licuit. Et in euan-

Ioan.3. gelio ante permisit dominus dicendo Iudæ, *Quod facis, fac celerius.* Item apud

Prouer.12. Salomonem in Parœmiis, *Cor regis in manu Dei.*

Leui.19. LXXXI. Mercedem mercenario cito reddendam, in Leuitico, *Non dormiet merces mercenarij tui apud te vsque mane.*

Deut 18. LXXXII. Item non augurandum, in Deuteronomio, *Non ominemini, neque auguremini.*

LXXXIII. Item cirrum in capite non habendum, *Non facietis cirrum ex coma capitis vestri.*

Esaiæ 15. LXXXIIII. Barbam non vellendam, *Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ.*

Leui.16. LXXXV. Surgendum cum episcopus aut presbyter veniat, in Leuitico, *A facie senioris exurges, & honorabis personam presbyteri.*

LXXXVI. Schisma non faciendum, etiam si in vna fide, & in eadem tradi-

Eccles. 10. tione permaneat qui recedit, apud Salomonem in Ecclesiastico, *Scindens li-*

Exod. 12. *gna periclitabitur in eis si exciderit ferrum.* Item in Exodo, *In domo vna comedetur, non eicietis de domo carnem foras.* Item in psalmo CXXXII. *Ecce quàm bonum &*

Matth.12. *quàm iocundum habitare fratres in vnum.* In euangelio KATA Matthæum, *Qui non est mecum, aduersus me est: & qui mecũ non colligit, dispergit.* Item in epistola Pauli ad Corinthios 1. *Obsecro autem vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autẽ cõpositi in eodem sensu, & in eadẽ sententia.* Itẽ in psal. LXVII. *Dominus qui habitare facit vnanimes in domo.*

LXXXVII.

LXXXVII. Fideles simplices cum prudentia esse debere, KATA Matthæum, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* & iterum, *Vos estis sal terræ. si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihil enim valet, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

LXXXVIII. Fratrem non circunueniendũ, in epistola Pauli ad Thessal. 1. *Non circunuenire in negocio fratrem suum, quia vltor est Deus de his omnibus.* 1. Thessal. 4.

LXXXVIIII. Subito venire finẽ mundi, inquit Apostolus, *Dies domini, sicut fur in nocte, ita aduenier. Cum dixerint, Pax & securitas, tunc illis repentinus aduenier interitus.* item in Actis apostolorum, *Nemo potest cognoscere tempus aut tempora, quæ pater posuit in sua potestate.* 1. Thess. 6.

XC. Vxorem à viro non recedere, aut si recesserit, innuptam manere, in epistola prima Pauli ad Corinthios, *His autem quæ nupserunt præcipio, non ego, sed dominus, vxorem à viro non separari si autem recesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro: & virum vxorem non dimittere.* 1. Cor. 7.

XCI. Tantum vnumquenque tentari, quantum potest sustinere, ad Corinthios prima, *Tentatio vos non occupauit, nisi humana. fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari super quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam euadendi facultatem, vt possitis tolerare.* 1. Cor. 10.

XCII. Item non quicquid licet esse faciendum, item illic Paulus in epistola ad Corinthios prima, *Omnia licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant.* Ibidem. 6.

XCIII. Item prædictum, quod hæreses futuræ essent, in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Oportet & hæreses esse, vt probati manifestati sint in vobis.* Ibidem. 11.

XCIIII. Cum timore & honore eucharistiam accipiendam, in Leuitico, *Anima autem quecunque manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est domini, & immunditia eius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo.* item in epistola ad Corinthios prima, *Quicunque ederit panem, aut biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini.* Leui. 7. 1. Cor. 11.

XCV. Bonis conueniendum, malos autem vitandos, apud Salomonem in Parœmiis, *Ne adduxeris impium in tabernaculum iustorum.* item apud eundem in Ecclesiastico, *Viri iusti sint tibi conuiuæ,* & iterum, *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* item illic, *Longe abesto ab homine potestatem habente occidẽdi, & non suspicaberis timorem.* item illic, *Beatus qui inuenit verum amicum, & qui enarrat iustitiam audienti.* item illic, *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* item in psal. XVII. *Cum iusto iustificaberis, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruersus eris.* item in epistola Pauli ad Corinthios prima, *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.* Prouer. 3. Eccl. 9. & 6. & 25. & 28. 1. Cor. 15.

XCVI. Factis, non verbis operandũ, apud Salomonẽ in Ecclesiastico, *Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis.* itẽ in epistola Pauli ad Corint. 1. *Non in sermone est regnum dei, sed in virtute.* item ad Romanos, *Non auditores legis iusti sunt apud deum. sed factores legis iustificabuntur.* itẽ in euangelio KATA Matthæũ, *Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorũ.* itẽ illic KATA Matthęũ, *Omnis qui audit verba mea & facit ea, similabo eũ viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram. Descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata fuit super petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. Descendit pluuia. aduenerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna.* Eccleſia. 4. 1. Cor. 4. Rom. 2. Matt. 5. & 7.

XCVII. Et ad fidem, & ad consecutionem properandum, apud Salomonem in Ecclesiastico, *Ne tardes conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem. subito enim venit ira illius.*

XCVIII. Catechumenũ peccare iã non debere, in epistola Pauli ad Rom.

Faciamus mala dum veniunt bona: quorum condemnatio iusta est.

Rom.2. XCVIIII. Iudicium secundum tempora futurum vel æquitatis ante legẽ, vel legis post Moysen, Paulus ad Romanos, *Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt. Et quotquot in lege peccauerunt, per legem & iudicabuntur.*

Act. 8. C. Gratiam Dei gratuitam esse debere, in Actis Apostolorum, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti gratiam Dei per pecuniam possideri.* item in

Matth.10. Ioan.2. euãgelio, *Gratis accepistis, gratis date.* item in euãgelio, *Domum patris mei, domum*

Esa. 55. *facitis negociationis.* item apud Esaiam, *Qui sititis, ite ad aquam, & quotquot non*

Apocal.21. *habetis pecuniam, euntes emite & bibite, sine pecunia.* item in Apocalypsi, *Ego sum* A *&* Ω *initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit ea, & eorum hæreditatem, & ero eius dominus, & ille erit mihi filius.*

Exod.19. CI. Spiritum sanctum in igne frequenter adparuisse, in Exodo, *Et mons Syna fumabat totus, quoniam descenderat Deus in eum in igne.* item in Actis Apos-

Act. 2. tolorum, *Et factus est subito de cælo sonus quasi ferretur flatus vehemens, & impleuit totum locum illum, in quo erant sedentes. Et visæ sunt illis linguæ diuisæ, quasi ignis, qui & insedit super vnumquenque illorum: & impleti sunt omnes Spiritu sancto.* item

Exod.3. in sacrificiis quæcunque accepta habebat Deus, descendebat ignis de cælo, qui sacrificata consumeret. item in Exodo, *In flamma ignis apparuit angelus domini de rubo.*

CII. Correptionem bonos quosque libenter audire debere, apud Salomo-

Prouer.9. nem in Parœmiis, *Qui corripit impium, odietur ab eo: corripe sapientem, & diliget te.*

Prouerb.10. CIII. A multiloquentia temperãdum, apud Salomonem, *Ex multiloquentia non effugies peccatum: parcens autem labiis tuis, sensatus eris.*

Prouer.12. CIIII. Non mentiendum, *Abominatio est Domino labia mendacia.*

CV. Frequenter emendandos qui delinquunt in domestico ministerio, in

Pro.13.&19. Prouerbiis Salomonis, *Qui parcit baculo, odit filium suum.* & iterum, *Ne destiteris paruulum emendando.*

CVI. Iniuria accepta patientiam tenendam, & vltionem Deo relinquen-

Deuter.32. dam, *Ne dixeris, Vlciscar me de inimico meo, sed sustine dominum vt tibi auxilio sit.*

Rom. 12. item alibi, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus.* item apud Sophoniã,

Soph 3. *Expecta me, dicit dominus, in die resurrectionis meæ in testimonium: quoniam iudicium meum ad cõgregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam super eos iram meam.*

Prouer.12 CVII. Non detrahendum, apud Salomonem in Parœmiis, *Noli diligere detrahere, ne extollaris.* item in psalmo XLVII II. *Sedens aduersus fratrem tuum detrhebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* item in epistola Pauli

Colos.4. ad Colos. *De nullo male loqui nec litigiosos esse.*

CVIII. Non esse proximo insidiandum, apud Salomonem in Parœmiis,

Prouer.26. *Qui fodit foueam proximo suo, incidet in eam ipse.*

CVIIII. Infirmos visitandos, apud Salomonem in ecclesiastico, *Ne pigri-*

Eccles.7. *teris visitare infirmum. Ex his enim in dilectione firmaberis.* item in euangelio, *In-*

Matth.25. *firmus fui & visitastis me, in carcere fui & venistis ad me.*

Eccles.28. CX. Susurrones maledictos esse in Ecclesiastico, *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.*

Eccles.34. CXI. Sacrificia malorum accepta non esse, in Ecclesiastico, *Dona iniquorum non probat altissimus.*

CXII. Grauius iudicari de his qui in seculo plus habuerunt potestatis, a-

Sap.2. pud Salomonem, *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur.* item in psalmo secundo, *Et nunc reges intelligite, emendamini, qui iudicatis terram.*

Eccle.4. CXIII. Viduam & pupillos protegi oportere, apud Salomonẽ in Ecclesiastico, *Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri eorum, & eris velut filius*

Exod.22. *altissimi si obedieris.* De hoc ipso in Exodo, *Omnem viduam & orphanum non vexaueritis.*

xaueritis. Si autem vexabitis eos, & vociferantes exclamauerint ad me, audiam exclamationes eorum, & iraſcar animo, & perimam vos gladio, & erunt coniuges veſtræ viduæ, & filij veſtri orphani. item apud Eſaiam, *Iudicate pupillo & iuſtificate viduam, & venite diſputemus, dicit dominus.* item apud Iob, *Conſeruaui egenum de manu potentis, & pupillo cui non erat adiutor, auxiliatus ſum.* itē, *Os viduæ benedixit me.* item in pſalmo LXVII. *Patris orphanorum, & iudicis viduarum.* Eſa. 1. Iob. 29.

CXIIII. Dum in carne eſt quis, exomologeſin facere debere, in Pſalmo VI. *Apud inferos autem quis confitebitur tibi?* item in Pſalmo XXIX, *Nunquid exomologeſin faciet tibi puluis?* item alibi exomologeſin faciendam, *Malo pœnitentiam peccatoris magis quàm mortem.* item apud Hieremiam, *Hæc dicit Dominus, Nunquid qui cadit, non ſurget: aut qui auertitur, non conuertetur?* Ezech. 33. Hiere. 8.

CXV. Adulationem pernicioſam eſſe, apud Eſaiam, *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitam pedum veſtrorum turbant.* Eſa. 3.

CXVI. Plus ab eo diligi Deum, cui in baptiſmo plura peccata dimittuntur, in euangelio KATA Lucam, *Cui plus dimittitur, plus diligit: & cui minus dimittitur, modicum diligit.* Lucæ 6.

CXVII. Fortem congreſsionem eſſe aduerſus diabolum, & ideo fortiter nos ſtare debere vt poſsimus vincere, in epiſtola Pauli ad Epheſios, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes huius mundi, & harum tenebrarum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Propter hoc induite arma Dei, vt poſsitis reſiſtere in die nequiſsimo, vt cū omnia perfeceritis ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate euangelij, induentes loricam iuſtitiæ & calciati pedes veſtri in præparatione euangelii pacis, in omnibus adſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia ignea iacula nequiſsimi extinguere, & galeam ſalutis aſſumere, & gladium ſpiritus qui eſt verbum Dei.* Epheſ. 6.

CXVIII. Item de antichriſto quod in homine veniat, apud Eſaiam, *Hic homo qui concitat terram, & commouet reges, qui ponit orbem terræ totum deſertum.* Eſa. 14.

CXVIIII. Graue fuiſſe iugum legis, quod à nobis abiectum eſt: & leue eſſe iugum domini, quod à nobis ſuſceptum eſt, in pſalmo II. *Ad quid tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes congregati ſunt in vnum aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Diſrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum.* item in euangelio KATA Matthęū, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum bonum eſt, & onus meum leue eſt.* item in Actis apoſtolorum, *Viſum eſt ſancto ſpiritui & nobis nullam imponere ſarcinam, quàm iſtam quæ ex neceſsitate eſt, abſtinere vos ab idololatriis, & ſanguinis effuſione, & fornicatione. Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.* Matth. 11. Act. 15.

CXX. Orationibus inſiſtendum, in epiſtola Pauli ad Coloſſenſes, *Inſtate orationi, vigilantes in ea.* item in pſalmo I. *Sed in lege domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Coloſſ. 4.

ARGVMENT. Cypriani ad clerum vrbicum, de multis confeſſoribus & de Luciani inuerecundia, & Celerini confeſſoris modeſtia.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBUS Romæ conſiſtentibus fratribus, ſalutem. LXXXIIII.

FACTIS ad vos literis fratres chariſsimi, quibus actus noſter expoſitus, & diſciplinę ac diligētię quantulacunq; ratio declarata eſt, aliud acceſsit quod nec ipſum latere vos debuit. Nam frater noſter Lucianus & ipſe vnus de confeſſoribus, fide quidem calidus & virtute robuſtus, ſed pene minus dominica lectione funda-

tus, quedam conatus est, imperiti iampridem vulgi se auctorem constituens, vt manu eius scripti libelli congregatis multis nomine Pauli darentur, cum Mappalicus martyr cautus & verecundus, legis ac disciplinæ memor, nullas contra euangelium literas fecerit, sed tantum domestica pietate commotus, matri & sorori suæ quæ lapsæ fuerant, mandauerit pacem dari: Saturninus quoque post tormenta adhuc in carcere constitutus, nullas eiusmodi literas miserit. Lucianus vero non tantum Paulo adhuc in carcere posito, nomine eius, libellos manu sua scriptos passim dedit, sed & post eius excessum, eadem facere sub eius nomine perseuerauit, dicens hoc sibi ab illo esse mandatum, & nesciens Domino magis quam conseruo obtemperandum. Aurelij quoque adulescentis tormenta perpessi nomine, libelli multi dati sunt, eiusdem Luciani manu scripti, quod literas ille non nosset: cui rei vt aliquantulum posset obsisti, literas ad vos feci, quas ad eos sub epistola priore trãsmisi, quibus petere & suadere non destiti, vt dominicæ legis & euangelij ratio teneretur. Post quas literas, quasi moderatius aliquid & temperatius fieret, vniuersorum confessorum nomine idẽ Lucianus epistolam scripsit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum domini, & euangelij sanctitas, & firmitas solueretur. Scripsit enim omnium nomine, vniuersis eos pacem dedisse, & hanc formam per me aliis episcopis innotescere, cuius epistolæ exemplum ad vos transmisi. Additum est plane, QVORVM ratio constiterit, quid post commissum egerint: quæ res maiorem nobis conflat inuidiam, vt nos cum singulorum causas audire & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod se nunc omnes iactant à martyribus & confessoribus accepisse. Denique huius seditionis origo iam cœpit. namque in prouincia nostra per aliquot ciuitates in prępositos impetus per multitudinem factus est, & pacem quam semel cunctis à martyribus & confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerũt, territis & subactis prępositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi ac robore fidei præualebant: apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum regebãtur, & in nostrã sententiã deferebantur, per hanc epistolam velut quibusdã facibus accensi, plus exardescere, & pacem sibi datam extorquere cœperunt: de quibus quales ad clerum nostrum literas fecerim, exemplum vobis misi. sed & quid mihi Calidonius collega pro integritate & fide sua scripserit, quídque ego ei rescripserim, vtrunque ad vos legendum transmisi. Exempla quoque epistolæ Celerini, boni & robusti confessoris, quam ad Lucianum eundem confessorem scripserit: itémque quam Lucianus ei rescripserit, misi vobis, vt sciretis & laborem circa omnia, & diligentiam nostram, & veritatẽ ipsam disceretis: Celerinus confessor quàm sit moderatus & cautus ex humilitate ac timore sectę nostrę verecundus: Lucianus vero, circa intelligentiam dominicę lectionis vt dixi, minus peritus, & circa inuidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua modestus. Nam cum dominus dixerit, in nomine patris & filij & spiritus sancti gentes tingi, & in baptismo præterita peccata dimitti, hic præcepti & legis ignarus, mandat pacem dari, & peccata dimitti in Pauli nomine: & hoc sibi ab illo dicit esse mandatum, sicut in literis eiusdem Luciani ad Celerinum factis animaduertetis: quibus minime considerauit, quod non martyres euangelium faciant, sed per euangelium martyres fiant: quando & Paulus apostolus, quem Dominus vas electionis suæ dixit, posuerit in epistola sua dicens, *Miror quod sic tam cito demutamini ab eo qui vos vocauit in gratiam, ad aliud euangelium: quod non est aliud, nisi si sunt aliqui qui vos turbant, & volunt conuertere euangelium Christi. sed licet vobis aut angelus de cælo aliter adnunciet præter quod annunciauimus, anathema sit, sicut diximus: & nunc iterum dico, si quis vobis annunciauerit præterquã quod accepistis, anathema sit.* Opportune vero

Gala. 1.

super-

ſuperuenerunt literæ veſtræ, quas accepi ad Clerum factas: item quas beati cõfeſſores Moyſes, Maximus, Nicoſtratus, & ceteri Saturnino & Aurelio, & ceteris miſerunt, in quibus euangelij plenus vigor & diſciplina robuſta legis dominicæ continentur. Laborantes hîc nos & contra inuidiæ impetum totis fidei viribus renitentes, multum ſermo veſter adiuuit, vt diuinitus compendium fieret: & priuſquam venirent ad vos literæ, quas vobis proxime miſi, declararetis nobis quod ſecundum euangelij legem ſtet nobiſcum fortiter atque vnanimiter etiam veſtra ſententia. Opto vos fratres chariſsimi, ſemper bene valere.

ARGVM. *Epiſtola vniuerſorum confeſſorum ad Cyprianum, de pace data.*

VNIVERSI CONFESSORES, CYPRIANO PAPAE, SALVTEM. LXXXV.

SCIAS nos, vniuerſis, quorum ad te ratio conſtiterit quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem, & hanc formam per te & aliis epiſcopis innoteſcere volumus. Optamus te cum ſanctis martyribus pacem habere. præſente de clero, & exorciſta & lectore, Lucianus ſcripſi.

ARGVM. *Epiſtola Calidonij ad Cyprianum & clerum de iis qui ſacrificauerunt, & poſtea extorres facti ſunt, & pacem poſtulauerunt.*

CYPRIANO, ET COMPRESBYTERIS CHARISSIMIS CONSISTENTIBVS, CALIDONIUS, ſalutem. LXXXVI.

NECESSITAS temporis facit, vt non temere pacem demus: ſed quoniam oportebat vobis ſcribere de iis qui poſtea quam ſacrificauerunt, iterato tentati, extorres ſunt facti: videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſsiones & domos dimittunt, & pœnitentiã agentes, Chriſtum ſequuntur. Ergo Felix (qui presbyterium ſubminiſtrabat, ſub Decimo, proximus mihi vinculis, plenius cognoui eundem Felicem) & Victoria coniux eius, & Lucius, fideles extorres facti, reliquerunt poſſeſsiones, quas nunc fiſcus tenet: ſed & ſeu per ſe aut per eoſdem mulier nomine Bona, quę tracta eſt à marito ad ſacrificandum, quę conſcientia non commiſi, ſed quia tenentes manus eius ipſi ſacrificauerunt, ſic ipſa cœpit dicere contra, Non feci, vos feciſtis: ſic & ipſa extorris facta eſt. Cum à me ergo vniuerſi pacem peterent dicentes, Recuperauimus fidem quam amiſeramus, pœnitentiam agentes, Chriſtum publice ſumus confeſsi: quanuis mihi videatur, vt debeant pacem accipere: ſed ad conſultum veſtrum eos dimiſi, ne quid videar temere præſumere. ſi quid ergo ex communi conſilio placuerit, ſcribite mihi. Salutate noſtros, vos noſtri. Opto vos feliciſsimos bene valere.

ARGVMENT. Epistola Celerini ad Lucianum, petens pro nomine Numeriæ & Candidæ, vt eas in mente haberet: quæ Numeria, vt dicit, præmium dedit, ne sacrificaret.

CELERINVS LVCIANO. LXXXVII.

HAEC cum tibi scriberem domine frater, gaudens & tristis eram: gaudens, eo quod audierim, te pro nomine domini nostri Iesu Christi saluatoris nostri tentum, & illius nomen penes magistratus huiusmodi confessum: tristis autem, in eo quod ab eo ex quo te deduxi, nunquam literas tuas accipere potui: & nunc modo duplex mihi tristitia incubuit, quod cum Montanũ fratrẽ nostrũ communẽ, abs te de carcere ad me esse venturum sciebas, de salute tua, vel quid penes te agatur, mihi non significaueris. & hoc solet contingere seruis Dei, maxime eis qui in confessione Christi sunt constituti. scio enim quoniam vnusquisque iam quæ sunt seculi non adtendit, quoniam coronam cælestem sperat. Ego enim dixi, fortasse oblitum te esse mihi scribere. nam vt tibi quoque de infimo tuus vel frater dicar si fuero dignus Celerinus audire: tamen cum essem & ego in tam florida confessione, fratres meos vetustissimos memorabam, & eos literis meis memoraui, charitatem pristinam eorum penes me meosque nunc esse: peto tamẽ charissime à domino, vt si ante cruore illo sancto laueris pro nomine domini nostri Iesu Christi, quam literæ meæ te in hoc mundo apprehendant: vel nunc si apprehenderint, mihi ad hæc rescribas. Sic coronet te, cuius nomen confessus es. credo enim quoniam etsi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen nos coronati à Christo complectemur. Pete vt sim dignus & ego coronari cum numero vestro, in magna tamẽ tribulatione constitutum scias, & ac si sis mecum prẹsens, si charitatis pristinæ reminiscor die ac nocte, Deus solus scit: & ideo peto vt annuas desiderio meo, & mecum doleas in morte sororis meæ quæ cecidit in hac vastatione Christo. sacrificauit enim & exacerbauit dominum nostrum, quod nobis manifestum videtur: pro cuius factis ego in lætitiæ paschæ flens die ac nocte, in cilicio & cinere, lachrimabundus dies exegi, & exigo vsque in hodiernum, donec auxilium domini nostri Iesu Christi, & pietas per te vel per eos dominos meos qui coronati fuerint, à quibus postulaturus es vt veniam habeãt nefanda naufragia. memor sum enim charitatis tuæ pristinæ, quod cũ omnibus doleas sorores nostras, quas & tu bene nosti, id est Numeriam & Candidam, pro quarũ peccatis quæ nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Christum secundum illorum pœnitentiam & opera quæ penes collegas nostros fecerunt extorres, qui àvobis venerunt, à quibus ipsis de operibus eorum audies iam, pro eis vobis martyribus suis petentibus indulturum credo. Audiui enim te floridiorum ministerium percepisse. O te felicẽ. susci pe vota tua quæ semper desiderasti, vel in terra dormiens, optasti pro nomine illius in carcere mitti, quod nunc tibi contingit sicut scriptum est, *Det tibi dominus secundum cor tuum.* & nunc super ipsos factus antistes Dei, recognouit idem minister. Rogo itaque domine & peto per Dominum nostrum Iesum Christum, vt ceteris collegis tuis, fratribus tuis, meis dominis referas, & ab eis petas, vt quicunque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriæ & Candidę, tale peccatum remittant. Nam ipsam Etecusam semper appellaui. testis est nobis Deus, quia pro se dona numerauit, ne sacrificaret: sed tantum ascendisse videtur vsque ad Trianfacta, & inde descendisse. Hanc ergo non sacrificasse ego scio. quarũ iam causa audita, præceperunt eas prẹpositi

siti tantisper sic esse, donec episcopus constituatur. Sed quatinus per vestras sanctas orationes & petitiones in quas nos fidimus, quoniam estis amici, sed & testes Christi, quod omnia indulgeatis. Peto ergo domine charissime Luciane, memor sis mei, & petitioni meę annuas. sic Christus coronā illam sanctam quam tibi non tantum in confessione, sed in sanctimonia tradidit, in qua semper cucurristi, exemplum sanctorum, semper & testis fuisti: vt omnibus dominis meis fratribus tuis confessoribus referas de hoc facto, vt à vobis auxilium recipiāt. Nam hoc domine frater, scire debes, me non solum hoc pro eis petere, sed statim & Seuerianū & omnes confessores, qui inde huc à vobis venerunt, ad quos ipsæ in portum descenderunt, & in vrbem leuauerunt: quod sexaginta quinque ministrauerunt, & vsque in hodiernum in omnibus fouerunt. Sunt enim penes illas omnes. Plus autem grauare cor illud sanctum tuum non debui, cum sciam te prona voluntate operari. Salutant te Macarius cum sororibus suis Cornelia, Temerita, qui lętatur confessione tua florida, sed & omnes fratres: & Saturninus qui & ipse luctatus est cum diabolo, qui & Christi nomen est fortiter confessus, qui & ibi in pœna vngularum fortiter est confessus, qui & hic nimis rogat & petit. Salutāt te fratres tui Calpurnius, & Maria, & omnes sancti fratres. Nā hoc scire debes, me & dominis meis fratrib⁹ tuis scripsisse, quas peto illis eas legere digneris.

ARGVMENT. Epistola Luciani rescribentis Celerino, super nomine Numeriæ & Candidæ, & nomine Pauli & Mappalicÿ & ceterorum, significans sibi eos mandasse vt pœnitentibus daret pacem.

CELERINO DOMINO SI DIGNVS fuero vocari, collega in Christo, salutem. LXXXVIII.

ACCEPI literas tuas domine frater dilectissime, in quibus me tantum grauasti, vt perpetua grauatione tanto gaudio pene exciderim, vt literas quas & ego optabam, post tantum temporis legere, in quibus mei dignatus memorare, beneficio tantæ tuæ humilitatis legere exultaui, qui scribens mihi dicis, SI DIGNUS fuero frater nominari tuus, hominis qui apud pusilliores nomen Dei cum timore confessus sum. nam tu Deo volente ipsum anguē maiorem metatorem Antichristi, non tantum confessus deterruisti, vocibus illis & verbis deificis, quibus scio quasi amatores fidei & zelotypi disciplinæ Christi, in qua tenoris viuacitate, versari te gaudeo, vicisti. Nūc charissime iam inter martyres deputande, voluisti nos literis tuis grauare, in quibus significasti de sororibus nostris, pro quibus vtinam fieri posset, vt sine tanto scelere commisso memoriam faceremus, non profecto tantis lachrimis incumberemus, vt nunc. Scire debuisti, quod circa nos actum sit, cū benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocauit me, & dixit mihi, Luciane corā Christo tibi dico, vt si quis post arcessitionem meā abs te pacem petierit, da in nomine meo: sed & omnes quos dominus in tanta tribulatione arcessire dignatus est, vniuersi literas ex compacto vniuersis pacem dimisimus. Videas ergo frater, quod tam placuit mihi quod Paulus præcepit, quàm vniuersis quod censuimus, ex quibus eramus in hac tribulatione cum iussimus, secundum præceptum imperatoris fame & siti & necati & recluſi sumus in duobus cellis, ita vt nos afficerent fame & siti, sed & ignis ab opere pressuræ nostræ tam intolerabilis erat, quam nemo portare posset, sed nunc ipsam claritatem sumus con-

ſecuti. Et ideo frater chariſsime, ſaluta Numeriam & Candidam, quæ ſecundum Pauli præceptum & ceterorum Martyrum, quorum nomina ſubiicio, Baſsi in peierario, Mappalicij in quæſtione, Fortunionis in carcere, Pauli à quæſtione, Fortunatę, Victorini, Victoris, Herēnij, Credulę, Heredæ, Donati, Firmi, Venti, Fructi, Iuliæ, Martialis, & Ariſtonis, qui Deo volente in carcere fame necati ſunt (quorum & nos ſocios futuros intra dies audietis. iam enim iterato recluſi ſumus, ſunt dies octo in die quo tibi literas ſcripſi. nam & ante dies octo per dies quinq; medios modicum panis accepimus, & aquā ad menſuram) & ideo frater peto, vt ſicut hic cum dominus cœperit ipſi eccleſiæ pacem dare ſecundum præceptum Pauli & noſtrum tractatum, expoſita cauſa apud epiſcopum, & facta exomologeſi, habeant pacem, non tantum hæ, ſed & quas ſcis ad animum noſtrum pertinere. Salutant vos collegæ mei vniuerſi: vos ſalutate confeſſores domini qui ibi vobiſcum ſunt, quorum nomina ſignificaſti: quos & Saturninus comitibus ſuis: ſed & collega meus, & Maris collecta merita Calpurnium: & Maria, Sabina, Speſina, & ſorores: à Ianuaria, Datiua, Donata. Salutamus cum ſuis Saturum, Baſsianum & vniuerſum clerū, Vranium, Alexium, Quintianum, Colonicam: & vniuerſos: quorum nomina non ſcripſi, quia iam laſſus eram, ideo ignoſcere debent. Opto vos bene valere, Alexium & Getulicū & argentarios & ſorores. ſalutāt vos ſorores meę, Ianuaria, & Sophia quas vobis commendo.

EPISTOLA CELERINI RESCRIBENTIS LVCIANO. LXXXVIIII.

DIDICIMVS ſeceſsiſſe benedictū papā Cyprianū, à Crementio ſubdiacono, qui à vobis ad nos venit certa ex cauſa: quod vtique recte fecerit, propterea quòd cum ſit perſona inſignis, & imminente agone quem permiſit Deus in ſeculo, colluctandi cauſa cum aduerſario, ſimul cum ſeruis ſuis, volens etiam angelis & hominibus certamen hoc manifeſtare, vt qui vicerit coronetur: victus vero portauerit in ſe ſententiam, quæ nobis manifeſtata eſt: & cū incumbat nobis qui videmur præpoſiti eſſe & vice paſtoris, cuſtodire gregem: ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes præpoſiti erant, quoniam perditum non requiſiuimus, & errantem non correximus, & claudum non colligauimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur: denique & ipſe Dominus implens quæ erant ſcripta in lege & prophetis, docet dicens, *Ego ſum paſtor bonus qui pono animā meā pro ouibus meis: mercenarius autem & cuius non ſunt propriæ oues, cum viderit lupum venientem, relinquens effugit, & lupus diſpergit oues*: ſed & Simoni ſic dicit, *Diligis me? reſpondit, Diligo. ait ei, Paſce oues meas.* Hoc verbum factum ex actu ipſo quo ceſsit cognoſcimus, & ceteri diſcipuli ſimiliter fecerunt. Nolumus ergo fratres dilectiſsimi, vos mercenarios inuenire, ſed bonos paſtores, cū ſciatis tum non minimum periculum incumbere, ſi non hortati fueritis, fratres noſtros ſtare in fide immobiles, ne præceps iens ad idololatriam funditus eradicetur fraternitas. nec enim hoc ſolum verbis vos hortamur, ſed diſcere poteritis à pluribus à nobis ad vos veniētib⁹, quoniā ea omnia nos Deo adiuuante & fecimus & facimus cum omni ſollicitudine & periculo ſeculari, ante oculos plus habētes timorem Dei & pœnas perpetuas, quàm timorem hominum & breuem iniuriam, non deſerentes fraternitatē, & hortantes eos ſtare in fide, & paratos eſſe debere ire cum domino: ſed & aſcendentes ad hoc quod compellebātur, reuocauimus. Eccleſia iſta fortis in fide, licet quidam

dam terrore ipso cõpulsi, siue quod essent insignes personæ, siue adprehensi timore hominum, reuertuntur : quos quidem separatos à nobis non dereliquimus, sed ipsos cohortati sumus & hortamur agere pœnitentiam, si quo modo indulgentiam poterũt recipere ab eo qui potest præstare : ne si relicti fuerint à nobis, peiores efficiantur. Videtis ergo fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, vt etiam illi qui ceciderunt, hortatu vestro corrigentes animos eorum, si adprehensi fuerint iterato, confiteantur, vt possint priorẽ errorem corrigere: & alia quæ incumbunt vobis, etiam ipsa subdidimus, vt si, qui in hanc tentationẽ inciderunt, cœperint adprehẽdi infirmitate, & agant pœnitentiam facti sui, & desiderent communionem, vtiq; subueniri eis debet, siue viduæ, siue clydomeni, qui se exhibere nõ possunt, siue hi qui in carceribus sunt, siue excluſi à sedibus suis, vtique habere debent qui eis ministrent. Sed & catechumeni adprehensi infirmitate, decepti esse non debebũt, vt eis subueniatur: & quod maximum est, corpora martyrum aut ceterorum si non sepeliantur, grãde periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus. Cuiuscunque ergo vestrum quacunque occasione effectum fuerit hoc opus, certi sumus eum bonum seruum æstimari, vt qui in minimo fidelis fuit, constituatur super decem ciuitates. Faciat autem Deus, qui omnia præstat sperãtibus in se, vt omnes nos in his operibus inueniamur. Salutãt vos fratres qui sunt in vinculis, & presbyteri & tota ecclesia, quæ & ipsa cum summa sollicitudine excubat pro omnibus qui inuocãt nomen domini. Sed & nos petimus mutua vice, memores sitis nostri. Sciatis autẽ Basianũ peruenisse ad vos, & petimus nos qui habetis zelum Dei, harum literum exemplum ad quoscunque poteritis, transmittere, per idoneas occasiones, vel vestras, faciatis, siue nuncium mittatis, vt stent fortes & immobiles in fide. Optamus vos charissimi bene valere.

ARGVMEN. *Epistola Cypriani ad presbyteros et diacones Romæ consistentes, de iis qui sibi pacem à Paulo martyre datam vindicabant.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIAconibus Romæ consistentibus fratribus, salutem. xc.

ET DILECTIO communis, & ratio exposcit fratres charissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his quæ apud nos gerũtur, vt sit nobis circa vtilitatem ecclesiasticę administrationis cõmune consilium. Nam posteaquam ad vos literas feci, quas misi per Saturum lectorẽ & Optatum hypodiaconum fratres nostros, de quorundam prospecta temeritate quæ pœnitentiam agere & Deo satisfacere detrectat, per literas ad me, pacem non dandam sibi postulans, sed quasi iam datam sibi vindicans, quod dicat Paulum omnibus pacem dedisse, sicut in literis eorum, quarum exemplum ad vos trãsmisi, legetis: simul quid & ego eis breuiter interim rescripserim: sed & quales postea ad clerum literas fecerim, vt scire possetis, huius quoque rei exẽplum vobis misi. Si vltra temeritas eorum nec meis, nec vestris literis compressa fuerit, nec cõsiliis salubribus obtemperauerit, agemus ea quæ secundum Euangelium dominus agere præcepit. Opto vos fratres charissimi semper bene valere. Valete.

ARGVM. *Rescriptum presbyterorum & diaconorum Romæ consistentium.*

CYPRIANO PAPAE, PRESBYTERI ET Diacones Romæ consistentes, salutem. XCI.

CVM perlegissemus frater charissime literas tuas, quas per Fortunatũ hypodiaconũ miseras, gemino sumus dolore perculsi & duplici mœrore confusi, quod neq; tibi requies vlla in tantis persecutionis necessitatibus traderetur, & lapsorum fratrum immoderata petulantia vsque ad periculosam verborum temeritatem producta denotaretur. Sed quanuis nos atque animum nostrum ista quæ diximus grauiter adfligerent, tamen mœroris nostri tam grauem sarcinam, vigor tuus, & secundum euãgelicam disciplinam adhibita seueritas temperat: dum & quorundam improbitatem iuste coërces, & cohortando ad pœnitentiam, viam legitimæ salutis ostendis: quos quidem satis mirati sumus ad hoc vsque prosilire voluisse, vt tam vrgenter, & tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti crimine atque delicto, pacem sibi non tã peterent quam vindicarent, immo iã & in cælis habere se dicerẽt. Qui si habent, quid petunt quod tenẽt: si autem non habere illos probatur, hoc ipso quod petunt, cur non iudicium eorum sustinent à quibus petendam pacem quam vtique non habent putauerunt? Quod si alicunde prerogatiuam communicationis habere se credunt, cum Euangelio illam conferre conentur, vt ita demum firmiter valeat, si ab euangelica lege non dissonat. Ceterum quo pacto euangelicam poterit præstare communicationem, quod cõtra euangelicã decretum videbitur veritatem? Nam cum omnis prærogatiua, ita demum ad indulgentiæ priuilegium spectet, si ab eo cui sociari quærit, non discrepet, necesse est indulgentiam & priuilegium societatis amittat. Videant igitur quid hoc negocio agere conentur. Nam si aliud quidem Euangelium, aliud Martyres dicunt posuisse decretum, conlidentes contra Euangelium Martyres, vtrobique periclitabuntur. Nam & euangelij fracta iam & iacens videbitur esse maiestas, si potuit alterius decreti nouitate superari: & de Martyrum capite glorioſa confessionis corona detracta, si non illam de Euangelij conseruatione inuenientur consecuti, vnde Martyres fiunt: vt merito nulli magis tam sit competens nihil contra Euangelium decernere, quam qui Martyris nomen ex Euangelio laborat accipere. Illud præterea vellemus addiscere, si Martyres non propter aliud Martyres fiunt, nisi vt non sacrificantes teneant ecclesiæ vsque ad effusionem sanguinis sui pacem, ne cruciatus dolore superati; perdendo pacem, perdant salutem: quo pacto salutem quam se si sacrificassent habituros non putauerunt, illis existimant donandam qui sacrificasse dicantur? Cum legem hanc debeant in aliis tenere quã ipsi videbãtur sibi ante posuisse, in quo negotio hoc ipsum quod pro se ipsis facere putauerũt, animaduertimus contra seipsos protulisse. Nã si dandã illis pacem Martyres putauerũt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad episcopũ, vt ipsi dicunt, remittendos cẽsuerunt? Is enim qui iubet fieri, potest vtiq; facere quod fieri iubet: sed vt intelligamus, immo, vt res ipsa loquitur, & clamat, sanctissimi Martyres vtrobique adhibendum putauerunt temperamentum, & pudoris & veritatis. Nam qui à multis vrgebantur, dum ad episcopũ illos remittunt, verecundiæ propriæ ne vlterius inquietarentur, consulendum putauerunt, & dum illis non ipsi communicant, euangelicæ legis inlibatam sinceritatem custodiendam iudicauerunt. Tu tamen frater, nusquam pro tua charitate desistas lapsorum animos temperare, & errantibus veritatis præstare medicinam, licet animus ægrorũ, medentium respuere soleat industriam. recens nuper est lapsorum hoc vulnus, & adhuc in tumorem

morem plaga consurgens:& idcirco certi sumus, quod spacio productioris temporis impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se delatos esse medicinam,si tamen desint qui illos arment ad periculũ proprium, & in peruersum instruentes,pro salutaribus dilationis remediis,exitiosa deposcant illis properatæ communicationis venena.Neque enim credimus sine instinctu quorundam ausuros fuisse omnes tam petulãter sibi pacem vindicare.Nouimus Carthaginiensis ecclesiæ fidem, nouïmus institutionem, nouimus humilitatem.vnde etiam mirati sumus, quod quędam in te per epistolam iniecta durius notaremus, cum amorem vestrum mutuum & charitatem exemplis multis reciprocæ affectionis in vos inuicem sæpe comperissemus.Tempus est igitur,vt agant delicti pœnitentiam,vt probent lapsus sui dolorem, vt ostendant verecundiam, vt monstrent humilitatem, vt exhibeant modestiam,vt de summissione prouocent in se Dei clementiam:& de honore debito in Dei sacerdotem, eliciant in se diuinam misericordiam. Quanto meliores ipsorum literæ fuissent, si pro ipsis preces stantium humilitate ipsorum adiutæ fuissent, quoniam & facilius impetratur quod petitur, quando is pro quo petitur, condignus est vt quod petitur, impetretur. Quod autem adtineat ad Priuatum Lambesitanum, pro tuo more feciſti, qui rem nobis tanquam sollicitam nunciare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius ecclesiæ, cuius per varias quasque prouincias membra digesta sunt, excubare. Sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum ante hac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset,vexillarius Priuati,& furto ac fraudulenter literas à nobis elicere curaret, nec quis esset latuit,nec literas quas volebat,accepit.

EPISTOLA CELERINI ADVERSVS LAPSOS. XCVII.

DOMINVS noster, cuius præcepta metuere debemus & seruare,episcopi honorem & ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur & dicit Petro, *Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erũt ligata et in cælis: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Inde per temporũ & successionũ vices, episcoporũ ordinatio & ecclesiæ ratio decurrit,vt ecclesia super episcopos constituatur,& omnis actus ecclesię per eosdẽ præpositos gubernetur. Cum hoc itaq; diuina lege fundatũ sit,miror quosdã audaci temeritate sic mihi scribere voluisse,vt ecclesię nomine literas facerẽt, quãdo ecclesia in episcopo & clero & in omnibus stãtibus sit cõstituta. Absit enim nec domini misericordia & potestas eius inuicta patiatur, vt ecclesia esse dicatur, lapsorum numerus, cum scriptum sit, *Deus non est mortuorum, sed viuorum.* Omnes quidẽ viuificari optamus,& vt ad statum pristinum restituantur,precibus nostris & gemitibus oramus: si autem quidam lapsi ecclesiam se volunt esse, & si apud illos & in illis est ecclesia, quid superest, quam vt ipsi rogentur à nobis vt nos ad ecclesiam dignentur admittere?Summissos ergo & quietos & verecundos esse oportet eos qui delicti sui memores, satisfacere Deo debent, nec ecclesiæ nomine literas facere, cum se magis sciant ecclesiæ scribere.Scripserunt autem mihi nuper quidam de lapsis,humiles & mites & trementes ac metuentes Deum, & qui in ecclesia semper glorioſe & granditer operati sunt,& opus suum domino imputauerunt,scientes illũ dixisse, *Et cum hæc omnia feceritis,dicite,Serui superuacui su-*

mus: quod debuimus facere, fecimus. Quæ illi cogitãtes & quanuis libello à Martyribus accepto, vt tamen ad dominum satisfactio admitti posit, orantes scripserunt mihi, se dèlictum suum cognoscere, & pœnitentiam veram agere nec ad pacem temere aut importune properare, sed expectare præsentiam nostram dicentes, Pacem quoque ipsam, si eam nobis præsentibus acceperint, dulciorem sibi futuram: quibus quantum gratulati sumus, dominus testis, qui dignatus est ostendere quid eiusmodi & tales serui de eius bonitate mereantur. Quas literas cum nuper acceperim, & nunc aliud scripsisse vos legerim, peto discernatis desideria vestra: & quicunque estis qui has literas nunc misistis, nomina vestra libello subiiciatis, & libellum cum singulorum nominibus ad me mittatis. Ante est enim scire, quibus rescribere debeam, tunc ad singula quæ scripsistis pro loci & actus nostri mediocritate rescribã. Opto vos bene valere, & secundum domini disciplinam quiete & tranquille agere. Valete.

ARGVMENT. Epistola Cypriani ad clerum, de his qui temere lapsis communicant, et de Gaio Diddensi presbytero, & Philumeno ac Fortunato hypodiaconis, & Fauorino acolutho.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBVS FRATRIBVS, SALVTEM. XCI.

INTEGRE & cum disciplina fecistis fratres charissimi, quod ex consilio collegarum meorum qui præsentes erãt Gaio Diddensi Presbytero, & diacono eius, censuistis non communicandum, qui communicando cum lapsis, & offerẽdo oblationes eorum, in prauis erroribus suis frequenter deprehensi, & semel atq; iterum secundum quod mihi scripsistis, à collegis meis moniti ne hoc facerent, in præsumptione & audacia sua pertinaciter perstiterũt, decipientes quosdam fratres ex plebe nostra, quibus nos omni vtilitate consultũ cupimus, & quorum saluti nõ adulatione cõposita, sed sincera fide prospicimus, vt vera pœnitentia & gemitu ac dolore pleno dominum deprecentur, quia scriptum est, *Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam*: & iterum loquitur scriptura diuina, *Sic dicit dominus, cum conuersus gemueris, tunc saluaberis, & scies vbi fueris.* Ingemiscere autẽ & agere pœnitentiam quomodo possunt, quorum gemitibus & lachrimis intercedunt quidam de presbyteris, vt communicandum cum illis temerè existiment, nescientes scriptũ esse, *Qui vos beatos esse dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant?* meritò salubria nostra & vera consilia nihil promouent, dum blanditiis & palpationibus pernicioſis salutaris veritas impeditur, & patitur lapsorum saucia & ægra mens, & corporaliter quoque ægri & infirmi sæpe patiuntur, vt dum salubres cibos & vtiles potus quasi amaros & abhorrentes respuunt, & illa quæ oblectare & ad præsens suauia videntur esse, adpetunt, perniciem sibi & mortem per inaudientiam & intemperantiam prouocent, nec proficiat ad salutem artificis medela vera, dum blandimẽtis decipit dulcis inlecebra. Vos itaque secundum literas meas fideliter & salubriter consulentes, à consiliis melioribus ne recedatis. legite verò has easdem literas, & collegis meis si qui aut præsentes fuerint, aut superuenerint, vt vnanimes & concordes ad fouenda & sananda lapsorũ vulnera consilium salubre teneamus, tractaturi plenissime de omnibus cum conuenire in vnum per domini misericordiã cœperimus. Interea si quis immoderatus & præceps siue de nostris presbyteris & diaconibus, siue de peregrinis,

Apocal. 2. Ezech. 18. & 33.

grinis,ausus fuerit ante sentẽtiam nostram communicare cum lapsis, à communicatione nostra arceatur, apud omnes nos causam dicturus temeritatis suæ,quando in vnum permittente domino conuenerimus. Desideraſtis quoque,vt de Philumeno & de Fortunatõ hypodiaconis, & Fauorino acolutho qui medio tempore receſſerunt,& nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam:cui rei non potui me ſolum debere ſententiam dare, cum multi adhuc de clero abſentes ſint, nec locum ſuum vel ſorte petẽdum putauerint, & cognitio hæc ſingulorum tractanda ſit, & limanda plenius, non tantum cum collegis meis,ſed & cum plebe ipſa vniuerſa. Expenſa enim moderatione libranda & pronuncianda res eſt, quæ in poſterum circa miniſtros eccleſiæ conſtituat exemplum. Interea ſe à diuiſione menſurantium contineant, non quaſi à miniſterio eccleſiaſtico priuati eſſe videantur, ſed vt integris omnibus ad noſtram præſentiam differantur. Opto vos fratres chariſsimi ſemper bene valere.fraternitatem vniuerſam ſalutate & valete.

ARGVMENT. Epiſtola Cypriani ad Calidonium & Herculaneum ſuper nomine Feliciſsimi peruerſi.

CYPRIANVS, CALIDONIO ET HERculaneo collegis,item Rogatiano & Numidico compresbyteris, ſalutem. XCIIII.

VEHEMENTER contriſtatus ſum fratres chariſsimi, acceptis literis veſtris, vt cum mihi propoſitum ſemper & votum ſit, vniuerſam fraternitatem noſtram incolumem continere, & inlibatum gregem, ſecundum quod charitas exigit reſeruare, nunc nuncietis Feliciſsimum multa improbe & inſidioſe eſſe molitum, vt præter fraudes veteres & rapinas, de quibus iampridem multa cognoueram, nunc quoque cum epiſcopo portionem plebis diuidere, id eſt à paſtore oues ſeparare,& filios à parente ſecernere, & Chriſti membra diſsipare tentauerit, Cumque ego vos pro me vicarios miſerim,vt expungeretis neceſsitatis fratrum noſtrorum ſumptibus iſtis,ſi qui etiam vellent iam ſuas artes exercere, additamento quantum ſatis eſſet,deſideria eorum iuuaretis: ſimul etiam & ætates eorum & conditiones eorum & merita diſcerneretis, vt etiam nunc ego cui cura incumbit, omnes opto me noſſe,& dignos quoque, & humiles, & mites ad eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promouere: ille interceſſerit,ne quid poſſet expungi, ne ve ea quæ deſideraueram, poſſent diligentiæ veſtræ examinatione diſcerni:comminatus ſit etiam fratribus noſtris qui primi expungi acceſſerant, potentatu improbo & terrore violẽto, quod ſecum in monte non communicarent,qui nobis obtemperare voluiſſent. Cumque poſt hæc omnia nec loci mei honore motus,nec veſtra auctoritate & præſentia fractus,inſtinctu ſuo quietem fratrum turbans proripuerit, ſe cum plurimis ducem factionis & ſeditionis principem temerario furore conteſtans:in quo quidem gratulor plurimos fratres ab hac audacia receſsiſſe,& vobis acquieſcere maluiſſe, vt cum eccleſia matre remanerent, & ſtipendia eius epiſcopo diſpenſante perceperint, quod quidem & ceteros pro certo ſcio cum pace facturos,& cito ab errore temerario receſſuros. Interim cum Feliciſsimus comminatus ſit, non communicaturos in monte ſecum qui nobis obtemperaſſent, id eſt qui nobis communicarent, accipiat ſententiam quam prior dixit, vt abſtentum ſe à nobis ſciat, quando ad fraudes eius & rapinas quas dilucida veritate cognouimus, adulterij etiam crimen accedit:

Quod fratres noſtri graues viri deprehendiſſe ſe nunciauerunt, & probaturos ſe aſſeuerauerunt: quæ omnia tunc cognoſcimus, quando in vnum cum collegis pluribus permittente domino conuenerimus. ſed & Augendus qui nec epiſcopum, nec eccleſiam cogitans, pari ſe cum illo conſpiratione ſociauit, ſi vltra cum eodem perſeuerauerit, ſententiam ferat quã ille in ſe factioſus & temerarius prouocauit: ſed & quiſque ſe conſpirationi & factioni eius adiunxerit, ſciat ſe in eccleſia nobiſcum communicaturum non eſſe, qui ſe ſponte maluit ab eccleſia ſeparare. Has literas meas fratribus noſtris legite, & Carthaginem ad Clerum quoque tranſmittite, additis nominibus eorum quicunq; ſe Feliciſsimo iunxerint. Opto vos fratres chariſsimi ſemper bene valere.

ARGVMEN. *Ad clerum de iuuandis omni ope confeſſoribus in carcere conſtitutis, & vt id fiat caute & quiete.*

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBVS FRATRIBVS CHARISSIMIS, SALVTEM. XCV.

SALVTO vos incolumis per Dei gratiam, fratres chariſsimi, lætus quod circa incolumitatẽ quoq; veſtram omnia integra eſſe cognouerim: & quoniã mihi intereſſe nunc non permittit loci conditio, peto vos pro fide & religione noſtra, fungamini illic & veſtris partibus & meis, vt nihil vel ad diſciplinam, vel ad diligentiam deſit. quãtum autẽ ad ſumptus ſuggerendos, ſiue illis qui glorioſa voce dominum confeſsi in carcere ſunt conſtituti, ſiue his qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in domino perſeuerant, peto nihil deſit, cum ſummula omnis quæ redacta eſt, illic ſit apud clericos diſtributa propter eiuſmodi caſus, vt haberent plures vnde ad neceſsitates & preſſuras ſingulorum operari poſsent. Peto quoque, vt ad procurandam quietem, ſolertia & ſollicitudo veſtra non deſit. nam etſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conueniendum & viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtrauit iam glorioſis initiis diuina dignatio: tamen caute hoc & non glomeratim, nec per multitudinem ſemel iunctam puto eſſe faciendum, ne ex hoc ipſo inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum inſatiabiles multum volumus, totum perdamus. Conſulite ergo & prouidete, vt cum temperamẽto fieri hoc totũ poſsit, ita vt presbyteri quoq; qui illic apud cõfeſſores offerunt ſinguli cum ſingulis diaconis per vices alternẽt, quia & immutatio perſonarum & viciſſitudo cõuenientium minuit inuidiam. Circa omnia enim mites & humiles, vt ſerui Dei, congruit temporibus ſeruire, & quieti proſpicere, & plebi prouidere debemus. Opto vos fratres chariſsimi ac deſideratiſsimi ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. fraternitatem vniuerſam ſalutate. vos Victor diaconus, & qui mecum ſunt, ſalutant. Valete.

EPISTOLA CYPRIANI, DE ALEATORIBVS. XCVI.

MAGNA

MAGNA nobis ab vniuersa fraternitate cura, fidelis maxime: & rea perditorum omnium audacia, id est aleatorum animi, ad nequitiam se in lacum mortis mergunt. Et quoniam in nobis diuina & paterna pietas apostolatus ducatū contulit, & vicariam domini sedem cęlesti dignatione ornauit, & originē authentici apostolatus super quem Christus fundauit ecclesiam in superiore vestro portamus, accepta simul potestate soluendi: salutari doctrina admonemur ne cum delinquentibus assiduè ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur. Ideo sal terræ dicimur, vt ex nobis omnis fraternitas cęlesti sapientia saliatur. Nam cum dicat, *Sal autem si fatuatum fuerit, nihil ualebit nisi vt proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus*, hoc veremur & timemus, ne cū in ecclesia securi, quòd nobis sacerdotalis dignitas tradita est, neglegētes, iuxta quosdā fratres inertes reperiamur: aut dū falsam communicationē damus, id quod cum honore de Dei dignatione percepimus, indignante domino exprobrātes amittamus. dicit enim scriptura diuina, *Væ erit pastoribus*. Quod si ipsi pastores negligentes reperti fuerint, quid respondebunt domino pro pecoribus? Quid dicēt? à pecoribus se esse vexatos? nō creditur illis: incredibilis res est, pastores pati posse aliquid à pecore: magis punientur propter mendaciū suū. Et alia scriptura dicit, *Rectorem te petierunt, noli extolli. Esto in illis quasi vnus ex ipsis: curā illorū habe et considera*. & iterū, *Existimate sacerdotem esse cultorem, & omnes esse apud eum delicias, granaria plena, et de quocunque desiderauerint pabulo oues, eas saturare*. Nā vt cōstaret nos, id est episcopos, pastores esse ouiū spiritalium, hoc est hominū fidelium, qui sub cura nostra cōstituti, ne vllū in eis scabie vitiū reperiatur, quo magis à nobis quotidie perscrutentur, vt medicamine cælesti adhibito, vellera eis florida crescāt, quæ ad naturā vestis salutaris proficiant, in euangelio Dominus ad Petrū dixit, *Pasce oues meas*. & quoniam episcopiū, id est spiritū sanctum, per impositionē manus, cordis excepimus hospitio, & cohabitatori nostro ne vllam mœstitiam proponamus, Apostolus monet & dicit, *Nolite contristare spiritum sanctum, qui in vobis est: & nolite extinguere lumen, quod effulsit in vobis*. Quanta autem episcopum bene agentem & salubriter admonentē sine tribulatione corporis, cōdigna maneāt martyria: quanta & in episcopum negligentem nulla de scripturis sanctis documenta promentem, cumulentur tormenta, apostolus nos excitat Paulus, & cum digno statu episcopos & procuratores euangelicæ doctrinæ ponit, & dicit, *Quandiu erit infans, procuratores & actores habet: at cum creuerit, hæreditatem suam expetit*. Nos etiam dispensatores & procuratores euangelij sumus: *hoc quoque inter dispensatores & procuratores quæritur, vt quis fidelis & iustus inueniatur*. si ergo apud dispensatores quæritur, vt quis fidelis & iustus inueniatur, quid si omnes delinquant, & delinquentibus dispensatores ignoscant? Nonne ipsi delinquentium se pondere onerant? Apostolus idem Paulus commemorat, quando ad Timotheum docendum & corroborandum in fidei firmitate, ne quid Deum fallat, & ne malignum orationibus iustorum intercedat, prouidus & sollicitus dicens, *O Timothee fili, commendatum serua: noli spernere donum quod in te est per impositionem manuum seniorum: accingere fortiter, & viriliter age ministerium tuum & cum integritate supple: esto ceteris bonum exemplum: nemo tibi contradicat, nemo iuuentutem tuam contemnat: peccantem coram multis castiga, vt & ceteri metum habeant, & ne communicaueris peccatis alienis*. & iterum, *Si quis frater fornicarius, aut idolorum cultor, aut auarus, aut raptor siue iniustus nominatus fuerit, cum eiusmodi quidem nec cibum capere*. Et alio loco, *Quicunque frater more alienigenarum viuit, & admittit res similes factis eorum, desine in conuictu eius esse: quod nisi tu feceris, & tu particeps eris eius*. Et in doctrinis Apostolorum, *Si quis frater*

Matth. 5.

Eccleſia. 32.

Ephes. 4.

Galat. 4.

1. Cor. 4.

delinquit in Ecclesia, & non paret legi, hic nec colligatur, donec pœnitentiam agat, & non recipiatur, ne inquinetur & impediatur oratio vestra. Et Apostolus etiam iterum dicit, *Eximite malos è medio vestri.* Quod si multorum testium varia & consonanti monitione docemur, ne cum delinquentibus fratribus, cibo ne quidem vesci, quanto magis debeat & ab sacrificio Christi arceri? Quam magna & larga pietas domini filij, quod in futurum præscius nobis consulat: ne quis frater incautus denuo laqueis diaboli capiatur, sollicitos esse iussit & prouidos atque eruditos: quoniam hostis ille antiquus circuit, pulsans Dei seruos, non vno genere tentans. Multæ enim sunt tentationes eius, quorum primordia sunt, idololatria, mœchæ, furta, rapinæ, auaritia, fraus, ebrietas, impatientia, adulterium, homicidium, zelus, perfidia, falsa testimonia, eloquium falsum, inuidia, extollentia, maledictum, error, & si qua sunt similia quæ his congruunt: ex quibus est aleæ tabula. Præsto est diaboli laqueus manifestus, venenum portans letale serpentis, & inductio corrumpens, quæ cum videtur nihil esse, magna amplexi operitur deletio. Quid illud est quæso fideles, vt manus quæ tam ab iniuriis humanis expiata, & ad sacrificium dominicum admissa, & quod ad salutem totius hominis pertinet, dignatione suscipit, ipsa ad laudem domini in oraculo exurgit, ipsa per quam tuemur Christi signum in frontibus notatum, ipsa diuina sacramenta consummat: quid est vt iterum laqueis diaboli, vnde exuta est, implicetur? & per ipsa damnetur? aleatrices manus libidinoso studio consuerunt, id est aleæ tabulæ, quod est zabuli malum, & diaboli vulnus insanabile. Aleæ tabulam dico, vbi diabolus præsto est, & ad capiendum summissus: & cum ceperit de captiuo triumphum, perfidia, falsa testimonia. Tabulam aleæ dico, vbi dementia, & furia, & venale periurium, imperium & conloquium serpentinum. Illic rabidosa amicitia, illic atrocissimi sceleris immanitas discordans, illic conuicia & audacia sæua, & mens insana fera impatientia. Aleæ tabulam dico, vbi possessionum amissio, & pecuniarum ingentium perditio, monstrum, & demonstrãs litigiosum furax dementia. O aleatorum noxia, sedentaria & pigra nequitia. ô manus crudeles, & ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna & opes auorum sudore quæsitas ignominioso studio dilapidant: manus trux, noxia & insomnis, nocte diéque continuis instrumentorum suorum armigera, quæ peccando se ipsam damnauit, & post peccata nõ desinit ire. O nequã manus in perniciem domini sui armata, quæ sordidissimi æris totam substantiam perdit: & cum tot essent augendæ rei familiaris & multarum abundantiæ opũ, modo inops & pauper est. Alea est, quam lex odit: alea est, quam sequitur crimen ignobile, vbi manifesta tentatio, & pœna occulta. Laqueus est ille mali, & supplantatio inimici, qui nec lucrum confert, sed totum consumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc opes suas perdunt, hinc iam consumptis omnibus rebus suis, mutuis pecuniis se obruunt: hinc patrimonium sine vlla forti calumnia amittũt. Qualis est lis, vt quos nemo persequitur, seipsos per inuidiam persequantur? vt paternas suas hæreditates sub hostium suorum multiformi numero dispergant? Est & quando ipsi aleatores cum prostitutis mulieribus penes auctorem suum nocturnas vigilias clausis foribus celebrant: armantur aduersus se miseri, spiritu diaboli repleti: & illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hîc concrepat aleæ sonus, illic silentio operatur incestus: hic sine vllo dignitatis suæ respectu, sine vlla excusatione pestifero studio cedere bonis suis cogitur: illic secreto mortale venenum bibitur. Vnde hæc sacrilega meditatio, vnde hoc crimẽ, auctorum testimonio comprobamus. cũ enim quidã studio literarum bene eruditus, multũ meditando hoc malũ & tam pernicioſum studium adinuenit, instigatu solius zabuli, qui eum artibus suis repleuerat: hanc ergo

artem

artem ostendit, quam & colendam sculpturis cum sua imagine fabricauit. Statuit itaque imaginem suam cum nominis sui subscriptione, suggerente sibi amico, qui vt hanc artem excogitaret, in peccatorem subuenit. sic ergo se n imagine speciosa demonstrans, alto quodam loco condidit, & in sinus suos hanc aleæ tabulam gestans, vt quasi ipse lusor & adinuentor huius malitiæ appareret, cuius nomen à Dei seruis nominari non deberet (sic enim in nomine turpis est, quomodo in factis iniquus) & quisque Dei seruus aleæ tabulam amplectitur, auctoris nomine vocaretur. ille enim cum se in statunculis simulachris formaret, aliud crimen adinuenit, quo se ab imitatoribus suis colendum diceret: sacrificandi sibi legem terminauit, ita vt qui vellet studio eius adhærere, nõ ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori huius prius sacrificasset. Inde factum est, vt olim qui homo fuerat, & facinoris admissionis adulter, post mortem à pronis & errantibus sub finctioso nomine dei talis coli meruerit. Aleę tabula qui ludit, & maleficia nosse debet, quod à Dei seruis longe sit, sciens quoniam foris maleficus & venerarius, & iterum in iudicij diẽ in igne rotãte torquebitur, Aleę tabula qui ludit, prius auctori eius sacrificare debet, quod Christianis non licet, dicẽte domino, *Sacrificans diis, eradicabitur, nisi Deo soli.* & iterum, *Nolite sacrificare dijs alienis, ne incitetis me in operibus manuum vestrarũ ad disperdendum vos.* Christianus qui es, & aleæ tabula ludis, licet nõ sacrifices, lege huius facinoris particeps es: & vtiq; dominus occurrit & dicit, *Exi de ea populus meus, ne sis particeps delictorũ eius.* & iterũ, *Discedite, discedite inde, exite de medio eius qui portatis vasa domini, & immundum ne tetigeritis.* Christianus quicunque es, & alea ludis, hoc primum in loco credere debes, quia non Christianum, sed ethnicum tibi nomen est, & illud quod ad sacrificium dominicum pertinet, in vacuum sumis. sic enim dominus dicit, *Omnis immundus non tanget sacrificium sancti.* Dicit enim scriptura, *Omnis vir mendicans carnem sacrificij, & immunditiæ eius super ipsum, pereat anima illa de populo meo.* Aleator quicunque es, Christianum te dicis, quod non es, eo quod seculo particeps es: nec amicus Christi potes esse, qui cũ inimico Christi tenes amicitiam. Certe qualis dementia aleatorũ fidelium, vbi insaniunt & furacissimis vocibus periurant, & deorbati zabuli caligine, inuicem sibi manus inferunt, maledicunt, se deuouent, parentum originem turpibus præsentibus dehonorant. sonat publice aleæ strepitus, festinant ad necem hæreditatis suæ manus: nec intelligit miser, quid sibi noceat, quãdo se aleæ auctorat. & qui iam sæpius vincitur, rursus ad nocentius studium, zabulo suadente animatur. O ars infesta studentibus, & studium libidinosum, quod non diuitias, sed nuditatem & inopiam præstat: manus carnifex, manus noxia, quę nec post lucra desinit, sed adhuc post damna ludit. Christianus qui alea ludit, ad sacrificium zabuli, immolantibus pœnis auctoris, manus polluit. Et idcirco dominus ad hoc indignari dicit, *Nolite*, inquit, *extendere manus vestras iniuste, ne exacerbetis me, & non desinam vos diu permanere super terram.* & iterum, *Abstinete manus vestras ab iniusto, & ne feceris quicquam m* [illegible] Apostolus beatissimus Paulus similiter dicit, *Videte fratres, ne obfigur* [illegible] *seculo, & pompis & deliciis & voluptatibus eius, sed continete vos ab omni i*[illegible]*ia.* nam qui delinquit in Deum, nulla fit excusatio, nec indulgentia vlla, & nemini veniam datur. in Euangelio dominus dicit, *Si quis*, inquit, *dixerit blasphemias in filium hominis, dimittetur illi: at is qui peccauerit in spiritum sanctum, non dimittetur illi, nec hic, nec in futuro seculo.* & iterum Propheta dicit, *Si delinquendo peccatur aduersus virum, orabitur pro eo ad dominum: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Et beatus Apostolus Paulus procurator vicarius Christi, ecclesiasticam curam agẽs, ponit & dicit, *Vos estis templum Dei, & in vobis Christus habitat: si quis templum Dei violauerit, perdet illum Deus.* iterum dominus in euangelio suo negat

peccatores,& exprobrat,dicens, *Recedite à me omnes qui operamini iniuſtitiam: nunquam vos cognitos habui.* Et Iohannes apoſtolus dicit, *Omnis qui peccat, non eſt de Deo,ſed de diabolo eſt: & ſcitis quoniam ideo venturus eſt filius Dei, vt perdat filios diaboli.* ſi quis aleator Chriſtianus es, tuus & hæreditatis tuæ inimicus es: quicunque es,deſine ab illa dementia miſer: quid te in laqueum mortis cum diabolo vltra præcipitas? quid opes & diuitias tuas ſordidiſsimas æris admittis? quid te laqueis ſecularibus inuoluis, vt de ſeculo iudiceris? quid inimicum tuum fauoribus laudando delinquis, cum quo neceſſe eſt puniaris? Eſto potius,non aleator, ſed Chriſtianus: pecuniam tuam adſidente Chriſto, ſpectantibus angelis, & martyribus præſentibus ſuper menſam dominicam ſparge: patrimonium tuum, quod forſitan ſæuo ſtudio perditurus eras,pauperibus diuide: diuitias tuas Chriſto vincẽti committe: ſeruus cum domino tuo vocare,ſtudio deifico obſequere, artem domini imitare, quæ non perdit,ſed potius acquirit. Deſine ab illis tuis furaciſsimis moribus,cohibe præcipitem nequitiam tuam,ſit tibi cum pauperibus quotidianus luſus, ſit tibi cum viduis frequens operatio, cenſum & adparatus tuos omnes ad ſtudium eccleſię diſtrahe:aurum tuum,& argentũ,& pecunias tuas in theſauris cęleſtibus repone,fundos & villas tuas, iuſta operatione ad paradiſum remoue:vt peccata donẽtur tibi, eleemoſynis & orationibus cõtinuis incũbe. Alea ne luſeris,vbi luſus nociuus eſt,& crimen immortale: vbi dementia ſine conſideratione,vbi nulla veritas,ſed mendaciorum mandra. Abſcide inde manum tuam,& auerte inde cor tuum: extrahe caliginem inimici ab oculis tuis,& purifica manum tuam à ſacrificiis Zabuli: abige abs te furaces mores, eſto patiens & Chriſtianus, eſto tibi & vitæ tuæ in operationibus iuſtus & prouidus,fuge diabolum perſequentem, & fuge aleam inimicã rerum tuarum: ſtudium ſit tibi ſapientiæ, euangelij monitis erudire, puras manus ad Chriſtũ extende:vt promereri dominum poſsis,aleam noli reſpicere. Amen.

DE DISCIPLINA ET BONO PVDICITIAE. XCVII.

ALIQVAS officiorum meorum partes non æſtimo præteriſſe, dum ſemper enitor vel maxime quotidianis euangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſententiæ per dominum incrementa prẽſtare. Quid enim aliud in eccleſia domini vtilius geri,quid accommodatius officio epiſcopi poteſt inueniri, quàm vt doctrina diuinorum per ipſum inſinuata collatáque verborum, poſsint credentes ad repromiſſum regnum peruenire cælorum? Hoc mei & operis & muneris,cotidianum votiuum negocium,abſens licet,obtinere connitor, & per literas præſentiam meam vobis reddere conor, dum vos ſolito more adlocutionibus miſsis in fide interpello. Ideo conuenio, vt euangelicæ radicis firmitate ſolidati, aduerſus omnia diaboli prælia ſtetis ſemper armati, abſentem me non credo, ſi fuero ſecurus. Veruntamen omnia quæ vtiliter proferunt, & ærernæ vitæ ſtatum tractantibus, vel diffiniunt, vel promittunt, ita demum fructuoſa ſunt, ſi ad emolumentum operis diuinæ indulgentiæ viribus adiuuentur. Non ſolum proferimus verba, quæ de ſcripturarum ſacris fontibus veniunt, ſed cum ipſis verbis preces ad Dominum & vota ſociamus, vt tam nobis quàm vobis,& ſacramentorum ſuorum theſauros aperiat, & vires ad implenda quæ cognoſcimus,tribuat. periculum enim maius eſt, voluntatem domini cognouiſſe,& in Dei voluntatis opere ceſſaſſe. Quãuis ergo ad multa vos negocia, ad diuinæ monitionis præcepta, ſemper vt ſcitis exhorter,

quid mihi

quid mihi aliud votiuum aut maius poteſt eſſe, quàm vt per omnia perfecti ſtetis in domino? Tamen vt præcipuæ pudicitiæ clauſtra teneatis, quod & facitis, admoneo, ſcientes templum eſſe vos domini, membra Chriſti, habitationem ſpiritus ſancti, electos ad ſpem, conſecratos ad fidem, deſtinatos ad ſalutem: filios Dei, fratres Chriſti, conſortes ſpiritus ſancti, nihil iam carni debentes, qua renatos ex pudicitia prẹter voluntatem, quam velle debemus & noſtra ſit: præſtetur etiam propter redemptionem, vt corrumpi non poſsit, quæ à Chriſto conſecrata ſit. Nam ſi Apoſtolus eccleſiam, ſponſam Chriſti pronunciat, oro vos quanta pudicitia exigitur, vbi eccleſia inter matrimonia ſponſa virgo præſtetur? Et ego quidẽ, niſi quod breuiter vos admonere propoſui, latiſsimas ſatis puto & locupletes pudicitiæ laudes proferre potui, ſed ſuperuacuum duxi laudare eam diutius apud colentes. Vos enim illam ornatis dum geritis, & plures eius laudes exercendo profertis, facti eius ornamentum, dum & illa veſtrum eſt, modulo decore inuicem fœnerando. Illa vobis diſciplinam bonorum ſuggerit morum, vos illi miniſterium prẹſtatis operum ſanctorum. nam & illa quantum & quid poſsit, per vos apparuit: & quid vos velitis, ipſa demonſtrauit & docuit, copulatis in vnum duobus bonis mãdatorum & rerũ, ne quid inutile videretur, ſi præceptis miniſteria defuiſſent: Pudicitia eſt, honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſollicita non eſt cui placeat, niſi ſibi: pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt: pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore, bene ſibi cõſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet: pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris inlicita deſideriorum prælia, pacem noſtris corporibus inducit: beata ipſa & beatos efficiens, apud quoſcunque habitare dignatur: quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multo magis mirantur, qui expugnare nõ poſſunt. Sed vt matura & in viris probata ſemper, & à fœminis adpetẽda, ſic inimica eius impudicitia ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem ſuum ſub triumphum libidinis mittit: blãda prius, vt plus noceat dum placet, exhauriens rem cum pudore, hoſtis continentiæ frequenter perueniens ad ſanguinem: cupiditatum infeſta rabies, incendium conſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnãs ſanguinis & familiæ fidem, alienis affectibus ſuos inſerens filios, in aliena teſtamenta ſobolem ignoti & corrupti generis inducens. Quę plerunque extra ſexum ardens, dum ſe non continet intra conceſſa, parum ſibi putat ſatisfactum, niſi in virorum quoque corporibus non voluptatem nouam quærat, ſed extraordinaria & portentoſa contra ipſam naturam ex viris per viros monſtra conquirat. Sedenim pudicitia locum primum in virginibus tenet, ſecundum in continentibus, tertium in matrimoniis. Verum in omnibus glorioſa eſt cum gradibus ſuis: nam & matrimonio fidem tenere, laus eſt inter tot corporis bella: & matrimonio de continentia modum ſtatuiſſe, maioris virtutis eſt, dum etiam licita reiiciuntur. Certe ex vtero ſanctitatem cuſtodiſſe, & infantem ſe vſque in ſenectutem in ſua ætate tota tenuiſſe, admirandę vtique potentiæ eſt: niſi quod blandas corporis leges non noſſe, magis felicitatis eſt: notas iam viciſſe, virtutis eſt, ſic tamen vt & virtus iſta de dono Dei veniat, licet ſe in membris hominibus oſtendat. Pudicitię, fratres, antiqua præcepta ſunt. Quare antiqua dico? quia cum ipſis hominibus inſtituta ſunt. Nam & ideo vir ſuus fœminæ eſt, vt præter eundem alterum neſciat: & ideo viro reddita eſt mulier, vt ſubiecto quod fuerat ei proprium,

Gen. 2. nihil requirat alienum. *Sic & duo*, inquit, *erunt in carne vna*, vt in vnum redeat quod vnum fuerat, ne ſeparatio ſine reditu occaſionem præſtet alterius. Inde
Epheſ. 5. & Apoſtolus, caput mulieris pronunciauit virum, vt coniunctione duorum pudicitiam probaret. Nam vt alterius caput membris aptum non poteſt eſſe, ita & alieno capiti membra non ſua: caput enim ſuis conuenit membris & membra capiti ſuo, vtraque naturali fibula in concordia mutua cohęrent, ne oriente diſcordia, de diuiſione membrorum pactum diuini fœderis rumperetur. Addit tamen & dicit, *Quoniam qui vxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit. nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus eccleſiam.* Charitatis cum pudicitia ex hoc magna præſcriptio, ſi vxores diligendæ ſunt à viris ſuis, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam: & ita vxores maritos debent diligere, vt eccleſia Chriſtum. Hanc ſententiam Chriſtus quando vxorem dimitti non niſi ob adulterium dixit, interrogatus tantum honorem pudicitiæ dedit. Hinc nata eſt illa ſententia, *Adulteras non ſinetis viuere.* Hinc Apo-
1. Theſſal. 4. ſtolus dicit, *Hæc eſt voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione.* Hinc & illud
1. Corin. 5. dicit, *Membra Chriſti, membris meretricis non eſſe iungenda.* Hinc traditur ſatanæ in interitum carnis, qui proculcato iure pudicitiæ, vitia carnis exercet. Hinc merito regnum cælorum non tenent adulteri: hinc eſt, *Omne peccatum extra corpus eſſe, ſolum adulterum peccare in ſuum corpus*: hinc ceteræ præceptorum auctoritates, quas nũc recolere omnes, non eſt neceſſe, apud vos præſertim qui illas noſtis frequẽter & facitis, quæ licet deſcripta non ſint, queruli tamen de his non poteſtis eſſe. Adulter enim non habet excuſationem, aut habere potuit, quia ducere licebat vxorẽ. Sed ſicut matronis iura præſcripta ſunt, quæ ita ſunt nexæ, vt diuelli inde non poſsint: virginitas vero & cõtinentia extra ius omne ſunt, nihil ad virginitatẽ de matrimoniorũ legibus pertinet: altitudine ſua tranſcẽdit omnes, ſi vlla praua hominũ leges auſa ſupergredi conatur. Virginitas æquat ſe angelis, ſi vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriã & contra naturam refert, quã non habent angeli. Virginitas quid aliud eſt, quàm futuræ vitæ glorioſa meditatio? virginitas neutri ſexus eſt: virginitas eſt perſeuerãs infantia: virginitas eſt voluptatum triumphus: virginitas filios nõ habet, ſed quod plus eſt, filiorum contẽptum habet: non habet fœcunditatem, ſed nõ habet orbitatẽ: felix, quod eſt extra partus dolorem, felicior autem, quod eſt extra funerum filiorum calamitatẽ. Virginitas quid aliud eſt quàm ſoluta libertas? maritũ non habet dominum, virginitas affectionibus omnibus ſoluta eſt. Non matrimoniis eſt dicata, non ſeculo, nõ liberis. Perſecutionẽ non poteſt timere, dum illam de ſecuritate poteſt prouocare. Sed quia pudicitiæ nobis breuiter ſunt expoſita præcepta, iam pudicitiæ ponamus exemplum. plus enim proficitur cum in rem præſentem venitur, nec de virtute dubitatur, quãdo quod præcipitur, exemplis etiã
Gene. 29. ſanatur. Exemplum pudicitiæ à Ioſeph cœpit. Adoleſcens Hebræus generoſus de patre, generoſior de innocentia, ob inuidiam reuelationum diſtractus à fratribus Iſmaëlitis, in domum deuenerat hominis AEgyptij, obſequio & innocentia & tota ſeruitutis fide facilẽ & beneuolum in ſe animũ ſui prouocauerat domini, cuius faciem tam ſermo liberalis, quàm ætas omnibus commẽdauerat. Sed iſta generoſitas ab vxore domini aliter quàm decebat, accepta eſt: in domus parte ſecreta, & ſine arbitris allata, & facinoroſis accõmodata, putauit ſe pudicitiam adoleſcentis incontinens mulieris impudicitia nunc promiſsis, nunc minis poſſe ſuperare. Et cum retentus eſt veſtibus, eo quod moliretur fugam, propter tanti facinoris audaciam, ipſas veſtes relinquens, & corporis nudi ſinceritatem habiturus innocẽtiæ teſtem, ad crimen pudicitiæ ſuæ impudens mulier adiicere non dubitauit calumniam: & cæteris & marito ſqualida & feruens, ſpreto deſiderio ſuo, cõqueſta eſt dolore ſimulato

mulato, quod Hebræus adoleſcens vim ſibi molitus fuiſſet inferre, quam ipſa conata fuerat inrogare. Maritalis ardor rerum inſcius, & vxoris accuſatione grauiter inflammatus, incenditur: pudicus vero iuuenis, quia delicto cõſcientiam non miſcuit, in imum carceris truditur. Sed ſola non eſt in carcere pudicitia: nam eſt cum Ioſeph Deus, & nocentes dantur in manu eius, quia innocens fuerat. Somniorum prẽterea obſcura diſſoluit, quia ſpiritus in tentatione vigilabat, & per dominum liberatur à vinculis. Qui in domo minore cum periculo fuerat, regiæ domus ſine periculo dominus effectus eſt, generoſitati ſuæ redditus, fructum pudicitię & innocentię, Deo iudice, à quo meruerat, accepit. Sed non minus ex parte diuerſa, aliud nobis pudicitiæ ſimile, de continentia fœminarum exoritur exemplum. Fuit, vt legimus, Suſanna Dan. 13. filia Helciæ, vxor Ioachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad decorem commendabat ſpecies: ſimplex enim erat. excoluerat pudicitia, & cum pudicitia ſola natura. In hanc ex ſenioribus duo cœperant deperire, nihil memores, nec diuini timoris, ſed nec ſuæ annis iam marceſcentis ætatis: ita illos in flagrantia tranſactæ iuuentutis incendia, rediuiuæ libidinis flamma reuocabat: pudicitię latrones amorem profitentur, ſed oderant. Reſiſtenti minantur calumnias, adulterij ſe dicunt accuſatores, voto adulteri. Inter duos libidinis ſcopulos auxilium de domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudiuit de cælo clãmantem ad ſe pudicitiam dominus: & cum iniquitate oppreſſa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictã. Bis victrix, & in periculo ſuo tam funeſte toties concepta, & libidinem euaſit & mortem. Infinitum erit, ſi exempla proſequar plura: his duobus contentus ſum, prẽſertim cũ omnibus ſit viribus par iſta pudicitia defenſata. Non illos emollire potuit in vita generoſi ſanguinis memoria, quę in quoſdam licẽtia laſciuiæ eſt miniſtra: nõ decor corporis, & apte poſitorum figura membrorum, quæ ſuggerit plerunq; quaſi flos quidam, properans velociter tranſire ętatis porrecta voluptatis occaſione paſcatur: non anni primi virentis, ſed maioris ætatis, cum rudis adhuc ſanguis ęſtuans, naturæ flammas accendat, & in medullis verſata cęca incendia ad remedium, verum etiam per periculum pudoris itura: non vlla latebrarum, & ſine vllo conſcio, quæ tuta quibuſdam putatur occaſio, quæ maxima vis eſt admittendi ſceleris, cum deliberationibus occurrit impunitas. Non poſita neceſsitas de auctoritate iubentium, & in temeritate participum atque ſociorum, quo genere frãguntur etiam ſæpe recta conſilia. Non præmia ipſa & bonitas, non accuſationes, non minę, non pœnę, non mors, nihil tamſæuũ, tam durum, tam triſte, quàm cecidiſſe de alto pudicitiæ gradu. Digni tãto iudicis diuini præmio, quorum alter regio pene throno inluſtraretur, altera concordia mariti dotata inimicorum mortibus redderetur. Hæc ſunt & his ſimilia ſemper nobis ante oculos exẽpla ponenda, his paria diebus noctibúſque meditanda. Nihil animum fidelem ſic delectat, quàm integra, immaculata pudoris conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima: nec vlla maior eſt victoria, quàm ea quæ è cupiditatibus refertur. Qui hoſtẽ vicit, fortior fuit: ſed altero qui libidinem repreſsit, ſeipſo fortior fuit: qui inimicum proſtrauit, externum hoſtem percuſsit: qui cupiditatem depreſsit, hoſtem domeſticũ ſuperauit. Malum omne facilius vincitur quàm voluptas, quia illud quicquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt. Nihil tam difficile opprimitur, quàm quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt: qui cupiditates vincit, de peccato triumphat: qui cupiditates vincit, malum generis humani ſub pedibus ſuis iacere oſtendit: qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit: qui cupiditates vicit, libertatem ſibi, quod eſt etiam ingenuis difficillimum, reddidit. Meditanda ergo nobis fratres, vt res docent,

ſemper pudicitia: quo facilior ſit, nullis artibus conſtat. Quæ enim illa conſummata voluntas, quæ niſi impediretur, longe eſt, ſed noſtra eſt, ita non eſt acquirenda, ſed fouenda quæ noſtra eſt. Quid eſt enim aliud pudicitia, quàm mens honeſta ad cuſtodiam corporis data, vt ſexibus redditus pudor ſeueritate ſignatus, fidem honoris de incorrupta ſobole ſeruaret? Pudicitiæ autem fratres competunt, & cogniti ſunt in primis diuinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem, & mens adtonita ad ſacram religionem: deinde videre, ne quid in ſe vltra modum ſculptum, vltra honeſtatem productum, ne quid proditum, ne quid arte fucatum, ne quid ad iritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatum. Non eſt pudica quæ affectat animum alterius mouere, etiam ſalua corporis caſtitate. Longe abſint quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur. nam ſollicitudo de pulchritudine, & malæ mentis indicium & deformitatis eſt. Sic natura corporis libera, nec diuinis operibus inferatur vis. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet qualis eſt. Quid capillorum mutatur color? quid oculorum extremitates ſuffuſcantur? quid facies artibus in diuerſam formam conuertitur? quid poſtremo ſpeculum conſulitur, niſi quia ne ipſa ſit timetur? Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus ſit, adulterium fidelis nec in coloribus nouerit. Veſtibus aurum intexere, qnaſi precio eſt veſtes corrumpere. Quid inter fila ſtaminũ delicata, rigida faciunt metalla? non vt fluentes humeros premant, & luxuriam feliciter ſe animi iactantis oſtendant? Quid cum ceruices peregrinis lapidibus vrgentur, & abſconduntur? quorum precia etiam ſine artibus calendarium cuiuſuis excedunt? Non ornatur mulier, ſed vitia oſtẽduntur. Quid cum digiti tali auro onerati, nec intrare poſſunt, nec egredi? vtrum vſus expoſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur? Mirum negocium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris. Sed vt repetam quę cœperam, colenda ſemper pudicitia viris & fœminis, omni cuſtodia ſeruanda eſt intra limites ſuos. Cito natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam ſecum caro quæ ſemper in lapſu eſt. Sub prętextu quippe naturæ quæ homines ſemper vrget ad affectus, quibus ruinæ collapſi generis reſarciuntur, blandimento voluptatis fallentes, non ducit ad conſcientiam legitimæ coniunctionis ſobolem, ſed iactat in crimen. Ergo contra has carnis inſidias, quibus ſe diabolus & ſocium miſeriæ & ducem facit, obluctandum eſt omni genere virtutis. Adſumantur ſecundum Apoſtolum, Chriſti opera, & à conſortio carnis quantum poteſt, animus colligatur: ſeparetur conſenſus à corpore, vitia ſemper caſtigentur vt odiantur. Ante, oculus obſeruetur. Deformis eſt atque deiectus peccati pudor. Pœnitẽtia ipſa cum luctibus ſuis commiſſorum criminum inhoneſta conteſtatio eſt. Nihil conſideretur curioſe in alienis vultibus, ſermo & breuis ſit, & ſobrius riſus. ſignum eſt enim animi facilis & remiſſi: nam contactus recedat etiam honeſtus, nihil corpori liceat, vbi vitandum eſt corporis vitium. Cogitetur, quam honeſtum ſit viciſſe dedecus, quam inhoneſtum victum eſſe dedecore. Dicendum etiam, quod adulterium voluptas non eſt, ſed mutua cõtumelia: nec delectari poteſt, quod & animam interficiat & pudorem. Coërceat animus ſtimulos carnis, refrenet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, vt illi ad imperium eius membra ſeruirent, & quaſi legitimus ac perfectus auriga, vltra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus, cæleſtium præceptorum habenis reflectat, ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis raptus, in periculũ ſuum ſecum & ipſum rapiat aurigam. Sed inter hæc, immo ante hæc, contra turbas & vitia omnia de diuinis caſtris auxilium petendum eſt: ſolus enim potens eſt Deus, qui homines dignatus eſt facere, & plena hominibus auxilia præſtare. Ego pauca dictaui, quoniam non eſt propoſitum volumen ſcribere, ſed adlo-

cutionem

cutionem transmittere. Vos scripturas aspicite, exempla vobis de ipsis præceptis huius rei maiora conquirite. Fratres charissimi bene valete.

AD NOVATIANVM HAERETICVM, QVOD LAPSIS SPES VENIAE NON est deneganda. XCVIII.

COGITANTI mihi & intolerabiliter animo æstuanti, quid nam agere deberem de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sęuiętis inruptione, adhuc vsque, hoc est per longam temporum seriem agentes, pœnas darent, ecce ab aduerso obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis aduersarius hæreticus Nouatianus, qui non tantũ, vt in euangelio significatum est, sicut sacerdos vel Leuites, iacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa ac noua crudelitate sauciatum potius occideret, adimendo spem salutis, denegando misericordiam patris, respuendo pœnitentiã fratris. Mirum quot acerba, quot aspera, quot peruersa sunt. Sed facilius quis in alieno oculo festucã perspicit, quàm in suo trabem. Nos autẽ fratres dilectissimi, non moueat aut turbet hęretici istius perfidi abrupta dementia, qui cũ in tam ingenti dissensionis & schismatis crimine constitutus, & ab ecclesia separatus sit, sacrilega temeritate non dubitet in nos sua crimina retorquere. Cum sit enim à semetipso nunc factus immundus, sordibus sacrilegis inquinatus, hoc nunc nos esse cõtendit. Et cum scriptum sit, canes foris remansuros, & Apostolus hos eosdem canes docuerit esse vitandos, sicut legimus, ait enim, *Videte canes, videte malos operarios:* rabiem suam non cessat latratibus excitare luporum more, tenebrosam caliginem optare, qua facile possit ferina sua crudelitate, oues à pastore direptas, spelunca tenebrosa laniare: aurum certe se suósque quos colligit, esse pronunciat. Nec nos dubitamus desertores ecclesiæ apostatas factos, in aurum nunc facile potuisse conuerti, sed illud aurum in quo prima delicta populi Israel denotata sunt. Ceterum vasa aurea & argentea, quæ ab AEgyptiis excussa sunt, in dominica potestate, id est Christi ecclesia, perseuerant, in qua si perseuerasses Nouatiane, vas forsitan & pretiosum fuisses: sed nunc te in paleas & in stipulam conuersum, nec intelligis, nec plangis. Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quam lucra cõsequeris. Quid te ex quo pauperior factus es, diuitem credis? Audi in Apocalypsi dominicam vocem iustis obiurgationibus increpantem, *Dicis*, inquit, *diues sum, & ditatus sum, & nullius rei egeo, & nescis quoniam tu es miser, & miserabilis, & cæcus, & pauper, & nudus.* Has opes, has diuitias paupertatis pro certo possidere se credat, quisquis Christi ecclesia derelicta ratione cæca, apud temerarios illos schismatum duces, & dissensionis auctores conuerti non trepidat, quos Iohannes Antichristos appellat, quos euangelista paleis similat, quos dominus Christus fures & latrones designat, sicut ipse in euangelio declarat, dicens, *Quia qui non introiit per ostium in ouile ouium, sed descendit per alteram partem, ille fur & latro est.* Item in eodem quoque ait, *Omnes qui venerunt, fures sunt & latrones.* Qui isti sunt, non desertores fidei, & transgressores ecclesiæ Dei, qui contra ordinem dei nituntur? quos merito spiritus sanctus per prophetam increpat, dicens, *Fecistis consilium non per me, & cogitationem non per spiritum meum, adiicere peccata super peccata.* Quid ad ista respondeant peruersissimi Nouatiani, vel nunc infelicissimi pauci, qui ad tantam dementiam proruperunt, vt nec Deo, nec homini reuerentiam habuerint? Illic impudenter & sine vlla ordinationis lege, episcopatus adpetitur: hic autem propriis sedibus & cathedræ sibi

Philip. 2.

Apocaly. 3.

Ioan. 10.

Esa. 30.

traditæ à Deo,renunciatur:illic veritas, *Aſpernantur me, vt ſacrificent mihi, nec offerunt oblationes ſanctas filiorum Iſrael,nec accedunt offerre ſancta ſanctorum: ſed accipient ignominiam ſuam in errore, quo errauerunt.* Satis ſit paucis probaſſe quid nam ſint. Audite igitur Nouatiani, apud quos ſcripturæ cæleſtes leguntur potius quam intelliguntur,parum ſi non & interpolentur. Sunt enim veſtræ præcluſæ aures,& corda cæcata,qui nullũ de ſpiritalibus ac ſalutaribus monitis lumen admittitis, ſicut Eſaias ait, *Excæcati ſunt ſerui dei*, & merito excæcati, quia voluntas ſchiſmaticorum non eſt in lege, quæ lex vnam nobis & ſingularem deſignat eccleſiam,in illa ſcilicet quæ ſub Noe ante diluuium dei prouidentia fabricata eſt arca,in qua non tantum munda animalia,ſed & immunda, vt tibi cito reſpondeatur Nouatiane,inuenimus eſſe recluſa. Quæ arca cum his quæ ſecum fuerant,liberata eſt,in qua & cetera quæ in ea inuẽta non ſunt,diluuio perierunt. Ex illa igitur arca remittuntur duę aues,corax & columba. Qui corax vere hominum immundorum, & in tenebris perpetuis futurorum per ſeculi latam viam,& immunda veſcentium, apoſtatarum futurorum,& ad eccleſiam ſe vltra non vertentium,figuram portabat, quem ſicut legentes inuenimus emiſſum, & non amplius reuerſum. Huic ergo aui, id eſt immundo ſpiritui,quíque fuerint ſimiles inuenti,ad eccleſiam amplius reuerti non poterunt: qui & ſi voluerint,dominus prohibebit,qui Moyſi prę-cepit,dicens,*Omne varium & immundum eiice foras extra caſtra.* Columba autem emiſſa in continenti ſignificatur reuerſa, eo quod requiem non haberet pedibus ſuis, quam Noe recepit in arcam,& poſt ſeptimum diem iterato emiſſam,recepit eam portantem ſuo ore oliuæ folium. Et ego quidem fratres dilectiſsimi,non temere iſta cogitans,nec humana ſapientia conſpirans,ſed vt cæleſtis domini dignatione neceſſarie & pertinenter mentibus noſtris concipere permittitur,dico illam,id eſt columbam, duplicẽ nobis per ſemetipſam ſignificare figuram:primam quidem & principalem,ſuam,hoc eſt ſpiritalem, olim id eſt,ab initio diuinæ adminiſtrationis, inſiſtit:& ſacramentum baptiſmatis, quod in ſalutem generis humani prouiſum, & ſoli eccleſiæ cæleſti ratione celebrare,per os ſuum præoſtendit. Ter enim emiſſa ex arca, volitans per aërem ſuper aquam, ſignificabat iam nunc eccleſiæ noſtræ ſacramenta. Vnde &dominus Chriſtus Petro,ſed & ceteris diſcipulis ſuis mandat,dicens, *Euntes euangelizate gentibus,baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti,* hoc eſt, vt ternitas illa quæ ſub Noe per columbam figuraliter operata eſt, hæc nunc in eccleſia per nos ſpiritaliter operetur. Sumamus iam nunc & ſecundam perſonam columbę ex arca emiſſæ,diluuij ſcilicet tempore,quando omnes abyſsi proruperunt, quando cataractæ cæli patefactæ ſunt ſuper terram propter facinora hominum, quæ cotidie exercebant coram domino, ſicut Moyſes dixit, *Et vidit dominus deus redundare nequitias hominum ſuper terram, & quod omnes in malum recordarentur à principio dierum ſuorum, & dixit, Perdam hominem quem feci à facie terræ ab homine vſque ad pecus, & à reptili vſque ad volatilia cæli.* Emittitur ergo tempore cataclyſmi columba ex arca,aquis violenter toto orbe terrarum infeſtantibus. Illa arca figuram eccleſiæ,ſicut ſuperius diximus,portabat, quæ verberabatur hinc atque inde aquis inſurgentibus tantum. Cataclyſmus ergo ille,qui ſub Noe factus eſt, figuram perſecutionis quæ per totum orbem nunc nuper ſupereffuſa eſt,oſtendit. Aquis autem,diruptis cataractis, vndique conuenientibus & excreſcentibus, ſignificabãtur gentes,quæ ad vaſtandam eccleſiam excreuerunt: ſicut Apocalypſis docet,dicens,*Aquæ quas vidiſti,populi ſunt, & gentes, & regna*:columba autem quæ pedibus ſuis requiem habere non poterat, lapſorum imaginem portabat,qui immemores diuinarum prædicationum, vel ſimpliciter ignorantes, vel audacter diſsimulantes ceciderunt. Quorum dominus ruinam in euan-

Eſa. 6.

Gen. 6.

Leui. 7. Gen. 8.

Matth. 28.

Gene. 6.

Aqoca. 17.

gelio

gelio futuram his verbis significauerat, dicens, *Qui audit verba mea & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: venerunt tempestates, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna.* Matth. 7. Et ne temere comparasse videamur, columbam illam lapsorum imaginem portare, propheta ciuitatem vt columbam, hoc est, lapsorum personam increpat, dicens, *Columba non exaudit vocem*, id est, præclara & redempta ciuitas non recipit doctrinam, & in dominum fidens non fuit. Soph. 3. Quod autem requiem pedibus columba illa, sicut superius diximus, inuenire non poterat, hoc significabat, vestigia negantium, hoc est sacrificatorum lubrici veneno serpentis sauciata in lapsum conuersa, qui vlterius non possent super aspidem & basiliscum conscendere, & draconem & leonem calcare. Quam potestatem tradidit Dominus discipulis suis, sicut in euangelio ait, *Ecce do vobis potestatem calcandi super omnem potestatem inimici, & super serpentes & scorpiones, & non nocebunt vobis.* Lucæ 10. Istis ergo tot & tantis malignis spiritibus infestantibus, & in lapsorum necem insurgentibus, prouisa est vulneratis salutis via, vt quibuscunque viribus possent toto se corpore protrahere, castris suis recipere, quibus recepti medelis spiritalibus vulnera sua curare. Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interiectis, iterato emittitur ex arca: quæ reuersa, non tantum firma vestigia, sed & insignia suæ pacis atque victoriæ, per illa oleæ folia, quæ suo ore portabat, ostendit. Duplex ergo illa emissio, duplicem nobis persecutionis tentationem ostendit: prima, in qua qui lapsi sunt, victi ceciderunt: secunda, in qua hi qui ceciderunt, victores extiterunt. Nulli enim nostrum dubium vel incertum est, fratres dilectissimi, illos qui prima acie, id est Deciana persecutione vulnerati fuerunt: hos postea, id est, secundo prælio ita fortiter perseueraſſe, vt contemnentes edicta secularium principum, hoc inuictum haberent, quod & non metuerunt exemplo boni pastoris, animam suam tradere, & sanguinem fundere, nec vllam insanientis tyranni sæuitiam recusare. Ecce quàm glorioſos, quàm Domino charos, schismatici isti ligna, fœnum, stipulam adpellare non dubitant: quorum pares, hoc est, in eodem crimine lapsos, seu adhuc vsque constitutos, nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumunt, ex illa Domini pronunciatione, qua ait, *Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cælis est.* Matth. 10. Pro dolor, quid contra dominica præcepta contendunt, vt ea quæ Christus iudicij sui tempore sit acturus, hæc nunc stirps Nouatiani, patris sui exemplum diaboli sequuta, exercere conetur? dicente scriptura, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Deuter. 32. Respondebimus eis ad istam pronunciationem Domini, quam male intelligant, & male sibi interpretentur. Quod enim ait, *Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis est*: vtique futuri temporis significatio est, quo tempore incipiet Dominus secreta hominum iudicare. Quo tempore tribunali Christi omnes nos oportet adstare, quo tempore multi incipient dicere, *Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia exclusimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Matth. 7. Et tamen audient vocem Domini dicentis, *Discedite à me omnes qui operati estis iniquitatem, non noui vos*, ibi adimplebitur quod ait, *Negabo & ego illos.* Quos autem maxime negabit Dominus Christus, nisi vos omnes hæreticos & schismaticos, & nominis sui alienos? Qui enim aliquando Christiani, nunc Nouatiani, iam non Christiani, primam fidem vestram perfidia posteriore per nominis mutatis velum, nunc propositioni vestræ respondeatis. Legite & docete, quem Dominus de his qui se dereliquerant vel negauerant, cum adhuc ipse hic esset, negauit: atqui & ceteris qui secum remanserant de discipulis ait,

Ioan.6. Lucæ 22. *Nunquid & vos vultis abire?* Petrum etiam quem negaturum ante prædixerat, cum negasset, ipse non negauit, sed sustinuit, & amare illam suam negationem flentem ipse postmodum lenit. Quænam est tua Nouatiane, dementia, vt illa quæ ad exitium salutis pertineant, tantum legas: & quæ ad misericordiam, prætereas? clamante scriptura & dicente, Ioel.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & ploratione, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quoniam misericors est, & miserator multæ miserationis.* Ideo quia multæ miserationis est Dominus, audiuimus, audiamus quid per Dauid contestatur spiritus sanctus, Psal. 88. *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in mandatis meis non ambulauerint, & si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non custodierint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* His similia & per Ezechielem legimus dixisse Dominum, *Fili hominis domus Israel habitauit super terram suam, & coinquinauerunt facinoribus suis. Sicut mulieris menstruatæ facta est immunditia eorum ante faciem meam, effudi iram meam super eos, & dissemináui eos inter gentes, & secundum peccata eorum iudicaui eos: quia coinquinauerunt sanctum nomen meum:* & quia dictum est de his, *Hic est populus Domini, peperci eis propter nomen sanctum meum, quod spreuit domus Israel inter gentes.* & coniungens ait, *Propterea dic populo Israel, Hæc dicit Dominus, Non vobis parco domus Israel, sed propter nomen sanctum meum parcam, quod coinquinastis inter gentes, & scietis quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis.* Item Dominus ad eundem, Ezechie. 33. *Fili hominis dic populo Israel, Quare loquuti estis, dicentes, Erroribus nostris tabescimus, & quomodo salui esse poterimus? dic eis, Viuo ego, dicit Dominus: quia non desidero mortem peccatoris, sed desidero vt auertatur peccator à via sua pessima, & viuat. Redite ergo à via vestra pessima. Quid morti vos traditis domus Israel?* Sic per Esaiam prophetam, Esa.57. Hie.29.& 42. *Non in æternum indignabor vobis, neque semper non defendam vos.* Et quoniam Hieremias propheta in persona populi peccatoris deprecatur Dominum, dicens, Esa.57. *Emenda nos Domine, sed in iudicio, & non in ira, ne paucos facias nos:* adiecit & dicit Esaias, *Propter peccatum modice contristaui eum, & percussi eum, & auerti faciam meam ab eo, & contristatus est, & abiit tristis in viis suis:* & quia operatur, adiecit & dicit, *Vias eius vidi & curaui eum, & dedi ei exhortationem, veram pacem super pacem, pœnitentibus, deprecantibus, & operantibus restitui posse:* quod male perierunt, quódque à Christo declinauerunt: denique hoc in Euangelio comprobatur, vbi illa mulier peccatrix describitur, Lucæ 7. quæ venit ad domum cuiusdam pharisæi, vbi erat Dominus vocatus cum discipulis, portans vas vnguenti, quæ stetit ad pedes Domini, & lachrimis suis lauit pedes Domini, & capillis extersit, osculis infixis: vt excitaretur ille Pharisęus, & diceret, *Hic si esset propheta, sciret quæ & qualis esset ista mulier, quæ eum tangit, quia peccatrix est.* Vnde in continenti dominus peccatorum remissor, & pœnitentium receptor ait, *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille respondit, dicens, Magister, dic. Et dominus, Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus qui debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta: & cum non haberent vnde soluerent, ambobus donauit. Et interrogauit, quis illorum plus diligeret. Et respondit Simon, Vtique ille cui plus donauit. Et adiecit, dicens, Vides istam mulierem? Intraui in domum tuam, osculum mihi non dedisti, hæc autem non cessauit osculando pedes meos: pedes meos non lauasti, hæc autem lachrimis suis lauit: & capillis extersit: oleo pedes meos non vnxisti, hæc autem vnxit: propter quod dico tibi Simon, quia remittuntur illi peccata eius.* Ecce Dominus vtrisque debitoribus larga sua pietate debitum concedit: ecce mulierem peccatricem pœnitentem, flentem, deprecantem, & remissam peccatorum accipientem. Erubesce

iam

iam nunc si fieri potest Nouatiane: desine argumentis tuis impiis incautos decipere: desine vnius capituli præscriptione terrere. Legimus & adoramus, nec prætermittimus cælestem Domini sententiam, qua agit negaturum se negantem, nunquid & pœnitentem? Et quid ego tam diu de miserationibus probare singula gestiam? quandoquidem Niniuitis allophylis, & longe à lege Domini constitutis, propter ciuitatis suæ annunciatam euersionem deprecantibus, misericordia Dei non denegatur? Ipsi illi Pharaoni sacrilega temeritate repugnanti, cum quondam cælestibus plagis verberaretur, & conuersus Moysi dixisset, *Orate pro me ad Dominum, quia peccaui*, in continenti ab eo suspendebatur ira Dei. Et tu iam Nouatiane iudicas, & nullam spem pacis ac misericordiæ habere lapsos prædicas: nec increpanti te Apostolo aurem accommodas dicenti, *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat aut cadit. stabit autem: potens est Deus stabilire eum.* Vnde pertinenter & necessarie ex persona eorundem lapsorum increpat vos spiritus sanctus, dum dicit, *Noli gratulari amica mea mihi, quoniam si cecidi, & exurgam: & si in tenebris ambulauero, Dominus lumen est mihi. Iram Domini tolerabo, quoniam peccaui illi vsque dum iustificet causam meam, & faciat iudicium & iustitiam, & producat me ad lucem. Videbo iustitiam illius, & videbit me inimica mea, & cooperiet se confusione.* Oro, non legisti, *Nolite gloriari, & nolite loqui excelsa, & ne exeat maliloquentia ex ore vestro, quoniam erigit à terra pauperem, & à sterquilinio inopem, & sedere eum facit cum potentibus populi?* Non legisti, *Tu qui stas, vide ne cadas?* Non legisti, *Quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?* Non legisti, *Qui se exaltat, humiliabitur?* Non legisti, *Quia Deus perdit memoriam superborum, & non relinquit memoriam humilium?* Non legisti, *Quia quo iudicio quis iudicauerit, eum iudicari necesse est?* Non legisti, *Quia qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & non scit quò eat: quia tenebræ excæcauerunt oculos eius?* Vnde igitur & tam sceleratus, & tam perditus, tam discordiæ furore vesanus extiterit iste Nouatianus, inuenire non possum, qui semper in domo vna, id est Christi ecclesia, proximorum delicta vt propria fleuerit, onera fratrum, sicut Apostolus hortatur, sustinuerit, lubricos in fide cælesti adlocutione corroborauerit. At nunc ex quo Cainam illam hæresin, quæ non nisi tantum occidere gestit, exercere cœpit, nec sibi nouissime parcit. Ceterum si legisset, *Quia iustitia iusti non liberabit eum in die qua errauerit, & iniquitas impij non nocebit ei ex qua die conuersus fuerit*, iam olim in cinere pœniteret ille qui semper pœnitentibus aduersatur, qui in ruina facilius ædificatorum stantium operatur, quàm instructione iacentium ruinarum: qui multos ex fratribus nostris miserrimos falsis suis aduersationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo, Quod pœnitentia lapsorum sit vana, nec possit eis proficere ad salutem, clamante scriptura, & dicente, *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, si quo minus, veniam tibi, nisi pœnitentiam egeris.* Et quidem ad septem ecclesias scribens, singulis sua quoque facinora & delicta ingerens, *Pœnitemini* dicebat, quibus? nisi illis scilicet quos precio magno sui sanguinis redemerat? Ote impium scelestúmque hæretice Nouatiane, qui post tot & tanta in ecclesia, à quibusdam retro voluntarie commissa crimina, quæ & tu ipse in domo Dei priusquam apostata esses, cognoueras: & hæc posse aboleri de memoria succedente bono, vtique docueras, secundum fidem scripturæ, dicentis, *Quia si conuersus fuerit facinorosus ab omnibus facinoribus suis quæ commisit, & iustitiam fecerit, vita æterna viuet, & non morietur in facinore suo.* Delicta enim quæ commisit, abolebuntur de memoria succedentibus bonis factis. Tu hodie retractas, an debeant lapsorum curari vulnera, qui nudati à diabolo ceciderunt violentia aquæ quam suo ore serpens emisit post mulierem. *Sed quid dicam;*

Exod. 8.

Rom. 4.

1. Corin. 10.

Ezech. 18.

Apocaly. 2.

Ezechie. 18.

1.Cor.12. ait Apostolus, *Laudo vos, in hoc non laudo, quia non in melius, sed in peius venistis. Vbi enim sunt æmulationes & dissensiones in vobis, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Nec nos quidem mirari oportet, cur iste Nouatianus tam nefanda, tam grauia in personam lapsorum exercere nunc audeat, quando quidem habemus exempla præuaricationis huius præcedentia. Saul ille bonus, præter cetera, postea liuore euertitur, & contra Dauid omnia aduersa & inimica agere molitur. Iudas ille inter apostolos electus, qui semper in domo Dei vnanimis & fidelis, ipse postmodum Deum tradidit. Prædixerat
Matth.7. quidem & dominus multos esse venturos sub pellibus ouium, rapaces lupos. Qui sunt isti rapaces lupi, nisi sensu subdolo conspirantes ad infestandũ gre-
zacha.11. gem Christi? sicut legimus ad Zachariam positum, *Ecce ego suscito pastorem in terra, qui quod auersum est, non visitabit, & carnes electorum manducabit, & talos illorum torquebit.* Similiter & per Ezechielem increpat huiusmodi pastores, sci-
Ezechie.34. licet prædones & laniones (dicam, vt æstimauerat) dicens, *O pastores, quare lac ebibitis, & coagulatum comeditis, & forte ad nihilum perduxistis, & infirmum non visitastis, & claudicantem non curastis, & errantem non reuocastis, & permisistis populum meum errare inter spinas & tribulos? Propterea hæc dicit dominus, Ecce ego veniam aduersus pastores, & exquiram oues meas, & repellam eos vt non pascant oues meas, & non erunt eis amplius oues meæ in deuorationem, & exquiram eas sicut pastor gregem suum in die qua fuerit caligo & nebula: sic exquiram oues meas: & exquiram eas in omni loco, quocunque dispersi sunt: & quod perierat, requiram: & quod errauerat, reuocabo: & quod claudicauerat, curabo: & quod infirmum est, custodiam: & pascam*
Lucæ 15. *oues meas cum iudicio.* Quis ista loquitur? vtique ille qui relictis nonagintano-
Psal.118. uem ouibus, quæsiuit illam quæ de suo errauerat grege, sicut Dauid dicit, *Erraui velut ouis quæ periit.* quam inuentam Christus redit humero suo portans peccatricem delicatam, qui gaudens & exultans, vocatis amicis & domesticis, ait, *Congratulamini mihi, quoniam inuenta est ouis mea, quæ perierat. Dico,* inquit, *vobis, quia tale gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et subiungens ait, *Aut quæ mulier habens denarios decem, & cum perdiderit ex denariis vnum, nonne accendit lucernam, & tota die domum suam emundat, quærens donec inueniat? & cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens, Congratulamini mihi, quoniam inueni denarium quem perdideram. Dico vobis, quia gaudium erit in conspectu angelorum Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Econtrario autem non agentes facinorum suorum pœnitentiam, quæ eos maneãt, ex ipsius domini
Lucæ 13. responso cognoscant. legimus enim in euangelio, quod *Quidam venerunt de Galilæis ad dominum, annunciantes ei de eis quorum sanguinẽ miscuit Pilatus cum sacrificiis ipsorum: quibus respondit dominus, dicens, Putatis quia illi Galilæi super ceteros Galilæos peccatores fuerant, quia passi sunt talia? non. dico enim vobis, nisi pœnitentiã egeritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloa, putatis quia debitores fuerunt morti super omnes homines qui habitabant in Hierusalem? non. dico vobis,* inquit, *quia nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Excitemus itaque nos quantum possumus fratres dilectissimi, & abrupto inertiæ & securitatis somno, ad obseruanda domini præcepta vigilemus. quæ-
Lucæ 11. ramus tota mente quod perdidimus, vt inuenire possimus. quia *Quærenti,* ait scriptura, *dabitur, & pulsanti aperietur.* Mundemus domum nostram munditia spiritali, vt secreta quæque abdita pectoris nostri, vero euangelij lumine radiata, dicãt, *Tibi soli deliqui, & nequissimum in conspectu tuo feci.* Quia mors peccatorum mala, & apud inferos pœnitentia nulla: habentes in contemplatione maxime diem iudicij & retributionis, & quod ab omnibus nobis credendum & firmitor est tenendum, quia acceptio personarum non est apud deum,
Deut. 11. cum præceperit in Deuteronomio, non accipiendam personam in iudicio, *Non accipies,* ait, *personam, nec secundum minimum, nec secundum maximum iudicabis.*

bis. His similia & per Ezechielem dixit, *Omnes*, inquit, *animæ meæ sunt, sicut anima patris & anima filij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ezech 18. Hic erit igitur à nobis venerandus, hic tenendus, hic per plenam & dignam nostram confessionem propitiandus, qui habet potestatē animam & corpus mittendi in gehennam ignis sicut scriptū est, *Ecce venit cum multis milibus nunciorum suorum facere iudicium de omnibus, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem de omnibus verbis impiis, quæ de Deo locuti sunt peccatores.* Apoc. 1. His similia & Daniel, *Vidi*, inquit, *thronum positum, & vetustus dierum sedebat super eum: & vestitus eius erat tanquam nix, & capilli capitis eius tanquam lana alba: thronus illius, flamma ignis: rotæ illius, ignis ardens. Flumen ignis prodibat ante eum. milia milium seruiebant ei, & milia milium adsistebant ei: ad iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7. Iohannes autem manifestius & de die iudicij & consummatione seculi declarat, dicens, *Et cum aperuisset*, inquit, *sigillum sextum, ecce terræ motus factus est magnus, & factus est sol niger, vt saccus cilicinus, & luna tota sanguinea facta est, & stellæ ceciderunt in terram, quo modo ficus à vento magno agitata, mittit grossos suos: & cælum recessit vt liber cum inuoluitur, & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt: & reges terræ, & maximi quique, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber, absconderunt se in speluncis & in cauernis montium, dicentes montibus & petris, Cadite super nos à conspectu patris sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies interitionis, & quis poterit stare?* Apoc. 6. Item in eadem Apocalypsi hoc quoque Iohannes dicit sibi reuelatum, *Vidi*, inquit, *thronum magnum & cādidum sedentem super eum, à cuius facie fugit cælum & terra, & locus eorum inuentus non est: & vidi mortuos, magnos & pusillos stantes ante conspectum throni domini: & libri aperti sunt, & alius similiter apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt singuli secundum ea quæ scripta erant in libro secundum opera ipsorum.* Apocal. 20. Sed & Apostolus bonum consulens sic hortatur nos dicens, *Nemo vos decipiat inanibus verbis. propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ, nolite esse participes eorum.* Ephes. 5. Demus igitur totis viribus fidei nostræ Deo laudem, demus plenam confessionem, quando quidem super pœnitentia nostra gaudeant virtutes cælorum, gaudeant angeli omnes, gaudeat & Christus, qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena & clementi moderatione cessare à facinore hortatur, dicens, *Conuertite vos & redite ab impietatibus vestris, & non erunt vobis iniquitates vestræ ad pœnam. Proiicite à vobis omnes impietates vestras, quas feciſtis aduersum me, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et vt quid vos morti traditis domus Israel? Non enim desidero mortem peccatoris. Ego sum, ego sum qui deleo facinora tua, & non memorabor: tu autem in mente habe, & iudicemur. Dic tu facinora tua prius, vt iustificeris.* Ezech. 18. Esa. 43. Dum patet fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis satisfactionibus deprecemur: humiliemus nos, vt exaltari possimus: acquiescamus diuinæ exhortationi, qua euadere liceat diem domini, & iram: dicit enim sic, *Respice fili nationes hominum & scito. quis sperauit in domino, & confusus est? permansit in mandatis illius, & derelictus est? aut inuocauit eum, & despexit illum? quoniam pius & misericors dominus, & remittens in tempore tribulationis peccata omnibus inquirentibus se in veritate.* Ait ergo, *Dic tu facinora tua prius, vt iustificeris.* Præmanu sit nobis oratio illa exomologeseos plena.

ARGVM. Ad martyres & confessores in metallo constitutos epistola, in qua virtutum eorum laudem miris præconiis adtollens, quæcunque patiantur, mystice ad futuram gloriam interpretatur.

CYPRIANVS, NEMESIANO, FELICI, LVcio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Iaderi, & Datiuo coëpiscopis, item compresbyteris, & diaconibus, & ceteris fratribus in metallo constitutis, martyribus Dei patris omnipotentis, & Iesu Christi domini nostri & Dei conseruatoris nostri, æternam salutem. XCVIIII.

GLORIA quidem vestra poscebat beatissimi ac dilectissimi fratres, vt ad conspectum atq; ad complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum prefiniti loci termini coërcerent. Sed quo modo possum, repræsento me vobis, & ad vos etiam si corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris lætus exulto, participem me computans vobis, & si non passione corporis, consortio charitatis. An ego possim tacere & vocem meam silentio premere, cum de charissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos diuina dignatio honorauit, vt ex vobis pars iam martyrij sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de domino receptura, pars adhuc in carcerũ claustris, siue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta, ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cælestibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis fortissimi ac beatissimi fratres, pro merito religionis ac fidei vestræ accidisse nõ miror, vt vos sic dominus ad gloriarum sublime fastigium, clarificationis suæ honore prouexerit, qui semper in ecclesia eius custoditæ fidei tenore viguistis, conseruantes firmiter dominica mandata. In simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiã nunc in confessione vocis & passione corporis, fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis, duces vos exhibendo virtutibus, vt dum grex pastores suos sequitur, & quod fieri à prepositis cernit, imitatur, paribus obsequiorum meritis à domino coronetur. Quod autem fustibus cæsi prius grauiter & adflicti per huiusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neque enim ad fustes Christianum corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus est ad coronam. Quid vero mirum, si vasa aurea & argentea in metallum, id est auri & argenti domicilium dati estis, nisi quod nunc metallorum natura conuersa est, locáque quæ aurum & argentum dare ante consueuerant, accipere cœperunt? imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt, quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamẽta sunt ista, non vincula, nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes

feliciter

feliciter vincti, qui non à fabro, sed à diuino resoluuntur. ô pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur. ô pedes in seculo ad prę-sens ligati, vt sint semper apud dominum liberi. ô pedes compedibus & trauersariis interim cunctabūdi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri. Quantum vult hic vel inuida crudelitas vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat, cito à terris & pœnis istis ad cęlorum regna venietis. Non fouetur in metallis lecto & culcitris corpus, sed refrigerio & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera, sed pœna non est cum Christo iacere. Squalent sine balneis membra vestra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus: at *non in pane solo ⁊iuit homo, sed in sermone Dei.* Vestis algentibus deest: sed qui Christum induit, & vestitus abundanter & cultus est. Semitonsi capitis capillus horresc it, sed cum sit caput viri Christus, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis & tetra gētilibus quasi splēdore pensabitur. Secularis hęc & breuis pœna, quàm clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum secundum beati apostoli vocem trāsformabit dominus corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori claritatis suæ. Sed nec in illo fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut fidei iactura sentiri, quod illinc nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia diuina. Celebratis immo atque offertis sacrificium Deo, precio sum pariter & glorio sum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cæleſtium profuturum, cum scriptura diuina loquatur & dicat, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum deus non deſpicit.* Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes, sicut Apostolus adhortatur & dicit, *Oro ergo ⁊os fratres per miſericordiam dei, ⁊t conſtituatis corpora ⁊eſtra hoſtiam ⁊iuam, ſanctam, deo placentem, ne configuremini ſeculo huic, ſed transformemini in renouatione ſenſus, ad probandum quæ ſit ⁊oluntas dei bona & placens, & perfecta.* Hoc est enim quod præcipue Deo placeat, hoc est in quo maioribus meritis ad promerendā voluntatem Dei opera nostra proueniāt, hoc est quod solum domino de beneficiis eius grandibus & salutaribus fidei ac deuotionis nostræ obsequia retribuant, prædicante in psalmis & contestante spiritu sancto, *Quid retribuam*, inquit, *domino de omnibus quæ mihi retribuit? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius.* Quis non libenter & prompte calicem salutaris accipiat? quis non adpetat gaudibundus, & lætus in quo aliquid & ipse domino suo retribuat? quis non precio sam in conspectu Dei fortiter & constanter mortem excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis & pietatis paternæ, remunerans in nobis quicquid ipse præstitit, & honorās quod ipse perfecit? Ipsius enim esse quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam subacto aduersario peruenimus, declarat & docet dominus in euangelio suo, dicens, *Cum autem ⁊os tradiderint, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim ⁊obis in illa hora quid loquamini. Non enim ⁊os eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ⁊eſtri qui loquitur in ⁊obis.* Et iterum, *Ponite in cordibus ⁊eſtris non præmeditari excuſare. Ego enim dabo ⁊obis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij ⁊eſtri.* In quo quidem & credentium magna fiducia est, & culpa grauissima perfidorum, non credere ei qui se opem suam daturum confitentibus pollicetur, nec rursus eundem timere qui æternam pœnam negātibus comminatur. Quæ vos omnia fortissimi ac fideliſsimi milites Christi insinuastis fratribus nostris, com-

Deut. 8. Lucæ 8.

Psal. 50.

Rom. 12.

Psal. 115.

Matth. 18.

Lucæ 21.

plentes factis quod verbis ante docuistis, futuri maximi in regno cælorum,
Matth. 5. pollicente domino & dicente, *Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.* Denique exemplum vestrum secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscū pariter, & pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, & à præpositis suis nec carcere, nec metallis separata. Cuius numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quásque ad cælestem coronā gloria geminata prouexit. In pueris quoque virtus maior ætate, annos suos confessionis laude transcendit, vt martyrij vestri beatum gregē & sexus & ætas omnis ornaret. Quis nunc vobis dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquenque vestrum stare ad promissum Dei præmium, de iudicij die esse securum? ambulare in metallo, captiuo quidem corpore, sed corde regnante? scire Christum secum esse præsentem, gaudentem tolerantia seruorum suorum per vestigia & vias suas ad regna æterna gradentium? Expectatis quotidie læti profectionis vestræ salutarem diem, & iamiamque de seculo recessuri ad martyrum munera & domicilia diuina properatis, post has mundi tenebras visuri candidissimam lucem, & accepturi maiorē passionibus omnibus & conflictationibus
Rom. 8. claritatem, Apostolo contestante & dicente, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam claritatem quæ reuelabitur in nobis.* Planè quia nunc vobis in precibus efficacior sermo est, & ad impetrandum quod in pressuris petitur, facilior oratio est: petite impensius, & rogate vt confessionem omnium nostrum dignatio diuina consummet, vt de istis tenebris & laqueis mundi nos quoque vobiscum integros & glorioſos Deus liberet, vt qui hic charitatis & pacis vinculo copulati, contra hæreticorum iniurias & pressuras gentilium simul stetimus, pariter in regnis cælestibus gaudeamus. Opto vos fratres beatissimi ac dilectissimi in domino bene valere, & nostri semper & vbique meminisse. Valete.

ARGVMENT. Epistola Calidonii, Herculanei & Victoris, quam de abstento Felicissimo & aliis de extorribus, rescripserunt.

CALIDONIVS CVM HERCVLANEO ET VICTORE COLLEGIS, ITEM ROGATIANO cum Numidico presbyteris, salutem. c.

ABSTINVIMVS à communicatione Felicissimum & Augendum, item Repostum de extorribus, & Irenen Rutilorum, & Paulam sarcinatricem: quod ex annotatione mea scire debuistis. item abstinuimus Sophronium, & ipsum de extorribus Soliassum Budinarium.

ARGVMENT. Ad episcopos Numidas de redemptione fratrum ex captiuitate barbarorum.

CYPRIANVS, IANVARIO, MAXIMO, PROCVLO, VICTORI, MODIANO, NEMESIANO, NAMPVLO, ET HONORATO, FRATRIBVS, SALVTEM. CI.

CVM

CVM Maximo animi noſtri gemitu, & non ſine lachrimis legimus literas veſtras fratres chariſsimi, quas ad nos pro dilectionis veſtræ ſollicitudine, de fratrum noſtrorum & ſororum captiuitate feciſtis. Quis enim non doleat in eiuſmodi caſibus? aut quis non dolorem fratris ſui, ſuum proprium computet? cum loquatur apoſtolus Paulus & dicat, *Si patitur vnum membrum, compatiũtur & cetera membra: ſi lætatur membrum vnum, conlætantur & cetera membra.* & alio loco, *Quis infirmatur*, inquit, *& non ego infirmor?* Quare nũc & nobis captiuitas fratrũ, noſtra captitas computanda eſt: & periclitantium dolor pro noſtro dolore numerandus eſt: cum ſit ſcilicet adunationis noſtræ corpus vnum: & non tantum dilectio, ſed & religio inſtigare nos debeat, & cõfortare ad fratrũ membra redimenda. Nam cum denuo apoſtolus Paulus dicat, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* etiam ſi charitas nos minus adigeret ad opem fratribus ferendam: conſiderandum tamen hoc in loco fuit, Dei templa eſſe quæ capta ſunt: nec pati nos longa ceſſatione, & neglecto dolore debere, vt diu Dei templa captiua ſint, ſed quibus poſſumus viribus elaborare, & velociter gerere, vt Chriſtum iudicem, & dominum, & Deum noſtrũ promereamur obſequiis noſtris. Nam cum dicat Paulus apoſtolus, *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* in captiuis fratribus noſtris contemplandus eſt Chriſtus, & redimendus de periculo captiuitatis: qui nos redemit de periculo mortis: vt qui nos de diaboli faucibus exuit, nunc ipſe qui manet & habitat in nobis, de barbarorum manibus exuatur: & redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit, & ſanguine: qui idcirco hæc fieri interim patitur, vt fides noſtra tentetur, an faciat vnuſquiſque pro altero, quod pro ſe fieri vellet, ſi apud barbaros teneretur ipſe captiuus. Quis enim non humanitatis memor, & mutuæ dilectionis admonitus, ſi pater eſt, illic eſſe nunc filios ſuos cõputet? ſi maritus eſt, vxorẽ ſuam illic captiuam teneri cũ dolore ac pariter pudore vinculi maritalis exiſtimet? quantus vero cõmunis omnibus nobis mœror eſt, & cruciatus de periculo virginũ, quę illic tenentur: pro quibus non tantum libertatis, ſed & pudoris iactura plangenda eſt? nec tam vincula barbarorum, quam lenonum, & lupanarium ſtupra deflenda ſunt: ne membra Chriſto dicata, & in æternum continentiæ honore pudica virtute deuota, inſultantium libidine & contagione fœdentur? Quæ omnia iſtic ſecundum literas veſtras fraternitas noſtra cogitans, & dolenter examinans, prõpte omnes & libenter ac largiter ſubſidia nummaria fratribus contulerunt: ſemper quidem ſecundum fidei ſuæ firmitatem ad opus Dei proni: nũc tamen magis ad opera ſalutaria contemplatione tanti doloris accenſi. Nam cũ dominus in Euangelio ſuo dicat, *Infirmus fui, & viſitaſtis me*: quanto nunc quoq; cum maiore operis noſtri mercede dicturus eſt, Captiuus fui, & redemiſtis me? Et cum denuò dicat, *In carcere fui, & veniſtis ad me*: quanto plus eſt cum cœperit dicere, In carcere captiuitatis fui, & clauſus, & vinctus apud barbaros iacui: & de carcere illo ſeruitutis liberaſtis me, cum iudicij dies venerit præmium de domino recepturi? Denique maximas vobis gratias agimus, quod nos veſtræ ſollicitudinis, & tã bonæ ac neceſſarię operationis participes eſſe voluiſtis: vt offerretis nobis agros vberes, in quibus ſpei noſtræ ſemina mitteremus, expectaturi meſſem de ampliſsimis fructibus, qui de hac cæleſti, & ſalutari operatione proueniunt. Miſimus autem ſeſtertia centum milia nummũm, quæ iſtic in eccleſia, cui de domini indulgentia præſumus, cleri & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt: quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis. Et optamus quidem nihil tale de cetero fieri, & fratres noſtros domini maieſtate protectos ab eiuſmodi periculis

2.Cor.12. 2.Cor.11. 1.Cor.6. Gala.3.

incolumes reseruari. si tamen ad explorandam nostri animi charitatem, & examinandam nostri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis literis vestris: pro certo habentes, ecclesiam nostrã & fraternitatem istic vniuersam ne hæc vltra fiant precibus orare: si facta fuerint, libenter & largiter subsidia præstare. Vt autẽ fratres nostros ac sorores qui adhuc opus tam necessarium prõpte ac libenter operati sunt, vt semper operentur, in mentem habeatis in orationibus vestris, & eis vicem boni operis in sacrificiis & precibus repræsentetis, subdidi nomina singulorũ: sed & collegarum quoque & consacerdotum nostrorum, qui & ipsi cum præsentes essent, & suo & plebis suæ nomine, quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi: & præter quantitatem propriam nostram, eorum quoque summulas significaui, & misi. quorum omnium secundum quod fides & charitas exigunt, in orationibus & precibus vestris meminisse debetis. Optamus vos fratres charissimi semper bene valere.

ARGVMEN. Ad clerum de suo secessu.

CYPRIANVS, PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET PLEBI VNIVERSAE, SALVTEM. CII.

CVM perlatum ad nos fuisset fratres charissimi, frumentarios esse missos, qui me Vticam perducerent, & consilio charissimorũ persuasum esset, vt de hortis nostris interim secederemus, iusta interueniente causa consensi: eo quod congruat episcopũ in ea ciuitate, in qua ecclesiæ dominicæ præest, illic dominum confiteri, & plebem vniuersam præpositi præsentis confessione clarificari. Quodcunque enim sub illo confessionis momento confessor episcopus loquitur, aspirante Deo ore omnium loquitur: ceterum mutilabitur honor ecclesiæ nostræ tam glorioſę, si ego episcopus alterius ecclesię præpositus, accepta apud Vticam super confessione sententia, exinde martyr ad dominum proficiscar, quandoquidem ego & pro me, & pro vobis apud vos confiteri, & ibi pati, & exinde ad dominum proficisci, orationibus cõtinuis deprecer, & vobis omnibus exoptem, & debeam. Expectamus ergo hic in secessu addito constituti aduentum proconsulis, ad Carthaginem redeuntis: audituri ab eo, quod imperatores super Christianorũ laicorũ, & episcoporũ nomine mandauerint: & dicturi quod ad horam dominus dici voluerit. Vos autẽ fratres charissimi, pro disciplina, quam de mãdatis dominicis à me semper accepistis, & secundum quod me tractante sæpissime didicistis, quietem & tranquillitatem tenete: nec quisquam vestrũ aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltro se gentilibus offerat: adprehẽsus enim, & traditus loqui debet: siquidem in nobis dominus positus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit quam profiteri. Quid autem de cetero nos obseruare conueniat, antequam in me super confessione nominis Dei procõsule sententiam ferat, instruente domino in commune disponemus. Incolumes vos fratres charissimi dominus noster in ecclesia sua permanere faciat, & conseruare dignetur.

ARGVM. De vitandis homini Christiano spectaculis publicis aduersus quosdam, qui ea auctoritate sacræ scripturæ pessimè comprobabant.

CYPRIANVS, PLEBI IN EVANGELIO STANTI, SALVTEM. CIII.

VT ME

VT me satis contristat,& animum meum grauiter adfligit,cũ nulla mihi scribendi ad vos porrigitur occasio(detrimentũ est enim meum, vobiscũ non colloqui)ita nihil mihi tãtam lætitiam,hilaritatemq; restituit,quam cum adest rursus occasio. vobiscum me esse arbitror, cum vobis per literas loquor. quanquam igitur ita se hæc habere quæ dico, certos vos esse sciam, nec quicquam de verborum meorum veritate dubitare: tamen etiam argumentum sinceritatem rei asserit. nam cum nulla prorsus præteritur occasio,probatur affectio. Quanuis ergo certus sim vos non minus esse in vitæ actu graues, quàm in sacramento fideles, tamen, quoniam non desunt vitiorum adsertores blãdi, & indulgentes patroni, qui præstant vitiis auctoritatem,& quod est deterius,censuram scripturarum cęlestium in aduocationẽ criminum conuertunt, quasi sicut innocẽs,spectaculorum ad remissionem animi adpetatur voluptas:nam & eousque eneruatus est ecclesiasticæ disciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorũ præcipitatur in peius,vt iam non vitiis excusatio,sed auctoritas detur: placuit paucis vos non nũc instruere,sed instructos admonere,ne quia male sunt vincta vulnera,sanitatis obductæ perrũpant cicatricem. Nullum enim malum difficilius extinguitur,quam quod faciles reditus habet, dum & multitudinis consensũ adsciscitur, & excusatione blãditur. Non pudet,nõ pudet inquam, fideles homines,& Christiani sibi nominis auctoritatem vindicãtes, superstitiones vanas gentilium cum spectaculis mixtas de scripturis cælestibus vindicare, & auctoritatem idololatriæ conferre?nam quando id quod in honore alicuius idoli ab ethnicis agitur,à fidelibus Christianis spectaculo frequẽtatur,& idolatria gẽtilis adsciscitur, & in contumeliam Dei religio vera & diuina calcatur. Pudor me tenet præscriptiones eorũ in hac causa & patrocinia referre. Vbi, inquiunt, scripta sunt ista? vbi prohibita? Alioqui & auriga est Israel Helias,& ante arcã Dauid ipse saltauit. nabla,æra,tympana,tibias, citharas, choros legimus. apostolus quoque dimicans,cestus,& conluctationis nostræ aduersus spiritalia nequitiæ,proponit certamen,rursus de stadiis sumit exẽpla,coronæ quoq; conlocat prẹmia,Cur ergo homini Christiano fideli non liceat spectare,quod licuit diuinis literis scribere? Hoc in loco dixerim lõge melius fuisse istis nullas literas nosse, quam sic literas legere. Verba enim & exempla,quæ ad exhortationem euãgelicæ virtutis posita sunt,ad vitiorum patrocinia trãsferuntur: quoniã non vt spectarentur ista scripta sunt, sed vt animis nostris instantia maior excitaretur in rebus profuturis, dum tanta est apud Ethnicos in rebus nõ profuturis. Argumentũ est ergo excitandæ virtutis,non permissio siue libertas spectandi gentilis erroris,vt per hanc animus plus accẽdatur ad euangelicã virtutem propter diuina præmia,cum per omnium laborũ & dolorum calamitatẽ cõcedatur peruenire ad terrena cõpendia. Nam quod Helias auriga est Israelis,nõ patrocinatur spectandis Circensibus. in nullo enim is circo cucurrit. Et quod Dauid in cõspectu Dei choros egit,nihil adiuuat in theatro sedẽtes Christianos fideles. Nulla enim obscœnis motibus mẽbra distorquens,desaltauit Grecæ libidinis fabulam. Nabla, æra,tibiæ,& citharæ Deũ cecinerunt,nõ idolum. Non igitur prẹscribetur,vt spectẽtur inlicita:diabolo artifice ex sanctis in inlicita mutata sunt. Præscribat igitur istis pudor,etiã si nõ possunt sanctæ literæ. Quædã enim scriptura magis prouidet in præcipiendo:verecundiã passa plus interdixit,quia tacuit: veritas si ad hæc vsq; descẽderet, pessime de fidelibus suis sensisset. nã & plerunq; in præceptis quædã vtilius tacentur:admonent sæpe dũ intercidũtur: ita etiã tacẽtur,dũ in literis scripta sunt,& præceptorũ loco seueritas loquitur,& ratio loquitur,quæ scriptura cõticuit. secũ tãtũ vnusquisq; deliberet,

4.Reg.2. 2.Reg.6. Paralip.15. Ephes.6. 1.Cor.9.

& cum persona professionis suæ loquatur, nihil vnquã indecorũ geret: plus enim põderis habebit sentẽtia, quæ nulli se alteri debebit nisi sibi. Quid scriptura interdixit? Prohibuit enim spectari, quod prohibet geri. Omnia inquã ista spectaculorũ genera dãnauit, quãdo idololatriã sustulit, ludorũ omnium matrẽ, vnde hæc vanitatis & leuitatis mõstra venerũt. quod enim spectaculum sine idolo? quis ludus sine sacrificio? quod certamen nõ consecratũ mortuo? Quid inter hæc Christianus fidelis facit, si idololatriã fugit? quid loquitur qui iam sanctus sit? de rebus criminosis voluptatẽ capit. Quid cõtra Deũ superstitiones probat, quas amat dum spectat? Ceterũ sciat hæc omna inuenta dæmoniorũ esse, non Dei. Impudẽter in ecclesia dæmonia exorcizat, quorum voluptates in spectaculis laudat: & cũ semel illi renuncians, recisa sit res omnis in baptismate, dum post Christũ ad diabolũ spectaculũ vadit. Christo tanquã diabolo renũciat. Idololatria, vt iam dixi, ludorũ omnium mater est, quæ vt ad se Christiani fideles veniant, blãditur illis per oculorũ, & aurium voluptatem. Romulus Conso quasi consilij Deo, ob rapiendas Sabinas Circenses primus consecrauit: ceterũ reliqui dum vrbẽ fames occupasset, ad aduocationẽ populi adquisiti sunt ludi scenici, & Cereri & Libero dicati postmodũ, reliquisque idolis & mortuis. Græca illa certamina, vel in cantib⁹, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus, pręsides suos habẽt varia dæmonia: & quicquid est aliud, quod spectantium aut oculos mouet, aut delinit aures, si cum origine sua & institutione quæratur, causam præfert aut idolum, aut dæmonium, aut mortuum. Ita diabolus artifex quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatẽ posset amari. Plura prosequi quid est necesse? vel sacrificiorum in ludis genera monstrosa describere? inter quæ nonnunquam & homo fit hostia, latrocinio sacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus exceptus patera, dum adhuc feruet, & quasi sitienti idolo in faciẽ iactatus crudeliter propinatur, & inter voluptates spectantium quorundã mors erogatur, vt per cruentũ spectaculũ sæuire discatur: quasi parum sit homini priuata sua rabies, nisi illam & publice discat. Ad pœnam hominis fera rabida nutritur in deliciis, vt sub spectantiũ oculis crudelius insaniat: eruditur artifex bellua, quæ clemẽtior fortasse fuisset, si non illam magister crudelius sæuire docuisset. Ergo vt taceã quicquid latius idololatria probat, quam vana sunt ipsa certamina, lites in coloribus, cõtentiones in curribus, gaudere quod equus velocior fuerit, mœrere quod pigrior, annos pecoris cõputare, consules nosse, ætates dicere, prosapiam designare, auos ipsos, atauos cõmemorare: quã hoc totũ ocioſum negociũ? immo quã turpiter non ocioſum? hunc, inquã, memoriter totã equi generis sobolẽ cõputantẽ, & sine offensa hũc locũ magna velocitate referẽtẽ? Partes Christi si perroges, nescit, aut infelicior, si scit: quẽ si sursum perrogẽ, quo ad illud spectaculi itinere peruenerit, cõfitebitur per lupanariũ, per prostitutarum nuda corpora, per publicã libidinem, per dedecus publicũ, per vulgarẽ lasciuiam, per communẽ omniũ contumeliã. cui vt nõ obiiciã quod fortasse cõmisit, vidit tamen quod cõmittendũ non fuit, & oculos ad idololatriæ spectaculum per libidinẽ duxit, ausus secum Spiritũ sanctũ in lupanariũ ducere si potuisset, qui festinãs ad spectaculum, dimissus, & adhuc gerens secum, vt adsolet, Eucharistiã, inter corpora obscœna meretricũ tulit, plus dãnationis meritus de spectaculi voluptate. Sed vt ad scenæ iam sales inuerecundos transitum faciam, pudet referre, quæ dicuntur, pudet etiã accusare quæ fiunt: agentium strophas, adulterorũ fallacias, mulierũ impudicitias, scurriles iocos, parasitos sordidos, ipsos quoq; patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscœnos, in omnib⁹ stolidos, certis nominib⁹ inuerecũdos. Et cũ nulli hominũ aut generi, aut professioni, ab improbis isto sermone parcatur, ab omnibus tamen ad

men ad ſpectaculũ conuenitur. commune dedecus delectat, videlicet, vel recognoſcere ocia, vel diſcere: concurritur in illud pudoris publici lupanariũ, ad obſcenitatis magiſteriũ, ne quid ſecreto minus agatur, quã quod in publico diſcitur, & inter ipſas leges docetur quicquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit? cui vitia nõ licet nec cogitare? quid oblectatur ſimulachris libidinis, vt in ipſis depoſita verecundia, audacior fiat ad crimina? Diſcit facere dum cõſueſcit videre. Illas tamen, quas infelicitas ſua in ſeruitutem proſtituit, libidinis publicæ occultat locus, & dedecus ſuum delatebris conſolantur. erubeſcunt videri etiam quæ pudorẽ vendiderunt. At iſtud publicũ monſtrũ omnibus videntibus geritur, & proſtitutarũ tranſitur obſcœnitas: quæſitum eſt quo modo adulteriũ ex oculis admitteretur. Huic dedecori condignum dedecus ſuperducitur: homo fractus omnibus mẽbris, & vir vltra muliebrẽ mollitiẽ diſſolutus, cui ars ſit verba manibus expedire, & propter vnũ neſcio quẽ, nec virũ, nec fœminã, cõmouetur ciuitas tota, vt deſaltentur fabuloſæ antiquitatum libidines. Ita amatur quicquid nõ licet, vt quæ etiam ętas abſconderat, ſub oculorũ memoriã reducantur. non eſt libidini ſatis, malis ſuis vti præſentibus, niſi ſuum de ſpectaculo faciat, in quo etiam ſuperior ætas erraverat. Non licet inquã adeſſe Chriſtianis fidelibus, non licet omnino: nec illos quos ad delinimenta auriũ ad omnes vbiq; Gręcia inſtructos ſuis vanis artibus mittit, clãgores tuba bellicos, alter imitatur raucos: alter lugubres ſonos ſpiritu tibiam inflante moderatur: alter cũ choris, & cum hominis canora voce, contendens ſpiritu ſuo, quẽ de viſceribus ſuis ſuperioribus nitens hauſerat, tibiarũ foramina modulans, nũc effuſo, & nunc intus recluſo, ac repreſſo, nunc certis foraminibus emiſſo, atq; in aërẽ profuſo, item in articulos ſonũ frangens, loqui digitis elaborat, ingratus artifici qui linguã dedit. Quid loquar comicas inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis inſanias? quid neruos cum clamore miſſos? Hæc etiam ſi non eſſent ſimulachris dicata, obeũda tamen ſpectacula non eſſent Chriſtianis fidelibus, quoniam & ſi non haberent crimen, habebant in ſe & maximã & parum congruentẽ fidelibus vanitatẽ: nã illa altera demẽtia eſt manifeſta, ociosis hominibus negociatio ſua, vt vapulet: & prima victoria eſt vltra modũ humani ventris eſurire potuiſſe ſuper titulo coronæ edacis flagitioſę nundinæ: ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter ſaginetur. Quam fœda præterea iſta luctamina? vir infra virum iacens, & amplexus inhoneſtis nexibus implicatur. In tali certamine ſtare, videris quis vincat, pudor victus eſt. Ecce tibi alter nudus ſalit, alter orbem æneũ contentis in aërẽ viribus iactat, hæc gloria eſt dementię: deniq; remoue ſpectatorẽ, reddideris vanitatem. Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, vt iam frequẽter diximus, tã vana, tam pernicioſa, tam ſacrilega ſpectacula: & oculi noſtri ſunt, & aures cuſtodiẽdę. cito in hoc adſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Nam cum mens hominis ad vitia ipſa ducitur, ſibi quid faciet, ſi habuerit exempla naturę corporis lubricæ? quæ ſponte corruit, quid faciet, ſi fuerit impulſa? Auocandus eſt animus ab iſtis. habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit: habet veras & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit. & vt omittã illa quæ nondum cõtemplari poteſt, habet iſtam mũdi pulchritudinẽ quam videat atq; miretur: ſolis ortũ aſpiciat, rurſus occaſum mutuis vicibus dies nocteſq; reuocantem, globum lunæ temporũ curſus incrementis ſuis decremẽtiſq; ſignãtem, aſtrorũ micantiũ choros, & à ſummo de ſumma mobilitate fulgentes: anni totius per vices membra diuiſa, & dies ipſos cũ noctibus per horarum ſpacia digeſtos, & terræ molem libratã cum montibus, & proflua flumina cũ ſuis fontibus, extenſa maria cũ ſuis fluctibus atq; litoribus: interim conſtantẽ pariter ſumma conſpici ratione, nexibuſq; cõcordiæ, extenſum aërẽ mediũ, tenuitate ſua cũcta

vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundẽtem, nunc ſerenitatẽ refecta raritate reuocantẽ, & in omnibus iſtis incolas proprios, in aëre auem, in aquis piſcem, in terra hominem. Hæc, inquam, & alia opera diuina, ſint Chriſtianis fidelibus ſpectacula. Quod theatrũ humanis manibus extructum iſtis operibus poterit comparari? magnis licet lapidum molibus extruatur, cruſta ſunt montium: & auro licet tecta lacunaria reluceant, aſtrorum fulgore vincentur. nunquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei. Deiicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt. Scripturis inquam ſacris incũbat Chriſtianus fidelis: ibi inueniet condigna fidei ſpectacula. Videbit inſtituentem Deum mundum ſuum, & cum ceteris animalibus hominem, illam admirabilẽ fabricam melioremq; facientem: ſpectabit mundum in delictis ſuis: iuſta naufragia, piorum prẽmia, impiorumq; ſupplicia: maria populo ſiccata, & de petra rurſus populo maria porrecta: ſpectabit de cælo deſcendentes meſſes, non ex areis: inſpiciet flumina tranſitus ſiccos refrenatis aquarum agminibus exhibentia: videbit in quibuſdam fidem cum igne luctantem, religione ſuperatas feras, & in manſuetudinem conuerſas: intuebitur & animas ab ipſa morte reuocatas: conſiderabit etiam de ſepulchris admirabiles ipſorum conſummatorum iam vitas corporum redactas: & in his tamen maius videbit ſpectaculum, diabolum illum qui totum detriumphauerat mundum, ſub pedibus Chriſti iacentem. Quam hoc decorum ſpectaculũ fratres? quam iucũdum? quam neceſſarium? intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam? Hoc eſt ſpectaculum, quod videtur etiam luminibus amiſsis: hoc eſt ſpectaculum, quod non exhibet prætor, aut conſul, ſed qui eſt ſolus, & ante omnia, & ſuper omnia, immo ex quo omnia, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, cui laus & honor in ſecula ſeculorum. Amen.

AD FORTVNATVM, DE DVPLICI MARTYRIO. CIIII.

MVLTIFARIAM multiſq; modis ago gratias Fortunate mihi in domino chariſsime, diuinæ benignitati, quod & tuam pietatem excitauit ad extimulandũ officium meum, vt vnico libello commilitonibus noſtris materiam ſubminiſtrarem, vnde ſibi gratia ſpiritus opitulante, munimenta telaque fabricarentur aduerſus perſecutionum incurſus: & mihi quod petebas conanti, non dedignata eſt adeſſe: & quod vtriuſque noſtrum operam non paſſa eſt eſſe ſterilem, hoc eſt quod mei Fortunati pium deſideriũ bene fortunauit, & miniſtri ſui officium voluit eſſe gregis ſui beneficium. Scribis enim ex eo libro multum roboris & alacritatis acceſsiſſe ſtrenuis, timidioribus autem & infirmis tantum animorum eſſe additum, vt ex his quoque per Dei gratiam certã victoriam nobis promittere debeamus: eoque libentius obtẽperaui poſterioribus tuis literis, quibus orat tua charitas, vt quoniam hoc auſpiciis domini noſtri Ieſu Chriſti bene ſucceſsit, addam volumen alterum de duplici martyrij genere: quorum vnum exhibetur, cum ſæuit tortorum immanitas: alterum occultius quidem eſt, ſed nihilo minus fortem animum poſtulat, multaque diuinitus armatura communitum. Vtinam & hoc munus Chriſti ſpiritus per me fratribus & commilitonibus noſtris largiri dignetur, & quod dederit bene proſperare: quemadmodum enim nihil ſanctum niſi illo ſanctificante, nihil potens niſi illo corroborante: ita nihil felix, nihil auſpicatũ, niſi illo proſperante. Sanè & veſtris precibus & domini bonitate fretus, aggrediar. Martyr, vt iis quoque

iis quoque notum est qui Græcè nesciunt, testem sonat. Quanquam autem post exortam euangelicæ veritatis lucem, ecclesiastica consuetudo cognominis huius honorem proprie tribuere cœpit iis qui in tormentis vsque ad mortem perdurarunt in professione nominis Iesu Christi, & euangelicũ instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos: omnis tamen piorum vita testimonium reddit Deo: non quod ille cuiusquam egeat testimonio, qui ex se fons est æternæ gloriæ, vt nec vllis hominũ honoribus fieri possit honoratior, nec vllis mortalium ignominiis obscurior: sed tamen ita visum est æterno illius diuinoque consilio, vt suam bonitatem, sapientiam ac potentiam apud homines per homines velit illustrari: sicut mundum gubernari voluit per angelos, cum angelorum ministerio non egeat, multaque hominibus per homines largiatur, quæ per se dare poterat, qui quicquid vult nutu potest, & cui voluisse fecisse est. Et quanquam, vt dixi, ad illam ineffabilem maiestatem nulla pertingit ignominia, tamen in scripturis ita loquitur, quasi per nos vel honoretur, vel ignominia adficiatur. Nam in Deuteronomio cum Moyse expostulat, quod apud populum ob laricis penuriam murmurantem in Cades deserti Sin, ad aquas contradictionis non sanctificarit ipsum inter filios Israël, & ob hanc offensam non est illi nec Aaroni datum ingredi terram promissam ac tot annis expectatam, sed tantum è montis vertice procul aspicere licuit. Porrò quod dictum est sanctificare pro glorificare, qui literas Hebræorum callent, adfirmant esse sermonis illius proprietatem, quod ipsum tamen ex aliis scripturarum locis liquere potest, si minus illorum testimonio fidimus, quandoquidem & in oratione dominica, *Sanctificetur nomen tuum*, dictum est, pro glorificetur siue clarificetur nomen tuum. Sic & Corinthios exhortatur, vt glorificent ac baiulent Deum in corpore suo. Sicut enim nomen Dei glorificatur, vita piorum hominum, in quibus ipse per spiritum suum operatur, quicquid faciunt boni: ita è diuerso polluitur & infamatur malefactis eorũ qui se Dei cultores profitentur. Quemadmodum & militis virtus aut serui probitas redundat in gloriam ducis aut heri, ita militis ignauia aut serui nequitia dedecori est duci aut hero, propterea quod horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus in quorum potestate sunt. Qui etiamsi prorsus absunt ab omni culpa, tamen popularis existimatio solet dominorum mores ex seruorũ moribus æstimare. Vnde etiam hic videmus diuinam scripturã frequenter iuxta mortalium adfectus loquentem, velut in Leuitico de eo qui de semine suo dedisset idolo Moloch, dicit, *Quia polluit nomen sanctũ meum*. At quod ab hominibus sanctificatũ est, pollui potest: Dei vero nomen in se semper est glorioſum, apud homines tantum contaminatur, quemadmodũ mendax infamia non polluit virum integrũ. Sic & apud Ezechielem clamat nomen suum fuisse pollutum inter gentes impiis moribus Israëlitarum. Quin & beatissimus Paulus scribens Romanis ex auctoritate prophetæ dicit, appellans Iudæos legem profitentes, sed ea quæ lex vetat facientes, *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes*. Et in oratione dominica, sicut attigi modo, ex auctoritate redemptoris, oramus vt sanctificetur nomẽ Dei patris, hoc est vt inclarescat & inlustretur apud homines, vtique per homines, vel potius in hominibus. Inlustratur autẽ, si spiritus illius regnet in nobis, & si illius volũtati obtẽperetur in terris, quemadmodum in cælis nulla est rebellio. Quoniam autem homines ex sese nihil habent virtutis, quicquid per nos recte geritur, cedit in gloriam Dei, & ideo thesaurum diuinæ potentiæ promit interdũ ex vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Ergo quanquã omnis piorum vita martyrio suo glorificat Deum & Christũ filium eius, nullum tamen est illustrius testimonium apud homines, quàm sanguinis, hoc est vitæ propter Deum

Deut. 1. Numer. 20.

1. Cor. 6.

Leui. 20.

Ezechie. 36.

Rom. 2.

2. Cor. 4.

contemptæ, & mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt & miracula testimonium diuinæ potentiæ, præsertim apud incredulos: nam his proprie data sunt signa, quemadmodum scribit beatus apostolus, sed semper efficacius fuit sanguinis profusi testimonium. Quot morbos insanabiles verbo sanarat dominus? quot cæcos illustrarat? quot mancos, paralyticos ac debiles restituerat? quot exanimes ad vitam reuocarat? Et tamen pauci credebãt in eum,
Lucæ 11. & audiebat, *In Beelzebub eiicit dæmonia.* Ceterum vbi ventum est ad sanguinem, ibi deiectum est Satanæ regnum, ibi subactus est mundus. Commemo-
1. Ioan. 5. rat & & Iohannes euangelista triplex in terra testimonium: Spiritus, aquæ & sanguinis: quod efficacissimum est, postremo recensens loco. Spiritum in columbæ specie descendentem super Iesum videre meruit Iohannes Baptista, an alij viderint incertum. Certe hoc testimonium Iohanni datum est, quo desineret dubitare de domino Iesu, an ille esset qui baptizaret spiritu & igni. Aquæ testimonium vidit Iohannes euangelista, nec satis constat, solus ne viderit, an cum multis. Erat quidem hoc ingens mysterium sacri lauachri, quo delentur peccata, sed vidit aquam simul effluere cum sanguine, qui nisi adfuisset, inefficax erat aqua. Quid enim prodest aboleri peccata, nisi succedat vita iustitiæ, quam confert sanguis? Quanquam hi tres vnum sunt: vnus enim Deus est, qui per spiritum, aquam & sanguinem declarat hominum generi virtutem ac bonitatem suam: aut ideo dicuntur vnum esse, quoniam vndique sibi constat testimonium, nec vlla ex parte dissonat: quemadmodum quos arctissima iungit amicitia, propter summum animorum consensum, vnus animus esse dicuntur. Ac iuxta sensum crassiorem, hæc tria præcipua sunt in homine vitæ argumenta, atq; etiam instrumenta. Quandiu enim pulmonis officio adtrahitur vicissim ac redditur halitus, certũ vitæ indicium est: vnde loquendi consuetudine spirare dicuntur qui viuunt, & expirasse qui vitam finierunt. Quin & anima Latinis flatus dicitur, ad Græcæ vocis imitationem, qui ventum ANEMON vocant. Super hæc, sunt in ipso homine subtilissimi spiritus, à corde vbi fontem habẽt sparsi per vniuersum corpus, sed præcipue per arterias commeantes, licet & aliis partibus omnibus mixti: hi si subito euolent, mortem præsentem adferunt, sin includantur, lenta ægrotatione consumunt hominem. Adest & humor quidam naturalis, quem vt arbitror, medici ΦΛΕΓΜΑ vocant, sparsus & ipse per vniuersum corpus. Huius vsum nunquam sentimus euidentius, quàm in sensu gustus: nisi enim hic admixtus sit inter linguam & palatum, nullum erit palati iudicium. Et tamen hæc sic mixta sunt in homine, vt non sit sanguis absque spiritu & phlegmate, & pariter ad tuendam vitam conferunt omnia. Videmus quoduis animal mori simulatque sanguis effluxerit: & consumpto humore, quem medici radicalem vocant, non aliter moritur homo, quàm extinguitur lucerna cõsumpto oleo. Sed nimium diu moramur in contemplatione naturæ, quod tamen non inutiliter factum opinor à nobis, vt dilucidius fiat charitati vestræ mysterium, in cuius contemplatione ideo versamur lubentius, quia salubrius. Nam iuxta naturæ considerationẽ, tunc ista magnam vim habent, cum in viuo corpore sua munia peragunt, ac iuxta mysticam philosophiam, tunc demum plurimum valent, cũ corpus relinquunt. Nemo miratus est dominum humano more spirantem ac respirantem, sed cum in cruce clamore valido emisisset spiritum, simul intellectũ est illum & verum fuisse hominem, & verum Deum: hominem, quod iuxta naturæ ordinem, vbi vitalem flatum emisisset, desiit viuere: Deum, quod simul cum ingenti clamore mortuus est, declarans se volentem ac spõtaneum deponere vitam, quod humanarum virium nemo nescit nõ esse. Sensit efficax testimoniũ spiritus vicinus
Marci 15. Centurio: sic enim narrat beatus Marcus, *Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat,*

stabat, quia sic expirasset, ait, Vere hic homo filius Dei erat. Quid morte abiectius iuxta carnem? sed nihil morte potentius iuxta spiritum. Erat & illud præter naturæ cursum, quod è latere exanimati corporis, sanguis & aqua profluxit, vt absolueretur triplex testimonium. Totum effudit spiritum, vt nos respiraremus: quicquid erat humoris aquei reliquum, expressit, vt nos abluerem: quicquid resederat in corde sanguinis emisit, vt nos confirmaremur. Atque haud scio an perperam faciam hæc tria inter se conferens, cum sint vnum, non natura, sed in mysterio. Si qua tamen est discretio, sanguis in testimonij ratione potissimum celebratur, quod in hoc scriptura testatur esse vitam animantis, & ob id à cibis submouebatur edicto legis: præterea magis est expositus hominum oculis sanguis, quàm spiritus aut aqua. Vita domini qui summus fuit martyr, quiq; & hodie pugnat & vincit in martyribus, plurimis fuit offendiculo, non iam loquor de Pharisæis & Scribis, ipsis etiam cognatis ac fratribus fuit detestabilis, cum dicerent illum in furorem ver- Marci 3.
sum: sed mors illius non solum piis, sed impiis etiam fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod *Dei virtus in infirmitate perficitur.* Ibi fracta est 2.Cor.12.
Satanæ tyrannis, ibi deuicti sunt inferi, ibi triumphatum est de diabolo, ibi deiectus orcus, cælum apertum. Nimirum hoc erat quod instante mortis tempore deprecabatur dominus, *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clari-* Ioan. 17.
ficet te. Quid homine mortuo contemptius? quis enim vel Cæsarem mortuum metuat? Sed Christi morte quid efficacius? Velum templi scissum est à Matth. 27.
summo vsque ad imum: terra concussa est, saxa discissa sunt, aperta sunt monumenta, reuixerunt sepultorum corpora, sol medio die obtexit faciem suam. Nũquam per omnẽ vitam magis declarauit potentiam suã, mox refractis omnibus mortis repagulis viuum se discipulis exhibuit. Nimirum hoc est efficax illud sacrosancti sanguinis testimonium, qui solus potuit dirimere maceriem, quæ Deum ab hominum genere separabat, solus potuit vnica litura delere totum illud chirographum, quod erat contra nos, & satanæ in nos ius vindicabat. Neque enim sanguis hircorum aut vitulorum potuit abolere peccatum, vmbræ erant illa & typi futurorum. Nec vllus hominis sanguis poterat tollere peccatum mũdi, præter vnici illius agni sanguinem, cui Baptista tribuit testimonium, dicens, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum* Ioan. 1.
mundi. Plus est tollere peccatum, quàm peccata: & peccatum non huius aut illius, sed mundi: corpus enim peccati mundum vniuersum occuparat, hoc per Christum esse sublatum, sanguis ipsius pro nobis effusus, reddit euidens testimonium, melius pro nobis loquens, vt inquit Apostolus, quàm sanguis Hebr. 12.
Abel. Siquidẽ ille clamans de terra loquebatur vindictam: at Christi sanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem. Quin idem sanguis quoniam à nobis bibitur, si modo digne bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica & solatij plena. Et illic triplex est testimonium, licet spiritali quodã modo. Clamat spiritus, qui nobis arrabonis loco datus est, *Abba pa-* Rom. 8.
ter, testificans quod sumus filii Dei: clamat aqua per quam renati sumus, quod condonata sunt nobis omnia peccata: & si quis adhuc dubitat, accedit sanguinis testimoniũ, clamantis, Quid adhuc hæsitas, quid adhuc pauitas tyrannum Satanam? ecce precium quo te redemit Dei filius. Nisi te saluũ voluisset Ioan. 15.
Deus, non tradidisset vnigenitum suum in mortem. *Nemo maiorem charitatem habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis.* Si non est maius eximiæ beneuolẽtiæ testimoniũ, quàm si quis vitam impertiat amico, grauius est dominici sanguinis testimonium, qui pro inimicis effusus est. Effusus pro inimicis, fecit amicos ac filios Dei, atq; vt consideremus hanc fore perpetuã amicitiam, reliquit nobis edendam carnem suam, reliquit bibendum sanguinem, vt per eadem aleremur per quę sumus redẽpti. Sanguinis aspersione confirmatũ est

Hebr.9. vetus testamentum, quemadmodum Hebræis scribens præclare docet beatissimus Paulus : Christi sanguine consignatum & corroboratum est nouum testamentum, hoc est testamentum & pactum gratiæ & remissionis peccatorum, per sanguinem agni immaculati, qui in se recipere dignatus est totius mundi peccatum, quod omnes ex Adam contrahunt qui prodeunt in hanc vitam, & cuius contagio peccant quicunque peccant. Tanta autem est Christi sublimitas, vt fortasse non oporteat quẽquam ceterorum hominum cum illo conferre, nisi ipse nobis tantam fiduciam præbuisset, qui non dedignatus
Ioan. 15. sit discipulos suos vocare amicos, seruulos suos vocare fratres & cohæredes. Quemadmodum igitur ille suo mirabili testimonio clarificauit patrem in hoc mundo, atq; etiam in cælis, ita testimonium illius quodammodo consummatur testimonio sanctorum, quasi sit vna passio domini & seruorum. Id ne quis existimet parum religiosè dictum, beatus Paulus nobis patroci-
Colos.1. natur, ita scribens Colossensibus, *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.* Quis enim nescit fratres, quàm vberem prouentum effudit ecclesiæ seges, apostolorum ac ceterorum martyrum sanguine inrigata?

Quo plus sanguinis effusum est, hoc magis ac magis efflorvit multitudo fideliũ, hoc latius sparsit suas propagines illa beata vitis, à Christo stirpe surgens, & occupans orbem vniuersum, quacunq; patet ab oriente ad occidentem, ab aquilone vsque ad austrum. Ecce, fratres dilectissimi, à domini redẽptoris temporibus anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta, iamq́ue huius vitis palmites pene latius se sparserunt quàm Romanum imperium, efferas etiam nationes musto spiritus inebriantes, & quos nulla ferri vis domare potuit, emollit sanguis illius agni candidi. Qui naturæ causas scrutantur, narrant adamantem nulli chalybis duritiei cedentem, hircino sanguine maceratum, ictu malleorum dissilire; nullus autem adamas corde saxeo peccatorũ durior. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plus quàm adamantinum, emollit sanguis Christi, & huius martyrum qui supplerũt quod illius
Ioan. 10. passionibus deerat. Hoc argumento summus ille pastor, &, vt Petrus ait, princeps pastorum, testificatus est, se esse pastorem bonũ, quia animam suam posuit pro ouibus, nobis exemplum præbens, vt qui pro nostra qualicunque portione vices illius gerimus, parati simus & ipsi pro grege dominico sanguinem fundere, nisi malumus videri mercenarij, quàm pastores. Domini verbis congruunt verba discipuli. Cum enim dixisset se gaudere in passionibus quibus consummaret passiones Christi, perpetens & ipse pro corpore Christi, quod est ecclesia, qualia passus erat dominus, causam adiecit, cur ea
Colos.1. libenter pateretur. *Cuius*, inquit, *factus sum ego minister secundum dispensationem dei, quæ data est mihi in vobis vt impleam verbum dei.* & alio quodam in loco
Rom. 15. scribit se repleuisse euangelium. Sicut ergo mortibus martyrũ consummantur passiones Christi, ita sanguine pastorum confirmantur promissa Christi. Nullum enim instrumentum indubitabilius, quàm quod tot martyrũ sanguine signatum est. Hoc nimirum est implere verbum Dei, hoc est replere euangelium. Sed interim grauissimus dolor oboritur animo meo dilecti, dum mecum reputo, cum adhuc recens ille Christi sanguis feruere debeat in cordibus fidelium, tam multos esse in quibus refrixit charitas: atque hoc grauius discrucior, quod tales non paucos pastores habeat ecclesia, qui non solum non opponunt corpora sua aduersus luporũ incursus, verumetiam ipsi lupos agunt, dum mactant ac perdunt animas simplicium, ipsi ventri suo, quæstui, & ambitioni seruientes, adeoq́; non implent verbũ Dei, vt illud cauponentur potius & impiis dogmatibus adulterent: nec cogitant quod ille pastorum princeps seueriſsimo iudicio reposcet singulas oues, pro quibus redimendis

sanguinem

ſanguinem ſuum fuderat, de manibus eorum. Sed illos ſuum manet ſupplicium: nunc melius eſt vt omiſsis querelis, nos inuicē ad officium quod Chriſto debemus, exhortemur. Triplex à Chriſto teſtimonium accepimus, triplex illi teſtimonium reddamus oportet. Rudimenta fideliter tractamus baptizādis, perfectiora baptizatis. confirmemus illos fructibus ſpiritus, ad cæleſtem vitam prouocantes: & ſi res poſtulet, libenter etiam vitam commiſſo nobis gregi impendamus, noſtráque morte viciſsim Deum clarificemus. Et ne cui videatur mirum morte hominum glorificari Deum, audi beatum Iohannem in euangelio de Petro, cui dominus prædixerat fore, vt vbi ſenuiſſet, ab alio cingeretur & duceretur quò nollet, ita loquentem, *Significans, qua morte eſſet glorificaturus Deum.* Quotquot igitur ab orbe condito propter Deum, propter iuſtitiam ac pietatem mortui ſunt, morte ſua glorificauerunt Deum. Nam eleemoſynas, ieiunia, precationes, aliáque pietatis exercitamenta ſimulant etiam hypocritæ: mortem nemo ſuſcepit alacriter, niſi qui certo perſuaſum haberet, nihil aduerſi poſſe accidere iis qui perſiſtunt in charitate Dei. Neque tamen ſtatim martyr eſt, qui occiditur: occiduntur & ſicarij & piratæ: non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa. Quod ſi qui leguntur ſibi fortiter conſciuiſſe necem, aut infirmitas erat, morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia. Nec hoc eſt teſtimonium prębere Deo, id facere quod & Deo diſplicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimum intereſt inter barbaricam immanitatem & martyrum modeſtiſsimam conſtantiam, in ſe imbecillem, in Chriſto fortem. Sunt qui certis artibus corpus ſtupefaciunt ne ſentiant cruciatus: hoc modo ſe quidam malefici muniunt aduerſus carnificum manus. Sunt & affectus impotentes, qui ſenſum adimunt animo, ita vt vel mortem impauidi perferant. Sed placidum illud ac manſuetum, illud humiliter ſublime, & ſublimiter humile, nō videmus niſi in Chriſti martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem, non minitantur tyranno: magis dolent de illorum cæcitate, quàm de ſuis adflictionibus. Scilicet clamat & in illis Chriſtus, *Pater ignoſce illis, quia neſciūt quid faciunt.* Non aliud ſpectant quā in cælum, vbi ſpem omnem habent repoſitam: ſic ipſe dominus velut agnus ſine voce ad mactationem ductus eſt: & ſi quam edidit vocem, ea magis declarauit animum mitem ac placidum, quàm vllum potuiſſet ſilentium. Quàm blanda oratione compellat Iudam proditorem? quàm placide reſpondit cæſus alapa? quàm nihil ferocius loquitur Annæ & Caiphæ? quàm tranquille reſpondit Pilato? Denique cum Phariſæi veluti victores mouerent capita ſua, amariſsimis conuiciis in illum debacchantes, ille mitiſsimus clamat, *Pater ignoſce illis, quia neſciūt quid faciunt.* Non igitur mori per ſe teſtimonium eſt, ſed ſic mori eſt teſtimonium præbere Deo. Stephanus iuuenis inter homicidas, agnus inter lupos, ſtabat placido angelicóque vultu, & ad domini exemplum orat pro lapidantibus, nec alibi habet oculos quàm in cælum. Illic videre meruit, cuius præſidio ſuperior erat perſequentibus. Qui vero timet Deum, non metuit hominum ſæuitias. Qui ex animo diligit vitam cæleſtem, facile vilem habet animam, atque illi cum beato Paulo, *Viuere Chriſtus eſt, mori lucrum.* An non ingens lucrum eſt, hanc & breuem & innumeris malis contaminatā vitam cum ſempiterna felicitate commutare? Hic dominus quemadmodum & in ceteris omnibus, ſeſe formam nobis exhibuit. Cum enim inſtaret extremus actus martyrij, quē aiunt in fabulis oportere eſſe optimum, ſeceſsit, abiecit ſeſe in terram, prolixe atque etiam frequenter, ac ſanguineo ſudore madeſcens, noſtræ naturæ in ſe expreſsit imbecillitatem, ante teſtatus animi tædium ac triſtitiam vſque ad mortem, ne nos in deſperationem caderemus, ſi cum omnia mortem præſentem intentant, horrorem naturæ ſenſerimus. Niſi enim adeſſet ſenſus dolorum, nihil haberet admirabile marty-

Ioan. 12.

Lucæ 23.

Act. 7.

rium: sed superare dolorem, corona dignum est. Horrere mortem, naturę est:
Philip. 4. vincere naturam animi fortitudine, gratiæ est. Omnia potest Paulus, sed in eo qui ipsum corroborat. Sed quibus præsidiis vincitur naturæ infirmitas? si nos totos humi prosternamus, hoc est si nihil omnino tribuamus viribus nostris, si vigilemus & oremus instanter, si nostram voluntatem diuinæ voluntati submittamus, dicamúsque illa ex animo, ex toto corde, *Transeat hic calix si fieri potest, sed fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*
Lucæ 22. Noui ego ac fleui quosdam magna animi fortitudine præditos, qui iam coronæ proximi defecerunt, & quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimouerant oculos suos ab eo qui solus robur dat infirmis: intermiserāt orationem, ac cœperunt ad humana præsidia respicere. Contemplabantur suæ naturæ viriculas, considerabant aculeos, vngulas, candentes laminas, ferrū & ignem reliquumq; carnificinæ apparatum, etiam aspectu horrēdum, & cruciatuum atrocitatē cum suis viribus cōferebant, & ideo victoriā amiserunt èmanibus. Vbi quis ita cogitat, Hoc possum, illud perpeti non possum, nunquā feliciter peraget martyrium. Sed qui se totum tradit diuinæ voluntati, non alio spectans, quàm ad illius opem, is demum firmus est & inuictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac viuida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens. Ne cogitaris quanta sit tyranni sæuitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis. Ergo vt à digressione reflectamus ad id quod erat institutum, quemadmodum domini mors potentior erat quàm vita, ita voluit martyrum suorū mortem esse potentem. Quid enim infirmius quàm vinciri, damnari, cædi, cruciari, occidi, & ad carnificis arbitrium præbere corpus? Hæc species interdum misericordiā mouet, etiam sæuissimis tyrannis. Verum vbi iam ad monumenta martyrū pelluntur morbi, rugiunt dæmones, terrentur monarchæ, coruscant miracula, concidunt
2. Cor. 10. idola, tum apparet quàm sit efficax ac potens martyrum sanguis. *Præsentia infirma, epistolæ graues*, audiuit beatissimus gentium doctor: hoc & ad martyres recte accommodabitur, vita infirma & contempta, mors grauis ac potens. Iam non est par omnium martyrium in tormentis alacritas, quemadmodum nec omnes eodem genere mortis defunguntur. Tres illi beati pueri in mediis flammis inuenere refrigerium, & septi innocuo elemento, velut in conclaui, canebant hymnum domino. Daniel item citra noxam, leonum sodalitio est vsus. Beatus Andreas, vt habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens sibíque gratulans ibat ad crucem. Alij diutinis ac variis cruciatibus subinde moriuntur, nec tamen morte datur finire dolorem. Est igitur & illud veri martyris, hoc quoque totum arbitrio Dei committere. nouit ille quid expediat nobis, & quid ad ipsius gloriam maxime conducibile sit. Tan-
1. Cor. 10. tum illud assidue cogitandum est, *Siue viuimus, siue morimur, domini sumus.* Nec sibi quisquam displiceat, si corpore pariter & animo sentiat grauem ac diutinam molestiam, tantum fidat ei cui certat, *Is non patietur quenquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Quosdam electos interdum patitur in tormentis deficere, vt agnoscant imbecillitatem suam, atque eosdem pòst fortissimos reddit in certamine. Hac dispensatione Petrus ter abnegauit dominum, vt edoctus quàm nihil posset suis viribus, confirmaret fratres suos. Quomodo autem confirmaret? vt sibi diffisi, fiduciā omnem collocarent in domino. Sed iam tempus est, vt de altero martyrij genere differamus charitati tuæ, de quo etiam accuratius est disputandum, quod occultum sit & omnium temporum commune. neque enim semper sęuiunt Nerones, Diocletiani, Decij, ac Maximini, nunquam tamen cessat diabolus exercere Christi militiam professos. Et fortasis erunt posthac donante Christo, tempora, quibus nullæ tyrannorum persecutiones adfligent ecclesiam:

nunqu

nunquam tamen defutura ſunt certamina, nunquam martyria, quibus homines pij glorificent Deum. Eccleſia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus gaudiis adplaudit iis qui in profeſsione nominis Ieſu animas ſuas fideliter depoſuerunt: & ad horum memorias magna cum alacritate concurritur, ſed cæleſte theatrum, angelorum myriades, & iuſtorum cum Chriſto regnantium innumerabilis populus adplaudunt omnibus qui ſinceram fidem & charitatem inuictam, quam habent erga dominum Ieſum, integritate & innocentia vitæ teſtificantur: nec ſolum profeſsione fidei, quæ iuxta Paulum, Rom.10. ore fit ad ſalutem, glorificatur Deus, verumetiã confeſsione commiſſorum. Hæc ne temere ex nobis ipſis loqui videamur, adducenda ſunt ſcripturarum teſtimonia. Ergo niſi piorum vita cederet in gloriam Dei, Chriſtus non diceret in euangelio, *Vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui* Matth.5. *in cælis eſt*: nec Paulus apoſtolus ſcriberet Galatis, *Et in me glorificabant Deum.* Galat.1. Confirmatur hoc & per repugnantiam ex his quæ diximus. Etenim ſi nomen Dei polluitur ac dehoneſtatur impia vita ſui populi, vtique bona illius vita cohoneſtatur. Damnatur apud Apoſtolum & philoſophorum impia ſapientia, *Qui cum Deum cognouiſſent, non tamen eum vt Deum glorificauerunt.* Sapiẽtiam Rom.1. profitebantur, & ſummam exhibebant ſtultitiam. Itaque cum Deum eſſe profiterentur, tamen turpiter viuentes & idolis ſacrificantes, falſo teſtimonio quodammodo obſcurabant Dei gloriam, quaſi nec iuſtus eſſet, nec verax: aut quaſi non vnus eſſet, ſed multi, aut quaſi ſaxis eſſet adſimilis. Id autem euidentius etiam teſtatur beatiſsimus Paulus, ſcribens ad Corinthios, *Empti*, in- 1.Cor.6. quit, *eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Ideo deus redemit nos precio ſanguinis ſui, vt ſemel à peccatis expurgati, deinceps vitam ipſo dignam ageremus.* Ac ſymbolum imperatoris geſtamus impreſſum frontibus noſtris. Quod ſi gerens ſignum Chriſti, præſtet opera Belial, nonne dedecoratur ille cuius inſignia gerimus? Contra, ſicut imperator ſibi placet de milite præſtrenuo, ſic exiſtimans, illius virtutẽ ipſi decori & ornamento eſſe: ſic deus gloriatur in his quos redemit, quos lauit, quos ſanctificauit, quos ſpiritus donatiuo dignatus eſt, ſi vitę ſanctimonia declararint domini gratiam in ipſis non fuiſſe vacuam. Si Paulus gloriatur in diſcipulorũ pietate, gaudium & coronã ſuam Philip.4. illos appellans, qui nihil erat niſi diſpenſator alieni muneris, an non dominus magis gloriatur, ſuper his pro quibus mortuus eſt? Iam quod in libro Iob ad hunc modum ſatanæ loquitur dominus, *Num animaduertiſti ſeruum meum* Iob.1. *Iob, quomodo non ſit ei ſimilis ſuper terram? homo ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malitia?* nonne ſermonem profert de ſuo cultore gloriantis? Beatus autem Paulus ſplendidiore etiam verbo vſus eſt ſcribens ſecundam ad Corinthios epiſtolam, *Deo autem gratia, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu,* 2.Cor.2. *& odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo. Melius eſt nomen bonum ſuper vnguenta precioſa.* Scriptura glorioſam famam adpellare ſolet odoramenta. Non tamen Deus gloriatur hominum more, ſibi placens ac geſtiens, ſed noſtram ſalutem ſuam ducit gloriam, & ideo ſubiecit Apoſtolus, *In his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt.* Quomodo glorificatur Deus in his qui ſalui fiunt? quoniam in illis inluſtratur illius miſericordia. Quomodo in his qui pereunt? quoniam in his declaratur illius iuſtitia. Nunc ipſe ſermonis curſus nos cò deduxit, vt doceamus & peccatorum confeſsio- Ioſue.7. ne glorificari Deum. Hic occurrit protinus ex libro Ieſu Naue Achar, qui quoniam contra diuinum edictum ſuſtulerat ex anathemate pallium coccineum inſigne, ac ducentos ſiclos argenti, ac linguam auream ſiclorum quinquaginta, populus Iſraël terga vertit hoſtibus: itaque Ioſue dixit Achar, *Fili mi, da gloriã domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Confeſſus, dedit pœnas, & auerſus eſt furor domini. Ea confeſsio clari-

ficauit Dei iustitiam ac sapientiam: sapientiam, quod illius oculis nihil esset abstrusum: iustitiam, quod non sine causa passus esset hostes aduersus Israëlem inualescere, quódque leges ipsius nullus hominum impune violat. Nihil erat magni quod suffuratus erat Achar, magnum tamen erat documentum vniuerso populo, quantum periculum sit, Dei iussa negligere, eíque velle imponere, quasi quicquam illum fugeret, aut quasi faueret præuaricatoribus. Atque ille quidem cum esset Iudæus, ob vnicum peccatum, quod ipsi leue videbatur, seueriſsimas pœnas dedit, lapidatus ab vniuerso populo, corporis interitu salutem animę redimens. Hebr. 10. *Non enim iudicat Deus bis in idipsum.* Sed quæ pœna manet illos, qui post tantam euangelij lucem & gratiam, postea quam semel inluminati sunt, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt æque bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, in multa atque immania crimina relabuntur, crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Qui hoc sunt etiã miserabiliores, quod cum tales sint aspernantur tamen pœnitentiæ salutaris remedium, contemnunt ecclesiam maternum gremium offerentẽ, & ad sanitatis instaurationem inuitantem. Eiusmodi defectio, quantam putas ignominiam inurit ecclesiæ? nec ea ignominia non potest pertinere ad Christum qui est caput ecclesiæ, & per omnia suum esse ducit, quod est corporis ac membrorũ ipsius. E diuerso, quanta totius ecclesiæ exultatio, cum qui lapsus est, per pœnitentiã ecclesiæ reconciliatur? Ac ne putemus hoc gaudium apud nos tantũ esse, dominum audiamus in euangelio KATA Lucam loquentem, Lucæ 15. *Ita dico vobis, quod gaudium erit in cælo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Nam hac clausula finit parabolã de pastore, qui relictis nonaginta nouẽ ouibus, vnam quæ à grege aberrauerat, multo labore quæsitã ac tandem inuentam, imposuit humeris suis, & caulæ restituit. Simili sententia claudit parabolam de muliere, quæ drachmam perditã inuenerat. *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Nec tamen hoc sic accipiendum est, quasi Deo & eius angelis gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quàm citra lapsum perseuerare in innocentia: sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem. Ezech. 18. *Non enim quærit mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Atque interdum piorum hominum lapsus, quanuis enormes, diuina dispensatione vertuntur in summum ecclesiæ profectum. Sic lapsus est apostolorum princeps: sic Paulus gentium doctor: sic Maria Magdalene, quibus nunc ecclesia præcipue gloriatur: quorum lapsus cesserunt in stabilimentum ac solatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de vere iustis, sed de iustitia Pharisaica, quemadmodum alibi dicit, Matth. 9. *Non est opus sanis medico, sed male habentibus.* At non erant sani quibus hoc dicebat dominus, sed legis qualicunque obseruatione tumidi, sibi videbantur sani, & ideo non desiderabant medicum. Hęc cum ad hunc habeant modum, desiderate frater, conemur assiduis exhortationibus excitare fidelium animos, vt tota etiam vita, martyrium, hoc est testimonium reddat Deo: quod adeo negligendum non est, vt nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim ceruicem præbueris carnifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est affectus qui militant aduersus spiritum, odium, inuidiam, auaritiam, superbiam, libidinem, quibus quicunque seruit, Deum quodammodo abnegauit, & Christum ore profitens, vita satanam Deum confitetur. Nec hic sermo debet cuiquam videri durior, cum sit verax ac salutaris: quicquid homo quiuis Deo anteponit, sibi Deum facit, nec possumus duobus seruire dominis: vnus enim est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendus, Quisquis

igitur

igitur ore dicit, *Credo in vnum Deum*, & seruit auaritiæ, aut libidini, aut luxui, sibi mentitur, sibíque repugnat, aliud lingua sonans, aliud animo celans, voce tantum testimonium perhibens Deo, cum vita Satanam colat. efficacius autem est vitæ, quàm linguæ testimonium. *Non omnis qui dicit, Domine domine,* Matth. 7. *intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem patris cælestis.* Habent & opera suam linguam, habent suam facundiam, etiam tacente lingua. Ideo dominus in euangelio KATA Iohannem ita loquitur, *Opera quæ dedit mihi pater vt perficiam* Ioan. 5. *ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quemadmodum igitur bona opera profitentur Deum, ita mala quodammodo loquuntur, *Non est Deus, nec est scientia in excelso.* Quis non contremiscat, quis non inhorrescat, quis non laceret vestimẽta sua, quis non obturet aures suas, si tales voces audiat ex Christiano? Quantus horror, quantus dolor occupat animos nostros, cum quis victus tormentis, iussus abnegare Christum, abnegat, & ad Iouis statuam thus adolet? Quàm trepidamus metuentes, ne Deus iratus fulmen in nos vibret iræ suæ? ne terra dehiscens nos absorbeat? vt interdum vnius impietas, supplicij consortio multos inuoluat: & sunt scelera tam immania, vt vidisse quoque aut audisse sit detestabile. Sed cur aliàs in simili crimine tam sumus cõniuentes? cur & nobis adeo blandimur & aliis? At vide quid de talibus loquitur Apostolus scribens Tito, *Profitentur se nosse Deum, factis* Titum 1. *autem negant.* Idem in priore ad Timotheum de vidua quæ negligit familiam, 1. Timo. 5. *Si qua autem suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Si fidem negauit, quæ negligentius habet suam familiam, quid dicturum putas de his qui se totos dediderunt mammonæ & ventri? de Christianis vtique loquitur Paulus scribens Philippensibus, cum ait, *Quorum finis* Philip. 3. *interitus, quorum Deus venter est.* Quos eosdem taxat scribens Romanis, *Huiusmodi Christo domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Rom. 16. Seruire, iuxta scripturarum consuetudinem dixit pro colere. Ventrem colunt, eum quẽ habent pro deo. Iam de auaritia manifestius etiam pronunciat scribens ad Colossenses, *Mor-* Coloss. 3. *tificate,* inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus.* Execramur eos, qui procumbunt ad Dianæ simulachrum, quanto iustius eos execramur, qui toto pectore seruiunt mammonæ, qui illi cotidie sacrificant? Et si auarus est idololatra, qui pecuniæ studio tenetur, qui quod hæreditate obuenit, aut industria partum est recondit, nec erogat in egenos, quid censendum est de his qui lenocinio, qui fœnore, qui rapto, qui fraude, qui calumniis, qui opprimendis pauperibus rem accumulant? Atque hæc idolorum seruitus non solum inuenitur inter Christianos, verum etiam quod gemendum est, inter episcopos. Porro temulentia adeo communis est Africæ nostræ, vt propemodum non habeant pro crimine. An non videmus ad martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen esse ducimus, quàm hircum immolare Baccho? Mihi videtur multo grauius, si rem recta ratione velimus expendere. cum tyrannus dicit, Abnega Christum, & immola Ioui, & esto amicus noster, aut morere, sæpe lingua negat corde reclamante, & manus adolet thus, cum animus intus adoret Christum: quanquam hoc quoque grauissimum est crimen, tamen aliquam impietatis culpam eleuat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi Satanas tibi loquitur voce tyranni: at quid tibi dicit idem per tuam concupiscentiam? Abnega Christum, & esto diues: sacrifica Mammonæ, & Christo nuncium remittito. Quid est quod pollicetur? aurum & argentum, inutilem materiam nisi exerceas. Nec dicit morere, sed oblecta oculos, immo potius hoc dicit, Lucrare pecuniam ad breue tempus habiturus, & perde in æternum animam tuam. Et tamen hic sponte submittis genua Satanæ, & abnegato Christo, te totum illi

mancipas. Quid autem Christus? Meus esto, & viue in æternum, contemne diuitias istas temporarias, & ego tibi centuplum reponam in hoc seculo, & vitam æternam in futuro. relinque terram, & accipe cælum. Ac Deus ista pollicens deseritur, & diabolus tam nihili res eásque falso promittens adoratur. O fœdam defectionem, ô turpem idololatriam, ô iniquam permutationem. Quo prẹmio sollicitauit humani generis primos auctores? Ostendit pomum, & dedit mortem: mendacio fefellit, *Non moriemini, sed eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Atque illi delusi, qualem dominum deseruerunt, & ad quem defecerunt? A qua felicitate exciderunt, & in quas ærumnas semet coniecerunt? Sed idem ille tenebrarum princeps, qui Euæ locutus est per serpentem, nobis loquitur per satellites suos ac ministros, per lenas & lenones, per eos qui pelliciunt ad amorem pecuniæ, ad ambitionem, ad voluptatem, auocantes à sinceritate quæ est in Christo Iesu. Idem ille loquitur nobis per concupiscentias nostras quæ viuunt in membris nostris. Nec dicit quod homo tyrannus, Aut mihi obtempera, aut morere: nec ostentat carceres, cathenas, vncinas, sartagines, aut caminos incensos, non cruces, laqueos aut gladios, sed tantum, Contemne Deum, renuncia vitæ cælestis hæreditati, & committe adulterium, & capies voluptatem. Sed qualem? momentaneam & corporis tantum, quot autem amaritudinibus conditam? infamia, periculo, super omnia vero secreto conscientiæ cruciatu. Hæc est esca diaboli, hoc auctora-
Rom. 6. mentum. Stipendium porro quale est? dicat maiore cum fide beatus Apostolus, *Stipendium, peccati mors est.* Quæ mors? corporis quam solam minitatur & inferre potest tyrannus homo? non, sed mors gehennæ, quæ finem nescit. Plus potest homo tyrannus quàm diabolus. Ille quodam modo cogit hominis naturam: hic nihil aliud potest quàm sollicitare, deiicere non potest, nisi adsentiaris: contempsisse vicisse est. Maior itaque venia debetur Christum in tormentis abneganti, quàm sponte adsentienti diabolo, cui credidisse est Christum abnegasse: ille mendax est & omnis mendacij pater, & illius promissa, quantumcunque fronte blandiantur, nihil aliud sunt quàm præstigiæ pellicientes in exitium. Ne quis itaque sic sibi blandiatur, Sum peccator, amo pecuniam, seruio libidini, studeo honoribus, indulgeo vindictæ, deditus sum
Titum. 1. voluptatibus, sed Christum non abnegaui. At reclamat tibi Paulus, *Factis abnegasti*: reclamat tibi dominus ipse, *Nõ potes duos dominos colere*: & interim horres abominandum thurificati aut libellati cognomen, ipse fortasse thurificatis ac libellatis deterior. Illos humanus metus violentior, quàm vt hominis natura posit vincere, eò compulit, vt impias voces promant lingua, reclamante conscientia: tu tã vili mercedecula sollicitatus, sponte deficis ad eum
1. Corin. 6. à cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit: cuius iam totus es factus, quemadmodum ait Apostolus, *Empti estis precio magno, & iam non estis vestri.* Huius militiam professus es ad salutare lauachrum, huic dedisti nomẽ, huius sacramentis initiatus es, accepisti donatiuũ & pignus spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio: simulq; diabolo denunciasti perpetuas inimicitias, renunciasti omnibus illius põpis ac voluptatibus, exsufflasti, exsibilasti, iurasti in verba redemptoris: quúmque tot vitiis seruias, tibi places quod nondum sis thurificatus aut libellatus. Si quis miles iuratus in verba Cæsaris, profugeret ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea quæ sciret ingratissima Cæsari, nonne comprehensus ad supplicium raperetur, vt desertor, vt periurus, vt perfuga? Quis autem audiret eum ita se defendentem, Non sum desertor, non abnegaui Cæsarem? an non mox audiret, Quid refert, si lingua tacuit? reipsa abnegasti, & plusquam abnegasti, qui non solum deserueris militiam, verum etiam ad tyrannum & hostem imperatoris tui inreconciliabilẽ transfugeris. Merito fidelium aures abominantur apostatę vocabulum, verum hoc

non

non ibi tantum execrandum est, cum incenso thusculo aut scripto libello renunciatur professioni nominis Christi, sed vbicunque contemptis Christi legibus, obtemperatur satanæ. Nec enim refert quid sonet lingua, quæ si sonet Christum, cum animus sit deditus criminibus, non est professio, sed hypocrisis, abnegatura Christum si metus vrgeat qui premit thurificatos aut libellatos. Atque in his rebus quæ sic inter se pugnant, vt neutra ferat alterius consortium, quoties hanc amplectimur, illam abdicauimus, quoties vnam reiecimus, alteram agnoscimus. cuiusmodi sunt lux & tenebræ, bellum & pax, mors & vita, Deus & Belial, quemadmodum testatur & beatus Paulus in secunda ad Corinthios, *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* 2.Cor.6. Adhęsisse Belial, est abnegasse Christum, vtcunque lingua aut habitu Christum profitearis. De hoc si quis simpliciorum dubitarit, dabo argumentum crassum & euidens. Fingamus tyrannum ita loqui Christiano, Incende thus Ioui, nihil addentem nec exigentem, vt Christum abneget, si adoleuerit, nonne cunctis manifestum erit illum hoc ipso Christum abnegasse, quod Ioui fecerit thymiama: etiamsi nihil proferat impium in Christum? Quemadmodum qui magicis artibus vtuntur (à quo malo nos domini misericordia liberauit, sicut à ceteris omnibus, quibus iuxta veterem hominem quondam ambulantes tenebamur) tacite Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus. Iam si Maccabæi fratres vnà cum matre maluerunt tot cruciatibus exanimari, quàm carne suilla vesci, sic existimantes, eum Deum legis auctorem negare, quisquis sciens ac volens legis præcepta violat, quo pacto sibi blanditur, qui in luxu, temulentia, auaritia, rapinis, adulteriis, aliisque criminibus consenescunt, quæ gentium etiam leges noluerunt esse impunita? Et cum tot modis Christum abnegent, cum toties immolent dæmonibus, pro Christianis haberi postulant? Atque in his sunt, qui palam ista committunt, ac propemodum etiam gloriantur in rebus pessimis: adeo non pudet aut piget admissorum, & tamen audent venire in ecclesiam sanctorum, audent misceri gregi dominico. Tales interdum tolerat ecclesia, ne prouocati magis etiam perturbent populum Dei, sed quid prodest non eiici cœtu piorum, si merueris eiici? Nam eiici remedium est, & gradus ad recuperandam sanitatem: eiectionem meruisse, summa malorum est. Ac frustra miscetur cœtui sanctorum in templo manufacto, si submotus est à consortio Dei & ab vniuerso corpore mystico Christi. Oportet autem & illud considerare, quantopere Christiani abhorrent ab idolothytis, & ab ingressu fanorum, atque ab ipsis etiam simulachris, cum beatus Paulus clamet neque idolum esse aliquid, neque idolothytum: multo minus fanum ex lapidibus constructum, est aliquid: & tamen plurimorum animus ea religione tenetur, vt mortem oppetant citius, quàm gustent idolis immolatum, & inexpiabile piaculum esse ducant, si ingrediantur fanum Iouis, aut Apollinis, aut Dianæ, seque putent contactu simulachri vehementer contaminari. Equidem probo talium religionem, si sibi constet in omnibus. Nunc proh dolor videre est, quosdam in his pene superstitiose trepidos, in aliis vbi grauior erat metuendi causa, nimium esse securos. Per se non inquinat animam contactus idoli, nec ingressus fani, nec esus idolothyti: sed per se polluit conscientiam amor pecuniæ, incestus, rapina, hypocrisis, & his similia monstra. Quàm verò congruit, horrere fani ingressum, nec horrere in templo sancto spiritui consecrato victimas immolare dæmoniis? Clamat sanctus Paulus scribens Corinthiis, *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* 1.Corint. 8. 1.Cor.6. Rursus in eadem epistola, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt sancti*

Spiritus qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Quod si Christianorum pectora sibi consecrauit Deus, vt in illis inhabitet per spiritum suum, illic deliciatur & inambulat, illic amat sibi offerri victimam puram in omni loco. Et qui in hoc templum Deo sacrum, eiecto sancto spiritu, inducit abominationes quas in mystica visione conspexit Ezechiel, qui illic sedem facit Mammonæ, Veneri, Como, Baccho, aliisque portentis: qui ibi dæmonibus immolat spurcissimas hostias, veretur ingredi fanum gentium
Gala.6. ne contaminetur? Proinde nemo sibi frustra blandiatur, Deus non inridetur: constet sibi nostra religio, nec alios detestemur, ipsi grauioribus obnoxij criminibus, nec alibi simus religiose timidi, alibi impudenter impij. Sed Christum semel professi, tota vita reddamus illi testimonium, & vndique glorificemus illum, obedientes illius præceptis, vt in hoc cognoscant homines quod vere fidimus illi, quod ex animo diligimus illum, & quod non simulate ad sacrum lauachrum addiximus nos illius militiæ. Beatus Apos-
1.Timo.3. tolus prædixit nulli piè viuere volenti in Christo Iesu, defuturam persecutionem. Si deest tyrannus, si tortor, si spoliator, non deerit concupiscentia, martyrij materiam cotidianam nobis exhibens. Postremo hæc ipsa mala quæ secũ defert vita mortalium, quæq; piis cum impiis communia sunt, martyrij coronam nobis parabunt, si placide, si cum gratiarum actione pertulerimus. Neq; priuati sunt martyrij gloria, quicunq; violenta morte consummati non sunt. Quis autẽ ausit vel Abraham patriarcham, vel huius filiũ Isaac, vel beatũ Iob eximere è martyrũ numero? Quę carnificinę grauius torserunt corpus, quàm patriarchę mentẽ torquebant naturę affectus, cum incunctanter ad dei iussum adpararet immolare filium vnicum & vnice charum, in quo tota spes erat illi posteritatis? Quid defuit Isaac martyrio, qui nihil obmurmurans, passus est se colligari & imponi busto? nec expauit in ceruicem vibratam machęram? Cuius autem martyrium audebimus conferre cum his quæ passus est Iob? Quod si quis adhuc diffidit sermoni nostro, certe beati Pauli verbis non
Hebr.11. poterit diffidere. Is scribens ad Hebręos orsus ab Abel vsque ad Gedeonem, ingentem sanctorum catalogum recenset, in quo plures sunt qui nõ defuncti sunt morte violenta, immo pauci sunt qui sic mortui sunt, & tamen de omnibus pronunciat, *Et hi testimonio fidei probati inuenti sunt*, perspicuè declarans etiam vita bona peragi martyrium fidei. Ecclesiæ quidem vsus discernit illos cognominibus, martyres appellans eos qui violenta morte decesserunt: confessores, qui constanter in cruciatibus ac minis mortis professi sunt nomen domini Iesu, parati mortem oppetere, vel potius martyrij supremam coronam ambientes: apud Deum tamen quicunque carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, quicunque Christo vere commortui sunt, éque in baptismo consepulti sunt, vt iam non sibi viuant, neque mundo cui semel mortui sunt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, martyres sunt, nec martyrum corona fraudabuntur: in primis autem monachi, qui verè monachi sunt, ac virgines quæ vere virgines sunt. Neque enim locus desertus, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque ieiunia, neque ΧΑΜΕΥΝΙΑΙ monachum absoluunt: sub his inuolucris interdum latet animus valde mundanus: quod ita deprehenditur, si ad munus aliquod ecclesiasticum vocentur: ibi videas quosdam ex illis facillimè vinci deliciis, impatientiores iniuriarum, adpetentiores vindictę, quàm quiuis alius sit ex media plebe. Quid causæ est? quo-
1.Timo.4. niam corpus exercuerunt magis quàm animum, cum beatus Paulus doceat, quod *exercitatio corporalis ad modicum vtilis sit, pietas ad omnia valeat*. Non hæc dixerim, quod improbandi sint, qui talibus modis castigant corpus suum & in seruitutem redigunt: sed quod satanas mille instructus artibus, nonnun-
2.Cor.11. quã inludit incautis, transfigurãs se in angelum lucis, & ex huiusmodi corporum

rum exercitamentis inducit illis falsam sanctimoniæ persuasionem, cumque intus madeant spiritalibus vitiis, & sibi & aliis habentur pij. Talis erat iustitia Pharisæorum, cui prælata est iudice Christo publicani iniustitia. Ita sunt & virgines fatuæ, quæ solidam existimant pietatem corpus habere viro intactum, cum animus auaritia, superbia, inuidia & obtrectatione sit corruptissimus. Sunt & falso viduæ, quæ dum viuunt in deliciis, Christo mortuæ sunt, 1.Timo.5. In summa tamen quisquis vere Christianus, cuiusque status aut ordinis, habet certamina sua, habet crucem suam: quam si patienter tollit, si constanter sustinet, testimonio suo glorificat dominum, tantum ne sibi vindicet laudem bonorum operum: hoc enim non est glorificare Deum, sed clarificare seipsum. Habet vnusquisq; fidelium agones suos, habet aduersarium diabolum, habet agonothetam Deum, habet theatrum non solum ecclesiæ & angelorum, sed & infidelium, quemadmodum dicit Paulus ad Corinthios, *Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus.* Si vincimus, gloriantur an- 1.Cor. 4. geli, gloriantur & fidelium ecclesiæ, gloriatur & ipse Christus in membris suis: sin vincimur ignauia nostra, triumphat satanas cum angelis suis, insultant nobis increduli, ac Deum contumeliis afficiunt, dicentes, Ecce qui iactant se redemptos à tyrannide satanæ, qui prædicant se mortuos mundo, nihilo minus vincuntur à cupiditatibus suis, quàm nos quos dicunt adhuc teneri sub regno satanæ. Quid prodest illis baptismus? quo dicunt exui veterem hominem cum actibus suis, & indui nouum qui secundum Deum creatus est? quid prodest illis spiritus sanctus, cuius arbitrio dicunt se temperari? cur semper in ore habent, Euangelium, Euangelium, cum tota vita discrepet ab euangelij præceptis? Quanto creditis pudore suffunditur ecclesia, cum hæc ingeruntur ab hostibus, nec habet quo refellat opprobria? Nonne videmus totum ecclesiæ cœtum demittere vultus atque erubescere? quoties aliqua virgo quæ Christo nupserat, dilapsa ex angelico contubernio defecit ad stuprum aut coniugium? Quantus mœror occupat omnium nostrum animos, sed præcipuè pastorum, si quando Christi miles tormentis inferior, renunciauit imperatori suo? quantus autem ex aduerso satanæ triumphus? Itaque fratres dilectissimi, si verè diligimus Deum, si cotidie petimus ex animo, *Sanctificetur nomen tuum,* summo studio aduigilemus, necubi polluamus nomen illius, sed & morte & vita glorificemus illum, iuxta beati Pauli monita, *Viuentes sine querela, vt simplices, filij Dei sine reprehensione in medio nationis* Philip.2. *praua & peruersa, inter quos luceamus sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam Christi Iesu regis & agonothetæ nostri, qui suum esse ducit quicquid in membris ipsius geritur. Patiamur cum illo, vt cum illo glorificemur in die Domini.* Nos hic illum clarificemus apud homines, vt ille nos clarificet claritate sua coram angelis suis, *cum*, vt inquit beatus Paulus, *venerit glorificari in sanctis* 2.Thess.1. *suis. Nemo coronatur nisi legitimè certauerit: & hi qui corruptibilem coronam ambiunt, ab omnibus se abstinent, nihil non facientes quod ad victoriam conducit, quid nos facere conuenit, vt adsequamur illam immortalis vitæ coronam incorruptibilem & immarcessibilem in cælis?* Hic si quis roget, quo pacto quis possit esse martyr sine sanguinis effusione: quisquis hoc animo sequitur iustitiam, vt mortem citius admissurus sit, quàm velit à iustitia deflectere, huic prompta volũtas pro martyrio deputabitur. Deus enim non æstimat quenquam ex euentu rerum, sed ex affectu. Cur enim ille fraudetur martyrij gloria, per quem non stetit, quo minus martyrium peregerit? vt contra, mercedem apostatæ feret, quisquis hoc animo viuit, vt Christum negaturus sit, si iactura bonorum aut corporis cruciatus, aut mors sit accipienda. Qui ob paululum pecuniæ peierat, an is verebitur abnegare Christum, si tota res periclitetur, si intentetur infamia, carcer & mors? Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confu-

git, an is malit cruciatus morte triſtiores perferre, quàm Chriſto renunciare? Immo qui toties ob breuem carnis delectatiunculam, ob momentaneam gloriam deficit à Chriſto, vitam habebit vilem pro Chriſto? Nec hunc tyrannus fecit apoſtatam, ſed ad tyrannum acceſsit apoſtata. Vt autem eſt ſimilis certandi ratio, ita iiſdem armis fratrum animi communiendi ſunt ad has pugnas, quibus oſtendimus confirmandos ad martyrium. Fides eſt quæ pugnat & ſuperat in martyribus, nec quiſquam defecit in tormentis, niſi fidei defectu. Orandus igitur aſsidue Deus, vt fidem in nobis augeat: eſt enim Dei donum, & illi debetur omnis victoriæ gloria. Ingeramus illorum animis & infigamus, quàm horrendum crimen ſit omnis idololatria, quam ſeuere punita ſit à Deo ſub lege vetere, quot milia trucidarit Moyſes ob vitulum aureum. Deinde proponatur comparatio manifeſtæ idololatriæ, cum immolatur ſimulachris: & occultæ, cum contempto Deo obeditur per concupiſcentiam ſatanæ. Deinde conferantur inter ſe Deus fons omnis boni, & diabolus omnis malitiæ princeps: oſtendatur & inæqualitas contubernij: in altera parte ſunt filij Dei, conciues angelorum & hæredes beatæ immortalitatis: in altera, filij Belial, ſocietas omnium dæmonum, & hæredes gehennæ. Conferatur & impar militiæ genus, comparentur diuerſa ſtipendia. Hæc ſi prius fuerint perſuaſa & intimis infixa viſceribus, facilis erit victoria. Nunc fides multis natat in labiis, cum in corde aut nulla ſit, aut vehementer langueat. Quis enim non profitetur quod in Deuteronomio legimus, *Audi, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt*: &, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*? Quis non quotidie recitat ore, *Credo in Deum patrem omnipotentem*? At non credit in Deum, qui non in eo ſolo collocat totius felicitatis ſuæ fiduciam: nec vnum habet Deum ac Dominum, qui per ſcortationem, per luxum & auaritiam ſatanæ facit imperata: nec illi ſoli ſeruit, qui ſeruit ventri, qui deditus eſt huic mundo, qui totus in prauo poſitus eſt. Ethnici putant plures eſſe deos, & hoc tibi videris perfectus Chriſtianus, quod perſuaſum habes vnum eſſe Deum? quid magni facis? Idem credunt Iudæi, qui quotidie blaſphemant filium Dei in ſynagogis ſuis: idem credunt dæmones & contremiſcunt. Si vere credis in Deum, crede iuſtum & veracem: iuſtum, in remunerandis piis, & puniendis impiis: veracem, in promiſsis. Crede non eſſe ſpem ſalutis, niſi per filium eius, quem pro nobis omnibus tradidit in mortem: crede nihil accidere mali poſſe iis qui ſe totos illius voluntati tradiderunt, & in illo perſeuerant. Hoc eſt credere in Deum patrem, hoc eſt credere in filium eius, hoc eſt credere in ſpiritum ſanctum, vnum Deum, & eccleſiam ſanctam, myſticum Chriſti corpus, extra quã non eſt ſalus, & in qua non eſt pernicies. Quiſquis in tali petra pedes animi fixerit, aduerſus omnes tentationum incurſus ſtabit immobilis. exempli gratia, Laceſsitus es conuicio, ſuggerit tibi caro vindictæ cupiditatem: priuſquam reſpondeas ſic cogita tecum, Hunc maledicum hominem ſubornauit diabolus, vt me deiiciat, ac deiectum perdat, ſed auſculta quid ſuadeat imperator tuus cui militas, *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* &, *Mea eſt vindicta, & ego retribuam.* Quid ſuadeat fortiſsimus ille Chriſti dux Paulus? *Non noſmetipſos vindicantes chariſsimi, ſed date locum iræ.* Diabolus dicit, Fruere vindicta, & perde vitam æternam. Deus dicit, *Vince in bono malum, & noli reſiſtere malo, & accipe cum filio meo poſſeſsionem regni cæleſtis.* Mox diſpice, vtri potius expediat obtemperare. Dicit tibi per concupiſcentiam tuam diabolus, Mœchare & fruere temporaria corporis voluptate, & eſto meus ſeruus, & cohæres gehennæ. Audi potius quid dicat tibi Deus, *Sperne temporariam voluptatem, & accipe centuplum bonæ conſcientiæ gaudium in hoc ſeculo, & vitam æternam in futuro*: & expende vtri potius ſit auſcultandum. Suggerit tibi

Matth. 5. Deuter. 23. Rom. 12.

per

per carnis affectum veluti per Euam ſatanas, Viue genialiter:ex aduerſo dicit Chriſtus,*Beati qui lugent,quoniam ipſi conſolationem accipient.* Ad eundē mo- Matth.5.
dum de ceteris tentationibus,obiice tentatori clypeum ſcripturarum,in quibus tibi loquitur Deus, non minore fide quàm ſi tibi coram ore ad os loqueretur. Ex his torrentibus ſume tibi lapides, quibus deiicias ſuperbum Goliath. Habes exemplum à domino tuo,ſic ille proſtrauit diabolum: nec deiicias animū, ſi ſæpius inuadat ac ſubinde maioribus machinis adgrediatur:nihil poteſt aduerſus eum qui tecum eſt.Dic illud Iohannis,*Maior eſt qui in nobis* Ioan.4.
eſt,quàm qui in iſto mūdo. Succurrat illud domini dictū,*Confidite quoniam ego vici* Ioan. 17.
mundū. His rationibus ſi Chriſti miles fuerit exercitatus ad conflictum,indies cōperiet ſuum antagoniſtam debiliorē.Nec tamen remittendę ſunt excubię, ſi quando hoſtis ſimulabit tranquillitatem, ſed obſeruans illius inſidias dicat cum beato Abacuc, *Super cuſtodiam meam ſtabo, & gradum figam ſuper pe-* Abac. 3.
tram, omni cuſtodia ſeruans cor meum, ne qua pateat aditus obambulanti quærentíque quem deuoret. Tutiſsimum autem cordis munimentum eſt, ſobrietas, cum inſtanti oratione,iugíque ſcripturarum meditatione. *Omnis enim ſcriptura diui-* 2.Timo.3.
nitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum,ad arguendum,ad corripiendum,ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei,ad omne opus bonum inſtructus. Ex hac igitur colligendæ ſunt ſententiæ, quas ad manum & velut in procinctu habeas, vt his protinus ſerpentem caput erigentem deiicias : nullus eſt enim animorum morbus,cui non præſens remedium diuina ſcriptura ſuppeditet:hinc comparanda ſunt exempla piorum,ſed præcipue Chriſti,quibus ſe quiſque vel animet vel conſoletur. Venio nunc ad illa mala quæ vel ipſam naturam hominis comitantur, vel fortuitu videntur inferri. Hæc quoque pius animus & ad pugnandum inſtructus, ſibi vertet in materiam coronæ. Exemplo faciam quod dico clarius. Excutitur aliquis facultatibus ſuis,ſiue bello,ſiue naufragio,ſiue rapina. Ne protinus hic cogitet laqueum, aut rationem malis artibus ſarciēdi quod periit:ſed ita ſecum loquatur, Dominus eſt qui tentat me, an diligam ipſum ex toto corde. *Ipſe dedit,ipſe abſtulit,ſit nomen domini benedictum.* Gratias agat quod acceperit ex domini benignitate: agat gratias quod amiſerit ad probationem fidei. Si hæc dixerit eo animo, quo dixit ſanctus Iob,cum illo mercedem accipiet.Nec enim dominus æſtimat, quantum quis perdat, ſed quàm patienter: quemadmodum non reſpicit, quantum aliquis largiatur egentibus, ſed quo animo. Habet aliquis filium vnicè charum, eo te mors orbat præmatura, peſtilentia ſpoliat te chariſsimis,ſponſa,liberis,amicis:ferto patienter, & dic, Domino ita viſum, & ſic fortaſsis & nobis expediebat, & noſtris : ſit nomen domini benedictum. Sunt & morbi qui non minus atroces habent cruciatus, quàm vlla poteſt inferre tortorum ſæuitia, veluti pleuritis,iſchiaſis,podagra,paralyſis,calculus,renum & veſicæ exulceratio. Tale ſi quid acciderit, ne mens exaſperetur ad impatientiam, ne lingua erumpat in voces blaſphemas,ſed cum beato Dauid & Heli ſacerdote dicat, *Dominus eſt,faciat quod bonum eſt in oculis ipſius*: ita mala quæ non inferun- 1.Reg. 3.
tur ob Chriſti profeſsionem, vertemus nobis in coronam & Chriſto in gloriam. Ac fiet fortaſſe vt dominus noſtra tolerantia propitiatus, aut auferat afflictiones, aut mitiget:quod ſi nō fit,tamen hac ratione faciemus,vt quod animo impatienti fuiſſet intolerabile,fiat patientia mitius. His atque huiuſmodi argumentis non deſinemus nos inuicem exhortari, ad inluſtrandam domini gloriam,cuius titulum & inſignia gerimus. Præſtemus illi martyrium in ſuo quiſque ſtatu & ordine, non ſolum in aduerſis, verum etiam in proſperis. In aduerſis agnoſcamus amorem patris flagellantis nos ad correctionem, & gratias agamus charitati qua diligit nos vt filios, quos abdicare non vult, ſed emendatos recipere. In proſperis æque gratias agamus illius boni-

tati, qua consolatur nos vt tentationum pondus possimus sustinere: ita fiet vt tota vita nostra nihil aliud sit, quàm testimonium, declarans apud credentes & incredulos, sapientiam, bonitatem, misericordiam ac veritatem Dei patris, & filij illius Iesu, & spiritus sancti. Amen.

DE SINGVLARITATE CLERICORVM.

ARGVM. In hoc docet sibi à domino fuisse reuelatum, ne sacerdotes cum fœminis commune haberent contubernium. sed ne velut somniatorem inrideat quisquam, quod per reuelationẽ dominum iussisse acceperat, per scripturarum sacra testimonia ante iussum fuisse ostendit. CV.

PROMISERAM quidem vobis ante tempus epistolam filij charissimi, quæ omnium morum instituta de lege commendans, summatim omnia etiam contineret, quæcunque vniuersis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinæ. Sed quia nunc de fœminarum commemoratione vulgariter inter vos quidã ignominiose deuoluti sunt, etiam de hac re specialiter vobis domini correptionem scribere compulsus sum: qui miserum me pro vestra negligentia cum seueritate conueniens, mandare præcepit, ne clerici cum fœminis commorentur. Et licet hæc admonitio sola literarum mearum auctoritate sufficeret, tamen ne me somniatorem inrideat quisquam, sicut Ioseph fratres inriserunt, scripturarum addimus firmitatem, vt omnes sciant hoc etiam modo per reuelationem dominum iubere, quod literis cognoscitur ante iussisse: nec nos esse adulterantes verbum domini, aut volentes iactanter de reuelationibus glori i, sed sic ante conspectum domini referendo non mentiri quod loquimur: sicut à domino confidimus nos non audisse mendacium, prę-
Gene. 37.
sumentes vocem apostoli Pauli protestantis, *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex deo coram ipso in Christo loquimur.* In dolore itaque maximo constituti, de quibusdam tabefactis membris corporis nostri, & in gemitu iacturam lamentantis ecclesiæ, quæ per segnitiem nostram redigitur per dies singulos ad nimiam paucitatem, credimus nos ex parte aliqua subleuari, quod diligentiæ nostræ negligentia quorundam obesse non possit, quibus nunquam nostræ literæ defuerunt, quæ per absentiam nostram frequentiam omnibus pensauerunt dissimulationis suæ: vt vnusquisque contemptor reum semet ipse conscribat, nos autem libera fronte contemptoribus exclamemus, quod Salomon cõfidenter exprobrat,
2. Corint. 4.
Prouer. 1.
Quoniam quidem vocabam, inquit, *& non obaudiebatis: & extendebam verba mea, & non intendebatis: sed inrita faciebatis mea consilia, meis autem increpationibus non intendebatis. Itaque & ego vestræ perditioni superridebo. Gratulabor ergo aduersum vos, cum aduenerit vobis interitus, cum aduenerit vobis subito tumultus: euersio autem simul & procellæ, & cum aduenerit vobis pressura & expugnatio. Erit enim cum me inuocaueritis, ego autem non exaudiam vos. Quærent me mali, & non inuenient: oderunt enim sapientiam. Verbum autem domini non adsumpserunt, neque voluerunt meis consiliis intendere. Spreuerunt enim meas correptiones. Ideoque edent viæ suæ fructus, & sua impietate satiabuntur.* Ad vos nunc mea exhortatio conuertitur, quos nolumus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum potestis eiusmodi casus exitia. Et in ista subuersione labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps est qui transire contendit, vbi alium conspexerit cecidisse: & ementer infrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte.

Amator

Amator vero est salutis suæ, qui euit lienæ mortis incursum. Et ipse est prouidus, qui sollicitus sit cladibus ceterorum: sicut Salomon adprobat, dicens, *Astutus videns malum puniri, vehementer erudietur.* Et iterum, *Cadentibus impiis iusti vehementer terrebuntur.* Aduersa est confidentia, quæ periculis vitã suam pro certo commendat. Et lubric[illegible]bes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flamm[illegible]rcundari, nec ardere: quod Salomon abnegat, dicens, *Quis adligabit in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non comburet? Aut* Prouer. 6. *quis ambulabit super carbones ignis, pedes vero non cõburet? Sic qui introierit ad vxorem proximi sui, non erit immunis: neque omnis qui tanget eam.* Credite quæso vos credite diuinæ fidei, quinimmo plus quàm nostræ: quia omne quicquid pollicetur, non potest fallere, dicente domino, *Facilius est*, inquit, *cælum & terrã* Luc. 16. *præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Et iterum, *Cælum & terra transibunt,* Matth. 24. *verba autem mea non præteribunt.* Ipsi ergo nos fallimus, quoties inordinaliter credimus, æstimantes per fidem nos[illegible]n legis præcepta posse mutari, vt inter masculos & fœminas speremus passim castitatem immobilẽ custodiri. Difficile quis venenum bibet, & viu[illegible] Verendum est dormienti in ripa ne cadat, cum dicat Apostolus, *Qui se putat stare, videat ne cadat.* In hac parte expedit 1. Cor. 10. plus bene timere, quàm male fidere. Et vtilius est infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infi[illegible]as emergat. De qua re præsumptores obiurgat Apostolus, dicens, *Si quis putat se aliquid esse, cum nihil* Gala. 6. *sit, seipsum implanat.* Pro certo implanator p[illegible]oprius suam animã decipit, qui non cauendo contraria noxiis rebus semet ipse commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascunque noxias extimescit: quorum distantiam Salomon differuit, dicens, *Sapiens timendo de-* Prouer. 14. *clinabit ab omni malo: insipiens autem confidens sui miscetur iniquo.* [illegible]agnũ sapientiæ diuinæ consilium inuẽtum est, vbi timoris auxilio liberemur [illegible]lagna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus & victoria per timorem. Magna remedia dominus contulit ad salutem, vt habeat & timidus laudem, sicut Salomon repetit, dicẽs, *Beatus vir qui veretur omnia per metum.* Inæstimabilis do- Eccles. 25. mini misericordia, quæ vndique homini suo contulit gloriam, & incomprehensibilis pietas, quæ scilicet pugnas dedit & palmas: vt confitendo masculorum sæuitiam superemus, & timendo fœminarum blandimenta vincamus, dummodo & de virtute & de infirmitate super nos glorias dominus operetur: vt in omnibus & per omnia omnipotentem semetipse testetur: diuidens differentias triumphorum, vt tam consiliis quàm viribus à nobis bella vincantur, ne si vinceremus solius fidei fortitudine contra Salomonem vacua essent opera sapientiæ. Nunc igitur sapientiæ arma gestanda sunt, vbi fœminei & virilis sexus certamen indicitur. Vnde Salomon sic instruit, dicens, *Pru* Prouer. 2. *dentiam*, inquit, *fac notã tibi, vt te seruet à muliere aliena & pessima.* Videte nũc prudentiam in isto bello, non fidem nobis datam esse victricem, quæ nos timiditatis remedio liberasset: & cõtemplamini quæ sunt modo arma sumenda, si vultis habere legis auxilia. Estote timidi, vt sitis intrepidi: & licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secũdum verbũ Apostoli, *Virtus* 2. Cor. 12. *in infirmitate perficitur.* Separamini deprecor separamini à contagione pestifera. Quantumcunque fuerit vnusquisque longius ab aduersis, tãtum non sentit aduersa. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est vbi frequentia est voluptatum. Et minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt. Si admittimus Apostolum pollicentem, *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt* 1. Timo. 6. *in tentationem & in muscipulam diaboli, & desideria multa, & inutilia & noxia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum.* Non aliter tentationibus subiacet, qui iunctus est fœminæ: in qua nihil est aliud, nisi quod feriat pro-

ximantem. Aculeus peccati facta est forma fœminea: & mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostrã
Eccleſia.25. sollicitudinem memorat dicens, *A muliere factum est initium peccati, et propter hanc omnes morimur.* Inde mortales tenemur, nec teneri timemus. Quid si iam immortales essemus? Per mulierem liberauit nos equidem Christus: sed vnde adhuc morimur, formidare debemus. Tunc liberatio ipsa constabit in
Gen. 1. fœmina, si à nobis mors reuincatur, quæ per fœminam venerat. Ceterum si adhuc per mulierem circa nos scandala dominantur, liberationis Christi fecimus pro certo dispendium. siquidem in futurum spes ista libertatis manet, quam fidei nostræ Christum credimus contulisse: vt tunc nobis omnino mulier non noceat, cum & ipsa mors fuerit euacuata. Nam si modo putamus nos intentabiles esse muliebribus iaculis, nihil ergo restat cælestibus regnis. Non
1.Cor.4. immerito tales sensus apostolus Paulus increpat, dicens, *Iam satiati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis, & vtinam regneti*s. Tempus ergo luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vsque grassatur. Mentior, si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales episcopi & clerici simul & laici post confessionum victoriarumq; calcata certamina, post magnalia & signa vel mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cum sit vilis & misera, de magnis effi-
Prouer.6. cit prædam? Quod Salomon loquitur, dicens, *Precium meretricis, tantum est vnius panis, mulier autem preciosas animas capit.* Ante nos ista tractãtur, & nullis terroribus coercemur. Quid faceremus, si opinionibus tantummodo gestas historias audiremus? Sed hęc est semper incredulitas humanæ duritiæ, vt non solum audiendo, sed etiam videndo non credat alteros interisse, nisi & seipsam viderit interire: nec sociorum mortibus quatitur, dum illos promeritos aut inualidos opinatur. Si autem multũ mereri, aut multũ valere fiducialiter
Lucæ 13. putat, nescien*s* præberi cunctis exempla, cum fuerint quibusdam inrogata supplicia: sicut dominus in euangelio proponit, & dicit, *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, qui talia paſsi sunt? Non, dico vobis: nisi pœnitentiam habueritis, similiter perietis, sicut illi supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis quoniã & ipsi debitores fuerunt præ omnibus hominibus habitantibus in Hierusalem? Non, dico vobis, si non pœnitueritis, similiter perietis.* Miramur si Adam per Euam seductus est, quẽ nulla morientium exempla præcesserant, nisi iussio vna constrinxerat, cum modo nos nec innumerabiles mortes, nec infinita iussa compescant? Quibus conuenienter dicitur secundũ increpationem domini: Si Adam vidisset mortes, quę factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egisset. Dico autem vobis, quoniam Adæ tolerabilius erit in die iudicij, quàm vobis. Longe satis longe sit pestis ista & lues & clandestina pernicies. O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas iaculatur, cuius vicinia est delictorum latrocinium. Non est in hac societate sinceritas adprobabilis, quæ conlisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam non nisi discordantes inimicitias creat. Fecit equidem viro dominus mulierem adiutricem, sed serpẽtis inuidia personam sumpsit hostilem. Quod si illa de viro suo nata vsque hodie ipsum cui iungitur tentat, quanto magis illa quæ copulatur nulla lege coniuncta? Et si illi qui duo sunt in carne vna cõcreti, tentationibus mutuis inuicem pungunt, quid facient hi qui in vna carne nec nati nec iuncti sunt? præsertim, quia nec Deum iam inuocare permittitur, qui charitate alterius auocatur: nec sinitur cogitare diuina, qui sibi quæsiuit cui exhiberet domesticam curam. Propter quod sic Apostolus consulit, di-
1.Cor.7. cens, *Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est, quomodo placeat Deo:*

Deo: qui autem habet vxorem, cogitat quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori. Quid est nunc quod in hac coniunctione delectet, in qua sunt solæ pugnæ? Aut quæ vtilitas fauet, vbi non sunt officia coniugalia, quãdo nec ipsa possunt esse secura? Causale est omne quod fœminæ est, & copulatio eius semper infesta est. Fœdere suo magnas molestias præstat, & cui adhæserit contra fas, insanabilem ingerit plagam. De carbonibus scintillæ disiliunt, de ferro rubigo nutritur: morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: quam Salomon sic comparat, dicens, *De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ecclesia. 42. Volo scire quæ sit affectio ista communis, quæ morbi dissensio semper ambigua, quæ propositum suum nutantibus consiliis impugnando conturbat. Vt quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit vxorem? Omnis qui non manducauerit carnem, vt quid habitationem suam carnis adparatibus replet? Et qui non biberit vinũ, quid vini oblectatione perfruitur? Quasi non aliquoties habendo nec gustando copia esculenter animus pascitur, & vini odoriferi sola fragrantia suscitatur sæpius animus: quid per hypocrisin vult ab hominibus abstinens dici, & in secreto carnibus & ebrietate distendi? Habent multi diuitias quas suis vsibus negãt, sed pro cupiditate conseruant: quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderẽt. At vero, quia cupiditate possessi sunt, perfruuntur animo quod vsu non tangunt. Ita is qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quanuis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, coniunctione semper oblectatur. Nam si desiderium fœminæ non haberet, nunquam fœminam suis oblectamentis adsumeret. Immo vero insuper mihi suspectum placitum dedit, qui nõ legitimam duxit, & legitimam recusauit, nisi fallor in publico argumẽtatus est, hominibus promittere sanctitatem, & in occulto sine vxore nõ esse. Duo argumenta sanctitatis & libidinis hinc & inde miranda sunt, quæ vtraque inuicem tegunt, & vtraque inuicem produnt. Ingeniosus eunuchus & mœchus inuidet sibi, dum consulit: & dum quærit vtrunque, neutrum facit: vt sanctus minime deputetur, qui non vera coniunctione perfruatur: cum Paulus apostolus dicat, *Adligatus es vxori? ne quæsieris solutionem: solutus es ab vxore? ne quæsieris vxorem.* 1. Corint. 7. Sed consentio non esse castitatis huius pudicitiam violatam. Suspiciosis tamen malam porrigit famam, & pudicitiæ bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, quod forinsecus efficit infamari: destruẽs magisterium Pauli apostoli prouidentis pariter & monentis, *Vt quid*, inquit, *libertas mea iudicatur ab infideli conscientia? Si ego gratiæ participo, vt quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* Peius est quàm ΜΟΙΧΕΙΑ, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni, quam contulit: qui quod confitetur, non ante omnes impleuerit, ne Christianitas credatur esse fallacia, & mœchatio videatur esse sanctitatis velamento vestita. Propter quod dominus in Euangelio sic præmonet, dicens, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificẽt patrem vestrum qui in cælis est.* Matth. 5. Hoc sequitur & Paulus apostolus, dicens, *Non ergo blasphemetur bonum vestrum.* Rom. 14. Et iterum, *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam corã hominibus.* Et alio loco, *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et estote sine scandalo Iudæis, & Græcis. et ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo.* Sed opponitur forsitan, Quid est quod ipse iterũ dixerit, *Si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem?* Nunquam se quæcunq; dicta legis excludunt, sed certis locis responsa vniuersa defixa sunt. Illic placere hominibus nõ licet, vbi volũtas hominũ non capit domini voluntatem: vbi vero acceptant homines quod ad gloriam proficit Dei, innotescere omnibus ipse Paulus apostolus præcepit: *Vnusquisque,* in- Rom. 15.

quit, *noſtrum proximo ſuo placeat ad bonam ædificationem.* Quale ergo præmium ſanctitatis expectat, qui non ſolum blaſphemiam ſanctitatis ab infidelibus prouocat, ſed etiam fidelibus pernicioſum præbet exemplar? vt infirmi ſub prætextu dilectionis ſubtiliter fornicentur, & pudicus impudiciſsime caſtitatis præbeat magiſterium, deſtruens quod Paulus apoſtolus comminatur,
1.Cor.8. *Periit*, inquit, *frater infirmus in tua conſcientia, propter quem Chriſtus paſſus eſt.* Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorũ infirmam, in Chriſtum peccatis. Et quidem non hoc iuuenibus tantum, ſed & ſenibus congruit, fratrũ imbecillitati conſulere, ne ſenectus perire prouocet iuuentutem, ex qua debent omnia ſalutaria documẽta procedere: ſicut Eleazarus
2.Macca. 6. in libro Maccabæorum profitetur, & dicit, *Præmitti malo in infernũ, quàm patrias leges deſerere. Non enim ætatem noſtram dignum eſt fingere, vt multi adoleſcentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum, tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum & corruptibile tempus vitæ per me ſeducantur: & odium ac maculam ſenectuti meæ acquiram.* Ille maluit vitam ſuam tormẽtis obiicere, quàm cuiquam magiſter perditionis exiſtere: & nos vbi nulla tormenta ſunt, fluxibus ſolis nolumus ſaluandos fratres anteponere: nec contenti ſumus ſine vllis cruciatibus tam nobis prodeſſe, quàm ceteris, cum ille noluit viuere moriturus: ſicut inferius proſequutus eſt dicens, *Quamobrem fortiter vita excedens, ſenectute dignus adparebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, vt prompto animo ac fortiter pro grauibus & ſanctis legibus honeſtæ morti ſuccedant.* Cum hoc etiam laicos deceat, ne aut extraneis occaſionem blaſphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant, tum maxime clericos vehementer neceſsitas iſta conſtringat, quibus aut religio blaſphemata, aut fraternitas perdita, pœnas duplices inrogabit. Nec inuenient in iudicio domini vllum omnino ſolatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem miniſtrarunt. Propter quod ſic Paulus apoſtolus
Titum. 2. Titum inſtruit, dicens, *Teipſum bonorum factorum præbens exemplum, in doctrina, in integritate, in verbo ſano atque inreprehenſibili: vt aduerſarius reuereatur nihil habens de nobis dicere mali.* Et iterum, *Omnibus*, inquit, *fidem bonam oſtende, vt bonam doctrinam ſaluatoris domini noſtri præferãt in omnibus.* Sic & ad Timotheum
1.Timo.4. ſcribit, dicens, *Forma eſto fidelibus in ſermone, in conuerſatione, in charitate, in fide,*
1.Petr.2. *in caſtitate.* Quod & Petrus apoſtolus hortatur, dicens, *Cõuerſatio*, inquit, *veſtra in gentibus bona ſit, vt in eo quod detrahunt de vobis tanquam de malefactoribus, de bonis operibus veſtris glorificent Deum.* Et iterum, *Quoniam ſic eſt*, inquit, *voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis ſtultorum hominum ignorãtiam.* Nec quiſquam ſibi proponat & dicat, Habere volo quod vincam: hoc eſt enim dicere, Viuere deſidero ſub ruina. Quis tam ſtultus qui arctari cupiat ad laborem, cui offertur delicatius triũphare? neque enim duplex triumphus eſt ſub fœminæ præſentia probari victorem, quàm eſt in ſingularitate ſeruare ſponſionem integram ſanctimoniæ. Et cum ſit vnus titulus gloriarum, hoc loco vanus fortis eſt, qui ſatis laborat: & cum illo qui parum laborando vicerit, pariter muneratur. Quid quod ille quinimmo cõſummatus adſcribitur,
Matth.19. qui ſe omni parte fœmineis affectibus oſtẽtat abſciſum? Quia cum dominus in euangelio perfectum vocat, qui totum ſuis vſibus amputauerit patrimonium: certe etiam ſoli, cuicunque quotidiani triumphi pro caſtitate non deſunt, quia nũquam deſideriis carnalibus ſpiritum ceſſat infeſtare corpus hu-
Gala.5. manum, quod Apoſtolus adfirmat, dicens, *Caro*, inquit, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim inuicem aduerſantur ſibi: vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Habes nunc carnem tuam, quam ſuperes ſemper. Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo ſuper vnam febrẽ cupit adhibere peiorem: ne incipiat hemitritæo inſanabili laborare, cui nullus valeat

medicus

medicus ſubuenire. Neq; aliquis ſuper onus propriũ tollit inſuper alienum, ne oneribus duobus oppreſſus, vſque ad inferos demergatur. Vnde ſic Hieremias propheta docet, ſanctitatis pondus ſingulariter ſuſtinendum. *Bonum* Thren. 3.
eſt, inquit, *Viro, cum portauerit iugum graue in iuuentute ſua, ſedebit ſingulariter & ſilebit, quoniam tulit ſuper ſe iugum graue.* Sed ſi quiſquã malignus obſecutor ad dictum apoſtoli Pauli confugiet dicentis, *Onera veſtra ſuſtinete inuicem, & ſic* Gala. 6.
implebitis legem Chriſti: non hæc ſunt onera, quæ Paulus apoſtolus imperat ſubuehenda, ſed vt tolerantes noſmetipſos diſcordia nulla diſcernat, & in tentationibus conſtitutis fratribus mutua præbeamus auxilia: non vt ipſi nobis tentamenta per fœminas procuremus, ſed vt tentamentorum magis pondera ſubleuemus, cum ſciat quale ſit ſanctitatis iugum, quod vix ſingulare portetur. De quo non ſolum ipſe, ſed & dominus noluit certũ definire præceptum, dicens, *Non omnes capiunt Verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Et iterum, Matth. 19.
Qui poteſt capere, capiat. Si ergo difficile ſingulariter magnitudo iſtius põderis toleratur, quomodo tolerabitur, ſi geminatis ponderibus prægrauetur? Et ſi ſingulares penè omnes vix durant carnales inſidias ſuſtinere, quid faciunt illi qui ex vtroq; latere gladiis impẽdentibus nõ cũctantur incũbere? Plus dico, Si mariti & vxores deſideria cõiugalia quotidie gerentes ſibi non ſufficiunt, quid agũt illi qui ad augẽdas impugnationes fœminis ſociãtur? Ex improuiſo vel tranſeunter ad horã fœmineus aſpectus occurrens, velut ſagittas alienis oculis iactat. Quando libera non eſt ſimplex reuerẽtia, quid illic geritur, vbi libertatis ſumit mulier in contubernalitate conſtantiam? quando in domeſticis negociis nunc lacertos ac fœmora lanificis operibus nudat, nunc æſtuans detegit mẽbra, nunc fatigata iactatur, aut in riſum aliquando diſſoluitur: nunc blanditias exhibet, & quod eſt venenoſius ſuper cuncta, pſallere delectatur, aut canere? Cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem. Contra quam Salomon ſic nos cautos efficit, dicens, *Cum ſaltatrice noli* Eccleſi. 9.
aßiduus eſſe, nec audias illam, ne forte diſpereas in efficacia eius. Taceo reliqua, quæ magis pudenda ſunt quàm dicenda: ſolum hoc dico, in dolore vel in ira mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine. Quid dicimus, ſi videas iocundantem, aut quod eſt deterius, blandientem? Semel dixerim, omnis inconueniens ſodalitas mulierum, gluten eſt delictorum, & viſcus toxicatum, quo diabolus aucupatur. Incongrua eſt ſodalitas fœminarum: quarum ſodalitatem ita nos rurſum Salomon docet in omnibus præcauere, *Cum aliena,* Eccleſi. 9.
inquit, *muliere ne ſedeas omnino, et ne alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem,* Poſtremo, ſi animũ noſtrum confidimus in hac cõmunitate durare ſemper, vel illud apud nos debet eſſe ſuſpectum, ne ipſæ quæ nobiſcum conueniunt, in noſipſos forſitan moueantur, aut in alteros amores præ rapida ætate incitamentis furialibus ſtimulentur: & erit nobis cauſa quod peius eſt ſine cauſa, vt fornicatio nos maculet aliena, apud quos ſuggeritur ceteris occaſio lupanaris, & crimine alieni reatus abſorbebimur, cui noſipſi ſubornamus immunditiæ lenocinium. Propter quod apoſtolus Paulus de ſimilibus ita nos inſtruit, dicẽs, *Si propter eſcam fra-* Rom. 14.
ter tuus ſcandalizatur, iam non in charitate ambulas. Noli eſca tua illum perdere, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Et iterum, *Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum, neque oſtendere in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.* Et alio loco, *Hoc,* inquit, *iudicate magis, ne ponatis offendiculum aut ſcan-* 1. Cor. 8.
dalum fratri. Et de ſemetipſo ſic ait, *Propter quod ſi cibus ſcandalizat fratrem meum, iam non manducabo carnem in æternum, ne fratrem ſcandalizem.* Cum ergo nos pulſat cõiunctionis huius moleſtia deteſtabilis, & ſi adulteros non poteſt facere, facit tamen lenones adulteris & inceſtis. Quis enim cordis alterius ſcrutator qualitatem vniuſcuiuſque perpendat, & pro altera perſona contra

ſatanam repugnator: circa Deum vero idoneus fideiuſſor eſſe præſumat? De ſemetipſo demens eſt, qui aliquid pollicetur, ne dicam ſi etiam pro fœmina ſponſionem ponere videatur, cum Paulus apoſtolus ſic de ſe pronunciet, dicens, *Non quia iam accepi, aut iam iuſtificatus ſum, aut iam perfectus ſum: ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto: fratres ego me non arbitror adprehendiſſe adhuc: Vnum tamen, poſteriora quidem obliuiſcens, ad ea quæ ſunt ante pedes, ad regulam ſequor, ad palmam ſupernæ Vocationis domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quicunq; ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. *Mihi*, inquit, *pro minimo eſt, Vt à Vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, qui autem iudicat me, dominus eſt.* Et alio loco, *Beatus*, inquit, *qui non iudicat ſemetipſum, in quo probat alium.* Quanuis ergo nos nec de noſtra ſtabilitate certũ aliquid habeamus, qui ſine ceſſatione concutimur inter fluctus ſeculi, ſuſtinentes procelloſos incurſus: tamẽ ſi alicui tanta fiducia eſt de immobilitate propriæ firmitatis, ſaltem ſollicitus reformidet, ne ipſe ſit ſcandalum viſibus alienis, ſed terreatur voce domini comminantis, *Væ*, inquit, *huic mundo ab ſcandalis: Veruntamen Væ homini illi per quem ſcandalum Venit.* Si has domini comminationes religioſo corde metuimus & reueremur, plus de aliis quàm de nobis extimeſcamus periculum noſtrum, qui mutuis teſtante apoſtolo Paulo, vtilitatibus obligamur: *Non quæ ſua ſunt*, inquit, *ſinguli cogitantes, ſed quæ aliorum.* Et iterum, *Nemo quod ſuum quærat, ſed quod alterius.* Sed aliquis arripiens de ipſo Paulo quod opponat, *Vnuſquiſque*, inquit, *noſtrum pro ſe rationem reddet Deo, & Vnuſquiſque ſuam ſarcinam portabit.* Qui non vult ergo pro altero reddere rationẽ, nec cauſis eius, nec negociis debet particeps inlicitus intereſſe: & quilibet vel immunis circa ſarcinas alienas conatur exiſtere, nihil alienum contraria conditione teneat infra ſe. Nam neceſſe eſt vt rationi alterius ſubiiciatur, qui negocium tractauerit alienum. Oportet eum damno perſtringi, vel diſpendio ſarcinarum, apud quem ſub intuta cuſtodia fratris ſarcinæ perierunt: quia quicquid in domo noſtra ſub minus idonea tutela perditũ fuerit, aut latrones effregerint, noſtrũ eſt: & à nobis exigitur quicquid per inertiam noſtram male commiſſum eſt. Tunc vero ab inuicem liberi ſumus, ſi nihil apud nos de re alterius reſeruetur. Forſitan aliquis dicat, Ergo nec ad domum orationis debemus pariter conuenire, ne aliquis aliquem ſcandalizet. Hæreticæ profeſsionis eſt iſta cõtradictio calumnioſa, quę de bonis præſcribit, vt aſſerat mala: & de ſanctitate præiudicat, vt immunditiam ſubtiliter introducat. De licito calumnias facit, vt obtinere inlicitũ poſsit. Propter quod apoſtolus Paulus hæreſi huic ante præſcribit, dicens, *Veruntamen neque mulier ſine Viro, neque Vir ſine muliere in domino.* Abſit abſit, vt vbique fœminæ præſcribantur, aut vbique permiſsio tribuatur. Habent loca ſua circa maritum, circa filios, circa fratres, circa parentes, circa ſeruos, & in domo orationis tantummodo iuxta cunctos clericos. In manſione autem vna ſine cognatione competenter non habent ſocios. Hæc eſt libra quæ ſtat. ſtare vero non poteſt quicquid inclinauerit libra, dicente ſcriptura, *Non declinabis in dexteram, neque in ſiniſtram.* Et dominus in euangelio, *Quod amplius eſt, à malo eſt.* Diſce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris exceſſum. Ama fœminas inter ſacra ſolẽnia, & odio habe in communione priuata, ſi vis Salomonis tenere doctrinam: *Tempus*, inquit, *amandi, & tempus odiendi.* Tunc ergo cauenda ſunt fœminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua vnanimiter frequentia: quoniã inter curas ſuas caro ſemper incitamenta cupidinis prouocat: & illic parit fomenta peccandi, vbi pertractans commoda ſua tẽporalis vitæ cogitationibus ſenſerit paululum relaxari: ſicut Salomon adſerit, dicẽs, *Deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem.* In conuentu vero ſacrorũ, vbi ſpiritus dominatur, ancilla ſemetipſam cognoſcẽs,

perdit

Philip. 3.

1. Corin. 14.

Rom. 14.

Matth. 18.

Philip. 2.

2. Cor. 10.

1. Cor. 11.

Prouer. 4.

Matth. 5.

Sapien. 9.

perdit ſuæ voluptatis vſum,perdit & luxum·dum tractantur cęleſtia,dum celebrantur ſancta myſteria , tota humanitas occupatur, vbi non humana, ſed diuina ſunt omnia:vbi veneratio vel tremor & terror incutitur animis vniuerſis , ſepulta eſt profecto ſubſtãtia carnalis.Inter ipſa fere carnis mercimonia multi voluptatẽ corporis negligunt,ſcilicet quando à legionibus exercitia meditantur armorum,aut crepat litibus forum,aut reſonant literis auditoria, aut negociatores cõmerciis inſtanter incumbunt:aut artifices in artificia ipſa propenſi ſunt:quãto magis vbi non carnale opus hominum,ſed ſpiritale geritur angelorum?Nihil illic impugnationes poſſunt,vbi & ipſi dæmones cedũt,& nulla ſexus alicuius permittitur cõſiderari diſtãtia,vbi nec ętas, nec dignitas, ſed ſola æqualitas regnat:atq; vt plenius dicã, omnes illic tales ſenſus accipiunt, & vt ipſa cõiugalitas ignoretur, vbi Chriſtus loquitur, auditur,adtenditur,& per omnia,& in omnibus ſolus eſt totũ, teſtãte Apoſtolo & dicente, *Vbi non eſt*,inquit, *Iudæus & Græcus,circunciſio & præputium, Barbarus & Scytha,maſculus & fœmina,ſeruus & liber,ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Coloſſ.3.
Hunc plane conuentũ gloria eſt celebrare cũ fœminis,in quo nulla eſt diſcretio qualitatis,vbi tantum licet omnes æquare ſine aliqua differentia : vt nec in ipſo baptiſmate cuiuſquã nuditas erubeſcat. Vbi Adæ & Euæ renouatur infantia,nec exponit,ſed potius accipit tunicã. Quod ſi & illic ſit aliquis diabolo peior,qui fœminarum aſpectibus feriatur,de nullo tamen congregatio noſtra culpatur,quæ propter cæleſtia,non propter terrena colligitur. Viderit ſi quis illic luxurioſis obtutibus fuerit:nullo modo alterum lædit,qui non ad hominem, ſed ad Chriſtum pro ſalute proceſsit. Quinetiam de ſuis contradictionibus cõtradictores excludã, vt non meis, ſed ſuis propoſitionibus cedant. Si inter feſta ſacrata poteſt communis conuẽtio ſcãdalizari,vbi tẽtator ipſe diabolus tremit,quis illic ſtabilem ſe eſſe promittit, vbi tentator audenter occurrit?& ſi illic periclitamur,vbi Dei pręcepta nos cõgregant,quid agimus vbi Dei iuſſa nos ſeparãt?etſi turbamur illic, vbi Dei volũtate munimur:quãto magis vbi nõ ſolum diabolũ, ſed etiam dominũ habemus aduerſum? Cũ ſacroſanctis enim & iuſtis nobis protectio miniſtratur, ſicut Eſaias ait, *Legem*, inquit, *in adiutorium dedit*: ſine iuſsionibus vero diuinis,nullũ poteſt eſſe præſidium. Aliud eſt quod Deus imperat facere, & aliud voluntati eius obſiſtere. Cuius ita ſunt mandata ſeruanda,vt ſi aliqui iuſſerit quod ſecundum homines iniuſtum eſſe videatur,iuſtũ credatur & fiat:& ſi iuſtum iuſſerit, iuſtum deputetur & fiat:cum ſine victoria non poteſt eſſe quod mãdat, qui potens eſt iniuſtitiam iuſtificãdo vocare iuſtitiam, & iuſtitiam reprobando iniuſtitiam probare tranſuerſam,cuius voluntas eſt ſola & vera iuſtitia.Si enim totum quod gerimus,ad hoc tantummodo gerimus,vt domino placeamus,profecto hoc ſolum erit iuſtum quicquid voluerit,& iuſſerit, & probauerit Deus cui placere geſtimus.Nam cum ſerui non poſsint à ſemetipſis ſcire quid ſuis dominis placeat,niſi dominorum ſequãtur imperia : & vtiq; homines hominum ſimilium ſibi non valeant vtilitates agnoſcere, niſi acceperint quod obſeruent:multo magis mortales neſciunt immortalis Dei iuſtitiã comprehendere , niſi ipſe iuſtitiarum ſuarum dignetur iudicia demonſtrare: ſicut Salomon adprobat, dicens, *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.Corpus enim quod corrumpitur,adgrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore:quæ in cælis autem ſunt,quis inueſtigauit? Senſum autẽ tuum quis ſcit, niſi tu dederis ei ſapientiã, & miſeris ſpiritũ ſanctum de altiſsimis? Et ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum qui in terra ſunt : & quæ tibi placent,didicerunt homines, & per ſapientiam ſanati ſunt.* Ambulantes in tenebris, Sap.9.

sibimetipsis lumen nõ possunt ostendere, nisi vltroneum seipsum nõ videntibus offerat lumen: ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse
Psal.118. lucernam legis ostendat. Vnde Dauid sic loquitur, dicens, *Lucerna est*, inquit, *pedibus meis, Verbum tuum, & lux semitis meis.* Et iterum, *Præceptum domini lucidum inluminans oculos.* Hoc est ergo luciferum, quodcunque fuerit à Deo intimatum: & hoc Deo dignum, quod ipse Deus volũtati suæ fatetur acceptum, vt exserat per omnia dominatum. Alioqui nec nos serui adscriberemur, nec ipse dominus haberetur, si secundum voluntatem nostrã permitteremur impendere seruitutem: & arbitrio nostro, non Dei, eligeremus exercitamenta
Rom. 10. iustitiæ. Tales Paulus apostolus vanificat dicens, *Ignorantes*, inquit, *Dei iustitiam, & suam Volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Tollãtur nunc è medio ambages istæ tam vanæ, & querimonię inaniter calũniosæ. Ad spiritales actus cũ fœminis, Deo iuuante, non metuimus adunari, qui per Dei iussionẽ iustitiam nos credimus operari, ex qua nobis scimus munimenta subponi. Priuatim vero continentibus quàm plurimum clericis & virginibus hospitia separanda sunt: quia quod Deus iniquum iudicat, iustũ esse nõ potest. Contubernium tamen & si nulla in ipso cõtubernio turpis consuetudo nascatur, accedat: quia impossibile est integritatem ad victoriã peruenire, quę cõtẽdit eõtra Dei iussa pugnare. Quãtum enim lex obedientibus suggerit adiutoriũ,
1. Corin. 13. tantum inobedientibus incitat peccatum, dicente Apostolo, *Virtus*, inquit, *peccati lex.* Qui nos ergo iusserit, vt in sacris suis cũ fœminis triumphemus, ipse iubet vt priuatim pugnas fœmineas caueamus. Sũt equidẽ necessitates aliæ, quæ nos priuatim quoque fœminas videre compellant, sed etiam ipsę diuini præcepti vel operis imperant efficaciam, vt visitemus, vt solatia præbeamus, vt hortamenta vitalia salubriter intimemus: nec tamẽ & in his officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, vt claresçant in nostra operatione indicia puritatis. Seueritas non desit, quæ sub clerico fœminam possit adstringere, vt ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, & ita sentiat visitationis affectum, vt clericũ veneretur. Ac ne tardius sit euagari per singula, totum quicquid agimus, honestum esse potest, si semper in nobis signa honestatis eluceant, sicut Paulus apostolus vniuersa complexus est, dicens,
1. Cor. 14. 1. Thessal. 4. *Omnia Vestra honeste fiant.* Et iterum, *Sicut præcipimus*, inquit, *Vobis, Vt honeste ambuletis.* Non bene succedit quicquid agitur passim: & sanctum non est
Sapien. 6. quod geritur sanctum, nisi sancte quod sanctum est peragatur, sicut Salomon adserit, dicens, *Qui enim custodierint iuste iusta, iustificabuntur.* Sinceriter ergo sinceritas ipsa seruanda est, & omne quod voti est etiam in actu signandum est, ne aliud vota commendent, & aliud actus insinuent. Vndique probanda est institutio voluntatis, & vndique consummandus est cursus vniuscuiusq; certaminis, ne minus sit aliquid ad triumphum, si non plenius dimi-
2. Timo. 2. cetur, Hinc Paulus apostolus introducit documenta certaminum. *Sed & qui*
1. Cor. 3. *in agone*, inquit, *certat, nõ coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Et iterũ, *Nescitis*, inquit, *quoniã qui in stadio currũt, omnes quidem currunt, sed Vnus accipit brauium? sic currite, Vt comprehendatis. omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem Vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Plenitudo est ergo sanctitatis & palma perfecta, vt ex omni parte secum non habeat quod recusẽt, ne quod profitetur odisse, tenẽdo, videatur amare. Quod si aliquis dicit: Captiuum teneo aduersarium meum, cui semper insultem, videat ne forte aduersus eum captiuus incipiat præualere. Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra vnam caueam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostẽ proprium in suas portas induxit: & intestinum gladium sibiipse subposuit, qui locum habitationis suæ aduersarij ingressibus reserauit: & qui fretus est conuersari cum scanda-

lo, sine

lo,sine causa dicit,Pacatus volo esse cum diabolo,contra Apostolum dicentem,*Nolite locũ dare diabolo.* Omni ergo modo muniendus est locus, vbi fuerit thesaurus abscõditus,ne per vnam cauernam totum parietem latro subfodiat.Nam si deforis expugnans vix muris expellitur,quantũ valebit si intra muros acceperit habitaculũ? & si illi qui cõtra eũ claudũt, aliquoties ab eodem capiuntur,quanto magis ille qui vltroneus illi patefecerit ingressum decipitur?cum dicat Salomon, *Si iustus vix saluus fit,peccator & impius vbi parebit?* Omnes ergo rimæ,ne dicam portæ,claudendæ sunt,ne per vnum foramen castra omnia penetrentur,& vniuersa componenda sunt munimẽta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat: sicut Salomon repetit, dicens, *Qui spernit modica, paulatim cadit.* Sic stupeo autem peruersitatis huius arbitrium, vt à clericis ad cõmunitatem fœmina magis quàm masculus eligatur. Nunquid tantum mulier vtilior est commodis clerici, quantum prodest masculus continens,vel puer masculo continenti? aut ipsa erit decens vtilitas, quam indecens communitas facit? & vbi erit quod Salomon ait, *Omne animal diligit simile sibi?* & iterum, *Volatilia ad sibi similia conueniunt?* Sed & si fœmina vtilior existimatur, non oportebat carnalia emolumenta præponere vtilitatibus spiritalium commodorum: & expediebat qualemcunque virum inutilem sustinere pro existimatione munienda, quàm bonos effectus mulieris cum existimatione turpissima. Quod Salomon comparat, dicens, *Melior est,* inquit, *iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.* Artificialia sunt itaque semper diaboli veneficia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens, sanctimoniæ deditos dolosis commoditatibus iuuat vt perdat: & inter continentes quasi necessaria emolumenta mutuis adiuuaminibus submini-strans, adiecit prius masculum & fœminam pariter, vt postquam inseparabiles fecerit per alterutra solatia, possit occidere: dantes simplices animos ad castitatis vota seruanda: & impugnationis suæ arma subducens, interim quasi placidus fautor suggerit sanctitatis argumenta, donec diutius inter ambos inimicam nutriat concordiam. Facit affabiles sibi inuicem & deseruire: & adsentator infestus impedimenta remouens vniuersa, commodis eorum gaudet efficaciam commodare, vt tota eos sibimetipsis necessitate commendans, exhibere eos possit in alterutrum solita consolatione pendere. Non vult eos in aliquo impedire, ne separet tam spiritaliter quàm carnaliter. Inconcussos efficit viuere, ne ipsa societatis initia immaturo tempore fœdera cœpta conturbent. Vsqueadeo illos videntibus cunctis ad perfectum sanctitatis inuitat, fouet, subleuat: vt Dei esse computent beneficia ipsa contraria,quibus inducuntur vt pereant, nescientes nunquam Deum iuuare quod vetat. Quibus in tantum diabolus blandiens, securitatem præparat sanctimoniæ, vt coniunctos se magis æstiment quàm disiunctos,immobiles circa libidinem perdurare:quos cum omni tranquillitate deducens, nullis procellis aut fluctibus inquietat, & velut in medio mari minus cautos inducit laxare vela,nec quærere gubernacula, vt subita tempestate concitatos naufragos ex insperata commotione submergat. Hanc primo exhibet lenitatem, vt duas naues oblectet adinuicem conuenire: quas cum fecerit iunctas, repentinis turbinibus in semetipsas elidere possit & frangere: & his vtitur blandimentis, vt subtractis omnibus iaculis, compescens aduersa, suggerens prospera, tam diu sopitum ignem sine vllis flammis occultet, donec duas faculas iungens simul ambas accendat: & tam diu cessat sæuitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator, quos occisurus est, laquei sui vinculis adliget. At vbi insolubili cathena deuinctos adstrinxerit, velut lanista, protinus duos gladiatores aduersus inuicem cõpellit armari,& subinde stimulans mẽbra,statim gladios aptat,statim suc-

Ephes.4.

Prouer.11.

Eccles.19.

cendit insaniã,& in vulnificos amplexus impingens,vtrunq; simul semel vno ictu mortificat.Sic explicat quod ante prẽstare videtur,sic de simplici charitate amorem cõflat inlicitum,sic per sanctitatem sibi inducit interitum,dum contẽtus est cedere,sic valet fortius occupare, & summissus patitur semetipsum præbere deuictum,sic plenius deuincere gloriatur.Cuius versutias Paulus apostolus sic intelligit, dicens, *Non enim ignoramus*, inquit, *astutias eius.* Male itaq; in hac participatione pacati sunt,qui ad bella pacificante diabolo perducuntur:& non bene in sanctitate proficiunt,quibus ad detrimentum prouectus ipse inimici artificio subornatur: nec recto cursu moliuntur continentiæ scalas ascẽdere,quos vt de alto præcipitet, elaborat ad culmen aduersarius protelare.Sed necesse est caducis lapsibus elidãtur,qui viam lubricam tenuerunt,de qua Salomon sic prædicat,dicens, *Est via quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius veniunt in profundũ inferorum.* Sed aiunt, Si de hac coniunctione clerici denotantur,notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum:sicut Helias,qui mansit apud viduam:sicut apostoli, qui mulieres secum comites circunducebant:vt Iohannes qui matrem domini adsumpsit, eodem domino delegãte:aut ipse dominus,cui de suis facultatibus alimenta præstabant aliquæ mulieres religiosæ,cui etiam Martha ministrabat ad mensam,& qui singulariter locutus est ad puteum sedens cum alienigena muliere Samaritana,vel cui recumbenti fœmina lachrimis,pedes lauit,& capillis extersit.Callidi argumentatores & iurisperiti fallaces,qui dum cupiunt præuaricari controuersias actionesq; causarum,etiam ipsa iura transuertũt:& cum nolunt cõpetentibus coërceri iussionibus legum,ad inludendos iudices inconuenientibus exẽplis velut similes coniecturas iuris obiiciunt,qui per Salomonem ipsius legis sagacitate produntur, *Peccator*, inquit, *homo euitat correptionem, & ad voluntatem suam inuenit cõparationem.* Tales ergo non per orationem, sed per correptionem potius reuincendi sunt, vt non ante interpretatis orationibus instruãtur quàm admiserint, quod ad defensionis solatium repererunt,sicut nos aduersus huiusmodi homines Salomon edocet dicens, *Noli*, inquit, *respondere insipienti ad ipsius insipientiam,ne similis fias illi:sed respõde insipienti contra ipsius insipientiam,vt non videatur sibi sapiens esse.* Reuera magni homines,qui se cõparant sanctis,& eximia conuersatio nostra,quę prophetis vel apostolis videatur æqualis,ad occasionem luxuriæ nostræ in peruersum sanctos volumus imitari,& inter ceteros actus vestigia iustorum nolumus sequi.In quibusdam infirmos nos excusamus ad imitanda facta maiorum,& in aliis nos æquales maioribus protestamur,cum Helias ipse in angustia constitutus, imparem se patribus suis ante Deum fateatur: *Nunquid*, inquit, *melior sum patribus meis*? Hoc Helias de antecessoribus suis in infirmitate sua cogitur exclamare:& nos Heliæ vel prophetis,& apostolis,& domino virtutem nostram non dubitamus æquare? Video planè non sic apud nos calcari auaritiam,sicut apostoli propria cuncta dimiserunt. Video crapulam & ebrietatem sic nostris conuiuiis non abesse,sicut apostoli nihil habentes frequenter coacti sunt esurire.Cognosco taliter in nobis ieiunia,sitim,famem, nuditatem propter instantiam doctrinæ solius vbique pollere, sicut in apostolis legimus triumphasse: & adprobantur apud nos eadem exercitia feruere virtutũ,quibus apostolos omnia vitia tremuerũt.Plane quadraginta dierum ieiunium domini meditamur,& orationes excubiasque, quibus ille per solitudines etiam nocturna silentia rumpebat. Nunquid similes agones frequentamus,contra luctamina vitiorum,& sic agimus rigore,auctoritate, vigiliis,passionibus,labore,necessitate,afflictione,abstinentia, quibus peccata calcantur,vt nemo de nobis mali aliquid suspicetur?Per quæ Paulus apostolus conscientiam suam innotuisse omnibus gloriatur, *In omnibus*, inquit,

1.Cor.2.

Prouer.14.

3.Reg.17.

Eccles.32.

Prouer.26.

3.Reg.16.

2.Cor.6.

commendantes nosmetipsos quasi Dei ministros: in sustentatione multa, in pressuris, in tentationibus, in tribulationibus, in angustiis, in plagis, in custodiis, in carceribus, in seditionibus, in inuocationibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Ad has imitationes infirmi sumus, & ad mulieres circunducendas possibilitatem nobis comparandæ imitationis adsciscimus: quod si etiam cũcta illorum quisquam se implere iactasset, me tamen nullius suadela poterat inclinare, vt alios nunc apostolos crederẽ, contra apostoli Pauli professionem: *Nunquid*, inquit, *omnes apostoli, nunquid omnes prophetæ?* Si Christus seipsum comparare nõ ausus est Deo, qui ait, *Pater maior me est*: aut si apostoli coæquare semetipsos non ausi sunt Christo: nos hodie apostolis æquales faciet consimilis fortitudo. Misera humanitas in hac æqualitate non times fulminari, quæ de filio Dei, aut de filiis tonitrui, non cũctaris peccatis tuis exempla velut similia mutuare? cũ superbiæ sit elata iactantia, etiam minimis ecclesiæ quẽquam comparabilem velle conscribi: cum Paulus moneat & dicat, *Alter alterum superiorem sibi existimantes.* Et inferius addidit, dicens, *Hoc sentite de vobis quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Minus itaque de nostris viribus sentiendum est, nec fortitudini sanctorum nostra infirmitas comparãda est, sicut nobis apostolus Paulus de semetipso magisterium proponit, & dicit, *Non enim audemus*, inquit, *comparare nos aut conferre quibusdam qui seipsos commendant, sed ipsi in nobisipsis nosmetipsos nobis commendantes: non supra mensuram gloriantes, sed ad mensuram gratiæ, quam nobis mensus est Deus.* Etenim contemplamur quod ipse iterũ dixit, *Plus ab illis omnibus laboraui, nihil melius, nihil aptius mihi proponitur, vnde vincam, nisi vt de ipso de quo mihi præscribitur, ego ipse præscribam.* Certe plus omnibus ipse laborauit, & tamen ad mulieres circunducendas collegas suos imitari contremuit, ne se ad incertum subiiceret tentationi carnali. Vnde ipse rationem sic reddidit, dicens, *Ego*, inquit, *sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem cædens, sed adfligo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inueniar.* Huic ergo te compara, qui te apostolum iactas, & ex ipso disce quid metuas, qui clamat & dicit, *Oro vos imitatores mei estote.* Noluit itaq; de mulieribus circũducẽdis habere fiduciam, qui non ignorabat quantum aliæ virtutes ab aliis virtutibus differant, & aliam claritatem solis, & aliam lunæ, aliam vero stellarum, de charismatibus ecclesiasticis similitudinem comparans intimauerat. Sed nos contra de apostolica nobis coæquatione blandimur, non intendentes penitus, quid apostoli & sancti omnes inuicta virtute gesserunt, & difficilem rumpere quærimus viam, cum per facilia planior sit nobis adposita, cõtra Salomonem dicentẽ, *Non te credas*, inquit, *viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scãdalum.* Nec vllus considerat, quoniam vnus securus in lubrico graditur, & alius qui impar est, labitur: vnus per rupes cursu mõtes ascẽdit, alius si se coarctauerit, cadit. Vni contingit per tẽpestates nauigia feliciter explicare, & alteri talis felicitas nõ potest euenire, quod Paulus apostolus decernit, dicẽs, *Vnusquisque, proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius vero sic.* Sed qui mihi de sanctorum exemplo præiudicant, quare aliud exẽplum nolunt contemplari quod metuant? & qui apostolis coęquari contendit, quare nõ magis presbyteros adulteros apud Danielẽ ad formidinem sibimetipse proponit? Hæc autem nõ ideo propono, vt quasi apostolorum imitatoribus contradicã, sed vt illos confundã, qui se sanctis exæquent. Nec nego ipsos esse sectandos, quos doctores accepimus cuncti, sed aduersus eos contendo, qui cupientes ad mala sua bonorũ historias deprauare, legẽ sibi Dei æstimãt suffragari, sicut om-

1.Cor.12.
Ioan. 14.
Philip.2.
1.Cor.10.
1.Cor.15.
Ibidem.9.
Ibidem 4.
Eccles.32.
1.Cor.7.
Dan.13.

nes qui perire festinant, & sub obtẽtu sanctorũ dedecora sua volũt esse celata, vt sub imitatione maiorũ contraria quæq; cõmittant, quos apostolus Paulus prodit & publicat, dicens, *Quod autẽ facio, & facturus sum, vt amputẽ occasionem eorum qui volunt occasionem, vt in eo in quo gloriantur, tales inueniantur quales et nos sumus. Nã & huiusmodi pseudoapostoli sunt, operarii dolosi, transfigurantes se in apostolos Christi.* Hoc addunt ad cumulum perditionis cumulãdum, vt bonos infament, quorum exemplo vtuntur ad malum, quibus vtile esset satis & salubre, si cuiuscunque historiæ seipsos magis crederent non intellexisse rationem, quàm aliquid inhonestum arbitrarentur in lege: quos apostolus Paulus corripit & confundit dicens, *Non intelligentes neque de quibus dicunt, neque de quibus adfirmant.* Et iterum, *Si quis putat se scire aliquid, nec dum cognouit quemadmodum eum oporteat scire.* Vacant itaque præiudicia petulantium, quos ingenia suæ peruersitatis errabunda transducunt, & quærunt competentes suis sensibus historias quas exponant, qui male agentes mutuant legalia patrocinia. Bene agentibus vero bona sunt omnia quæcunque scripta sunt, qui bene dicta bene suscipiunt, sicut Paulus apostolus pollicetur: *Scimus quoniam bona est lex, si quis ea legitime vtatur.* Obtinuimus confundendo contradictores. Conuertimur subinde eosdem quos vicimus, insuper erudire, ne aut sanctos remanere patiamur in crimine, aut ignari deputemur in reddẽdo rationem, vt publice victi pœnitentiam gerant: aut si noluerint, nos expunximus, quod ad nostram pertinet diligẽtiam, vt quomodo satisfecimus supradictæ sententiæ Salomonis, ita satisfaciamus etiam Paulo apostolo concionanti: *Seruum,* inquit, *domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modestia corripientem eos qui resistunt veritati, ne forte det illis deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundum eius voluntatem.* Omne quicquid ab auctoribus nostris gestum est, rationabiliter gerebatur, vt posteris nobis aduersus præuaricatores munita vndique auctoritas traderetur, propter hæresin amputãdam, quam superius taxauimus, de adsumendis fœminis, quam siue per semetipsum, siue per seruos suos dominus paululum relaxauit, ne nimio rigore in totum domini fabrica damnaretur. Præuidebantur à domino hæretici, qui nuptias auferunt, & quod dominus iunxit, contra naturæ principium, & contra euangelium separare contendunt. Quibus interdicens iam tunc auctoritas parabatur, ne maritatæ mulieres accedere vetarentur ad Christum, cui in præsentia seruierũt. Sed non sine moderamine fuit etiam ipsa promissio procurata, quæ non sibi operabatur quod gerebat, sed ceteris. Nam sic alloquutus dominus Samaritanam ad horã docuit & recessit, nec defensionem continuandis excessibus fecit. Ad horam quoque Martham passus est ministrantem. Sed quid erat aliud domino, nisi regni cælestis prandia ministrare? Nunquid sub domino non fuere conuiuia? aut sub maiestate eius erat alius cibus aut potus, quàm disciplina tantummodo quæ pascebat? testante ipso domino ac dicente, *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Sic apostolos mulierum comitatus decebat, vt non perderent, sed vt discerent reuerentiam: & propter humanitatis exhibendum ministerium sequebantur, sicut in euãgelio de domino & de ipsis pariter memoratur: *Et factum est,* inquit, *post hæc & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, euangelizans regnũ Dei, & duodecim cum illo, & mulieres quæ erant curatæ à spiritibus immundis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia septẽ exierant, et Iohanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Nunquid adhærebant singularibus singulares, aut indisciplinatæ commorantes, perseuerabant inlecebroso consortio conuersantes? Vbi tota ecclesia prope modum videbatur, vt non ad conuiuationes improbas

2. Corin. 11.

1. Timo. 1.

1. Cor. 8.

1. Tim. 1.

2. Timo. 2.

Ioan. 4.

Lucæ 10.

Ibidem. 8.

bas, sed ad discenda bonæ cõuersationis studia sequerentur. Adeo non bene describitur, quod nostris conuiuationibus coæquetur, non risus, non iocus dicitur adfuisse. Nec sicut apud quosdam nunc vsque adsolet fieri, chorus psallentium virginum aures venenosis cantibus adseritur demulsisse. Et vt de apostolis breuiter probem, quantum illis fluxa familiaritas potuit displicere, qui compulsi sunt, & de ipso domino loquẽte cum fœmina dubitare, nisi eos maiestatis notitia probata compescceret, sicut euangelista refert, dicens, *Inter hæc*, inquit, *venerunt discipuli eius, & mirabantur quod cum muliere loqueretur. nemo tamen dixit illi, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* Quid autem loquar accessum fœminæ ad pedes domini prouolutæ? cuius luctus & planctus ad defensionem lasciuiæ suæ non erubescunt improbi flagitare? Vsque adeo illos propria cæcitas rapit, vt nec de similibus causis audeant reluctari, de quibus Salomon, *Excæcauit*, inquit, *eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Iohannes autem matrem domini suscepisse videtur, sed matrem, cuius mores maternum indicat nomen. Tamen non possum & alias Christi matres admittere, nec ęquanda est mulieribus cunctis quę genuit maiestatem. Helias quoque iussus est à domino relinquere solitudinem, & ingredi tabernaculum viduæ. Pro imperio domini laborauit, vt in domo mansisset, cui solitudo palatium pręstabat ad requiem. Occasionem illi dominus obtulit ad magnalia facienda, vt famis tempore magis tam ipsi viduæ quàm pupillis eius sufficientia tribueret alimenta: qui ieiuniis vsquequaque adflictus tolerauerat indigentiam, & qui missus venerat pasci: pastus quinimmo conferens miseris, miserias egestatis fecit excludi. Et hoc non potest cuiusquam fauere luxuriæ, cum nulla fuerit opportunitas scandali, vbi transeunter quod peius est egestosam habuerit mansionem, quam quicunque hospes effugerit. At hic apud quos hospitatus est, impleuit & rediit, qui etiam si moraretur, suspectus esse non potuit. Qualis illic fuit communitatis affectus, vbi nõ erat victus? Et qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es qui te vis Heliæ de commoratione viduæ vocari discipulum, prius solitudinis adflictiones, & quadraginta dierum tolera ieiunij exitium, & aut nõ quæres fœminam, aut non erit qui cum fœmina commoretur, & tamen si valueris tibi serua. Nobis autem in spiritu & virtute Heliæ non alium quàm Iohannem solum angelus & dominus Christus insinuat. Pro dolor, dolere cogimur quod docemus, qui vsque ad hoc venimus, vt in comparatione fluxorum de sanctorum tremendis virtutibus disputemus. Parce iam parce proteruitas, nunquam tibi sancti consentiunt, qui religiosa, modesta, veneranda, pudica, pudorata cum fœminis negocia peregerunt. Aut si adhuc per sanctos cauillationis anfractus contendis exquirere, nos tamen amicos dei non nouimus, nisi ad venerationem tantummodo memorari, quod Dauid docuit, dicens, *Mihi autem vehementer honorificati sunt amici tui Deus.* Eant nunc prædones pudoris, & plagiarij castitatis, mulierculis suis exponere molestias querelarum. Apud sanctos nostros non habent omnino suffugium, quibus miscere ecclesia auctoritate Pauli apostoli prohibetur, *Et hos*, inquit, *deuita: ex his enim sunt qui repunt in domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.* Post hoc edictum vtinam confidant sibi angelorum exempla conducere. Nos iam non valent flectere, qui nouimus & angelos cum fœminis cecidisse. Ab ipsis equidem bene patrocinia mutuãtur, sed nos nullum angelũ audimus contra Paulum apostolum, *Et si*, inquit, *ego aut angelus dei aliter euangelizauerit vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Insaniunt prorsus & ardent incendio fœminarum, quotquot huic interdictioni non cedunt, & obscœnitatibus inhiantes malunt mori, quàm contenti sint à lateribus mulierum aliqua disiunctione diuelli, vt ad explendam suæ

Lucæ 7. Ioan. 4. Sap. 2. 3. Reg. 17. Matth. 11. Lucæ 1. Psal. 138. 1. Tim. 2. Galat. 1.

auiditatis ingluuiem etiam puncto temporis non sint sine fœminę voluptate: & hunc habent in mulieribus fructum, vt in illis semper defixa intentione, desideria satient oculorum, ne vel momentum aliquod transeat, quando indigeant quod affectant. Sic inter eos integritas emoritur, vbi omnis commoratio siue conuiuendo, siue commanendo corruptis affectionibus inquinatur. 1.Pet.2. Quos sanctus Petrus apostolus designauit dicens, *In conuiuiis suis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus, & incessabilibus delictis capientes animas infirmas.* Ecclesi.14. Hos etiam ita Salomon denotat, *Abominatio est*, inquit, *coram domino defigens oculum.* Iob.31. Planè contrà, purum oculum testatur se habere Iob, qui ait, *Aut si oculis consensit cor meum.* Verum enimuero ille potest suis oculis obnoxius non teneri, cui nolenti repentinus occursus mulieris, scandalum mouerit, quod protinus mens quod nolebat, expellit. Ille autem commotionem sui visus non meretur euadere, qui apud se scandali materiam tenet, qui vult intentionis suæ affectibus frui, qui adfectat habere quod oculis offensionem ingerat, quorum auiditas inexplebilis inter offendicula continua nullo modo potest omnino compesci, quod Salomon adprobat, dicens, *Infernus & interitus non satiantur, similiter oculi hominum insatiabiles sunt.* Prouer. 27. Eccl. 1. Et in alio loco, *Non satiatur oculus videndo.* Eccl.31. Et iterum, *Nequius oculo quid creatum est?* Hac castigatione non compuncti, diuina interdicta nefandæ familiaritatis obstinatione cõtemnunt, & adhuc insuper de charitate causantur, qui secundum verbum Esaiæ amaritudinem pro dulcedine deuorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt, dum apud eos sub falsa dilectione, vera dilectio violatur. Esa. 5. Sed exclamat charitas & adpellat, Tales ego non iunxi, falsa altera est quæ me simulando confinxit. Nunquam Dei præceptis obsisto, nunquam fluxis faueo, per me sanctitatem non opto culpari. Calumnias mihi aduersa germanitas facit, pericula & ego inter falsos fratres incurri. Succurre meus præco, succurre Paule apostole, dic testimonium meum, ne quod de me adnuncias peruertatur. 1.Timo. 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* Dilectio deputabitur, per quam sanctitatis iniuria criminationibus adpetitur? Aut illorum erit sincera fraternitas æstimanda, de quibus filiæ matris ecclesiæ perducuntur in culpam? Si talis Christiana charitas aduocatur, indubitanter odia meliora sunt, quæ dum separant, neminem maculant. Hæc autem parricidalis dilectio fratres, persecutores adunare consueuit, qui libenter patiuntur de suo consortio filias ecclesiæ fornicarias diffamari, cõtra charitatem quam Paulus apostolus docuit, dicens, *Dilectio proximi malum non operatur.* Rom. 13. Egregia probatio charitatis, quæ non tantum noxia germanitate officit proximo, sed etiam subiecta non vult esse præscriptionibus euangelicæ vel apostolicæ iussionis. Confundantur adsertores dilectionis huiusmodi, quos iudicant illi qui pro communibus commodis etiam cõsanguineam deserunt charitatem. In omni mundo penè totum iunctum est genus humanum, & vbiq; cognatio naturalis alterna peregrinatione discernitur. Possunt parentes, possunt filij, possunt fratres, possunt & ipsi, quod plus est, coniuges à Deo concessa sibi naturæ vincula disrumpere: & clerici Deo non concedente, insuper prohibẽte, mulierum nexibus ancillatam vel compeditam non valent recusare charitatem? Optanda semper cognatis absentatur affinitas proximorum, & peregrinari ab extraneis fœminis clerici reluctantur: quibus faciendum fuerat etiam si peculiare aliquid vel inconsuetum dominus imperasset, qui ad explicanda impossibilia habent spiritũ sanctum, quem mundani homines non habent. Vnde Iohannes apostolus sic admonet, dicens, 1.Ioan.4. *Filioli vincite illos, quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in hoc mundo.* Nunc vero possibile etiam gentibus, non dicam Christianis, & leue prospicitur, & apud clericos sine vllis effectibus euacuatur, vt parum sit eis

Dei

Dei mandata despicere, nisi aliud dedecus habeant, quod nec sectantur, non dicam vincunt omnium gentium consuetudinem: quibus dominus per Ezechielem exprobrat & dicit, *In legalibus meis non ambulastis, & iustificationes meas non fecistis. Sed neque secundum iustificationes gentium, quæ sunt in circuitu vestro fecistis.* Ezech 20. Pudendum nescio quid dilectio ista significat, quæ extorqueri contra naturam putatur. Adhuc habeo quod mirari non valeo: cum videam de Christianis plerosque maritos pariter & vxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, vt consensu communium votorum sine inritatione præsentiæ & concordante secessu valeant obtinere: & eunuchi nostri nõ durant sine fœminę sodalitate dormire? apud illos amor coniugalis continentiæ amore pensatur, & apud spadones cohabitatio fœminæ nunquam potest habere fastidium? Dicat nunc eunuchorum charitas, dicat, ne forte in hac secessione magis coniugalis charitas peccet, vt apostoli Pauli consilium videatur coniugibus insinuasse diuortium: *Tempus*, inquit, *quod restat, breue est. Reliquum est vt & qui habent vxores, sic sint quasi non habentes.* 1. Corint. 7. quãta peruersitas dilectionis intenditur, vt & qui habent, quasi non habentes esse nitantur? & qui non habent, quasi habentes esse glorientur? De his ipse Apostolus ait, *Gloria in turpitudine ipsorum.* Philip. 3. Dilectio est, inquiunt. O dilectio quæ inuidet sibi: ô charitas quę cupit se in vituperatione laudari. Grande miraculum, vt virginum charitas virgines faciat velut coniuges credi, & coniugum charitas, coniuges faciat velut virgines æstimari. Ecce vera dilectio, quæ in coniugalitate diuidit, vt in castitate coniungat: ecce sancta dilectio, quæ coniugalibus ad communem laudem inducit absentiam. Hi pro certo sese inseparabiliter diligunt, qui vt triumphos sibi inferant, à seipsis discedunt: quibus nec crimen, nec natura, nec lex, nec dominus, nec Apostolus potestatem vnius conuersationis interdixit aut tulit, sed pro tuendis paribus votis semota vnanimitate absentari charitas persuasit. Illi vero videant cuius sit charitas quam nouerunt, qui nec crimini, nec naturæ, nec legi, nec domino, nec apostolo, nec ipsi coniugalitati succumbunt, quos tantum virginitas probrosa condemnat, quantum illos coniugalitas castrata glorificat, quibus sufficiat ad supplicium dedecorosum, quod spadones à coniugibus iudicantur? Ad quorum increpationem non tacẽdi sunt etiã filij Israel, qui apud Esdram vxores & filios contra diuina iura susceptos, non cunctati sunt pellere, nec contra domini charitatem conati sunt excusare. Verum fatear si permittor. Qui nunc pro dimittendis fœminis alienis adhærent, quid facerent si liberos & vxores proiicere iuberentur? Aut quando valebunt pro Christo renunciare cognatis, qui mulierculas non suas præponunt Christi præceptis? Dico eos facile pro iisdem mulierculis parentes proprios abnegare, quàm propter Christum ipsas mulierculas relinquere posse, despicientes quod in euangelio ipse dominus testatus est dicens, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, aut matrem, aut vxorem, aut filios, & fratres, & sorores, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Esdræ 10. Lucæ 14. Si de abiiciendis parentibus dubitantes indigni sunt Christo, quid sibi promittunt quos contemptores exhibet Christo non parentalis affectio? Ac per hoc illorum meritis euacuantur, quos vident contemplatione Christi nullas personas excipere cognatorum. Nec minis eos, sed pœnis etiam illi confundunt, qui metuentes non tantum cum aliena, sed etiam cum sua carne luctari amputatis genitalibus semet ipsos abscidunt. De quibus modo examinationis suspendo sententiam, relinquens alia disputatione promendam. Secundum confusionem spadonum, non dubito meliores adferere, qui nec sibi parcunt quidem, non dicam fœminis audent tentamenta porrigere. Respondeant spiritales eunuchi, quis furor est in dilectione mulierum, vel quod sit in contubernalitate fœminæ mysterium, vt in perniciem

ſuam alienis membris indulgeant, cum illi ſua quoque incunctanter abſcindant? Hi confirmatos in ſe artus abiiciunt, & illi aduerſariis artubus glutinãtur. Hi pro integritate ſpiritali cum tormento non integri corporis dimicare non dubitant: & illi ſine tormento integri eſſe ſine fœminarum dimidietate detrectant. Sed aduerſus illos comparatio nulla eſt facienda de noſtris, ne conſolentur addicti quibuſcunque iudiciis Chriſtianis. Peiores ſunt & aliqui memorandi, vt maior pœna ſit à damnato damnari. Iudæos conſiderent vſque hodie pro legis imperio carnis ſuæ partem circunciſione truncare, & ſciant quid mereantur, qui euangelio iubente diſsimulant circunciſi mulierum præſentia peragere domini voluntatem, non intelligentes quod ipſe dominus dixerit, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & phariſæorum, non intratis in regnum cælorum.* Puto etiam de Gallis ſuis nobis idololatræ exprobranter inſultent, qui abſcidentes ſemetipſos libẽter excruciant, dummodo cum damno ſtatus ſui ſimulachrorum diſsimulationibus pareant. Clerici autem noſtri ad lucrum magis corporis proprij, damnum volunt mulierum ſecum commorantium ſuſtinere, quas etiam de ſubſtantia propria euellere oportebat, ſi cum illis naſci contingeret, ne comparati idololatris & ſacrilegis erubeſcerent. De quibus & dominus contemptores arguit, dicens, *Prudentiores ſunt filij ſeculi huius filiis lucis.* Ergo noſtris clericis talium profana deuotio eſt præponenda, quibus cum tantis exitiis amabilia ſunt turpia ſacerdotia. Clerici vero pro dignitate ſacerdotij cæleſtis non ſanguinem fundunt, non tolerant ferrum, non eſt aliquod vulnus, non eſt aliquis cruciatus, ſed ſolus contra dominum fœminæ terret aſpectus. Sic in fœminas ruunt, ſic fœminas amant, vt non ſperent manifeſtari dilectionis ſuæ quandoque poſſe pura myſteria, ſicut per conſimiles eorum turpiter publicata ſunt & detecta, quos Paulus apoſtolus præuiderat iam tunc dicens, *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur: ſimiliter autem & facta bona manifeſta ſunt, & quæcunque aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.* At contra & ipſi dicunt, Nonnulli de contemptoribus noſtris ſimiliter fœminas habentes in domibus martyrium conſecuti ſunt, vt illorum innocens conſcientia probaretur. Nolo mihi de martyrio quiſquam moueat actionem, quia ſæpius & mœchi, & ſanguinarij, & ebrioſi, & omnium ſcelerum rei, reperta pugnæ occaſione, conuerſi meruerunt ad martyrij palmam peruenire. Ideo enim martyriũ adpellatur tam corona, quàm baptiſma, quia baptizat pariter & coronat. Age nunc, ſi licuit quibuſdam inuiolata fœminarum ſocietate martyrium promereri, ſine indulgentia quoque illis martyrium ipſum non fuit, quos reatus prohibitæ contubernalitatis non abſoluit. Nec innocentes in ipſa innocentia potuit adprobare, quibus contemptum legis & conuerſationis inlicitæ fœditatem, & quod eſt grauius ſuper omnia, crimen eccleſiæ cernitur ignouiſſe. Etenim noxia eſt innocentia, quæ ſponſæ Chriſti officit famæ. Et cum Chriſtus agnus innocens, immo ipſe cæleſtis innocentia, quod eſt verius, totum ſe contempſerit pro eccleſia, vt eam ſine macula vlla vel ruga redderet inlibatam: qualis eſt clericus cui ad hoc ſponſa Chriſti committitur, vt pro vnius fœminæ amore culpari totam eccleſiam patiatur? Auſim dicere, à Deo patre miſſus eſt filius de ſinu patris, & regno abſens eſſe durauit, vt eccleſiam faceret innocentem: & clericus mulieris latus deſerere non poteſt, ne Chriſti eccleſiam reddat infamem? Sed aiunt, In martyrio ignoſcitur nobis, ſicut indultum eſt parentibus. Hoc ergo & nos omnes de peccatis noſtris confidamus, vt qui agere bene laboramus, inter luxurias euagemur, & diſcurramus per ſemitas peccatorum, retinacula dimittamus, & frena laxemus. Eamus quacunque nos mundus abſtulerit, & vbicunque nos diabolus inuitauerit: libere fornicemur, inuideamus, rapiamus, fraude-

Matth. 5.

Lucæ 16.

1. Tim. 1.

fraudemus, omnia mala securi committamus: martyrium subueniet,& euademus. Sic enim Paulus apostolus pollicetur, *Faciamus mala vt veniant bona,* Rom.3. *quorum damnatio iusta est.* Huic martyrio spem tradant, quos mathematici docuerunt habere de crastino prescientiam,& has coronas expectent, qui super angelos & Christum per astrologos didicerunt scire tempora, quæ pater in Act. 1. sua posuit potestate, vt vel tunc recordentur ante martyrij tempus bene agere debuisse, cum diem domini senserint sicut furem. Sed credamus super illos martyrium iam iamque pendere. Interim priusquam martyres fiant, legibus subiacent, vt iudicio subiiciantur, nisi armis exarmentur. Audaciæ nefas est illis aduersus auctoritatem domini parentum personas obiicere, quibus ipse dominus contradictionis huius abstulit vocem. *In legalibus,* inquit, *patrum* Ezech.20. *vestrorum nolite ambulare, & iustificationes eorũ nolite custodire, & in studiis eorum nolite commiscери, & nolite inquinari. Ego dominus Deus vester. In præceptis meis ambulate, & iustificationes meas custodite.* Sciant nunc adempta sibi esse parentalia patrocinia, qui huc atq; illuc recurrentes contradictionum latebras quærunt, ne vnquam fœminis careant: & quia vndique defensionis suffragio deseruntur in nouissimis cunctis argumentis exhaustis, sententiam Pauli apostoli opitulari sibi opinantur, & dicunt, *Tu quis es, vt qui de seruo alieno iudices?* Rom. 14. Agnoscit equidem Paulus apostolus constitutionis suæ verba prolata, sed constitutionarios & prolatores ipsos ignorat. Illis enim contulit defensionem, qui nullam partem legis impugnant, & ipsis tribuit patrocinium, qui ex voto suo aliquid faciunt, nec quicquam ecclesiastici iuris impediunt. Ius tractat viuendi, & non edendi, arbitrium vniuscuiusque confirmans. De similibus neminem iussit iudicari, quæ voluntati singulorũ auctoritas diuina concedens in vtraque parte faciendi & non faciendi clementer indulsit. Illos autem ecclesiasticis tribunalibus subdidit, quos transgressores ordinariæ transgressionis nulla impunitas excusauit, vt qui passim, *Tu quis es, qui de seruo alieno iudices?* aduersus nos veluti libellum contradictorium proferunt, rationale simul & certum recognoscant quod accepimus ab eodem Paulo apostolo 2. Thessal.3. repulsorium: *Præcipimus,* inquit, *vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt separetis vos à fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis.* Euasimus vt opinor, tanta ligamina quæstionum, quibus amatores eunuchos amplexus fœminei ligauerunt: qui peruersis interpretationibus decreta legalia demutare coguntur, & malunt audiri proponentes vana & fabulosa commenta, quàm ipsi quæ vera sunt audiant: quos Paulus apostolus adnunciat dicens, *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quicquid volunt adhuc exquirant, vt obsistant pro 2.Tim.4. mulieribus veritati. Victoriam non habent apud quos contra Esdram mulier 3.Esd. 4. potius quàm veritas vicit. Vos autem filij charissimi non tantum persuasione, sed etiam potestate conuenio. Tale deliramentum despicite, quorũ quæstiones Paulum apostolum scitis vbique damnasse, sicut ad Romanos scripsit Rom.16. dicens, *Rogo vos fratres diligenter obseruare eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, aut dicunt, aut faciunt, & declinate ab ipsis.* Sic & Timotheo delegat, *Noli,* inquit, *verbis contendere: nihil enim vtile est, nisi in sub-* 2.Timo.2. *uersionem audientium. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inreprehensibilem, recte tractantem verbum veritatis. Stulta autem & inania eloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit.* Atque vt ostenderet clericis disponendis, ad euacuandas quæstiones quæ sit doctrina conueniens, etiam Tito sic insinuat dicens, *Tu autem loquere quæ conue-* Titum. 2. *niunt sanæ doctrinæ, maiores natu sobrios esse, prudentes, sanos in fide, in charitate, in patientia sincera.* Ergo auditiones simplices obedientia vestra suscipiet,& versipellem contradictionum vitate fallaciã. Purum iter vestris gressibus mun-

date,& ſuper ſpinas & tribulos nolite ſeminare vel calcare,ne bonum ſemen non poſsit vobis propter ſpinarum frutices ſanctitatis fructus adferre. Vnde propheta Hieremias ſeminantes ſic hortatur & docet dicens, *Nolite*, inquit, *ſerere in ſpinis. Circuncidite Vos Deo Veſtro, circuncidite præputium cordis Veſtri.* Abſcindenda ſunt ergo de agro veſtro cuncta quæ pungere & lacerare conſueuerunt, ne animus agricultoris in poſſeſsione ſua malignis ſentibus inſeratur. Et amputanda ſunt omnia vobis quæcunque igniferi fomitis ſulphurantibus flammis ſcatens fornax ebulliētis carnis exæſtuat, ne vel tenuis quidem ſcintilla ſeruata maiora conflet incendia. Quod Salomon manifeſtat dicens, *Ab ſcintilla Vna augetur ignis.* Auertite occaſiones impuras, quibus interiora pectoris penetrantur, vt liquida in vobis perſpicuitas honoretur. Contenti eſtote ſingularitatē laborioſam pro pudore ſeruando potius ſuſtinere, quàm ſine labore ad dedecus peruenire. Contemplamini quid ſit populo ſancto præeſſe, & conſiderate quale ſit diuinis ſacramentis inſiſtere. Altaribus placere debent, qui de altaribus viuunt: & talis conuenit cura ſinceritatis ſacratis, qualia ſunt ſacra ipſa, quibus exhibent officia ſeruitutis, nec circa dominum offendant ipſi quod tractant, aut circa populum incipiāt impedire quod prædicant. Propter quod Paulus Apoſtolus ſic teſtificatur, *Et omnia*, inquit, *ſuſtinemus, ne quod impedimentum demus euangelio Chriſti.* & iterum, *Nemini dantes Vllam offenſionem, Vt non Vituperetur miniſterium noſtrum.* Hac igitur inſtitutione vobis quàm plurimum laborādum eſt, de iis quibus ad manifeſtandam grauitatem ſingularitas magis quàm parilitas teſtis vera eſt. Reſpicite quanta mala conuerſatio parilitatis huius adquirat, quę non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, corrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, caſas exaltat, ruinas ædificat, rapinas exigit, præcipitia inſtruit, periculis nauigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fouet, confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & caterua-tim ſemel in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum. Totitaque & tantas ſtrages calamitatis, & ſtrages peſsimæ conuerſationis nemo proſternit, nemo calcat, nemo funeſtat, niſi ſingularis caſtitas ſola, quæ munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ: fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas: probitatis præſidium, & imbrobitatis excidium: animæ victoria, & corporis præda: vbertas gloriarum, & captiuitas criminum: pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis: ſinceritatis indicium, & abolitio ſcandalorum: exercitium continentię, & vacatio tota luxuriæ: pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum: puritatis culmen, & libidinis cancer: honeſtatis portus, & ignominiæ naufragalis locus: virginitatis mater, & hoſtis immunditiæ: lorica pudoris, & ſpolium probroſitatis: corruptionis exitium, murus rigoris, & deſtructio vulgaritatis: ſeueritatis gladius triumphator, & diſſolutionis occiſor: armatura virium, & exarmatio fluxurarum: integritatis dignitas, & fornicationis addictio: claritatis faſtigium, & dedecoris præcipitium: voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum: refrigerium pudicitiæ, & pœna petulantiæ: acquiſitio triumphorum, & facinorum detrimentum: requies ſalutis, & perditionis exilium: vita ſpiritus & carnis interitus: ſtatus qualitatis angelicæ, funus humanæ ſubſtantiæ. Huius retinaculis omnis obſcœnitas frenatur, & compedibus eius calces furentis libidinis ſtatuuntur. In hac velut in ſcopulo, franguntur impetus qualeſcunque ſanguinis inundantis, & in illa ſedatur ſpumans tumoris inſania corporalis. Quæ dum ſibi ſubtrahit adminicula concupiſcentiæ, mortua membra ſua cognoſcitur baiulare: de quibus apoſtolus Paulus præmonet, dicens, *Mortificate ergo mem-*

Hiere. 4.

Eccl. 11.

2. Corint. 6

Coloſſ. 3.

go membra vestra, quæ sunt super terrã, fornicationem, immunditiam, libidinem concupiscentiam malam, et auaritiam, quæ est idolorũ seruitus, propter quæ venit ira Dei. Ab his omnibus non nisi splendido singularitatis cultro castratur humana natura, vt inlibatos spadones ad conuiuium sanctitatis dispensante circuncisione introducat. Cui sanctitas ita promisit anuli sui nuptiale signaculum, vt sine ipsa virginitas resignetur: quæ se sola contenta cupidinem domat, mentémque castificat, concupiscentiam subigit, desideria ardoris extinguit, artus debilitat, corpus ancillat, & ita carnalia crucifigit, vt tam masculus quam fœmina videatur in conuersatione mentiri, dum illos operatione vtriusque sexus abscidit: aut neutrum faciens de duobus, tertiam formam conferre gloriatur ambobus, vt ante resurrectionem resurrectionis imaginem ad instar angelorum, meditari noscatur. Quod promittens dominus in futurum, *Qui digni*, inquit, *habentur seculi illius, & resurrectionis à mortuis, non nubent, neque nubentur: neque enim morientur. Nam sunt similes angelis Dei: quia resurrectionis filij sunt.* Hoc exigit sancta singularitas meritorum, vt antequam transfiguretur, iam transfigurata cernatur in angelicæ claritatis aspectum. Quæ omnia sibi amputans concupiscentię certamina deprædatur. Cuius laudes Salomon exequitur, dicens, *Melius est esse sine filiis cum claritate. immortalis est enim memoria illius: quia & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam, & desiderant eam cum se abduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum prælium vincens.* Non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectę parilitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum & fœminam pariter in virginitate conseruet, non habet claritatem, quam communitas ipsa non potest: nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurare. Singularitas vero ita clara est omnibus & exserta, vt cunctis splendore sui candoris pura manifestetur & lucida. Vnde sic nos Apostolus edocet, dicẽs, *Sicut filij lucis ambulate: fructus enim luminis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quod beneplacitum sit Deo.* & iterum, *Omnia*, inquit, *facite sine murmuratione & hæsitatione, vt sitis inreprehensibiles & simplices sicut filij Dei immaculati in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Sic vbique singularitas splẽdet, vt omnes pro illa splendere non dubitent: & ita sanctitatem in semetipsa clarificat, vt laudem sibi ab ipsis quoque inimicis extorqueat. Quod maxime de præposito quocunque Paulus apostolus mandat, dicens, *oportet autem eum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & laqueũ diaboli.* Hanc igitur amate, hanc tenete, quæ sola potest fœminas debellare. Cum adhuc concupiscentia nulla pectus impulsat, & dum adhuc simplicitas incorrupta permanet vel quieta, ad secretæ singularitatis tutelam cito concurrite, ne postmodum non valeatis effugere. Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improuidis. Salutare remedium est, præuenire potius quàm præueniri, & anticipare potius quàm anticipari viribus fortibus congruit. Vbicunque fuerit prouidentia, frustrantur vniuersa contraria: vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando satagimus. sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus prouidentiàm temporum futurorum. Quanto magis ante præuenienda est omni præuisione calamitas fœminarum, cuius cupido si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem? Cuius comparationem Salomon explicat, dicens, *Infernus & amor mulieris, & terra quæ non satiatur aqua, & ignis non dicit, Sufficit.* Vnusquisque itaque qui securus est, quia necdum tentatur, timeat: quia nihil de illo dicitur, prospiciat ne dicatur, Homines sumus, fragilitatem no-

Lucæ 10.

Eccl. 19.

Ephes. 5.

Philip. 7.

1. Timo. 3.

Prouer. 30.

ſtram carne portamus. Sic eam vndique nos circunſpecta viuacitate circundare debemus & cingere, vt non ſit pars aliqua quæ vacillet. Accipimus quidem fortitudinem ſpiritalem, per quam ſubſtantiæ noſtræ fragilitas roboretur: ſed ita nobis ſpiritalis fortitudo collata eſt, vt prouidos nos, non vt præcipites tueatur: vt illos muniat, qui renunciant importunitatibus delictorum, non eos qui ſe magis importunis delictis immergunt. Cuſtos nobis datus eſt ſpiritus, ſed vt contraria declinantibus adſiſtendo ſubueniat, non vt contraria eligentibus faueat: nec vt voluntarios & pronos in aduerſa confortet, ſed vt ab aduerſis nitentes ſeparari, confirmet. Nam quicunque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, iuuamen non habet ſpiritus ſancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coartari: nec protegit eum, quinimmo ſed deſerit quem periculis inruentem per inlicitos euentus exquirere triumphos agnouerit: ſicut ipſe iam
Eccleſi.3. tunc per Salomonem loquutus eſt, dicens, *Amans periculum, in ipſo periet.* Ordine ſuo igitur, nõ noſtro arbitrio, virtus ſancti ſpiritus miniſtratur, & ſecundũ inſtitutum eius prælia proſperantur: nunquam niſi præcipitatus exercitus cecidit, qui auidus fortiter facere ducis vel imperatoris ſui diſpoſitiones inrupit: multò magis per periturã erogat fortitudinem, qui ſine armis doctrinæ magiſtri ſpiritus præſumpſerit triumphare, cum dicat, *Væ qui per præſumptionem ſuam aliquid faciunt, non per Deum.* Si qua igitur in vobis eſt fiducia virium ſpiritalium, quid ſpiritales deceat recordemur: & ſi creditis vos ſpiritaliter militare, agnoſcite quod docemus non eſſe carnale: ſicut
1.Cor.14. Paulus Apoſtolus loquitur, dicens, *Si quis putat ſe prophetam eſſe aut ſpiritalem, cognoſcat quæ ſcribo vobis.* Non eſt quod vobis in hac perſuaſione deceptoria blandiamini: vt quia ſpiritales eſtis, velitis inter flagitioſorum armamenta verſari: nec vos inhabiles eſſe pro clericatus dignitate, quia maiores maioribus conſuerunt conflictiones occurrere. Acrius diuitibus, quàm pauperibus inuidetur: & non inopes, ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces & principes, quàm milites ab hoſtibus adpetuntur in pugna: & violentius propulſantur ventis & turbinibus culmina quæcunque ſunt altiora. Ideo magis magíſque quo plus ceteris vnuſquiſque poteſt, ſciat eſſe ſibi metuendum, ne in aliquo minoretur: propter quod
Prouer.10. Salomon ſic admonet, dicens, *Qui gloriatur,* inquit, *in diuitiis, paupertatem vereatur.* Rogo vos quantum valeo, & vltra quàm valeo, hæc ſint ſtudia omniũ clericorum, vt ſingularitatis inaccuſabilis ſeceſsione fungantur, ne aut ipſi per fœminas, aut fœminæ per illos ad ignominioſa ludibria prouocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel ſororem, vel coniugem, vel cognatam, ſic habeat, vt nulla ancilla interſit, neque aliqua ingrediatur extranea: ne ad hoc videatur tenere proximas ſuas, vt ipſarum cauſa libere ſibi adhibeat alienas. Quod ſi non poſsint ipſæ quæ ſunt proximæ ſine famularum miniſterio, vel ſine amicarum eſſe ſolatio, expedit vt migret ad aliud domicilium, quàm propter illas perſonæ contrariæ teneantur: humanum eſt enim, vt nec clericus illas neceſſariis fœminis fraudet, nec ipſæ clericum per importunas fœminas ſordident. Adſignari poſſunt ſanctis mulieribus, cum quibus viuant, dummodo cum clerico fœmina nulla commaneat, non deſpecta, non vetula ſine affinitate peculiariter ſuſcipienda ad domeſticum obſequium: quia magis illic cito delinquitur, vbi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum: maxime quia cupidinis nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidij, vel vilis exiſtit, quia diabolus pingens, ſpecioſum efficit quicquid fœdum vel horridum fuerit. Si quis autem modo profectione cogente apud fratres vel apud extraneos hoſpitatur, vbi mulieres interſunt, omnino ſe artet, ne paſsibilitate aliqua vitietur. Semotus ac ſecretus, Deo vacet & ſibi, ne

bi,ne intus capiatur à diabolo: & qui foris capi non potuit,apud ſuos cadat. Qui hoſtes effugit ad tempus pro ſalutaribus cauſis procedat ad faciẽ, & iterum cito diſcedere de conſpectu feſtinet. Vbique guſtanda eſt cum mulieribus, non continuanda præſentia,ſed quaſi tranſeunter fœminis exhibenda eſt acceſsio quodãmodo fugitiua. Proteruitatis enim iam cœpta ſunt,repræſentari ſemper in medium:& perditionis meditatio eſt,frequentantium inter mulieres celebrare proceſſum.De qua re nobis Salomon moderamen impoſuit,dicens, *In medio mulierum noli aſſiduus eſſe*.Sic igitur ambulate,ſic agite,vt Eccleſi.42. ſemper in clericis eccleſiæ ſenatus candidus conſtet. Seueritas in vobis circa fœminas vigeat,auctoritas polleat,vigor teneatur,grauitas veneretur.Vt ſemel omnia colligamus ad clauſulam,breuiarium relegimus vobis, quod ad compendioſam plenitudinem redigens Paulus Apoſtolus inſinuat, *De cetero* Philip.4. *fratres,quæcunque ſunt vera,quæcunque pudica,quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia,quæcunque bonæ famæ,ſi qua virtus,ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate,quæ accepiſtis,& didiciſtis,& audiſtis,& vidiſtis in me: hæc agite,& Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Amen.

AD CORNELIVM PAPAM, DE CARDINALIBVS OPERIBVS CHRISTI VSQVE AD eius aſcenſum ad patrem. CVI.

PRAEFATIO.

SOLENT matres infantulis nuper editis,in ipſo vitæ introitu aptare vocabula, & ex aliquibus præcedentibus vel circunſtantibus cauſis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina, vt in ipſis primordialibus initiis quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam,ne nomen eis eſſet ad ignominiam,ſi originalis naturæ traductio à conſueto limite deuiaret,& à virtute patrum degenerans, indigna ſucceſsio, monſtri,non hominis, faciem exhiberet: reſpicerent potius ad nomina vel officia ſua,quorum inſpectio honeſtę conuerſationis formam eis infunderet & doctrinam, vt honorificarẽt naturales cauſas & rationales diſciplinas,nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines,vel primarias offenderent dignitates.Nam olim tumultuarie vel inconſiderate nomina rebus imponebantur,ſed ex quo ad Adam adducta ſunt ſingula,vt vocaret ea & propria imponeret nomina,prouiſum eſt in populo antiquo & inſtitutum,vt aliqua eſſet in vocabulis ratio, & interpretarẽtur nomina vitam, & exprimerent aliquam perſonæ proprietatem, ſecundum quam vel differret à ceteris,vel etiam communicaret. Sic in nominibus patriarcharũ Abraham, Iſaac & Iacob magnarum rerum extitere indicia, & præloquebantur ventura,nec deerat impoſitorum nominum ſecundum ſenſum ſuum effectuum certitudo. Apud gentiles etiam non in nominibus, ſed in agnominibus poſtea à viris inluſtribus obſeruatum, vt nobilitas generis vel virtutis gloria poſteros inluſtraret: Auguſti vel Cæſaris titulo ſuccedentem honorare progeniem, & imperatoriæ dignitatis hæredes primæ originis inradiare fulgoribus.Sic & philoſophi & doctores antiqui tractatibus ſuis nomina prętexere, breui titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes,& propriæ gloriæ præpoſito nomine ſuo prouidentes, vt integritatem operis & laborem auctoris tam ſtili quàm perſonę,in poſterum auctoritas conſeruaret,& facile ſcripturæ ſubtilitas indicaret,ſi aliqua manus inuida elegantiæ tractatuum elimatorum pannum rudem inſueret, vel nugis ſuis quaſi ſua eſſent quæ alius lauda-

biliter dictaſſet, furtiua tranſlatione inſereret. Sic in capite libri ſui quiſque auctorem ſe poſuit, vt & ſtilus auctori, & ſtilo auctor famularetur, & auctoritate altrinſeca communis gloria muniretur: hoc virorum inluſtrium prę-clara meruerunt ingenia, & per hæc viuax eorum fama & gloria indelebilis perſeuerat. Nos vero qui vix intelligimus quæ ab eis dicta ſunt, ſenſu & eloquẽtia omnino eis impares, ſi quid aliquando ſcribimus, indignum titulo iudicamus, ne forte nobilis materia, cuius explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potius quàm ornatam noſtra prę-ſumptione queratur. Verum quia ſolent aliquando patres nugis infantibus arridere, & linguis balbutientibus delectari, indulgentiam mereretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit adtrectandam, non gloriam mendicans, ſed gratiam. Ego quidem nec à meipſo, neque ab alio quæro nomen: neque enim aliquid me exiſtimo eſſe cum nihil ſum, qui hoc à vobis maxima ſupplicatione quæſiui, vt non eſſem quod ſum, & humiliter ſupplicaui, vt ab hac flamma in qua crucior, me veſtra clementia liberaret. Tentaui ſi poſſem manu veſtra me ſuſtinente, honeſte deſcendere: quod quia non potui, vrgentibus flammis non adtendi quò proſilirem, dum me vorax incendiũ non cremaret. Sublimes materiæ ſubtilium ingeniorum exigunt tractatores: nec facile de artibus recte iudicat, qui artes ignorat. Exercitati in liberalibus diſciplinis, ſimul ingenio conueniente & ſtudio philoſophari poſſunt, & ſecure aggredi res abditas, eorúmque conatibus ſe peruiam penetrata exhibet difficultas, & ænigmatibus enodatis rerum ſecretarum facies patet, cuius ſerenitatem velabat nubes oppoſita, & veritati ſuperfuſa caligo. Ideóque tam in diuinis, quàm in philoſophorum doctrinis nec tutum eſt, nec honeſtum ineruditos & ignaros ſenſuum ad literas illas pertinentium proſilire ad diſcuſſionem eorum quæ neſciunt: & de his ſibi vſurpare magiſterium quæ ignorant. Huius rei forma Seraphim faciem Dei & pedes velat, & patentibus quæ in medio ſunt principium finémque maieſtatis diuinæ alarum extenſio infra ſupráque operiens aditum ad ſe temerariis tractatoribus vel ſcriptoribus interdicit, nec patitur ad liquidum ſe videri diuinitas, quam vtique inueſtigatio fidelis aliquo modo odorat vel ſentit, ſed puram eius eſſentiam nec conſpicit nec comprehendit. Adfirmatio quippe de Dei eſſentia in promptu haberi non poteſt: neque enim definibilis eſt diuinitas: ſed verius ſinceriúſq; remotio indicat negando quid non ſit, quàm adſerendo quid ſit: quoniã quicquid ſenſui ſubiacet, illud eſſe non poteſt, quod omnẽ ſuperat intellectum. Quicquid audiri vel videri vel ſciri poteſt, non conuenit maieſtati: hebes eſt in hac conſideratione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus: hanc inuiſibilem lucem, & inacceſsibilem naturam ſex alis hinc & inde Seraphim ſtatu & volatu circumeunt & abſcondunt, ſtatu ęternitatis immobilitatem monſtrantes, volatu vero altitudinem eius, ſic in ſuperioribus eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo aſcendat, exaltetur Deus, & comprehenſionis importunitatem euadat. Nec tamen alæ illæ, quæ Dei velant ſubſtantiam, noſtros conſpectus diffugiunt, ſed illæ puris mentibus ſe viſibiles exhibent, & operum Dei ratio, ſiue eorum quæ ex nihilo ſunt, ſiue eorum quæ ex materia vel factæ ſunt vel fiunt, ſe intelligibilem exponit: & quæ circa Deum & quæ ſub Deo ſunt, mundi poteſt cordis quoquo modo ſinceritas contemplari. Prima rerum conditio, ſex inſtituta diebus, fatetur artificem, & profitetur opus auctorem. Neque enim ſuiipſius artifex eſſe aut potuit quis nouam creare materiam, nec potuerunt multa & diuerſa rerum eſſe principia: quia niſi ad vnum cuncta reſpicerẽt, diſcordia & infinitate cuncta turbata voluerentur in chaos, & repugnarent & conliderentur in ſe diſcordes materiæ, niſi omnibus factoris auctoritas imperaret: & vni⁹ monarchia poteſtatis, vniuerſitatis cauſas &

ſas & efficientias ordinaret. Homo itaque præpoſituram in inferiora accepit,ſciens quis hunc honorem contulerit:nec tamen ea ſcientiæ perfectione inluſtratus eſt,vt eo modo cognoſceret conditorem,quo eius cognitioni reliquæ creaturæ ſubiectæ ſunt: ſed diſtantiam maximã experiretur inter ſumma & infima,& ex hoc ipſo eſſet deo accliuis & humilis,quo auctori ſuo ſe in nullo poſſet conferre,cuius effugere dominium nec penetrare cõſilium, nec poterat vitare iudicium.Itaque qui circa ipſum ſunt angelici ſpiritus,licet inuiſibilis naturæ ſint,in legationibus tamen ſuis ſe auditu manifeſtant & viſu: & ſalutis noſtræ miniſteriales ſæpiſsime experimur,quorum officia & nomina in ſcripturis ſanctis habentur.Illa quidem ſuperiora agmina,nobis prędicant,non indicant Deum: & nunciant quæ iubentur, ſpecialitatem iniuncti negocij peragentes,non vniuerſitatis explicantes ſcientiam: quia ad nos numerus & menſura & pondus refertur.Deus vero his omnibus nõ artatur,ſed excedens omnia & æternaliter antecedens poteſtas & virtus, nil habet coæuum, nec immenſitatis eius profundum vlla creatura vel cæleſtis vel terrena metitur. Quæ vero ſub ipſo ſunt,implent templum,& prędens Eccleſia cognitionem earum rerum adſequitur,quæ ad cultum iuſtitiæ,quæ ad ordinem vitæ,quæ ad gradus aſcenſionum, quæ ad conuenientiam morum, quæ ad honeſtatem huius conuerſationis & gratiam pertinent contemplationis:hæc aguntur & exercentur in templo prędenti,& per hęc Deus quęritur,nec tamen quæſitus ilico inuenitur. Guſtamus, delibamus,odoramus,& prope eſt:cũque acceſſeris,longius abit.Et quomodo fulgur nubes diſrumpit,& repentina coruſcatio nõ tam inluminat quàm hebetat oculum,ita aliquando neſcio quo motu tangeris,& tangi te ſentis:eum tamen qui te tangit, non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinſecus quæ efferri non ſufficis, vt dubitare nõ poſsis,quia iuxta te eſt,immo intra te qui te ſollicitat:nec tamen ſicuti eſt,ſe tibi videndũ concedat.Rachel ad odorem,non ad eſum Liæ man dragoras concupiſcit:tu ſponſo fide,non complexu,coniungeris,tu ſpe concipis, donec Chriſtus in te formetur, & depoſito pondere huius cadaueris, eiuſdem ſint puritatis caro & ſpiritus,& renouata natura ſobolem immaculatam parturiat.Rachel quippe viſum principium ſonat. Quod verbum in principio apud Deum in ſuo proprio eſſe,mihi non patet,ſed quibuſdam nominibus Deum inuoco & dico,Iuſtitia,veritas,ſanctificatio,charitas:& quęro aliquas ſpecies vel formas,per quas quid ſentio quoquo modo intimem.Nam quod Verbum caro factum eſt,facilius video:& hoc ſenſui meo quaſi eſu incorporo: principium autem illud vix remotiſsimo odoratu quaſi pertrãſiens ſentio. Illa quidem intellectualia per viſibiles creaturas,quantum fas eſt animæ videre vel præuidere,diuina mente à longe proſpicimus,in multis per opinionum & coniecturarum pelagus circunducti,in multis veritati hærentes, in multis magnitudine rerum oppreſsi,exclamamus cum Apoſtolo,*O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ dei.* Cordi igitur noſtro ſe offert Deus,& aliquid ſui luminis infundit inuitãs & prouocans.Niſi enim aliquo modo ſentiretur, nec adpetendi nec inquirendi ſpes eſſet aliqua vel facultas.Sed quia ex parte ſentitur, admirationi eſt dolor ille & ſapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus ſimilitudinem,& per omnia ſuauitate differens: eóque deſideratur copioſius,quo cetera delectamenta excedit. Deſiderium autem inquirentes purificat,& purificatio excluſis enormitatibus ad formam Dei prouehit aſcendentes: atque ita in opere ſuo imago & ſimilitudo Dei multis laborioſisq; prouectibus propriam ſibi demum indicat dignitatẽ. Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, niſi incarnati verbi magiſterium acceſsiſſet, humana defeciſſent ingenia: & neſcio ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus adſurgere:ſed adſociata carni diuinitas adſumptam naturã ex par-

Gene. 31.

Rom. 11.

te suæ voluit esse claritatis consortem,& apertis cælis super doctorem & do-
Ioan. 1. minum nostrum,ad superiora nostrum introduxere aspectum:&vidimus glo-
riam eius quasi vnigeniti à patre: & de plenitudine gratiæ & veritatis quæ in
ipso est,instillata est nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuimus, *Qui vi-*
1bidem 14. *det me, videt & patrem.* Nec tamen in hac visione plena potest esse sufficientia,
donec in splendoribus sanctorũ in die virtutis suæ agnoscatur ratio gignen-
Esa. 64. tis & geniti & procedentis: quam oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in
1.Cor. 2. cor hominis ad liquidum hucusq; ascendit. In his omnibus quæ dicta sunt,o-
mnino sensum nostrum materiæ excedit sublimitas, & stilum repellit moles
nimij ponderis & ascensionis arduæ difficultas: sed præcepti vestri pater ex-
cellentissime,me coëgit necessitas, vt tentarem,si forte importunitate studij
aliqua possem de sanctuarij supellectile vellicare,& reducto in partem vela-
mine,arcto subtiliq; aditu propitiatorium intueri:prę sumpsit meditatio aspi
cere à longe,& annos æternos inquirere,& quid ante tempora secularia esset
indagare:si tamẽ seculum vel tempus dici potest ante lucem & diem & solem:
& quomodo ante causas elementarias & materiales origines illa æternitatis
infinitas se haberet,si illa omnipotẽtia apud se solitaria esset,& ministeriales
ei deessent spiritus,& maneret apud se inlocaliter sempiterna diuinitas:& in
quo esset sapientiæ regnum,cum non esset quod gereretur, & vsu speciéque
careret illa inanis antiquitas. Ab his omnibus repulsus,ad secularia visibilia
compulsus sum redire,& vtinam meipsum cognoscam & sciam. Quod si ani-
mæ meæ,quæ corporis mei obtinet principatum,nec originem scio,nec me-
tior quantitatem, nec qualis sit intueri sufficio: si ignota est mihi ratio qua-
re ipsa delectetur in corpore persecutore suo:si nescio quis hanc legem mem
bris insculpserit,vt tam violenta dominatione spiritum opprimat, & melior
digniorque natura deteriori succumbat: patienter me ferre oportet, si ope-
ratorem vniuersitatis non intelligo, qui in minimis operationum suarum
particulis meam profiteor cæcitatem. Insolubilis videtur hæc quæstio, Qua-
re homo rationabilis in negata nitatur &vetita,& semper inlicitis delectetur.
Omnino rarum est & difficile fieri bonum,facile & pronum est esse malum:&
hac sine magistro,sine exemplo doctrina statim à pubescẽtibus annis imbui-
mur & docemur. Vide in ipsis qui sanctimoniam profitentur,quæ religio ma-
num claudat porrectis muneribus: quæ solitudo aures obserat oblatis fauo-
ribus: quæ gula communibus est contenta saporibus. Quis non se habeat
vilem,si videat humilem? quis non putet opprobrium,si se sentit inglorium?
quis enumeret voluptatum potius monstra quàm species? quæ per concu-
piscentiæ carnis vitam animam trahunt, clam palamque de conclaui ad fo-
rum,de lupanari ad theatrum? In primis abrasa verecundia,pudoréque con-
uulso,non absconditur scelus,nec nutat ratio,nec discretio reluctatur carnis
affectibus: captiuus spiritus consentaneam exhibet clientelam. Hoc ipsum
quod dico,carnis affectus,improprie dico:quia hęc vitia propriè animæ sunt,
quæ sentit & mouet & viuit,cui imputatur peccatum: quia ipsi datum est ar-
bitrium,& iudicium,& scientia,& potẽtia,per quæ possit improbare malum,
& eligere bonum. Corpore autem sic vtitur anima,sicut faber malleo vel in-
cude,in qua format omnium turpitudinum idola,& fabricatur quęlibet qua-
rumcunque voluptatum simulachra. Non est caro dictatrix peccati, nec in-
uentrix malitiæ. nec cogitatus format, nec disponit agenda, sed officina est
spiritus,qui in ea & per eam quæcunque affectauerit,peragit & consummat.
Quod autem ipsa insensibilis sit,spiritu recedente dinoscitur: post cuius dis-
cessum nulli apta vsui supereſt putredinis massa, & paludis aceruus. Quic-
quid enim sentit, à natura corporis alienum probatur. Quòd vero caro ad-
uersus spiritum,& spiritus aduersus carnem cõtendere dicitur & repugnare,

impro-

improprie arbitror dictum, quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat, certior in huiuſmodi quæſtionibus quid bonum ſit, quid malum, quàm in aliarum rerum inquiſitionibus quid verum ſit, quid falſum. Nam in abditarum cauſarum inſpectionibus & ſecretis naturæ poteſt homo errare vel decipi, quia non per omnia à fine vſque ad finem intellectus humanus attingit: ſed in his quæ oculis & manibus ſubiacent, nulla ſubtilitas iudicium impedit: quia fœtentia à non fœtentibus, decora à turpibus, amara à dulcibus, dura à ſuauibus, & à diſſonis conſonãtia facile diſcernuntur. Sed deſiderij ſui veneno mens ebria, corpus contumeliis adplicat, & iunctis complexibus ambo in mortiferas ſuauitates elapſi, obdormiũt. Cũq; euigilauerint, ſero pœnitentiam adducit confuſio, & inquinamẽtorum horror fœdatæ mẽti occurrit. Et in ceteris omnibus quæ maligne patrata ſunt, huiuſmodi vltio peccatorem perſequitur, & ipſe libidinum labe crapulatus ſe conuomit. Sed auaritiæ ſolius & quæſtus ardor nec ſatiat cupidum, nec pœnitet eũ cumulaſſe, quod creſcere optat, non minui: & dyſcola obſtinatus ſemper quid idolo ſuo immolet, ſedulus coaceruat. Vnde hæc ſitis diuitiarũ miſeris pectoribus aſsidet, & ambitionis ſalſugo bibulam animam occupat, vt per fas & nefas ad loca ſuperiora etiam de latebris eremi nonnulli ſe ingerant: & de omni gradu vbi aliquis aditus patet, anheli prodeant, diſcurrãt ad iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, vt ſedeant cum principibus, eo quæſtu, vt maledicat Deus quod ipſi benedixerint, & benedicat quod maledixerint. Hæc lex peccati quare in his & ſimilibus legẽ iuſtitiæ opprimat, & quare eneruata ratio cum ſtare poſsit, tam miſerabiliter ruat, difficile eſt adſequi, maxime cũ defectus iſte à damnationis ſententia pendeat, & hanc ineuitabilem pœnam antiqua tranſgreſsio ſit ſortita. Ego ſi meipſum neſcio, ſi animæ meæ ſubſtantiam & naturam ignoro, ſi eorum quę intra me ſunt, rationem non intelligo, qua audacia ſupra me erigam oculos, vt videam principium ſine principio, & finem ſine fine adtingam? A talibus auſibus deſiſtendum excellentia maieſtatis imperat, & ipſa impoſsibilitas omnes ingenij noſtri conatus repellit. Ea igitur quæ licita ſunt & conceſſa tangamus, & circa cunabula ſaluatoris prima infantiæ eius fercula deguſtemus, & circunciſi & loti, victo diabolo, ſanctitatis adfectibus in cœna cum domino recumbamus, vbi pane angelorum refecti, poſt illius cibi delicias ſurgamus ad tranſitum, vt de hoc mundo vehiculo crucis euehamur ad cælum, ſpiritu ſancto nos replente, qui deinceps nos deuehat, & patefaciat quicquid in exilij huius peregrinatione moles corporis & imperfectionis lippitudo fecit obſcurum. Libellum igitur quem de cardinalibus Chriſti domini noſtri operibus ſcripſi, paternitati veſtræ, ſuppreſſo nomine noſtro, miſi, in quo fons ſacramentorum & diſciplinæ huius in qua ſtamus, origo, formam & exemplar recte viuendi nobis proponens, ab humili aduentu, vſque ad glorioſum eius reditum ad patrem, gradatim conſcendens, quem potius in mente noſtra, quàm in pagina ſcribi deſidero, & vtinam in ſanctitatis veſtræ conſpectu memoriam & recordationem noſtri ſupplex mereatur affectus.

DE NATIVITATE CHRISTI.

ADEST Chriſti multum deſiderata & diu expectata natiuitas, adeſt ſolennitas inclyta, & in præſentia ſaluatoris grates & laudes viſitatori ſuo per orbem terrarũ ſancta reddit eccleſia. Gaudia nobis cælitus nũciantur, lætitia imperatur. Nox iſta ſacri partus conſcia, nouis fulgoribus illuſtratur. Gloriantur in cæleſtibus ſuperi, pax in terra bonæ voluntatis hominibus cõfirmatur. Adſunt an-

geli,loquuntur paſtoribus:non dedignantur loqui perſonis humilibus,& cũ ipſi ſublimes ſint,infimos non aſpernantur.Nec luce inſolita,nec angelorum terrentur paſtores præſentia: ſanæ & puræ fidei homines delectantur in eo quod audiunt conſonas laudantium voces cæleſtes, gloriæ & gratiæ diuinæ præconia modulantes.Nec ſatis fuit ſuperius arcana reſerare cæleſtia,etiam hominibus pax reddita nunciatur, & bonæ voluntatis noui muneris largitate conſecratur adfectus. Oportuit bonum dominum certificare & lætificare in aduentu ſuo bonas expectantium voluntates:& multiplicatis teſtibus certa præſentiæ ſuæ dare indicia, vt iam non expectaretur quaſi venturus: ſed qui venerat,videretur:& eſſent angeli quem ſibi noua Chriſti infantia conſecrarat,ſancti ortus & loci indices. Vnus Gabriel virgini obumbrationem virtutis altiſsimi nunciat, multitudo cæleſtis exercitus gratulabunda ſaluatorem mundi prædicat adueniſſe, & reconciliata terreſtria ſuperis canit, & conſilium antiquum prodiit palam:nec iam ſecretum eſt,ſed innotuit publice in conſpectu gẽtium reuelata Chriſti benignitas, & oblata mundo in nullo à nobis differens,excepto quod peccati expers fuit,ſaluatoris humanitas. A ſupernis legationibus incipit euangelium, cuius primi dictatores angeli extiterunt. Nec iam in manibus prophetarum ſimilitudines & ænigmata inuoluuntur,ſed angelorum iubilo, & hominum ſtilo, & euidẽti rerum indicio conſtat: & conſonant ſimul promiſſa & data, vmbriſq; remotis, lex & euangelia ſunt vnita. Multiplicantur teſtes, militia cæleſtis conclamat, credit paſtorum cuneus & exultat. A ſapientibus & prudentibus non quærit teſtimonium,qui paruulis ſe reuelat.In huius doctrinæ initio ſtatim faſtus & ambitio codemnatur.Non colores rhetorum,non inductiones perſuaſoriæ addu cuntur, ratio & miracula harum rerum ordinem complectuntur. In primis ſigna ſe fidei miſcuerunt,& maxima in hoc efficacia dogmatũ fuit, cum ſimul verbis & rebus actum eſt,vt nullum infidelium repugnantia inueniret diffugium. Nox illa omni luce clarior,ſermones angelici pacem hominibus nunciantes,deſignato loco Bethleem,ad quærendum puerum cohortantur: paſtores illi amplius mente,quàm oculis carnalibus inluminati, ad conſpiciendum Emanuel feſtinant, & edocti intus inuiſibili magiſterio ſpiritus ſancti, quem paruulum vident,confitentur immẽſum:& piæ ei deuotionis affectum præſentant. Electa adeſt humilium perſonarum ſimplicitas, vt poneretur regula & indiſſolubilis daretur forma: quod non niſi pauperibus ſpiritu, Chriſti pateret humilitas:nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſet admittere veritas.Veniunt in Bethleem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel,ciuitas parua, domus paupercula, ſupellex exigua. Nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo, mater in fœno,filius in præſepio:tale egit fabricator mundi hoſpitium,huiuſmodi habuit delicias ſacrę virginis puerperium. Panniculi pro purpura,pro byſſo in ornatu regio lacinię congeruntur:genitrix eſt obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam: adtrectat, amplectitur,iungit oſcula, porrigit mammam, totũ negocium plenum gaudio,nullus dolus,nulla naturæ contumelia in puerperio.Pediſſequas ſubſtãtia familiaris non patitur, mancipiorum obſequia ſumptus tenuis & inops menſa excludit.Nullũ domus arcta diuerſorium occultabat: nec ſecreti receſſus erant illius caſulæ,incaſtraturam tectum & ſoli parietes per circuitum veſtiebãt.Nec locus ibi erat lauachris,quæ ſolent puerperis pręparari,quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem domini læſerat:quoniam ſine tormento peperit,quæ in conceptione caruit voluptate:& tamen cõſuetudinem ſequens,vt legi ſatisfaceret,quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis, diebus deſignatis recubuit, & depoſiti oneris laſsitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis,non ſe à thoro Ioſeph,

qui eam nũquam tetigit, ſed ab ingreſſu templi & ceteris quæ lex prohibebat, continuit. Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat. Nihil in hac re petiit vltro: nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarũ vſuram, ſpiritu ſancto obumbrante, incendium originale extinctum eſt: ideoque innoxiam adfligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis: quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratq; ei proprium priuilegium, quod nulla mulierũ nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul mater & virgo ſingulis titulis inſignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritali & corporali intus & extra Chriſti præſentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant, etiam ſi adeſſent, non haberent oculos inſpectores, quia præſentia paruuli ſic eorum qui aderant, Ioſeph, & ſi quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminauerat animos, ſic corda inlexerat: vt in hoc ſummo bono omnium bonorũ vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari & mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat. Angelica ſane non eſt credẽdum ibi miniſteria defuiſſe, nec receſſerat à venerabili pectore matris ſpiritus ſanctus ad verbũ Gabrielis elapſus. Poſsidebat domũ ſuam, & templum quod ſibi cõſecrauerat, adornabat. Seruabat ſacrarium ſuum & ſanctimoniæ thalamum honorabat, lætificabant conſolationes huiuſmodi animã benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcẽtiarum ludibria abigebat: legem mentis lex carnis non infeſtabat: rebellio nulla quietem ſpiritus adfligebat. Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris, defecatum edulium ori mundiſsimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quę humanum ſuperant intellectum, imbuebant: eratq; vtrinque mira iocunditas, cum pia ſanctæ matris & deuota humilitas, & ſancti ſanctorũ immenſa benignitas confœderatis affectibus mergerentur. Extrinſecus nuda erant & egena quæ videbantur, nihil in illa paupertate videbatur diuinum: nõ his quibus reuelatum eſt deſuper: quorũ primi fuere ſupra memorati paſtores: quorũ innocentia & ſimplicitas electa eſt, vt laus Chriſti perficeretur: qui piſcatores & paſtores ſequentibus tẽporibus confunderent oratores, & à pauperibus & humilibus prædicatio paupertatis habet initium. Execrari ſolent AEgyptij hoc hominũ genus, & abominabiles eis ſunt oues & pecora: ſed huiuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit, & Abel paſtor munera de gregibus ouium obtulit, quæ in eo quod cælitus inflãmari viſa ſunt, quod grata eſſent Deo cũctis innotuit. Paſtor Abrahã, Iſaac & Iacob, viri Deo familiares: paſtores, patriarchę duodecim: paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu, dũ ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deũ: & poteſtate ſignorum collata, populi recipit principatum, Heliſæus de aratro propheta conſtituitur. Dauidde poſt fœtãtes accipitur, & in regni ſolio conlocatur. Agnum quem abominatur AEgyptius, ſacrificari ſibi præcipit Deus, eiuſq; ſanguis Iſraelitarum poſtibus inlitus, exterminatorẽ angelum repellit & abigit: nec timetur mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conſpicitur ſignum. Ad vmbram Petri languentes conſurgunt, apoſtolis ſubiiciuntur dæmonia: cedit idiotis reproborum eloquentia, prædicante Paulo captiuas complicant manus gentes & regna. Pauperes electi, ſuperbi neglecti: nec faſtus, nec altus circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum, Chriſtus pauper diſcipulos diuites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium his qui in forma huius ſcholę in eccleſia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adorauere paſtores, & paruulum confitentes Deum ſimpliciter argumentoſi in ſpiritu & veritate, quem adorauerunt, nouerunt.

Fuerat quidem miraculum, quod apertis cælis lux fulgoris insoliti nocte super eos fulserat, quod auditi angeli & conspecti, quod ab ipsis fuerant edocti & instructi pastores. Sed licet hæc præcessissent, tamen circa infantiam pueri diuinitatis intimatæ nulla humana ratio præbebat experimentum: nec circa illius præsepij angustias, vagiente inter alligaturas infantulo, aliquod maiestatis erat indicium: sed auditui fides obtemperans, nullum apud Deum impossibile verbum credidit: & per spiritum sanctum ad sacramentum hoc intelligendum subtilissimis est intelligentiarũ accessibus introducta. Idemq; spiritus qui longe ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus se infundens, dilatabat humani intellectus angustias, & aperiebat interiores oculos vt viderentur inuisibilia, & intelligerentur ea ad quæ humanus non adtingit sensus, nec rationis penetrat intellectus. Hinc est quod prædixerat
Isaiæ. 9. Esaias, *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis.* Hoc potuit videri, hic nullũ fides meritum quærit. Quod autem sequitur, *Vocabitur nomen eius Emanuel, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis,* si clausi sint oculi mẽtis, exterioribus oculis nescio quid mereris. Qui necdum loquitur, quomodo consiliarius erit? Paruulus quomodo credetur omnipotẽs Deus? omnino infirmus, in quo videbitur fortis? nihil omnino possidẽs, ad apicem regni & principatus fastigium, quibus ascensionibus adtinget? Sed si fidei mysterium prosequaris, in his omnibus subtilissimas & purissimas rationes inuenies, & quod omnino necesse fuit immensum fieri paruulum & filium, euidenter agnosces. Mirabitur etiam & dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum sacramentum, in eo quod cõtemptibilis factus est admirabilis: & qui literas non didicit, nec legibus instructus est, sufficiens sit diuinarum humanarumq; rerum consiliarius: quomodo diuinitas & humanitas in vnam personam conuenerunt: & vbi æstimata est infirmitas, fortitudo inuenta est: & corpus humilitatis nostræ diuinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, sed in cælesti gloria perpetuum habeat principatum. Ad paruulos venit Christus, & cum paruulis cõuersatur: pauperes instruit, &
Lucæ 4. & facit. Ipse in synagoga Iudæorum in Esaiæ volumine cum legisset in Sabbato, complicato libro prophetiam hanc in se completam edocuit, quod à spiritu sancto vnctus sit, & ad euangelizandum pauperibus pater eum miseMatth. 10. rit. Item in euangelio gloriatur, & confitetur domino cæli & terræ, gratias agens quod reuelata sunt diuina mysteria paruulis: à quorum intellectu sublimitas huius mundi repulsa est, quæ Deo subiici non potest, dum secundum carnem & sanguinem inuisibile ipsius suis regulis inuestigat. Hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicunque pie vult viuere, humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cælo stare potuit superba sublimitas. Hãc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus adtulit, & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in persona. Quia vero filij Dei sumus, humanitatis participatione frater noster fieri voluit, vt essemus secum beatitudinis cohæredes, & haberet tota compositio hominis perfectam plenamq; lætitiam, cum spiritus diuinam repræsentaret imaginem, & caro nostra Christi corporis similitudinem, consummatæ societatis beneficium obtineremus: cum nominis Christi & hæreditatis consortes, & diuinæ naturę communica-
Psal. 109. mus per spiritum, & humanæ per corpus. *Iurauit dominus & non pœnitebit eum,*
Philip. 2. & promissionum suarum non immemor, sicut se daturum nobis iurauerat,
Hebr. 1. sic compleuit: *Filius datus est nobis, qui cum in forma Dei esset, splendor gloriæ & figura substantiæ eius, non est confusus se ad formam serui exinanire:* vt qui de fraternitate eius gloriantur & volunt ascendere, non erubescant descendere, sed

eidem

eidem ſcalæ cum Iacob innitantur, & cantantes canticum graduum ab imis ad ſuperiora conſcendant. *O domine quàm admirabile eſt nomen tuum: Vere tu es Deus qui facis mirabilia.* Non modo mundi huius ſtaturam admiror, non ſtabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum, non ſingulos dies, non lunæ defectũ & incrementum, nõ ſolem ſemper integrum & laborem eius perpetuum, non temporum viciſsitudines, in quibus quædã arent, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reuiuiſcunt. Miror Deum in vtero virginis, miror omnipotẽtem in cunabulis: miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentũ induerit. Miror in hac diſpẽſatione tanti diſpẽdia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam ſaluatoris. In breui poterat patrari negocium, & poterat tantus labor adbreuiari ad ſolum Chriſti verbum, ſicut factus mundus, & diſpoſita cuncta ad eius imperium: ſed elementario mundo dignior eſt rationabilis homo, quod ex eo quod in eius ſeruitium facta ſunt omnia, facile creditur. In ceteris quocunq; modo aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic ſolus me complectitur ſtupor. Et cum Abacuc cano, *Conſideraui opera tua & expaui.* Abac. 1. Miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in ſepulchro iacentem, miror occiſum & reſurgentem: hæc ſunt noua mira quę prædixerat Eſaias, *Nouum faciet dominus ſuper terram. Mulier circundabit virum:* Ffa. 28. Hiere. 31. *opus ſuum faciet, & peregrinum opus eius ab eo. Ieſus Chriſtus heri & hodie ante luciferum genitus,* initium carnis ſumpſit ex virgine, & quem cæli cælorum non capiunt, qui implens omnia cum ſit in omnibus: ab his tamen nõ capitur nec tenetur. Nouum eſt & inauditum quod in materni anguſtia vteri, circundedit intra ſe fragilis caro virtutem altiſsimi, & ordinem rerum curſumq; naturæ mutauit ſapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata, plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circũdata muliebri vtero, vt cũ vniuerſa ambiret, implens omnia, excedens cũcta, intra ſe omnia cõtinens, extra vniuerſa cõplectens. Quem nos paruulum, propheta nũcupat virum, inſinuans ei nunquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis adfuiſſe fortitudinem, quẽ infantilis infirmitas occultabat. Opus ſuum igitur fecit quod creauerat, ſaluanſq; quod perierat, ad vitam reuocãs quod mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod verbum factũ eſt caro, quod factus eſt viſibilis & comprehenſibilis, paſsibilis & mortalis: & peregrinum à maieſtate puer ſugens vbera, panniculis inuolutus, & ſuſtinens conuicia, filius Dei in patibulo conſtitutus. Conſiliarius quoque dictus eſt paruulus iſte, qui & alibi dictus *magni cõſilij angelus,* eo quod ſecreta Dei quæ ab hominibus erant abſcondita, publice reuelauit, & cum nemo noſſet patrem, niſi filius ipſe, arcana Dei reſerans, indaginem trinitatis explicuit, loquens patri, & à patre reſponſum accipiens, & ſpiritum ſanctum infundens diſcipulis, generationis & proceſsionis intimans rationes, ſubtiliter adſtruẽs perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ vnitatem. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria conſilia edocens, vt beneficia conlata homo intelligat, vt in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſsibile eſt ex Dei gratia, cũ ceciderit reſurgat. *De Virginibus,* ait Apoſtolus, *præceptum domini non habeo: conſilium autem do, tãquam miſericordiam conſecutus.* 1. Cor. 8. Vult & laudat ex imperio domini, vt quæ nupſerint, ſic permaneant: quæ vero virgines ſunt Dei, cumulatione caſtitatis integritatem exhibeant Chriſto: & in hunc modum quæcunque auctoritate diuina immobilia conſtant, ſic maneant: quæ vero in alterutrum poteſt libertas arbitrij flectere locum eligant priorem: quia & ſi bona ſunt, & à Deo inſtituta coniugia, melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit neceſsitas aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi diuinis conſiliis obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint adpeti-

tus, adeſt Deus fortis, nec ſpē ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat: quia qui mundum vicit, victoriam ſuis promittit militibus, & qui victores ſunt ſui, cælo vim inferunt, quoniam ſicut ſcriptum eſt: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* In paruuli huius nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus ſuperueniente fortiore de atrio antiquitus poſſeſſo, potenter expellitur, & præſumptæ infeſtationis audaciæ ſilentium imperatur. Defectui carnis noſtræ quæ à primitiuis fecibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo: & ſacramētorum cōmunicatio, per quam illius corporis ſinceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mundo & de diabolo, & de nobiſipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu viuificis myſteriis inhærentes, vna caro, & vnus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo, *Qui adhæret domino, vnus ſpiritus eſt.* Sic hi ad quos ſermo fit, dicuntur DII & filij excelſi, nominis, & hæreditatis, & æternitatis participes, fortitudine ſocietatis Chriſti ſubigentes tētamina, & cum homines ſint ex indigniori materia, in captiuitatem redigunt & conſpuunt ligantq; dæmonia. Et quidem in hoc tempore in ſtadio vitæ huius ſe exercet militia Chriſtiana, & præeunte Chriſti vexillo, quem & paruulum vidimus & cognouimus Deum: & quos ſpiritus cōſilij & fortitudinis munit, nec vinci, nec decipi poſſumus, quos eruditio, diuina ſcientia & poteſtate fecit inſignes. Videtur autem in præſenti diſciplina huiuſcemodi non eſſe gaudij, ſed mœroris, eo quod non ſine periculo certamina peraguntur. Bonū vero certamen certantibus pacatiſsimum fructum in futuro exercitatis in iuſtitia dabit princeps pacis æternæ, conſignans ſibi in beatitudine, quorum communicauit naturæ. Ipſi gloria & imperium amodo, & vſq; in ſempiternum. Amen.

Matth. 11.

1. Cor. 6.

Hebr. 12.

DE RATIONE CIRCVNCISIONIS, SERMO.

ENTER omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil circunciſione ſolennius antiqua celebrauit religio, nec tantum in Hebræos, ſed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes tam mandatū quàm factum inridēt, & Deo minime adſerunt conuenire, vt ſaluatoris benignitas plagis infantiū delectetur, & immeritos in ipſo vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono domino ſentire, qui neminem vult perire, abſurdum & inrationabile iudicāt. Nec tamen eis omnia reliqua ſacrificia ſunt horrrori, ſed in multis naturalem legem ſequentes, expiationum retinent inſtrumenta, & immolant victimas, & incendunt adipes, & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & preces. Legimus Iob Dei teſtimonio adprobatum, iugibus ſacrificiis occupatum, nec legimus circunciſum. Et poterant eſſe eo temporum diuerſis in locis multi viri inſignes, qui iuſtitiæ Dei ſubiecti, hoc ſigno carebant, licet filios Eſau & Hiſmael putandum ſit huius traditionis non fuiſſe expertes: verum cum opus iſtud & antiquitas commendet, & iubentis auctoritas, inquirenda eſt tāti myſterij ratio, quæ Abrahæ ſpecialiter & ſemini eius tanto pondere mandata eſt, vt quiſquis in illa gente huius ſigni careret differentia, Ethnicus, non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Iſrael abraderetur proſcriptus. Hoc cum octaua die iuſſum ſit celebrari, & nomen circunciſo aptari, intimatum eſt his qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur, quod eorum nomina ſcriberentur in cælis, & æternę beatitudinis quam poſt vitæ huius ſeptimanam octaua conſequitur, hæredes fierent, & conſortes quicunq; vitæ innocentia & cœlibatus ſanctimonia ſeſe domino conſecraſſent. Tenera itaque infantia huiuſmodi erat imbuenda doctrina, & ante cō-

cupiſci-

cupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ, & ineuitabili vindictæ etiam in paruulis adhibenda erat ſeueritas: & antequam ebulliret ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideoq; dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur, vt in primis elementis diſcerent paruuli ſemper propriæ memores ſectionis, contraria curare contrarijs, & ad cohibendos refrenandosque turpitudinũ adpetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, nõ tamen circũcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus opponẽs cauterium, vſque adeo corpus ſuum redigẽs in ſeruitutem vt diceret, *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Gala. 2. Cuius facti æmulatores erubeſcimus in pudendis, & detecto ſectoq; confuſionis operculo, quanuis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturiẽtes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſsimus iudicium, viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis auctoritate increpandi ſunt titillatorij ſenſus, & ſummopere vigilandum eſt, ne ſequatur adſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omnino non poteſt, quia nec totum hoc membrũ, ſed anterior eius portio iuſſa eſt circuncidi. Res ſane maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelę, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus cathenis ferreis in vltimis animæ receſsibus adligetur, intuſq; fractis dentibus ſeipſam concupiſcentia captiua maſticet & conrodat. Manet itaq; erubeſcentia propter ſenſum, vt qui in agone contendit, ſciens circunciſionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremptoria eſt contendentibus, ſed probatoria huius ſenſualitatis conluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, vt victor homo peccati & pœnæ, poſt triũphos ſolẽnes coronetur in gloria ſine infeſtationibus deinceps liber à peccato & pœna. Hanc verecundiam poſt præuaricationẽ vanitati ſubiecta, non volẽs anima pertulit, & vim ſuſtinet inquietudine perurgente, & inuolũtariis motibus fatigata, infelicitatis ſuæ deplorat miſeriã, liberari de corpore mortis huius deſiderans, & pacifici tranquilliq; ſtatus à Deo poſtulat libertatẽ. Quotidiano ſane conflictu ſpiritus & caro luctantur, & cauſatur ratio aduerſus domeſticum malum, quod ita intra ſe exerceat regnũ quaſi natura ſit vitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatũ. Hoc vtiq; prima non ſentit cõditio, ſed ſecutum eſt tranſgreſſorẽ ſupplicium, & adhæſit indiuidua pœna peccato, de quo erubeſcent quicunque mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Quis in tam aſsiduis inluſionibus non confundatur? Quis non in tantis cõtumeliis erubeſcat? Fomes quippe huius mali intus in tenebroſis receſſibus latitans, vt viderit animam alias occupatam, & minus ad ſui circunſpectionem ſollicitam, inruptionibus vehementibus erumpit, & blanditiis venena ſupponens pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit adſultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occultat. His rediuiuis vulneribus ſemper hac ſanie inlitis neceſſaria eſt per omnem huius vitæ ſeptimanam iugis reſecatio putredinũ, & continua circunciſio cicatricum: & in ceteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij retinẽt libertatem. Hic vero vbi Babyloniæ fornax exarſerit. & quaſi pice & naphtha conſperſi libidinũ ebullierint adpetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra velit nolit in motus nefarios audacter exurgant. Præcedebant olim integumenta rerũ ſignificantia abolitionem peccati, & ad perfectionẽ inchoata tendebant. Nec hoc ſacramentũ conſuetudini antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus, & licet non eſ-

Rom. 7. Galat. 5.

set in hoc tempore necessarium, tamen ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circũcisionis aptari signaculum. Sane originale peccatum, quod à primis patribus in totã generis huius successionẽ defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet sacramentorũ arcana omnibus nõ paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat, quia ab Adam vsque ad Noe sacrificia Deo constat fuisse accepta, quæ vsq; ad illud tẽpus sine legis distinctione diuinitus inspirata institutione primi hominis celebrarẽt. Illa vero sacrificia aut in animalium sanguine, aut aliarum oblationum incensionibus agebantur, nõ quod fumo aut mortibus pecudũ delectaretur Deus, sed vt intelligeretur immutabile iudicium, & prolata ab initio sententia in peccatũ. Immutabile decretum ab æterna lege exierat, cõcupiscentia adfligi, & morte peccatorem puniri, nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod subuenire, quin stimulus carnis sine vlla exceptione colaphizaret infirmum, & vsque ad dissolutionem mors importuna persequeretur captiuũ. Et mors quidem carnis concupiscẽtiarum intersecabat ludibria, nec poterat vltra peccare illud quod erat putredini ac dissolutioni prædestinatum & datũ, sed supererat post mortem carnis animæ labor, & adflictio spiritus, nec poterat vlla ratione illa absolui damnatio, nisi morti omnium vita omnium subueniret, & pro generali morbo gratia Dei singulare propinaret antidotum. Hoc antiquum redemptionis nostræ consilium sanctis patribus reuelauit Deus, voluitque vt paulatim adsuescerent homines passioni, & morti necessariæ voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & supplicium in remedium commutarent. Huius oblationis doctrinam sacrificia continebant antiqua & incensiones, & mortes huius consummationis gratiam præsignabant. Propter hoc cum iam fidei tempora propinquarent, imperata est circuncisio, & pars illa corporis in qua est voluptatum seminarium & libidinis officina, iussa etiam in paruulis amputari, vt proprij primitias sanguinis ei qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent, & communia singulorum sacrificia singulare præcederent holocaustum. Vbi vero Christus dominus venit, de quo in capite libri scriptum erat, vt in morte sua patris voluntatem impleret, cessarunt sacrificia, nec iam truncationem præputij euangelium imperauit, sed circunciſionem cordis, & omnem tam mẽbrorum quàm adfectionum petulantiam gladio spiritus resecari, immutabili decreto mandauit. Et tantæ dignitatis illa vna redemptoris nostri fuit oblatio, vt vna ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tanta auctoritate in sancta introiuit in sanguine proprio, vt deinceps nulla supplicantium postulatio sanguine indigeret alieno. A diebus igitur visitationis nostræ regnum cælorum vim patitur, nec iam in expoliatione carnis circuncisio agitur, sed spiritus sancti virtute vetustatis antiquæ sanies expurgatur.

DE STELLA ET MAGIS, ET INNOCENTIVM NECE.

NATO in Bethleem saluatore, audita est in Ephrata eius in terris præsentia, & vsque ad siluas, camposque gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta. in Iudęa à pastoribus & angelis primo sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari stella luminis cælestis numinis nouis splendoribus indicauit. Erant in illis regionib° viri siderũ inspectionibus assueti, qui arte mathematica vim discursumq; nouerãt planetarũ, qui ex

qui ex elemẽtorum natura rationem temporum metiẽtes, aſtrorum miniſteria certis experimentis propriis didicerant effectibus adſignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierãt ſtellam oriri in Iacob, & hominem in Iſrael, cuius fortitudo quaſi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui ſuperarent Aſſyrios, & vaſtarẽt Hebræos, quo tẽporum nec in Iacob idolum, nec in Iſrael ſimulachrum eſſet. Diu homines illi huius prophetię prouẽtum expectauerant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repẽte nouo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti quàm ſigno, dromadis inuecti in Iudæam ſtella duce perueniunt. Nec potuere Palæſtinæ incolas latere tanti nominis perſonæ, ſed vbi auditum eſt quod ſtellam indicem nati in Bethleem paruuli ſequerentur, Herodi noui regis inquiſitio nunciatur. Euocatis itaq; Magis rei huius ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur. Audit natum in Bethleem eſſe paruulum, quem profitentes regem & Deum qui de Sabba venerant, adorare & venerari feſtinant: intimatum eſt ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis, prædixerat: & contulit cum literis gentium, ſanctorum vaticinia prophetarum, quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur, de quibus nulla in populo Iudæorum ambiguitas erat quin rata eſſent, quæ illi vel adſeruiſſent præterita, vel prædixiſſent futura: à fortitudine eius qui quaſi vnicornis obuios penetraret, in cuius obſequium vltrices de Italia trieres in Iudææ terminos aduentarent, & vſque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expauit & timuit. Conturbabat quoque aliud quòd in Michæa ſcriptum eſt teſtimonium, *Quoniam de Bethleem quæ eſt Effrata, egrederetur paruulus, qui dominator eſſet in Iſrael, cuius egreſſus eſſet ab initio à diebus æternitatis.* Cumque ea quæ domeſtici codices continebant, cum his quę ab alienigenis dicebãtur, intelligeret conuenire, diuinis tentans reluctari conſiliis, ſimulat perfidus religionis adſenſum, promittens Magis ſeſe ad adorandum paruulum cum omni deuotione ilico adfuturum, cum per reuertentes certitudinẽ de puero accepiſſet. Turbatur cum rege maligno Hieroſolyma, non lætatur, expaueſcit & tabeſcit, & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur. Nec minus horrendum ſcribarum ſacrilegium quàm Herodis impietas, quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cum viſitationi diuinæ inuenirẽtur ingrati, cauſam ſibi cum Herode fecere communem, cum hinc & inde impietas & infidelitas aduerſus dominum & Chriſtum eius fremerent, & pariter in eius odio conſentirent. Ecce alienigenæ à fluminibus AEthiopię ad paruulũ Chriſtum ſupplices veniunt, & filij diſperſorum deferunt munera: accedunt qui longe erant, & qui prope recedunt: in loco humili & ſupellectile vili, rex regum, & dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur, & ab aliis adoratur. Quia vero nemi- Exod. 23.
nem in conſpectu Dei adparere vacuum antiqua lex edocet, præuaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ gentium ſacramentalia munera proferunt de theſauris, & domino aurum & odoramenta præſentant, profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid ſentirent. In auro regem, in thure ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quanuis paſsibilem profitentur. Oblatio iſta incarnati verbi, & exponit myſteria, & breui ſubtiliqueindicio vtriuſque naturæ humanæ diuinæque exprimit vnitatem, quid & proprium eſt vnicuique ſingulatim diſtinguẽs. Nam Deo patri cuius regnum & imperium ſuis mundum replet ſplendoribus, in odorem ſuauitatis ſummus ſacerdos & pontifex Chriſtus ſe obtulit, cuius caro paſsionis cremata carbonibus, incenſionis ſuæ fragrantiam tranſmiſit ad cælos, & vſque hodie odor ille ſuauiſsimus in terreſtri cæleſtique eccleſia indeficiens perſeuerat. Quod autem paſsibilitas quam obediens Deo voluntarie ſuſcepit, incorruptione firmata ſit, virtus myrrhæ obuians cor-

Numer. 22.

Mich. 5.

ruptelæ ſuo probat effectu, & viſibilium ratione munerum immortalitatis ſolidæ conſtat euidens argumentum. Adorato domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur, quia neceſſe eſt vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſsi ſint ad ſalutem: deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per arctas vero & difficiles reditur ad ſuperos.
Pſal. 16. Propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus adgreditur. Arcta via eſt, caſtitas: trames ſtrictus, humilitas: ieiunio adfligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ: ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertũtur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus, nec expedit cum his qui oderunt Deum fœdera iungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia, quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudioſe perſequitur, & antequam formetur Chriſtus in nobis, in ipſo piæ conuerſationis initio vt extinguatur ſpiritus & ſuffocetur, vita iuſtitiæ penitus elaborat. Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos aliàs comperit diuertiſſe, quia moleſtiſsimum eſt principi tenebrarum, cum excogitatis laqueis tentatos quoſlibet nouerit euaſiſſe, & acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic ſanctorum perſecutionibus tyrannus crudelis inluditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat: & quod ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri cõpendio acquiruntur. Ecce paruuli iſti, quos hoſtis naturæ, pietatis inimicus, beſtialis ſæuitiæ, inauditæ crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubito fiunt martyres, & dum vice Chriſti, & pro Chriſto auulſi à matrum vberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibẽt paſſione: & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Ilico ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, iam non tenelli corporis ætatisque nouitiæ tempore tenetur: ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem, in occurſum Chriſti feſtinat: à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia, & Epiphaniæ ſolennia in cæleſtibus celebrat, nec in ſtellæ alicuius lumine, ſed in ipſa claritate diuinæ præſentiæ gloriatur. Acta eſt natiuitatis ſolennitas, ſurſum iubilantibus angelis, deorſum ex ore infantiũ & lactantium laus eſt perfecta, reſonantibus vſque ad cælos victoriæ tubis, & verſus eſt paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, ſequẽte non ſtellam, ſed agnum exercitu innocentium, & baiulante glorioſiſsimi triumphi ſolenne vexillum. Nec potuit mundus inficere nuper agonem ingreſſum infantilem exercitum, & pedes qui nondum lutum calcauerant, vrgens citatuſque tranſitus non eſt paſſus vllis ſordibus inquinari: ſed in ipſo vitæ initio tota illa innocua phalanx ſine vllo integritatis detrimento ad ſolidioris vitæ tranſlata eſt gloriam. Et quę expectari poterat annorũ elapſu rationis diſcretio, repente nullis iam ætate illa temporibus ſubiecta, omnis conſummationis reperit finem, & caſuum accidentium mutabilitates euaſit. Euigilauerunt ſenſus quos ſopor infantię opprimebat, diſploſiſque palpebris intuiti lucem
Matth. 5. in momento adſecuti ſunt, quæ pacificis & mundo corde debetur, beatitudinem: & aſcendẽtes per omnium virtutũ gradus ſine doctrinę humanæ exercitio cumulatam inuenere menſuram, ita vt in ordine ſanctorum protomartyres primum habeant locum, & ſecretorum conſcij diuinorum, propinquitate familiariſsima clemẽtiam Dei pro noſtris exorent laboribus, quos vſq; hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorũ ſanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cælum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolij

ſenato-

ſenatores & iudices, nonnulli veniam obtinentes immeritis, adſiſtuntque miſerationibus & vltionibus diuinis, ſed ſæpius agni, quem quocunq; ierit, Apocal. 14. proſequuntur, manſuetudine, quàm ira vel furore vtuntur. Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſsitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauachrum animæ ſanguinẽ efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolennibus aquas, maxime cum nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarũ motu per totũ corporis alueum fluat. Spiritus vero ſanctus & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet & abluit, quo baptizante idem occiſio quod merſio operatur, quia extinctam peccati vitam virtutemque emortuam vtriuſq; rei continet ſacramentum. Ipſe enim eſt qui vel hoc vel alio modo quicunq; eſt ille modus baptizat, & ad idem refertur quod pura fide agitur per Chriſtum dominum noſtrum.

DE BAPTISMO CHRISTI, ET MANIFESTATIONE TRINITATIS, SERMO.

NON ſatis eſt, quod angeli locuti ſunt paſtoribus, quod adparuit ſtella regibus, quod natiuitati & perſonę & loco cõſona prophetarum oracula, perfidæ gentis indicio Chriſto perhibentia teſtimonium, in vnam conuenere ſententiam: ſublimius & perfectius teſtimonium profertur diuinitus, & ipſe pater inuiſibilis auditur, & aures humanas omnipotentis Dei pręclara vox penetrat, & inaudita à ſeculo fidei ſpecies declaratur. Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lauachro, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commẽdaret, quoniam remiſsio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, proprie ſpiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis adtributa, viſibile celebrant ſacramentum: rem vero ipſam ſpiritus ſanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis auctor adponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat & perficit. Si in Petri vel Pauli nomine baptiſmi gratia donaretur, poſſet alius alio videri ſublimior: & ſecundum miniſtrorum merita hæc ſingularis gratia æſtimari, vt melior eſſet baptiſmus eius qui ſanctior videretur, & indignior eſſet qui ab eo acciperetur, quem non amplior æſtimatio commendaret. Hæc & in alia ſacramenta transferretur iniuria, vt non in eis vnitas, ſed diuerſitas haberetur, ſi cenſerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent vtilitatis & ponderis quæ fierent ab indignis. Sic euchariſtia vna alia melior, & baptiſmus pro miniſterio vel melior, vel deterior crederetur. Abſit hoc à fide catholica, abſit à religione Chriſtiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides, vnus dominus, vnum baptiſma. quod ſi ab indigno forte fuerit cõſecratum, non audet iuſtus iterare vel corrigere, quod ſemel eſt factum: quia perquemcunq; fiat idem eſt, nec hoc priuilegiũ meritis eſt datum, ſed gratię, & proprie ſibi omnipotẽtia Dei retinet hunc effectũ. Neq; enim Paulus pro nobis crucifixus eſt, aut nos gloriamur in Paulo, ſed in cruce domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit ſacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit

ſublimitas & profundum, & longe lateque plenitudo diffunditur gratiarum. Quod ne vlla præſumptio ſibi doni huius in poſterum gloriam vindicaret, in hoc ſicut & in aliis, domini noſtri eccleſiæ ſuæ prouidit benignitas, vt ipſe baptizaretur à ſeruo, nec conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur, quoniam ſiue Iudas, ſiue Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lauat, abſoluit, & delet. Sic Rachel & Lia, Balam & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex vteris ancillarum. Scribæ & Phariſęi in cathedra Moyſi ſedentes, dum agunt quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis vtuntur, & officium, non vita tantis effectibus honoratur. Obediunt dæmones exorciſtis: Chriſtum, inquiunt, ſcimus, & Paulum nouimus, & in nomine Chriſti, quem Paulus prædicat, adiurati egredimur, vos autē penitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarij peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur, ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuę gloriæ retinet poteſtatē: & fiunt in talibus cauſis miniſtri mercenarij, ſicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt inſtitores, quarum rectores potius eorum quos ducunt, pecuniis inhiant quā ſaluti. Et tamē mare ſeculi huius neceſſarios habet huiuſmodi tranſuectores: alioqui ceſſabunt commercia, nec ex tranſmarinorum copia aliorum inopia habebit ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicula tollantur de inuio, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur. Supponit itaque ceruicem ſanctam manibus hominis humilitas redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamen Chriſtus baptiſma Iohannis. Præparabat viam domino Iohannes lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauachrum ſecuturum baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſsio. Pręceſsit quod erat ex parte, vt conſummatio ſequeretur. Horret tamen Iohānes, & accliue ſibi eſſe ſacrum Chriſti caput non patitur, quia maiorem à minore benedici antiquis regulis refragatur, & criminalis ei viſa eſt vſurpatio poteſtatis. De plenitudine Chriſti omnes accepiſſe, & ſeipſum cum ceteris, prædicarat baptiſta, ideoque Deo & hominem manus imponere iudicabat temerarium, lauare eum in quo non erat peccatum, æſtimabat ſuperfluum. Sed ad ſoluendam calciamenti huius corrigiam confeſſus indignum, formidabat exhibere prælatum, ſi ipſe in magiſtro ſine cauſa tentaret hoc agere quod ab ipſo ſuſcipere neceſſarium dinoſcebat. Ideoque tremebundus humili ſatisfactione poſtulāti miniſterium negat aſcenſum, non quod obedientiam detrahat imperanti, ſed quod iudicio ſuo, ſeruo ſubdi, nō competat maieſtati. *Tu*, inquit, *venis ad me, & à te debeo baptizari. Cui dominus, Sine modo. ſic enim decet nos omnem complere iuſtitiam.* Iohannis humilitas non arguitur, nec vituperabile viſum eſt Chriſto ſimplicitatis diffugium, quod reuerentia, non importunitas ſuggerebat. In hoc igitur omnem impleri iuſtitiam adſeuerat, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe inuicem pręueniāt, qui maiorem & qui minorē obtinent locum: & qui maior eſt, fiat minor, & præceſſor ſicut miniſtrator: ſi in vnitate ſacramentorum, omnes ſimul conueniant, ſi pacis eccleſiaſticæ fœdera non diſrumpant. Baptizatur Chriſtus, nec vltra Iordanis retrorſum conuertitur, aruerunt vnctiones Iudaicæ, ceremonię putruerunt, perpetuo lapſu baptiſmi gratia emanat ad poſteros, nec vlla vetuſtate ſiccatur. Adeſſe ſe tantis myſteriis & præſentiam ſuam dignoſci dignata eſt ſempiterna diuinitas, cæliſque apertis in ſpecie columbæ ſpiritus ſanctus ibi ſeipſum oſtendens, & intelligi voluit, & videri, & quietiſsimo elapſu aduenies ſuper Chriſtum quieuit & manſit. Acceperat quippe familiare ſuper hoc ab eodem ſpiritu Iohannes reſponſum, quia ſuper quem ſpiritum ſanctum ſub hac ſpecie videret, ipſe eſſet

Ioan. 1.

Matth. 3.

Ioan. 1.

esset apud quem baptismi maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret, qui solus à nullo sanctificatus, & cuncta sanctificans non tam interesset sanctificationibus & sacramentis omnibus, quàm patraret. Sed & vox patris audita est cælitus, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matth. 17. Marci 9. Hucusque domine sancte pater non audiuimus te loquentem, qui multifarie olim patribus locutus es in prophetis, & per angelos sanctos quibus ad diuersa sæpe mysteria à te legatio est iniuncta. Teipsum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt personaliter tibi assignetur locutio quã proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam, nemo est qui ambigat, non est qui sibi hoc verbum audeat adrogare, non est in cælestibus agminibus qui dominum Iesum, suum audeat filium nominare. Certe tibi soli nota est trinitas, & solus pater scit filium, patrémq; nouit filius, nec à quoquam nisi eo reuelante est cognitus. In hac diuini magisterij schola pater est qui docet & instruit, filius qui arcana Dei nobis reuelat & aperit, spiritus sanctus qui nos replet & imbuit. A patre potentiam, à filio sapientiam, à spiritu sancto accipimus innocentiam. Pater eligit, filius diligit, spiritus sanctus coniungit, & vnit. A patre nobis datur æternitas, à filio imaginis eius conformitas, à spiritu sancto integritas & libertas. In patre sumus, in filio viuimus, in spiritu sancto mouemur & proficimus. Conuenerunt simul sempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtriusque naturæ facta est vnitas, vt impossibile sit quod iunctum est abinuicẽ separari, sed verbum & caro sic sunt vna essentia, vt perfectam & integram sincera coniunctio faciat vnitatem. Nec iniuria est, sed gratia Dei, si quod minus videtur, digniori iungatur: cum inferior natura contumeliam probrúmque peccati non contrahat: nec est minoratio maiestatis, profectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensatoria dehonestat. Hoc testimonium auditum est, quia filius Dei est, quem Iohannes tenet in manibus, verus homo, verus Deus, vnicus patris, in sua natura inuisibilis, in nostra visibilis, vt fide & experimento fulciatur doctrina, dum & visu & intellectu incarnati verbi notitiam adsequatur. Dilectus à patre, immerito nos dilexit, vltro visitationis suæ nobis beneficium largitus est, vltro sanauit, vltro curauit, vltro libertate donauit. Etiam ingratos prosequitur hic amor & reuocat: neque tunc odit, cum corripit & flagellat: vsque ad mortem Christum duxit dilectio, & resurgens à mortuis charos habet, quibus tantæ charitatis affectum ostendit. Duo grata vocabula, Filius & Dilectus ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, vt communio nominum nos adsociet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendántque deuotionis affectum: per omnia sibi pater in filio complacuit, nec vlla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec sacerdotij eius pœnituit Deum, quoniam sacrificium quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit, vt non minus hodie in conspectu patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit, & semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant precium, & obedientiæ donatiuum requirant.

HVIC dilecto filio tuo tu domine nos præcipis obedire. Loquere igitur domine, quia audit seruus tuus. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & doctrinam tuam amplector: suaue est mihi eloquium tuum: viuus & efficax sermo tuus ancipiti gladio penetrabilior, vsque ad diuisionem spiritus & animæ adtingens, carnales & spiritales intra me separat & sequestrat affectus, & à vilibus preciosa distinguens, quasi flagello de funiculis contexto, de meo interiore templo quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atrijs tuis mercimonia columbarum, sed à sanctuario gratię tuæ omnem venalitatem excludit. Audio te cum irascceris, audio cum mise- 1. Reg. 3. Psal. 50. Heb. 4.

reris: siue parcis, siue flagellas, iustum & bonum te prædico: in ira supplico, in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contradico. Loquere magister bone, libenter te audio, & cum aduersaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo disciplinam: nec latet me te docente, ad siccandas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium, & mundare cicatrices veteres sal disciplinæ tuæ, euangelio tuo medente infusum. Præcipis vt infundam corrupto pulmoni hyssopum, & spiritus tui suauitate epota, totius malignitatis inflatio detumescat. A te Deus bone humilitatem discentes, quasi mansueta animalia quieto gressu te baiulamus sessorem, nequaquam sub hoc onere lassitudinem, sed quietem inuenturi: quia iugum tuum non est graue, sed leue: & lex tua, & testimonia iustitiæ & præcepta, timor & iudicia delectabilium in se rerum continent sacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit transgressores: & vt lotis mundisque pedibus in via immaculata incedant, omnia præmonstrat offendicula, & insinuat diuerticula, quibus periculosi transitus euitentur: nihil impossibile, nihil iubet austerum. In quibusdam per legem tuam promissa præmia nos inuitant: in multis pœnæ propositæ, & supplicia vel damna territos animos à scelerum retrahunt appetitu: neque lex tua scripta à lege naturali in aliquo dissonat, sed reprobatio mali, & electio boni sic animę rationali infixa sunt diuinitus, vt de hoc nemo recte causetur: quia nulli ad harū rerū persecutionem deest scientia sine potentia, quia & quod agēdum est, scimus: & quod scimus, facere possumus. Quod si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, vt non posset intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo? licet inuitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio auctoritate cognoscibili prouidissent: & simul se complecterentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas. Præcipis mihi domine Deus, vt diligam te, hoc & possum & debeo: & totum me & interius & exterius tibi esse iubes obnoxium: & de proximo iubes, vt ad meam eum mensuram complectar. Gratias ago tibi clementissime Deus, quia quod quęris à me, prius ipse donasti: & quomodo tu me dilexeris, si linguis hominum & angelorum loquar, nec digne possum eloqui, nec vniuersa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Iustum est domine vt diligamus te, quia & ipse nos diligis: & iniquum omnino est, vt te in aliquo dilecti tui offendāt.

Matth. 22. Vere hoc mandatū legē complectitur & prophetas, & in hoc verbo omnium scripturarum volumina coartantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc domine verbi tui clamat auctoritas: hoc ex ore tuo audiuimus, hic inuenit consummationem omnis religio: primum est hoc mandatum & vltimum, hoc in libro vitæ conscriptum, indeficientem & hominibus & angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci & huc reuerti quicquid ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus inritum esse & friuolum quicquid dilectio non confirmat. Non pertinet domine ad te, nec de tuis est qui te non diligit: nec diligit te, qui scienter offendit. Dilectioni tuæ detrahit, qui terminos à te positos transit, & euangelij tui decreta transgreditur & contemnit. Non amat te, qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo simul deseruit. Non pertinent ad te speciem pietatis habentes & negantes virtutem, nec militant tibi negociorum huius seculi traiectores: non audiunt te, sed sicut aspis aures suas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato seruiunt & voluptati carnalium amatores. Lex tua Deus apostolorum & martyrum testimonio confirmata, paruulis tuis pauperibus spiritu, quibus tibi regnum tuum dare complacuit,

sapient

ſapientiam præſtitit, & lætificauerunt animas eorum iuſtitiæ tuæ, in quibus per eandem legem edocti vixerunt: & hoc dilectionis pręceptum ita fidelium mentes inluminauit, vt in pace & ſanctimonia viuentes pacificis & mundis cordibus te viderent, & ſimul amor ſanctus & timor caſtus perſeuerantibus tibi ſtudiis obedirent, vſqueadeo tibi aſcenſionibus huiuſmodi propinquantes, vt fierent iudiciorum tuorum conſcij, & per ipſos tua & nunc & poſtmodum iudicia exerceres. Præcepiſti domine, vt audiamus dilectum filiũ tuum: gratias tibi agimus, quia nos eius magiſterio commendaſti. Nos vero ex præcepto tuo eius doctrinæ nos tradimus informandos, & inhærentes ei libenter, cum duce ſpiritu ſancto omni tempore audiemus.

DE IEIVNIO ET TENTATIONIBVS CHRISTI.

ANNO triceſimo carnis adſumptæ, baptizato domino in Iordane, poſtquam reuelante patre, quod filius Dei eſſet, innotuit, nõ iam conueniebat eum putari filium Ioſeph, vel eſſe ſubditum illi. Nec tamen repente ad ſigna & miracula & doctrinam vſus eſt poteſtate, ſed interim auctoritatem continuit, & antequam notum ſe faceret mundo, expoſuit ſe tentandum diabolo, non vt diuinitatis integritas probaretur, ſed vt tentatoris confunderetur præſumptio, dum fame & laſsitudine poſt ieiunium veritas humanitatis pateret, quæ diuinitati adſociata omnino peccati ſenſu & conſenſu careret. Hac ætate tempus doctrinæ inſinuatum eſt rationabile, nec ante has metas perperam inuadi magiſterium, data eſt forma, quia non competit annis impubibus ſedere in cathedra, & in primogenitis boum lege aratio eſt interdicta. Iam vero cum ætatis & temporis ratio cõueniret, & ad obediendum verbo Chriſti mandatum cælitus aduenisſet, voluit tamen ſapientia Dei primo erudiendos informare exemplo, & contra tẽtamenta proponere documenta, vt audiret, & videret, & ſentiret humana rationabilitas, quàm inſuperabilis ſit victrixque peccati, ſi libertas arbitrij libero moderamine dirigatur. Igitur deſertum Chriſtus ingreditur, ibi ſuo, id eſt, ſpiritu ſancto duce & comite conuerſatur. Locus ſecretus eligitur, quia ſolius Dei iudicio ieiunia ſunt agenda, & ſingulariter inſpectorem adiutorémque Deum volunt hæc habere certamina, neque in agonibus aliquibus periculoſius militatur. Nulli religionis exercitio fraudulentius inanis gloria adulatur, nulli virtuti fauor ita blanditur. Ieiuniorum ſudoribus laus importuna ſe ingerit, & ſubtiliſsimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit: & pungit, cum vngit. Virtutem in hypocriſin vertit, & ſimpliciter inchoata peruertit. Quaſi tinea quod integrum erat, rodit & occupat, & ſanctitatis fundamenta euellit & diſsipat. Subtiliſsimum malum proprio laqueo hypocritam iugulat, & propriis armis ſanctitatem impugnat. Caſtigatio carnis ſpiritum inflat, & macies corporis extenuatum arrogantem impinguat. Contemptus venerationem venatur, fames & calamitas laudibus ſaturatur. Mens hoc veneno imbuta in miſeriis deliciatur, & occupata hac ſcabie in vlceribus gloriatur. Religio fit ſuperſtitio, & ſuccedit ei ambitio ſubornata. Extincto ſpiritu, quatriduano cadaueri ſolæ ſuperſunt exuuiæ, virtutis ſpecies exanimis & ſimulachrum ſanctitatis. Tanta eſt hypocritarum dementia, vt fœtoribus pro odoribus abutantur, & precioſa vilia, & aſpera ſuauia arbitrentur, & fauorum ſapor omnium dulcedinum ſuperet condimenta, omníſq; delira ſenſualitas contrariis delectetur. Propter hoc ſolitudo carens arbitris, & eremus adſentatorum ſatellitio vacua, à ieiunante Chriſto eligitur, vt non cum

carne & sanguine, sed cum spiritalibus nequitiis dimicetur, & amotis minarum occasionibus homo cũ diabolo conluctetur, & soli sint in palæstra Christus & antichristus, spiritus & antispiritus. Neque putet homo se euasisse pericula, cum in eremum venerit: quia quanto subtilius, tanto difficilius à tentatore inuaditur, qui cogitationum foribus adsidens, omnia virtutum germina in ipso ortu strangulare molitur. Imaginem Christi delere cupiens, adulterinos colores naturali pulchritudini superducit, claritatem spiritus interpolat & obnubit. Verum liberius anima expedita obuiat impugnanti, vbi cõpedes impedimentorum defuerint, & aspectus iritamenta non mouerint: securiórque est congressus, vbi singula non vellicant dimicantem, nec inebriãt animum lenocinia voluptatum. Honestius cum spiritu quàm carne luctamur: quia carnis complexus fœdus, exhalans nebulas, eum qui sibi adhæserit aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morsus quisquam euasit inlęsus. Flatus ille pestilens etiam longe positos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius quàm adsultum requirit. Et quia solent oratione & ieiunio dæmones edomari, munitio eremi cum huiusmodi armatura exemplo magistri recepit Christianos: quos etsi omnes diuersorium non excipiat loci, animi tamen omnino necessaria est solitudo, vbi erecta specula mẽs sibi insopita prouideat, & detersa rubigine coruscãtibus armis importunum hostem terreat & repellat. Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis AEtnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes cõterminos non adurit. Ieiunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & adpetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium si humilitate ornetur, seruos Dei, mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat & solidat: & putredines quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Ieiunium, scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cælesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio inlæsi egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum domino perseuerans, & Dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clarius patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere & lachrimis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus, supplices beneficia postularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas, sed prope fuit inuocantibus se Deus, & porrexit manum naufragis, & subuenit adflictis. Si Moysen, & Aaron, & Samuelem hodie haberet ecclesia, cum inuocarent, exaudirentur: & orantibus Iob, & Noe, & Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos: rarus Moyses, qui occidat sacrilegos: rarus Samuel, qui inobediẽtes lugeat: rarus Iob, qui pro filiorũ negligentia sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat: rarus Noe, qui his quibus submersio imminet, arcam bitumine litam prouideat. Flens cum Apostolo dico, inimicos crucis qui terrena sapiunt magistratus, quorum Deus venter est, qui in his quæ dicere nefas est, impudentes lætantur & gloriantur. Venerunt periculosa tempora, quæ prædixit Apostolus, in quibus voluptatum amatores magis quam Dei, speciem pietatis habentes, virtutem vero abnegantes, inueniuntur præpositi innumerabiles, qui ieiunia & orationes

Dan. 2. & 3. Exod. 24.

3. Reg. 19.

Ezech 14.

Philip. 3.

2. Tim. 3.

nec

nec digito mouẽt,in quorum manibus iniquitates ſunt,& muneribus eorum dextra oneratur:fruſtra ab his quęrantur miracula, fruſtra auxilia implorentur : non ſunt idonei interceſſores,domini contemptores,nec conuenienter ad placandum eum accedunt,nec conciliant quem offendunt.Efficax eſt oratio præcedente ieiunio,& ſacris ſtudiis antecedentibus non patitur poſtulatio deuota repulſam. Eligitur ſolitudo , vt ſoli Deo vacans anima cum in ſe per continentiam mactauerit voluptates, purgatis adfectibus ad cæleſtia euolet,& videns Deum oret & adoret,& dulcedinis ſuperną ſuauitatem pręguſtet.Forma igitur ieiuniorum propoſita,fixóque exemplo,poſtquam quadraginta dierum abſtinentiam dominus cõſummauit,Satan cum eſurientem videret,acceſsit.Retroactum tempus obtinuerat quies,& ſecum ſilentij ſera opus illud eximium ſaluator exegerat, modo oblata famis occaſione tumultuator de latebris prodiens foras egreditur , & ſubdola profeſsione quaſi compatiens ei ſubuenire periclitanti naturæ hortatur : *Si filius Dei es , dic vt lapides iſti panes fiant.* Lucæ 4. Nec vult fateri, nec præſumit diabolus diffiteri Chriſtum filium Dei, ſed dubie diſpenſeque conſulens , tendiculas blandis innectit ſermonibus, vt obaudientem ſibi reddat obnoxium, & ſe de compaſsionis ſpecie reddat acceptum. Caro & laſsitudo , & cetera huiuſmodi hominem teſtabantur : virtutis integritas , & vita carens omni peccato,perfectius ei priuilegium adſcribebant, & diuinitas potentiſsima ex ipſis effectibusnegari non poterat. Fuerant & ante Chriſtum viri inſignes,prophetæ & ſacerdotes , ſed in peccatis concepti & nati , nec originali , nec perſonali caruere delicto:& inuenta eſt in omnibus vel ignorantia,vel inſufficientia,in quibus erronei peccauerunt,& eguerunt miſericordia Dei,per quam edocti & reſtituti gratias egerunt Deo,& ad plenitudinem iuſtitiæ multum ſibi deeſſe confeſsi ſunt,& ſperantes in Deo nullam ſibi ſoliditatem adtribuere præſumpſerunt. Non ita Chriſtus, in quo verbi carníſque ſic conuenit natura , vt nulla alteri ex altero iniuria deueniret:quia in carne ſocia nullam diuinitus maculam reperit,nec ſecuta eſt, nec præceſsit. Hæc naturarum coniunctio diabolum excæcabat: quia impoſsibile ei videbatur , vel quod eſurire poſſet diuinitas , vel quod tantæ tolerantiæ poſſet eſſe tantæque poteſtatis corporalis humilitas. Duplicem itaque inquiſitionem ſinuoſa calliditate orditur,vt de Chriſto,vtrum naturalis filius Dei ſit,ipſo reſpõdente certitudinem habeat: vt cum Deum confeſſus ſe fuerit,abſurdum videatur quod Deus eſuriat,& in quamcunque partem ſe reſponſio verterit, neceſsitas concluſionis occurrat: Si filius Dei es,tibi non competit eſurire:quod ſi eſuris,manifeſtum eſt filium Dei non eſſe,quem violentia neceſsitatis communibus indigentiis intercludit.Succurre,inquit,neceſsitati ſi potes,alioqui deficies,& pręſentes lapides in panis muta ſubſtantiam: ſic enim fiet vt euadas periculum:& ſi hoc potueris,probes te Deum. Non erat digna reſponſione quæſtio malignantis: neq; enim technas diaboli dominus ignorabat, ſed diuino cauillatori ſatisfecit eloquio , ſubtiliſsimo dogmate edocens corporis & animæ vitæ propriis alimoniis deberi ſubſidia, & cibum animæ,id eſt verbum Dei eduliis corporalibus præponendum,& citius adtentiúſque menti prouidendum quam ventri. Nec opus erat vt hoc facto inſidiatori innoteſceret, quia nullo ſigno eius poterat inuidia commutari , cuius incorrigibilem iniquitatem deſperatio ſuggillauit.Superfluum igitur erat ad ſuggeſtionem eius ibi nulla profutura miracula operari,cum ſatis eſſet diligenter conſideranti, quod eſurientem cibi non ſuperabat adpetitus, & deſiderij motus defectio non eſſet,ſed virtus. In nullo Chriſtum aliqua coëgit aut dominata eſt ei neceſsitas,qui proprię moderamine voluntatis diſpoſuit & perſoluit quod exegit humanitas. Sicut in ipſius voluntate fuit conſecrare ieiunium,ita & in poteſtate fuit tempore op-

portuno sumere cibum, quod vtique nec ministerio, nec consilio diaboli fuerat ordinandum: quia & abstinentiæ & refectionis penes ipsum erat & arbitrium & facultas. Itaque nihil certitudinis seductor extorsit, sed dubius incertúsque dimissus est, nec obtinuit vt se proderet Christus miraculo, vel intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio, quasi tunc primum quid fieri oporteret data doctrina, acceptáque sententia. Repulsus igitur auctoritate scripturæ, & propositi firmitate defecit scrutinio, nec tamen alia adgredi via destitit, & falsatis argumentis prioribus, alia subiiciens quibus ab eo consentaneas sibi responsiones aliquas extorqueret, adiecit. Eo igitur supra templi pinnaculum constituto, quem gula non potuit, vana gloria subuertere nititur. A multis ambigitur vtrum fuerit hic translatio corporalis, & si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacuc de Iudæa in Chaldæam delatus est, & Philippus de Azoto in occursum eunuchi, qui reuertens de Hierusalem, non intelligens Esaiam, codicem reuoluebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quod humeris eius saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit quẽ præcipitatorem sciebat: vel ei ferẽdum se commiserit, cuius insidias agnoscebat. Suo itaque spiritu eum credendum est ductum, & in desertũ, & super templum, vt vtrobique eum diabolus adsumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deserto prima fuit tentatio, sed ceteras eo modo circunduxit tentatoris astutia, vel circunduci passa est patientia saluatoris, quomodo Ezechiel cum super fluuium Chobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu ciuitatem ædificat & metitur, & muros & templum instaurat. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu, sciens quid ante spiritus adfectaret, & hosti se de vana gloria pulsaturo opportunitatem parabat. Hac igitur occasione loci hortatur & consulit, vt in vrbe sancta & frequentia populorũ quasi nouus funambulus in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi iactet intrepidus, addens ex testimonio scripturæ angelorum adfutura suffragia, quæ ruentem exciperent & conseruarent inlæsum. O execrabilis diaboli malitia, ô stulta nequitia, ô insensata versutia, ô præsumptio excæcata. Putabat malignus, quem gula non vicerat, vana gloria superari. Experientia quippe rerum didicerat, & in multis probauerat vitiorum victores sæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquúmque esse virtutibus malum, adulationem: nec facile quenquam posse euadere, quin libenter adsentatorum canticis porrigat aures, & laudatorum modulationibus delectetur. Et sicut rarus est, aut nullus qui de se mala dici æquanimiter ferat: ita rarus est, qui non bene de se velit sentiri, & se si recte viuit stantem in vitæ rectitudine non diligat æstimari. Quod si opera virtutum foras exierint, rarus est qui hominum iudicia conspuat, & laudes humanas contemnat. Hoc generale malum in humano genere Satan putabat ex præcedentis occasione victoriæ suggerere saluatori, vt popularibus laudibus vellet adtolli, & facere sibi nomen iuxta nomen magnorum qui sunt in terra, si geminato miraculo ieiuniorum constantia innotesceret populo, & vectoribus angelis sine offendiculo sustentatus, se filium Dei tam potenti abstinentia, quàm angelorum obedientia comprobaret. Huiusmodi consiliis filios hominum Satan corrumpere consueuerat, & robustis virilibúsque animis etiam huiusmodi cogitatus immittit: & si ab ingressu mentis arceatur, retinente consensu, aliquid tamen de spurcitia sua ibi euomens abominationum horrore nauseare compellit. Sic vt aliquid poëticum inferam, temulentus Cyclops inliciti coniugij adpetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Erichthonium fundit, & incorrupta Minerua, supereſt tamen deforme monstrum, nec omnino adfectata scelera in memoria moriuntur. *Non tentabis*, inquit,

Dan. 14. Act. 8.

Ezech 43.

Psal. 90.

Lucæ 4.

dominum

dominum Deum tuum. Hoc in Deuteronomio ſcriptum eſt. Ecce lex legi ob- Deuter.6.
iicitur, & Satan auctoritate ſcripturæ abutens, malus legis interpres, præcipitium quaſi ex ratione mandati hortatur, ſed intellectus fallax & falſus veritate ſincera confunditur, & generali edicto interdictum oſtenditur, ne dum patet in quibuslibet anguſtiis quilibet exitus, Deus vlla præſumptione tentetur. Alia explorator malignus argumenta conatur adducere, & ad ſummam cumulúmque nequitiæ ſuæ, continentem & humilem oblata adgreditur poteſtate, & oſtenſa mundi huius ſublimitate & gloria, quaſi indignum ſit tantæ auctoritatis doctorem, & inſignium operum patratorem, ignobili & contemptibili ſchemate obumbrari, & dominatione vniuerſorum vſuque animum dignum honore ſollicitat, & daturum ſe omnia pollicetur, ſi ei pro tanto munere gratias agat, & procidens adoret tanti culminis largitorem. Solent viris virtutum huiuſmodi præſtigia ſe offerre & teſtimonium religionis, conſcientia prohibente, cum ab aliis digni honoribus iudicentur, facile acquieſcunt: & tam proprio quàm alieno faſcinati iudicio à rectitudine corruunt, euerſaque cathedra mentis, humo fractis ceruicibus colliduntur: repenteque & ſubito quod multis erat partum ſudoribus, ambitione inruente obliteratum eſt, & turbinis huius impetu auulſum eſt, quicquid antiquæ religionis labor meruerat. Malum hoc Adam in paradiſo pulſauit & ſtrauit, cum ſubiectionem quam Deo debebat faſtidiens, adpetiit dominatum: & cum vellet eſſe ſicut Deus, ſine Deo ſe vidit & nouit: & conſpectam carnis Euæ abhorruit fœditatem, quam licet operiret, manens tamen perpes ibi contumelia ſtetit & hæſit. Ad ſuaſionem diaboli animam vanitati ſubiectam deiecit ambitio, poterátque ex termino eius poſteritas didiciſſe, quàm miſera mutatio fuit de deliciis ad ſpinas & tribulos emigraſſe, & raſtris ligonibúſque auaritiam condemnatam. Hoc malo reſtitit, & reſiſtere nos ſaluator edocuit, vt ſoli Deo ſubiectus ſit homo quantumcunque profecerit, vt in ipſo, immo ipſe ſit ſubſtantia noſtra, & pateat nobis quod ſicut peremptoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſsima eſt oblata: non quod poteſtas quæ ex Deo eſt ſit damnabilis, aut ordinatio diuina peccatorum ſit obſtetrix: ſed quod excellentiam, cuius ſpiritus ſanctus auctor eſt, ita debet complecti humilitas, vt qui vocatus eſt ſuperius, neſciat ſe ſublimem, & per omnia agnoſcat conditio conditorem, & gratia largitorem. Gloriabantur aliquando diſcipuli, & complacebant ſibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent: ſed repreſſa eſt, increpante domino, ſimplicitatis eorum præſumptio, *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur deſcendentem de cælo.* Lucæ 10. His verbis eorum animis intimans, quia ante hoc temporale initium ipſe in principio, immo ipſe principium exiſtens apud Deum, ante hominis conditionem ſuperbientis diaboli ruinam vidit, & adfectatæ dominationis ambitionem deiectionis eius fuiſſe cauſam: nec in hoc gaudendum eſſe, ſi quis prærogatiua celſitudinis donaretur, ſed hanc eſſe certam ſtabilémque veri gaudij metam, ſi vocatio noſtra iuſtificatione muniretur: & tunc demum ratum conſtare beatificationis prouentum, ſi huius ordinis ſcriptura in conſpectu Dei indelebilis ſeruaretur. Hoc igitur adtendentes, quod non 1. Corin.3.
in nobis quaſi ex nobis ſufficientes ſumus, ſed ex domino ſufficientia noſtra eſt, & contentos ſolo Deo neceſſe eſt ei eſſe omnes accliues, cui totum debemus quod viuimus, quod mouemur, quod ſumus. Qui de plenitudine ſua nobis interim, prout cuique opus eſt, donationes partitur, donec ad cumulum perueniat copia conſummata, vſque adeo conferta coagitatá- Lucæ 6.
que menſura, vt nihil vel accedat amplius, vel recedat: ſed in cognitione Dei certum finem ſtabilémque metam omnes & animæ & corporis obtineant adpetitus. Fruſtra itaque regna huius mundi tranſitoria & mutabilia, im-

Iean.18. mutabili & æterno regi ostendit vel promittit diabolus, cum ipse dicat, Regnum suum de hoc mundo non esse: non quod creationem suam remouens dæmonum subiecerit potestati, sed quia in his qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur diuinitas sibi facere mansionem: & impossibile sit eos à Deo regi, qui se diabolo tradidere: quia Christi & Belial nulla est participatio, nec aliqua iustitiæ cum iniquitate potest esse communio. Regnum hoc est naturæ, sed malitiæ persecutio est, non defensio: & tota huius potestatis virtus in mortem damnationémque eorum qui sub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambigitur flagitiis, turres eius sunt crimina, arma quaruncunque turpitudinum molimina. Huius regis telonearij sunt, pauperum oppressores: tribuni, seductores: præfecti, iudiciorum peruersores. cubicularij eius sunt, quæstuum aduncatores, mercimonij traiectores, ærarij sacerdotes, numularij doctores, conductitij defensores, linguæ subdolæ vel consilij locatores, venales auxiliarij, bilingues causidici, concinnatores mendacij, fabricatores peccati, vestiti mollibus, amicti discoloribus. In domo huius regis sunt, qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes, capillis muliebribus se in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non sine naturæ iniuria dehonestant. In hoc regno sunt, quicunque veritatem Dei commutant in mendacium, quicunque quasi in taberna vitiorum præcones venales animas impurissimis dæmonibus corrumpendas exponunt. Hic auaras manus cupidi muneribus complicant, hic genu flexo concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, & propriæ libidinis adorat simulachrum. Non hæc te domine Iesu gloria mouet: non huius mundi tu tenes imperium: non horum cupidine tu cadis, aut prosterneris: non adoras malitiam, non peccato subiiceris, qui seruis tuis dæmonia subdis, & omnem huius mundi gloriationem destruis & confundis. Insanissime Satan, qua fronte, qua lingua ausus es dicere saluatori, vt ante te qui stat inflexibilis & immobilis, caderet? vt te damnatum ipse qui te damnauerat, adoraret? Quis ausus? quàm impudens hæc fuit præsumptio? Quid desperate sperasti? An filium Dei putabas posse tecum apostatam fieri? Si de mundo visibili, id est de cælo & terra, & de his quæ in eo aguntur, te iactas habere dominium, nec cæli, nec terræ tu conditor, nec solem moues, nec cursum das sideribus, nec per te voluitur firmamentum, nec vides aut intelligis Deum, nec vllum tibi est cum cælesti militia consortium, vel aliquem habes ad superioris mundi claritatem accessum. Huius inferioris mundi tua est scabies, languentis sunt vlcera, hæc scalpis, hæc impurus ablingis. Si quid vitij est, si quid corruptelæ, tu cadaueribus adsides, tu contrectas putredines, tu distemperas feces, tu versas fœtores, tu spiritus nequam, tu in pristino seculi huius fermentator immundus, tu sanctitatis corruptor, & simplicium perturbator, tu incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor: in his regnas, quos inquinas: & in his quos polluis, dominaris. Fornicatores & adulteri te habent suggestorem, te habebunt tortorem, te quoque cum illis vltricia incendia concremabunt. Stultis vanísque promissionibus nullus à corde Christiano dari debet accessus, sed primis titillationibus obuiare debet abigens manu: nec foueri debet coluber, donec in draconem formetur. Mendax est diabolus, & his qui sibi obtemperant, multa se daturum promittit. Malum hoc in vniuersa ecclesia vagatur, & communis pestilentia innumerabiles occupat, vt pro gloria huius mundi qui liberi erant, se vendant in seruos, & per vitia ad seruitia deputentur, & obligati pacto chirographum subiectionis conscribant diabolo. Per omne nefas voluptates emuntur, & per omne scelus copiosę libidines exquiruntur. Iudas ille proditor venditurus magistrum, prætaxatum precium à principibus exegit

git ſacerdotum: *Quid mihi*, inquit, *vultis dare, & ego eum vobis tradam?* Vſque Matth. 26.
ad mortem domini, amor lucri ſe ingerit, nec vitæ ſaluatoris quæſtus deſiderium parcit. Etiam in ſinu ſacerdotum ambitio dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat. Simon apoſtolorum tempo- Act. 8.
ribus venalem putans ſpiritum ſanctum, Petrum donis adgreditur, & tentat emere poteſtatem, per quam plura lucretur. Hæc ſacrilegij forma per omnia officia gradúſque diſcurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quiſquã diaboli hæc eſſe negocia, & nundinatores eius quicunque hæc exercent commercia, nec quicquam huiuſmodi ab eo, niſi præmiſſa apoſtaſia, donari. Inuerecunde tentator ambitioſos adgreditur, & conditione pernicioſa præmiſſa talia pollicetur, vltra quæ extendi non poſsit cupiditas, regnorum ſcilicet omnium monarchiam, & vniuerſitatis dominatum, vt in omnibus mundanis vnus homo quaſi Deus habeat poteſtatẽ, & vni omnia ſubiecta ſint, & generale vectigal excellentiæ principali cuncta perſoluant. Quid vltra cupide quæris? quid amplius auare deſideras? nunquid & ſic poteſt impleri ambitio tua, aut ſatiari poteſt fames tua, offa huius mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis vniuerſa rerum maſſa intruſa? Mundum habes, Deum non habes: mundus tranſibit, tu cum eo qui non ſtat, cades, tranſibis & rues. Peremptoria ſunt hæc conſilia, quæ tibi alia pollicẽtur, in quibus te neceſſe eſt aut vomitu, aut ruptis interire viſceribus. Sed & precium quod petitur, vt diabolum adores proſtratus, & eum tibi Deum conſtituas, quem non dubitas ſeductorem, ſi cõſenſeris vt concedas, caſus tui te non potes excuſare improuidum, cũ ipſe tibi caſum & ruinam prænominet, & prȩcipitium exigat, qui tanti ſe facit nundinatorẽ culminis, & tantæ tibi promittit faſtigia poteſtatis. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, regnum cȩlorum tibi deus promittit, ipſum ſolum adora, ipſi ſoli memento vt ſeruias: qui repulſo tentatore, te quoque gloria & honore poſt victoriam coronabit, ſi in iuſtitiæ rectitudine ſteteris, nec falſis promiſsionibus obtemperans, ad venerationem diaboli damnationis eius factus particeps incurueris.

DE COENA DOMINI ET PRIMA INSTITVTIONE CONSVMMANTIS OMNIA sacramenta.

SVSCITATI Lazari Hieroſolymis increbruerat rumor, & tam ſolenne miraculum, ad venerationem Chriſti excitauerat populum: vnde & ei ciuitatem ingredienti, cum ramis palmarum obuiam proceſſerunt, ſedẽtémque ſuper aſinum reſonantibus laudibus gratulabundi introduxerunt invrbẽ, regem Iſraël confitentes, & acclamantes, filiũ Dauid in nomine domini aduenisſe, cuius ȩternum imperium prophetarum vaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat dominum, qui ſciebat omnia, quod in viæ illius confinio de torrente paſsionis erat bibiturus, & ex ea veneratione quȩ impendebatur ei à plebe, inflãmandam amplius inuidiam magiſtratuum, & animos exacerbatos vehementiori inſania perturbandos, & conſpirationis malignæ non vltra poſſe occultari conſilia, nec differri amplius quæ de eius interitu cogitarant. Sed volebat pius magiſter cum iam dãnationis ſuæ dictaretur ſententia, & prope eſſet vt figeretur in cruce, ſuȩ dare indicia poteſtatis: & qui animã Lazari reuocauerat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dinoſceretur virtute diuina, non humana tantum opus patraſſe: & impoſsibile eſſe ſuam animã ab inferno teneri, qui alienam poteſtatiue extraxerat: nec ſe neceſsitate, ſed obedientia vrgeri ad mortẽ: &

vitam quam aliis reddebat, ad se quoq; vbi iuberet ilico reddituram. Finem igitur legalibus ceremoniis impositurus, parari sibi voluit pascha, & ex cõsue tudine legis ea quęri quę solennitas exigebat, agnum assum, panes azymos, & lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios noui testamenti ministros, puras sinceráſq; mentes sanctum quærit conuiuium, in veru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, & induret solidétque mentis adfectus: nec in ecclesię sanctę sacrificio vlla sit macula, sed pura simplicitas & innocentia vitæ in vna ecclesiæ catholicæ domo à fidelibus de AEgypto egrediẽtibus transito mari rubro lotis Christi sanguine adfectibus offeratur. Cœna itaque disposita inter sacramentales epulas obuiarunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quẽ antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister adponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam.

Gen. 14. Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramẽta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius summus sacerdos panem profert & vinum, *Hoc est,*

Matth. 20. Marci 14. inquit, *corpus meum.* Manducauerant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis, tantum nutriendo corpori cõmodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo

Lucæ 22. à domino dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem: Hæc est caro mea, & hic est sanguis meus:* quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustrum ad fanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. Manifestata est etiam spiritalis & corporalis cibi distantia, aliud fuisse quod prius est adpositum & consumptum, aliud quod à magistro datum est & distributum. Quandiu cibi illi qui ad diem festum erant parati, à conuescentibus apostolis sumebantur, veteris paschæ agebatur memoria: nec dum Iudas ad veterem vitam pertinens, diabolo inuadente & occupante animum eius egredi cogebatur: sed vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem & precium, ad desperationem & laqueum. Orta fuerat aliquando, sicut in euangelio Iohannis legitur, de nouitate verbi huius quæstio: & ad doctrinam mysterij huius

Ioan. 6. obstupuerant auditores, cum diceret dominus, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam, sectámque membratim edere docerentur, cum illius personæ caro si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta, videretur interisse religio, cui nequaquam vlterius victima supereſſet. Sed in cogitationibus huiusmodi *caro & sanguis non prodest quicquam:* quia, sicut ipse magister exposuit, *Verba hæc spiritus & vita sunt:* nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Panis est esca, sanguis vita, caro substantia, corpus ecclesia: corpus, propter membrorum in vnum conuenientiam: panis, propter nutrimenti congruentiam: sanguis, propter viuificationis efficientiam: caro, propter adsumptæ humanitatis proprietatem. Hoc sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem & sanguinem, aliquando panem Christus adpellat, portionem vitæ æternæ, cuius secundum hæc visibilia corporali communicauit naturæ. Panis iste communis in carnem & sanguinem mu-

nem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus, ideóque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm spiritali transitione Christo nos vniri. Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem cibus & substantia, & vita factus est ecclesiæ suæ, quam corpus suum adpellat, dans ei participationem. Et nos quidem cum caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporis animęque natura reformari non poteramus, neque ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterato impo neretur malagma conueniens, & in curatione desperatæ infirmitatis contraria remouerentur cõtrariis, & similia similibus conuenirent. Panis iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi, factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur & latebat diuinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus: non quod vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimã eius hæc vnitas peruenisset. Solus quippe filius patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partiabilis substantia trinitatis: nostra vero & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed adfectus consociat, & confœderat voluntates. Ita ecclesia corpus Christi effecta obsequitur capiti suo, & superius lumen in inferiora diffusum claritatis suæ plenitudine à fine vsque ad finem adtingens totum apud se manens, totum se omnibus commodat, & caloris illius identitas ita corpori adsidet, vt à capite non recedat. Panis itaque hic azymus cibus verus & sincerus, per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide inluminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste supersubstantialis, vita est animę & sanitas mentis. Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestius edemus in cælis, non ministerio corporali, sæpe repetitis actionibus ad eandem reuertentes, sed consummato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, qua proferet se palam absque vllis integumẽtis omnibus, conspicabilis summi prẽsentia sacerdotis. Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis, sed quanuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. 2. Cor. 3. Ideóque aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratię contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Noua est huius sacramenti doctrina, & scholæ euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primum hęc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ auctoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, euangelium præcipit vt bibatur: in quibus mandatis hoc maxime discernere debet Christiana religio, quod sanguis animalium à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantum habeat viuificationis effectum, & vita eorum finem habeat, & sine vlla reuocatione terminum constitutum. Ideóque ad obtinendam æternitatem non potest perficere quod semel obrutum nõ surgit vlterius, nec aliqua ei supereſt virtus, quod sine vlla spe præcisis radicibus mors penitus exiccauit. Vita vero hominis licet aliquam habeat affinitatem cum sanguine, non tamen solo sanguine regitur, sed anima sanguini dat caloris & nutrimenti effectum, sicut & ceteris quæ in corpore sunt propria distribuit officia, & diui-

Panis non manet post consecrationem in Eucharistia.

dit motus, & quasi talenta partitur. Nec oportuit vt sanguini humano sanguis pecudum misceretur, quia vita rationalis hominis vitæ bestiali consociari non habet, sed omnino à fidelium animis, quasi sanguis impurus, detergenda est hæc carnalis opinio, ne putetur vita hominis eo modo transitoria quo vita pecudum inanescit: vel quod sanguis consubstantialis sit animæ, & necesse sit vtrunque superueniente suffocatione dissolui. Carne quidem animalibus similes sumus, sed vita dissimiles: ideóque quod commune cum eis habemus, nobis incorporare licenter possumus: quod vero dignitati nostræ non conuenit, & ab æternitate alienum videtur, à nobis subtilissimo legis indicio separamus. Bibimus autem de sanguine Christi ipso iubente, vitæ æternæ cum ipso & per ipsum participes, animalis vitæ peccata, quasi sanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati gustum à beatitudine priuatos & damnatos, nisi nos Christi clementia ad societatem vitæ æternæ suo sanguine reduxisset. Nobis itaque pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo omnes excedens victimas, hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus quicquid esset intus ibi durum effugaret, & renouaret, sanarétque quicquid morbi carni vel spiritui veteris vitę adlinierat corruptela. Dixerat sanè huius traditionis magister, quod nisi manducaremus & biberemus eius sanguinem, non haberemus vitam in nobis: spiritali nos instruēs documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, vt sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus quasi quædam incorporatio, subiectis obsequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Esus igitur, carnis huius quædam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostro & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporísque recessus. Potus & esus ad eandem pertinent rationem, quibus sic vt corporea nutritur substantia & viuit, & incolumis perseuerat, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod est esca carni, hoc animæ est fides: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui, excellentiori virtute peragens ęternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter & finaliter. Celebrantes sacramenta commonemur, quasi vngulam findēs & ruminans pecus reuocare ad fauces, & minutatim commolere dominicæ institutionis exēplum, vt semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi hæredes mortis supplicia, sed pascant & reficiant maturatæ resurrectionis lætabunda solennia. Quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti ad anteriora extendimur, non habētes sensum huius mundi, sed diuitis præparati delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriúsque rubricati, à sapientibus huius seculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum vsque hodie retro abeunt, & à secretis diuinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit: qui bibit, vltra non sitit, quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicunq; tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento, Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatū: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia. Cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira

sunt

sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur: quin agnus iste paschalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Inter dominicæ mensæ conuiuas animalis homo non admittitur, quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil sapit, nihil prodest quicquid humani sensus molitur subtilitas: omne quicquid à suis rationibus deuium videtur, sapientes huius seculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit, & cum in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est, non inluminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Vident hæc sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aspernantur, & possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur. Esurientes & sitientes iustitiam, cum saturati fuerint, vide quid agãt, intellige quæ loquantur, quàm sancti odoris sit quicquid illa eructat plenitudo, verbum bonũ, mores cõpositos, adfectus pudicos, sensus pacificos: illa interior sinceritas vbiq; diffundit, ita vt post odoramenta ista gratiæ huius comparticipes discurrãt, & mutuis se adinuicem adfectibus complectantur, & quibus vnus est panis, vnum est corpus, & omnium vnum cor & anima vna, vni Christo adhærens, cetera omnia quasi fermẽta respuẽs, in vnius azymi sinceritate lætatur. Perpes est hoc sacrificium & semper permanens holocaustum, nulla panem hũc multitudo consumit, nulla antiquitate veterascit. Vna est domus ecclesiæ, in qua agnus editur, nullus ei communicat, quem Israelitici nominis generositas non commendat. Huius panis figura fuit manna quod in deserto pluit, sic vbi ad verum panem in terra promissionis ventum est, cibus ille defecit. Per singula sabbata propositionis iam frigidi & duri mutari consueuerãt, & calidi panes eiusdem numeri in mensa proponi. Iam nulla fit panis mutatio, vnus est panis caloris continui, status integri, qui semel oblatus Deo in sapore dulcissimo, & candore purissimo perseuerat. Nec solos sacerdotes ad panes huius dignitatis Leuiticæ prærogatiua admittit, vniuersa ecclesia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur: integer erogatur, distributus non demẽbratur: incorporatur, non iniuriatur: recipitur, non includitur: cum infirmis habitãs, non infirmatur: nec pauperum ministerio indignatur: fides pura, mens sincera hunc habitatorem delectat, neque immensi & omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus nostræ angustia offendit vel artat. Panis iste angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica, omnibus qui digne & deuote sumunt, secundum suum desiderium sapit, & amplius quàm manna illud eremi implet & satiat edentium adpetitus, & omnia carnalium saporum iritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his qui Christi commemorant passionem, intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egredientur torrẽtes, & super omnes delicias lachrimis nectareis anima delectetur, quãtam suauitatem animæ inquirenti vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestates deponunt, ros matutinus est de cælestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante se affectio intuens, inter data & condonata se diuidens, gratias agit tã vberis beneficij largitori, & se sanatam & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lachrimis se baptizat. Verum his qui verbotenus corde ficci & mente aridi, sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritus sancti pinguedine vegetantur: nec se iudicant, nec sacramenta diiudicant, sed sicut cibis communibus inreuerenter sacris vtuntur muneribus, & domini-

cæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter: quibus melius erat mo-
Matth. 18. la aſinaria collo adligata mergi in pelagus, quàm inlota conſcientia de manu domini buccellam accipere, qui vſque hodie hoc veraciſsimum & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & pie ſumentibus diuidit. In huius præſentia non ſuperuacuæ mendicant lachrimę veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. Quoties te in cõſpectu domini video ſuſpirantem, ſpiritum ſanctum non dubito aſpirantem: cum intueor flentem, ſentio ignoſcentem. Tu ſi templum ſpiritus ſancti violas, ſi intra te ſacrarium Dei deturbas & fœdas, ſi cum calice Chriſti de calice dæmoniorum communicas, contumelia eſt, non religio: iniuria, non deuotio. Idolorũ ſeruitus & horrenda abominatio, velle ſimul Baal famulari, & Chriſto. Abi retro cum ſaccellis tuis, qui lucris inhias, & mercedes ſectaris, qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in ſtratis ſegmentatis laſciuis: qui veſtiris mollibus, & in terra ſuauiter viuentiũ conuerſaris: cuius manus plenæ ſunt ſanguine, cuius lumbi diſcincti ſunt, & ſine balthei diſcurris ligamine. Non eſt tibi pars in ſermone iſto, quia quod Dei eſt, aufers Deo, & imaginem Dei conſecras idolo. Pauperes quidem ſpiritu ad hoc myſterium eligit, & diligit ſpiritus ſanctus, & eorum qui pompa-
2. Parali. 26. tice & glorioſe ſacris ſe altaribus ingerunt, obſequia deteſtatur. Ozias licet rex, ob præſumptionem lepra percuſſus, à ſanctuarij ingreſſu repellitur, & eius oblatio quaſi ſordida refutatur. Incenſi odor de immundorum manibus reputatus eſt pro fœtore: & iram, non gratiam præſumptio meruit, quia contra fas rem vſurpans inlicitam, temerarie in ſancta cõſcendit. Sed & propter malignantium inſolentiam altare ſuum Deus repellit, & ſanctificationibus maledicit, odit ſabbata, abominatur ſolennia, odoramenta fœtent, diſplicẽt holocauſta. In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtricta teſtatur. Sed hierarcha pius quem ſpiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat, & ſanctificat, eleuatione manuum crucis myſteriũ repręſentans, confidenter orat pro ſua & populi ignorantia, recolens pudibundi & contriti animi confeſsione, quod aliquando præualente aduerſum ſe peccato fuerit derelictus, iuxta illud quod Dauid
Pſal. 29. Eſa. 54. plorans ait, *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Et dominus per Eſaiam, *Ad tempus in modico derelinquam te,* verecundatur fateri, & tamen fatetur iuuentutis delicta. Sed accuſatrici conſcientiæ neceſſe eſt coram iudice reſpondere, nec poteſt ibi eſſe vllum diffugium, vbi ipſa teſtis eſt quæ accuſat, & nihil ei poteſt eſſe occultum qui iudicat. Sed vbi cum iudice agit qui iudicatur, & ipſe in partem accuſatoris tranſiens, etiam in ſua proſcriptione ſententiam adprobat condemnantis, experitur clementiam ſal-
Pſal. 29. Eſaiæ. 55. uatoris, & lætabundus canit, *Domine in volũtate tua præſtitiſti decori meo virtutem:* & iterum per Eſaiam audit, *In miſerationibus magnis congregabo te.* Sed & in eodem articulo temporis, cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediẽs ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiã clementiſsimi Dei benignitas nõ aſpernatur, nec ſerum eſt quod verum, nec inremiſsibile quod volũtarium, & quęcunque neceſsitas cogat ad pœnitudinem: nec quãtitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera cõtritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes, & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipſe dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum, & ne deſperarẽt etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium ilico adeſt, & re in arcto poſita non differt beneficium, ſed repente indulgentiæ celeris documentum
Lucæ 23. eiuſdem ſtatuit & exemplum, latroni inquiẽs, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Latrocinium

trocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor cõtritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momẽto impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim cõſummatus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei præmiſſus eſt in regnum, reconciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſuperos, quod Deo patri tantæ legationis fungens honore, in ſeipſo ſcripturæ huius experimentum continens, libero & ſecuro aditu penetrans, præſentauit. Quid tu domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores? quid labores ſanctorum? quid tot annorum tormenta? quid martyrum plagæ? Vna hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina peruenerũt. Sic tu domine armentarios ſtatim facis prophetas, opiliones reges, teloniarios apoſtolos, piſcatores doctores. Neq; ab his quos ſanas, lente languor abſcedit, ſed ilico quem reſtituis ex integro, conualeſcit, quia conſummatum eſt quod facis, & perfectum quod largiris. Hanc Dei gratiam recolẽs, qui de ſacro calice bibit amplius ſitit, & ad Deum viuum erigens deſiderium, ita ſingulari fame illo vno adpetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium ſit ei quaſi rancidum radenſque palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter ſacra myſteria ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite, munditia cordis adepta, ſe intelligens conſummatum, reſtitutus peccator ſanctificatam Deo animam quaſi depoſitum cuſtoditum fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur & lætatur dicens, *Viuo iam non ego, Viuit vero in me Chriſtus.* Hæc in Chriſti commemoratione retractantur à fidelibus, & defecata animis carnis eius edulium non eſt horrori, ſed honori, potuque ſancti & ſanctificãtis ſanguinis ſpiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctum frangimus & partimur, dum quod diuinum, & quod humanum eſt, diſtinguimus & ſeparamus, itemque ſimul ſeparata iungentes, vnum Deum & hominẽ fatemur: ſed & noſipſi corpus eius effecti, ſacramento & re ſacramẽti capiti noſtro connectimur & vnimur, ſinguli alter alterius membra, miniſterium dilectionis pro inuicem exhibentes, communicamus charitate, participamus ſollicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibẽtes qui de petra ſpiritali profluit & emanat, qui cibus & potus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. Gala. 2.

DE ABLVTIONE PEDVM.

IAM ſacramenta corporis ſui apoſtolis dominus diſtribuerat, iam exierat Iudas, cum repente de menſa ſurgens, linteo ſe prẽcinxit, & ad genua Petri lauaturus pedes eius, ipſe genibus flexis dominus ſeruo conſummatæ humilitatis obtulit famulatum. Et ne quid conſummationi doctrinæ deeſſet, inter fixa & immobilia præcepta, & ea quæ moueri poſſunt & repeti, diſtinctionem poſuit, vt ceteris immutabiliter ſemel ſtatutis, vltima lauachri ſpecies, quotidianis expiationibus commodata commẽdaretur fidelibus. Et ſicut lex per ſingulas offenſiones propria ſacrificia requirebat, vnũ figuretur fidei Chriſtianæ remedium, ad quod curreret, quoties ſe cognoſceret offendiſſe. Quod quidem Petro nondum fu erat reuelatum, quippe qui huius traditionis nondum audierat diſciplinam. Docetur ergo quæ ſit baptiſmi & aliorum ſacramentorum ſtabilitas, & quantum ad expiationẽ proficiat humilis pietas & pia humilitas, & quomodo omni tempore proſequenda & repetẽda ſit ablutio pedum per Ioan. 13.

quam recte cognitam & intellectam, adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lauantur. Nam baptismum repeti, ecclesiastice prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterũ renouat, nemo sacro oleo lita iterum linit aut consecrat, nemo impositioni manuum vel ministerio derogat sacerdotũ: quia contumelia esset spiritus sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat: vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat. Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & auctor, in ceteris homines spiritum sanctum habuere doctorem, & sicut par est spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas & potestas, nec minus ratũm est quod dictante spiritu sancto apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniformis in suo genere stat actio omnium, nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari. Ornata & honorata erat ecclesia, quasi paradisus, in amplitudinis suæ vmbilico fontem continens gratiæ singularis, flumina creans in vitam æternam salientia, viuam habens originem & decursum perennem. Hinc egredientia quatuor euangelij flumina per vniuersum mundum secum regenerationis euehunt lauachrum, & de abdito & secretissimo spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat. Præteritis lotis vita deinceps arbitrio est proprio deducenda, ita tamen vt actualibus aliquando recrudescentibus iam non imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius sit cui semel illa sunt in baptismo indulta. In originalibus enim corruptio naturæ abiici & exterminari meruerat, sed quia non erat voluntas in culpa, prouidit Deus generali damnationi remedium, & suæ sententiam iustitiæ temperauit, hæreditarium onus à sobole remouẽs, & misericorditer ablutione & vnctione medicinali corruptionis primitiuæ fermentum expurgans. Sed in eos qui post indulgentiæ huius gratiam voluntarij per peccata euagati sunt, qui proprio abutuntur arbitrio, & voluntate, non necessitate ducuntur, indignatio & ira non immerito redit, nec in morte Christi aliquis eis supersit quæstus, sed iustissime eos beneficia contempta condẽnant. Nũc contemptum suum non statim vlciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiæ suæ ostia meatusque multiplices, sed obuiat fugientibus, & cogit regredi desperatos, ostendens eis pœnitentiæ viam, qua nulla latior inuenitur, & reuersis dat vt iterum eis possint sacramenta iniuriata prodesse, qnorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum. Propter hoc benignissime domine, pedes lauas discipulis, quia post baptismum & eucharistiam, qui sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauachrum procurasti quod nunquam debeat intermitti: tamen ipse quod doces facis, vt quanti quæstus hoc opus sit ex tua bonitate discamus, & inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stãs aduersus proximos, & erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, & ad humilitatem Dei nouerit de se humilia sapere lutum. Pauent discipuli, nec audent obloqui, & quasi ecstasis teneat eos, vel mens aliàs rapta peregrinetur, nec magistro resistere, neq; quid hoc sit, vel cur fiat, inquirũt. Solus Petrus sciẽs, quia perhibuerat ei testimonium, quod filius Dei viui esset, & quia verba vitæ æternæ haberet, iudicans apud se indignum & inconueniens sanctum sanctorum flectere genua ad pedes peccatorum, *Neutiquam*, inquit, *tu mihi pedes abluis*: & huius humilitatis sustinere obsequium non est nostrum, qui adorare debemus in loco vbi stant pedes tui: & satis est nobis quod sicut catuli de mensæ tuæ reliquiis manducamus: hoc in muliere peccatrice

catrice aliquando passus es,nec dedignatus es in mensa solenni multis conuescentibus infamis personæ suscipere famulatum, cuius deuotio vsa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrimis pro baptismo,tetigit,lauit,& vnxit vnguento. Mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit, singula suum præbuere ministerium, cor contritum erupit in lachrimas,fides lauit,charitas vnxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit quos protulit:de pœnitentiæ pixide vnguenta quæ obtulit, caputque pro suppedaneo strauit, crinibus circunfusis pedes sacros inuoluit & tersit.Nihil sibi de se retinens,totam se tibi deouit, & tu adfectum potius quàm factum adtẽdeus, vngebas vngentem, abluebas lauantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. Superbo oculo Simon leprosus hanc clementiæ tuæ diligentiam nõ poterat intueri, sed molestе ferebat quod tangi se ab huiusmodi persona dominus sustinebat. Qui si lepræ suæ te adtenderet mundatorem,non dedignaretur si de plenitudine gratiæ tuæ alij accipiunt,si lauas immũdos,si iustificas impios, si reuocas exules & abiectos. Honor tuus Deus iudicium diligit, & æquum est vt omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur,verum quod tu ante figmentũ tuum curuaris,quod seruis pedes abluis,non competit maiestati. Habebat in excusatione sua zelum Dei Petrus,sed non secundum scientiam, & tolerabile aliquo modo videretur quod humilitas suggerebat,si non obstinatio resistere præceptori niteretur. *Non lauabis,* inquit, *mihi pedes in æternum.* Ego si oportuerit me mori tecum,paratus sum. hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter ceruicem porrigo percussori, sed Deum meum & dominum meum ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere.Simili modo & Iohannes venienti domino ad baptismum tentauit resistere, sed mansuetius increpatus ilico obediuit, & quia super hoc etiam respõsum acceperat, licet territus acquieuit. Sed differentiam causæ huius Petrus intelligens, lauare magistrum & obsequi ei tolerabile iudicabat: lauari autem ab eo, & tantam humilitatis eius pati deiectionem, ita videbatur indignum vt omnino cogi non posset,nisi interminatio periculosissima coartaret. Ait ei dominus, *Nisi lauero te,non habebis partem mecum.* Paulatim mysterij huius declaratur necessitas, quam conditio proposita ineuitabilem reddit, & si cum Christo aliter partem habere non possumus,nisi ipse pedes nostros abluat,quãdoquidem sic artatur consensus, lauet, & tergat, & sacramenti huius nobis virtutem exponat.Supra diximus,semel lotos baptismate eodem lauachro vlterius non egere, sed hoc lauachrum quotidianis est excessibus institutum, & iugis retractatio vsque ad nouissima veniens, omnia debet opera & cogitatus singulos perscrutari,& adfectus per vitia discurrentes,vagã instabilemq; animam per inania euehentes corrigere & lauare, nec quicquam in vita prętermittere indiscussum,quod gemitibus & suspiriis nõ fuerit expiatum. Hoc cum dominus suos vsque in finem discipulos dilexisset, in fine statuit, & dixit, Neminem posse habere perfectã ablutionem, nisi hac sollicitudine muniatur. Mandatum igitur simul & exemplum complexus est, vt hoc exemplo instructi,non dedignarentur in alterutrum agere,quod actum est à magistro, & mandato posteris religionis auctoritas firmaretur. Vnde & subiũgit, *Si ego dominus & magister laui vestros pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Nõ erubescat seruus, si facere iubetur quod prius fecit dominus:nec difficile nobis esse debet,si sicut ille nobis donauit,& nos inuicem condonamus:quia alter alterius onera comportantes,sic legem Christi implemus. Quoties igitur cohortamur pusillanimes, & his qui Pharaoni in luto & latere famulati sunt persuademus, vt exeant de AEgypto: quoties cum infirmis infirmamur, & cum his qui scandalum ferunt vrimur: quoties cum adflictis gemimus,toties

Ioan. 13.

inhærens lutum peccatorum qua possumus sollicitudine lauamus, non quod nostra ablutio ex nobis sufficiat, nisi ad lauandū omni tempore nos pius magister accedat. In hoc se periculo fluctuantē laborans anima in Canticis canticorū conqueritur, *Laui*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quod ablutum est, timet iterum inquinare, sed in via lutulenta vix aliquid solidum vbi pedem figat inuenit, & in quibus sæpe prouoluta est, paludum inquinamenta formidat. Clementissime magister, quoties ego doctrinæ tuæ transgressus sum regulas, quoties edicta tua domine sancte contempsi: & cum diceres mihi, Reuertere, non sum reuersus: cum minareris, non timui: cum bonus esses & lenis, exasperans fui, vltra septuagies septies in cælum & coram te peccaui, quis tot sordes abluet? quis abradet stercora conglobata? Quicquid dicat Petrus, necesse est vt ipse nos abluas: neque enim lauare nos possumus, sed in omnibus quæ agimus, indulgentiæ tuæ lauachro indigemus. Ad mēsæ tuæ participationē Iudas proditor est admissus, sed ab hoc lauachro salutari exclusus: lauari in fine non potuit, quia apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdauit. Quia vero apud te fons vitæ est, & miserationum quæ à seculo sunt profunditas infinita, quos abluisti baptismo, quos lauisti sanguine tuo, quos semper lauas quotidiana peccata donādo, transfer à paludibus seculi huius, & luto vitæ præsentis ad purgatissimum gloriæ tuæ regnum, vbi nec scabies vlla, nec lippitudo, vbi nemo fluxum sanguinis patiēs, nemo immundus, vbi nullo amplius opus est lauachro, configurato corpori claritatis tuæ corpore nostro, secundū promissa tua, necesse est vt impleas, & qui incepisti in nobis opus bonū, perficias solideq; per te Christū dominū nostrum.

Cant. 5.

DE VNCTIONE CHRISMATIS, ET ALIIS SACRAMENTIS.

DIES ista multiplicibus mysteriis honoratur. Hac die primum commendata est nostis fractio panis, & mensa ecclesiæ panem angelorū hominibus proposuit ad manducandum. Hodiè Christus pedes lauit apostolis, & hoc solenni deuotione omni tēpore agēdū instituit. Hodie in ecclesia cū ceteris vnctionibus ad populū acquisitionis sanctificādum, in participationem dignitatis & nominis, sacrū chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis, diuinitus est vnctio instituta. Hodie recōciliantur ecclesiæ peccatores, & eiecti foras ad matris vbera reducuntur, & excluſi à cœtu sanctorum, ad communionem qua caruerāt reuertuntur. Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Seueritate deposita hodie iudices mansuescunt, & vndique coniugata pietatis negocia, quasi abortiuas traditiones antiquas sepeliunt, & Christianæ religionis parturiunt nouitatem. Mortuus quippe est Moyses, & veteris literæ putruerunt ænigmata, à facie noui olei desiccatæ sunt vnctiones antiquæ, tota veteris instrumenti incompacta est strues, tabernaculum demolitum, arca ab Allophylis capta, totus templi decor ad Assyrios est translatus. Neq; enim decebat, vt Christiana religio ornamētis visibilibus occupata in manufactis delectaretur, sed ipsa tabernaculi consumptio, & templi ruina, & sancta in rapinam exposita, excellentioris gloriæ intimarent stabilitatem, & manentia in perpetuum sacramenta, cultores suos ad intuitum inuisibilium informarent, & abstractum à corporalibus desiderium nostrum, cælestis tēpli concupiscceret & ambiret decorem, cuius nec antiquatur, nec senescit religio: in quo lucerna inextinguibilis sine fine coruscat, vbi sanguis animalium non

infertur

infertur in ſancta, nec ſunt hæreditariæ ſucceſsiones pōtificum, vel vni Leuiticæ tribui miniſteria adſignata, ſed de omni tribu & gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundum vitæ, non generis meritum, ſtatuit ſacerdotes: quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, conſeruandum tradidit & erogandum, cuius aſperſione & communione intus & extra corda & corpora mundarentur. Hodie vt diximus, vnguentum ad ſanctificationē paratur, cuius fragrantia adoleſcentulæ & nouellæ animæ accedentes ad fidem inlectæ delectantur, & exinanitionis eius ſuauitate delibutæ diligunt, & ſequuntur aromatum largitorem, & vſq; ad regis accubitum ſpiramine illo trahuntur, & poſt odorem illum vbique deſiderio ſancto perurgente ſitibundæ diſcurrunt. Nihil hoc oleum cōmune habet cū liquoribus qui ex quorūdam fructuum pinguedine exprimūtur: nec vis eius eſt ex craſsitudine penetratiua, quæ ſecundum quaſdam naturales rationes emollit & temperat ſpiſſamenta humorum quos ſolet intrinſecus adſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta, quia ſanctitatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potētius operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento, vt & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quāta ex his detur auctoritas deiformi cōuerſatione & cæleſtibus moribus innoteſcat. Hoc oleo antiquitus ſacerdotes ſacrabantur & reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritalem intelligi volebāt ſacris myſteriis ineſſe pinguedinem. Et ſicut oleum fluitat & humidis quibuſlibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundum formam Dei & Chriſti ſub ſe omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtinet: & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas ſpiritus ſanctus prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur. Ex huius vnctionis beneficio & ſapientia nobis & intellectus diuinitus datur, conſilium & fortitudo cælitus inlabitur, ſcientia, & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti cum ſpiritalibus nequitiis conluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc oleum 4.Reg.4.
à creditorum vſuris ſub Heliſæo propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Heliæ tempore Sareptanam pauit, nec lecythus trina effuſione de- 3.Reg.17.
fecit. Hoc oleo Iacob lapidem quem ſuppoſuerat capiti vnxit, & familiari Gene.31.
mandato eruditus inter ſacramenta aſcenſionum & deſcenſionum, & diſcurſus angelicos innixum ſcalæ ſublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet vnctio, intellexit. Moyſes hoc oleo tabernaculum & ſacra vaſa perun- Exod.29.
xit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſque in barbam eius deſcenderet, & ſuper oram veſtimenti maneret. Samuel quoque ad reges 1.Reg.10.
initiandos ſine oleo non accedit, & vſque ad defectum & reprobationem carnalium cerimoniarum in populo illo huiuſmodi perſeuerauit traditio: ſed vaſis Iudaicis deficientibus defecit gratia, & ſtetit oleum. Impletis vaſis propheticis & ſanctis regibus ad patres adpoſitis, in apoſtaſiam & diſcolatum verſum inſtabile vulgus, in ſe non retinuit locum quem poſſet ſpiritus ſanctus inhabitare, & vaſa amurca plena non ſuſcepere liquorem, ſteteruntque in ſummo feces, quæ longo ſitu induruere: & vbi domicilium religionis fuerat, ſterquilinium peccati computruit. Nec tamen ceſſantibus his quæ ritu antiquo inoleuerant, cum iam in populo Chriſtiano circunciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit, ſed ceteris generali ſanctorum conſenſu damnatis, non ſolum in regibus & ſacerdotibus vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt huius gratiæ plenitu-

do. Et ſicut Chriſtus à chriſmate dictus eſt, eo quod ſingularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus, ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani, vt ſint ſui Chriſto duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes. Nec immerito huic diei adſignata eſt tanti operis cauſa, & ex hoc ſacramenta hæc obtinuere initium, quo hodie in ſacramento calicis Chriſti & eccleſiæ vnitas, in lauachro pedum concors ſocietas, & donans inuicem charitas & ſubiecta humilitas, in vnctione Chriſtiani nominis dignitas & excellentiæ ſpiritalis proprie data eſt & confirmata filiis adoptionis perpes auctoritas & dignitas perſeuerans. Dedit itaque dominus noſter in menſa, in qua vltimum cum Apoſtolis participauit conuiuium, propriis manibus panem & vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, vt in Apoſtolis ſecretius impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis: & quibus rationibus cauſæ effectibus conuenirent, & diuerſa nomina vel ſpecies ad vnam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur. His gratiæ ſupernæ priuilegiis eſu ſanctificati panis refecti, loti, & vncti, non eam quam amiſerant, ſed ampliorem & digniorem recuperant libertatem: & eiecti de paradiſo nudi, ad lignum vitæ hodie reuertuntur veſtiti, reddita ſtola & anulo prolato in medium, & reconciliantur matri eccleſiæ, quos inobedientiæ malum foras expulerat, & cherubim flammeum gladium ab introitu tranquilli ſtatus & innocuæ conuerſationis amouit. Hodie in terra maledicta relictis raſtris & graui vomerum pondere, & ſtimulis fatigatorum boum cruore perfuſis, deterſo ſudore vultus exuſti caloribus, ad paternam domum exules reducuntur, & egreſſus obuiam reuertenti filio lætabundus pater clementiam improperio non corrumpit, nec indulgentiam fœdat conuiciis, ſed bonitatis ſuæ honorat magnificentiam, & hilaritate magnificat largitatem. Reſonant in ſuſceptione huius ſolennis muſica inſtrumenta, & communis iubilatio pari conſonantia patri miſericordiarum gratias agit, cuius imperio antiquã prædam euomunt inferi, ligantur dæmones, & diruptis ferreis nexibus diu quaſſati liberi reuertuntur. Hæc dies nocti illi contigua eſt, qua abſolutionis noſtræ negocium dominus inchoauit: qua à principibus ſacerdotum ad Romanum præſidem ductus iudex omnium ſuſtinuit iudicari: paſſus eſt rex inludi, & vita occidi, deſcendenſque ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit: hoc eccleſiæ ſuæ hodierna traditione exemplum relinquẽs, vt fieret in eccleſia abſolutio peccatorum, & hæreditati redderentur eiecti, & præcedentibus beneficiis quæ ſupra enumerauimus libertate donarentur pœnitentes, qui ſecundum merita, niſi gratia ſubueniret, fuerant condemnati. Et omnino conuenit, vt eo tempore quo Chriſtus captiuos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad eccleſiam reducantur: & quo confracta ſunt infernalis repagula carceris, iudiciaria ſeueritas manſueſcat: & quo ab infernalibus tormentis ceſſatum eſt, humana ſupplicia crudelitatis horrorem deponant.

DE PASSIONE CHRISTI.

Abac. 3. Matth. 26. DOMINE *audiui auditum tuum & timui.* Terruit me cum adpropinquaret traditor Iudas, & immineret paſsionis hora, quod dixiſti ad patrem, *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Et triſtem te vſque ad mortem, præ nimia anxietate ſanguineo ſudore perfuſus, coram Apoſtolis es profeſſus. Audiens hæc ego expaui.

expaui. Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent: si pauet ille, cui omne genu curuatur: si ille qui mors est mortis, & morsus inferni, morte propinquante pertimescit? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipse prædixeras? Nonne hoc & signa, & oracula, & vaticinia prophetarum à mundi initio conclamarunt? Si voluntarie obedisti patri, & non te vt patereris coegit necessitas, quid quereris, quid causaris? Nonne tu docueras & instruxeras fideles tuos, vt non timerent eos qui corpus occidunt, quia vsque ad animam tyrannica violentia non adtingit? Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat adfectum, & generalitatem omnium in carne viuentium hoc dolore vrgeri, & dissolutionem corporeæ spiritalisque naturæ hac molestia non posse carere, & hanc pœnam vniuersæ successioni Adam sine exceptione impositam, vt difficultas extremi transitus timeretur. Et hæc quidem molestia in eos qui Dei iudicio rationem reddituri occurrunt, non immerito cadit: qui de eo quod beneficio vitæ & rationis, reliquorum largitate munerum abusi sunt, accusante conscientia redarguti, examen illud in quo nullum est subterfugium timent: & ipsa auulsio spiritus carnis teneritudinem dirumpit & lædit: hanc nemo anxietatem euasit, & nemo egrediente anima sine amaritudine expiauit. Sed tu domine, qui iudex es omnium, qui potestatiue ponis animam tuam, & potestatiue resumis: nec pœna te ex necessitate persequitur, nec formidabilis patris tibi potest esse conspectus, quid anxiaris? quid tremebũdus ad orationem discurris? Dormitantibus Apostolis peruigil proditorem expectas, nec tamen te abscondis, sed obuius in aduentum eorum procedis, qui te ligare veniunt, & trahere ad Pilati tribunal, quos Iudas signifer instructa malignitate præcedit. *Audiui domine auditum tuum & expaui*, dum quæris à quærentibus quid quærant, cum noueris quod te quærant, & dixisti eis, te esse Iesum Nazarenum. Inuasit ilico timor tuus eos quos tu timueras, & prostrati solo iacuere exanimes, & armatam cohortem vox vnius hominis terruit, & latens in humanitate omnipotentia te discipulis pauidum coram persecutoribus terribilem exhibebat. Sed vt fieret voluntas patris, & sacrificium carnis à timore & tristitia inchoaret, suberant victimæ desolatorij carbones, quos obedientiæ liquefactus adeps extinxit: & cum traheretur vinctus ad præsidem, non supplicauit adparitoribus, sed Petri compescuit zelum: nec gladiorum passus est adhiberi suffragia, immo & Herodis & Pilati contempsit fastigia: nec potuit altitudo potestatum extorquere ad interrogata responsum. Iam postposito timore quasi vtens potentiori auctoritate inter sputamenta, & colaphos, & reliqua ludibria patientia & mansuetudine vesanas persecutorum mentes conturbat, & in eo quod inter iniurias & conuicia se malitia Iudaica sentit contemptam, vehementius exacerbatur: & de impietate & malitia suauitas pietasque Christi triumphat. Frustra funestas iudex manus in prætorio abluis, à sanguine domini te profitens innocentem. Tu ipse causam mortis cum diligenter inquisieris, te non inuenisse in eo fateris: ipsa coniux tua nihil tibi & iusto huic esse mandauerat, quod vtique per os eius dæmonia imminere sibi iudicium sententia testabantur: non excusas, sed accusas: causam tibi facis cum Iudæis communem. Illi se proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis: tam te quàm illos inauditæ crudelitatis scelus inuoluit. Veniet anima tua in manus iudicis quem condemnas, fractisque tribunalibus tuis iudicaberis, & demergeris in profundum inferni, eruntque tibi & Iudæ scelerato in tenebris & gehennalibus flammis pœnæ inremediales, incõsumptibiles ignes, dolores perpetui, & tormenta æterna. Et quidem filius hominis, sicut scriptum est de illo, vadit: qui damnatus est, vt liberaret damnatos: do-

luit, vt ſanaret infirmos: timuit, vt faceret ſecuros: opprobria pertulit, vt improperia detrahentium non mouerent electos: deputatus inter impios, quorum alter adſumptus, alter reprobatus eſt, vt daretur exemplum & forma indiſſolubilis manens in poſteros, quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit: nec vlla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit: nec eos qui vitæ ſuæ quocunque articulo temporis veri ſunt iudices, iterum iudicari: quia cum iudicis & tortoris vices non parcens peccator adſumit, ſemetipſum perſequens dum confeſsionem confuſione honorat, holocauſti huius incenſio in conſpectu Dei veniam impetrat. *Neque enim bis in idipſum iudicat Deus*, ſed impœnitentes ipſe iudicat & damnat: pœnitentes vero quia à ſeipſis ſuſcipit iudicatos, abſoluit: neque iudicio quod pœnitentiæ humanæ ſeueritas protulit, aliquid iuſtitia cęleſtis adponit. Iudicati ſunt AEgyptij, cum in redeuntibus ſuper ſe maris fluctibus inuoluerentur: iudicati Sodomitæ, cum ſubuerſis eorum vrbibus flammis ſulphureis cremarentur: ſed ſi in eiſdem ſubuerſionibus gemerent pœnitẽtes, temporali pœnæ æternalis non ſuccederet pœna, ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum: nec contritos corde æternũ contereret & adgrauaret iudicium. Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus, præmiſſus eſt in paradiſum, & factus eſt particeps regni, per confeſsionem factus collega martyrij. Illi vero blaſphemo, quia de domini deſperauit potentia, nulla potuit ſubuenire clementia: nec potuit illi crucis prodeſſe conſortium, cuius malitia non expiabat pœnitẽtię lauachrũ. Aſcendiſti domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo vel de principatibus, & poteſtatibus, & nequitiis ſpiritalibus victoriam: erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abſcondita: & imperium tuum ſuper humerum tuum: tu ipſe patibuli tui baiulus hærebas ligno quod tuleras, euectionis & paſsionis anxietates ſuſtinẽs & labores. *Conſideraui opera tua & expaui.* Clauis ſacros pedes terebrantibus, foſsiſque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de ſpinis ſacrum caput pungẽtibus non quereris, ſed ſatagis vt innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumeliis & Iudæorum ludibriis. Cauſam mortis in te non eſſe Pilatus ipſe prædixerat, & Caiphas mortem tuam pro inimico populo ſatisfacturam, cum eſſet anni illius pontifex, prophetauerat. Tu de morte non agis, de opprobriis non contendis: ſed hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis, quis quæſtus, vt vtraq; re cognita peccatum adpareat & gratia, & quãti ponderis ſit, vtrunque rerum probet effectus, cum originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerat eſſe remedium: nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis huius ſingulare ſacrificium. Et ſine hoc holocauſto poterat Deus tantũ condonaſſe peccatum, ſed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Chriſti vix cohibent paſsiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptatum fece auellũt. Vulneri ſane tam putrido, & antiquarum cicatricum fœtori non inueniebatur medicamentum conueniens, niſi vnguẽto ſanguinis huius plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extenſæ ficcarẽtur venena, quę calcaneo primi hominis & omni poſteritati eius ſerpẽs ille ſeductor antiquus infuderat. Hæc vna medela corroſit illas quæ in immenſum excreuerant cicatrices: & vim ſuam concupiſcentiarum perdidit corruptela, & deleta damnationis conſcriptione nouis literis adſignata eſt, reſtituta libertas, priuilegio dato charta indulgentiæ ſigillo plagæ lateralis firmata. Conſidero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos adfixum, iam nec triſtem, nec pauidum, ſed ſuppliciorũ victorem eleuatis manibus triumphantem de Amalech, & quaſi ſanctificantem de excelſo plebem, & eleuatum in

tum in ſublimi, & quaſi cęlo proximum ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum, & inferioribus erexiſſe ſcalam in patris occurſum. Ibi dolorum & conuiciorum immemor ſubtiliter inueſtigas, & ipſe exponis quare derelictus fueris, indicans anxietates illius querimoniæ verba eſſe delictorum tuorum, quorum perſonam & cauſam adſumpſeras, in tantum vt per Moyſen & per Apoſtolum ſuſtineres vocari peccatum, & maledictum pro ſimilitudine pœnæ, non culpæ: quod pro eis voluiſti intelligi, qui deſeri à Deo propter peccata meruerant: quorum reconciliationis agebas cauſam, in qua adlegator ſubtilis pro ſeruis ſeruilem non dedignaris accipere perſonam: & in tantum infirmis compateris, vt nec crucifigi, nec mori dum illi viuant, & te patrocinante nõ pereant: nec erubeſcas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ maieſtatem euacuans, vt redeant diſperſi, & reſpirẽt derelicti. Hæc eſt cauſa quare derelictus ſis, vt colligeret & reuocaret inanitio tua eos qui fuerant derelicti, & qui ſine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatũ, reducti ad iuſtitiam, conformes Chriſti, & Chriſti efficerentur & dij. Vnde ſcriptum eſt, *Ego dixi, Dij eſtis.* Conſidero domine te in illo patibulo, vbi videbaris ſine adiutorio, quomodo imperatoria poteſtate latronem præmittis ad regnum: & in cuius adſumptione iam manifeſte conſtat, quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iſte gloria & honore coronatus, ipſa die paradiſi ciuis & domeſticus curiæ cæleſtis efficitur. Impoſsibile quippe erat illam ſanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipſe ad patrem dicis, *Quia non derelinques animam meam in inferno, nec corrumpi carnem meam in ſepulchro:* quia vbi in præſentia illius effractis inferis eſt captiuata captiuitas, præſentata victrice anima in conſpectu patris, ad corpus ſuum ſine dilatione reuerſa eſt: & adpropinquauerunt ſaluti, qui longe erant à ſalute, & inter mortuos liber morti obnoxios perpetua libertate donauit. Conſidero te in cruce de matre ſollicitum, cui volenti loqui tecum cum euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes ſpiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati patris obtemperant. Nunc materno moueris adfectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides ſedulo benedictæ inter mulieres apoſtolicam clientelam, & obſequium virginis, virgini diſcipulo tradis: vt iam non Ioſeph tanti myſterij oneretur præpoſitura, ſed Iohannes: quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio: nec vltra pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenus vicem patris & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum, ſed quia in ſpiritu actum erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quẽ digniorẽ ſe iudicabat: & ideo maxime, quia magiſtri electio ſic negocium ordinabat. Ad hæc, ſacerdotalis auctoritas priuilegium in medio proferens, mediator inter nos & patrem oras pro his qui ad dolorem vulnerum tuorum obprobria addiderunt, & pro inimicis impetras veniam, ſupplicas & obſecras, vt hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxij ipſi, qui ſanguinem tuum ſuper ſe & ſuper filios ſuos manere precantur: vſqueadeo excæcati, vt ſcelus ſuũ non intelligãt, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat. Sed charitas tua interim ſuſpendit iudicium, & reis ingratiſq; patientia tua pœnitentiæ prouidet locũ, tempuſq; reſeruat, & differt punire dignos exitio, hæc orãs, vt aperiantur oculi eorum, & agnoſcant quæ ſit virtus crucis, quæ efficiẽtia ſanguinis, quæ magnitudo delicti & doni, gratiæ & peccati. Tanta erat ſpiſsitudo velaminis, & craſsitudo doctrinæ, qua erant Moyſeos ſcriptura imbuti: ita erant eorũ ſenſus hebẽtes, & inge-

Gala. 3. Deuter. 21.

Pſal. 61.

Pſal. 15.

Lucæ 8.

Ioan. 19.

Matth. 27.

nia tenebrosa,vt in verbis legis nihil diuinum seperent:nihil aliud quàm exterioris vmbraculi integumenta viderent,neque ad sacramentorum secreta aliqua intellectus indagine penetrarent.Immo si quis eos vellet in sancta inducere & introducere in arcana profundaque mysteria,impium iudicabant & stultum,mel è petra sugere,& de saxo durissimo oleum eliquare. Dimissum est ergo Christo orante peccatũ,& ex parte maxima cæcitas inluminata est,& malignãtium perfidia demum credidit & intellexit:& de torculari crucis mustum expressit,accepit & bibit: & in calice quod propinarat Moyses, vinum merum à fecibus segregauit.Ecce plus potuit donum quàm delictum, & gratia quàm peccatum:quoniam ex debito damnationis obnoxios gratis sine vllo merito gratia beneficio pietatis absoluit,& iudiciũ imperante Christo misericordiæ dedit locum, & districtionis suæ temperamentum iustitia domino disponente modeste sustinuit. Iam videt Hebræus,& quicunque de seruitute AEgyptia ad repromissæ patriæ libertatem anhelat: quod sanguis Christi efficacius quàm sanguis agni illius, quem in AEgypto Israel immolauit,contrarias abigat potestates:cuius hodie tãta est auctoritas & potestas, vt non solum Israelitica limina muniat, sed etiam ab his qui Israelitice non viuunt,solum sacramenti signum repellat dæmonia:& vbicunque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus, & sanguinis nota. Denique quicunque sint sacramentorum ministri,qualescunque sint manus,quæ vel mergunt accedentes ad baptismum,vel vngunt,qualecunque pectus, de quo sacra exeunt verba, operationis auctoritas in figura crucis omnibus sacramẽtis largitur effectũ,& cuncta peragit nomen,quod omnibus nominibus eminet,à sacramẽtorum vicariis inuocatum. Et licet indigni sint qui accipiunt, sacramentorum tamen reuerentia & propinquiorem ad Deum parat accessum: & vbi redierint ad cor,constat ablutionis donum, & redit effectus munerum: nec aliàs quæri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum. Iam sanguis tuus domine non quærit vltionem, sanguis tuus lauat crimina, peccata condonat.Clamat sanguis Abel,clamant Sodomorum peccata,& parricidium,& libido digna sunt vltione:tu olim vltionum Deus,modo misereris & parcis his qui offenderunt: sanas contritos corde, & alligas vulneratos: filio prodigo reuertenti non improperas luxum:mulieri adulteræ non opponis prostibulum,peccatricis publicę non recusas seruitium, debenti pecuniam dimittis depositum:Iudæis perfidis & dedisti gratiam,& dimisisti scelus scelerum, & peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem consubstantialiq; origine diuisis limitibus aqua & sanguis emanant,ad complementum,perfectionemque totius iustitiæ, sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius vbertas perenni lapsu vniuersam ecclesiam inrigat & fœcundat. Ex hoc fonte non tantum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christum,vndas haurimus, sed & compunctionum & lachrimarum perennes effluunt riui, & misericordiarum suauitas,& totius pietatis effectus emanat. Tu domine sacerdos sancte,qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti,& beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum,crucis signum,& mortificationis exemplum.Tu consummatis omnibus vade ad patrem, & trahe nos post te:da nobis in vita præsenti, vt simus sine angaria baiuli crucis tuæ, & comprehẽdamus cum omnibus sanctis quid latitudo,quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum huius ligni significet,quo conspecto non noceat nobis, neq; mordeat coluber solitudinis,sed incolumes per omnia sequamur te:tecum parvuli simus, tecum circuncidamur,tecum baptizemur,tecum ieiunemus,tecum lotis pedibus panem angelorum

Epheſ.3.

lorum edamus,tecum crucifixi mundo viuamus: tecum ſpiritu ſancto repleti,& corpore & ſpiritu in æternum maneamus. Qui viuis,& non vltra morieris,in ſecula ſeculorum.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

QVAESITIS aromatibus ad vngendum dominum Ieſum in monumento poſitum, ſacræ mulieres communicato conſilio conuenerunt: & repertis ibi ſine corpore ſudariis,quem non inuenere, putauere ſublatum. Nam & lapis reuolutus,& vacuum monumentum ſimplicibus animis cõiecturas huiuſmodi opponebant,quod corpus ſtrictum linteis, niſi tranſlatum eſſet, moueri loco non poſſet: nec lapis magni ponderis,niſi vi humana nullatenus reuolui potuiſſet: vnde & mane venientes,quomodo poſſet ab oſtio monumenti lapis gyrari anxie cauſabantur. Sed dominus qui inſpirauerat vt venirent,præuenerat venientes, & egreſſus de ſepulchro vacuum locum reliquerat,apertóque oſtio ingredi volentibus liberum dederat aditum, & quaſi monebat ſe alias quæri, qui illis anguſtiis non poterat occultari. Flebant igitur ſacræ fœminæ, quæ eum cui obſequi volebant, ſe perdidiſſe putabant, & obriguerant mœſtitudine, eo quod deuotio ſua deſiderato fruſtraretur effectu. Habuerant ſiquidem eum ſicut prophetam, non inferiores fide illis diſcipulis, qui dicebant quod Ieſus Nazarenus vir propheta fuerat, potens in opere & ſermone. Et licet de reſur Lucæ 24.
rectione ſua ipſe tam apoſtolos quàm reliquos diſcipulos, in quorum ſocietate iſtæ eſſe meruerant, magiſter prouidus inſtruxiſſet, incuſſerat tamen omnibus dubietatem & terrorem ſupplicium crucis & mortis atrocitas: nec tamen ab eorum cordibus auelli poterat dilectio, qua ei adhæſerant, & recordatio ſignorum quæ viderant,& admiratio doctrinæ quam audierant,& conuerſationis piæ admirabilis ſanctitudo qua fuerant informati. Necdum firmo greſſu ibant,ſed lababat pes dubitantium,ſed quęrebant quem amabant, nec maligne deſperabant: vnde factum eſt,vt quæſtum inuentionis, dilectionis perſeuerantia mereretur. Illæ itaque primę viderunt & cognouerunt quæ ardentius dilexerunt,quæ deuotius quæſierunt: illæ ſermocinatæ cum Chriſto,certificatæ quod ipſe eſſet qui à mortuis reſurrexiſſet, nunciant Petro & ceteris,quod Chriſtus reſurgens à mortuis,iam non moritur. Euangelizarunt viuentem,qui mortuus putabatur: nec iam ſepulturæ eius odoramentis corporalibus deſeruiunt,ſed aromatibus firmæ fidei, & certæ ſpei, & charitatis ſinceræ regnanti domino famulantur, & virtutum fragrantiam non iudicato præſentant,ſed iudici. Lætantur apoſtoli, quos mundus quaſi dehiſcens terruerat,& quaſi diſſolutione elementorum quaſſarentur omnia,præcipiti ruina ſterneret, minas horribiles intentarat, ſolidatíſque & compactis cæleſtibus & terrenis æterna redemptione inuenta,gratulabundi adorant,quem reliquerant: credunt,nec in aliquo hæſitant: adſiſtunt quãtum poſſunt ei, à quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret,quando terra tremuit,ſol expalluit, & radios lucis ſuæ ſol contenebratus abſcondit? Ipſa monumenta lapides ſibi ſuperpoſitos proiecerunt, & indignata ſuperior & inferior plaga tenebris,& motibus,& ſciſſuris,compaſsionis ſuæ &vehementis anguſtiæ indicauerunt affectum: nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Iudaicæ ſcelus, & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu vti abundantiore quam homines, quibus ſecundum naturam ratio inerat: & crudeliores extitere feris abutentes intellectu,intantum Chriſti ſanguinem ſitientes, vt ſeipſos maledictione æterna damnarent, & in paruulos ſuos anathematis illius reliquias immobili ſtabi-

limento firmarent. Sed ne in eorum scelere diutius immoremur, qui repulsi sunt & destructi in finem, quorum parricidalia vota seruitiũ & exterminium
Numer. 16. meruerunt, quos cum Dathan & Abiron, quos ob dissensionis flagitium terra dehiscens viuos absorbuit, constat in tenebris inferi sigillatos, ne tantarum abominationum recordatio paschalem serenitatem interpolet, circa solennitatis inclitæ gaudia deuotis & alacribus animis insistamus. Neque enim fas est, vt à nobis aliqua his diebus tristia recitentur: sed sicut filiis Chore datum est, vt semper læta canerẽt & prophetarent, & omnes psalmi eorum adtitulati, nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur aduersa: ita nos ad Christum pertinentes, cuius sanguine consperſa creditur Adam caluaria, qui sub loco quo crux domini fixa est, humatus traditur ab antiquis, eiusdem sanguinis sanctificati elapsu, lætemur & delectemur in domino, nec iam amatoribus crucis mors magistri sit horrori, neque pœna sit dolori, nec passio sit pudori, cum hæc omnia vitæ nostræ sint instrumenta: quia mors eius pro peccatis nostris sacrificium fuit, & pœna crucis excessibus pœna dignis occurrit: labor eius onera nostra deposuit, dolor eius nos sanauit, & damnatio indebita nos à damnatione æterna absoluit. Et si quid confusionis visa est in tempore illo pati sancta eius humilitas, rerum hodie manifestatur effectu, quod A-
1. Cor. 1. postolus ait, Stultum huiuscemodi sapientius esse hominibus, & infirmum fortius omni fortitudine, per quod reprobata sapientia huius mundi, & de sapientibus & potentibus in nomine crucifixi pauperes spiritu potentissime triumpharunt. *Cantemus igitur domino: glorioſe enim honorificatus eſt.* Liber populus egreditur de AEgypto, Moyse duce, mare fit peruium: columna flammea nocte coruscans, Israeliticum antecedit exercitum: stat à dextra & lęua mare suspensum, deficcato luto profundi, inoffensum abyssus dat transitum: & egresso populo Dei, Pharaonem cum populo suo repentina mole inlapsum pelagus intercludit. Iam præcesserat agnus, quem Israel in AEgypto immolarat, cuius sanguine limina rubricata percussor angelus non est ausus adtingere: nec exterminatoris gladium populus formidabat, cui & de spiritalibus nequitiis parabat victoriam, illud sine macula sacrificium & mare diuisum, & totum AEgypti robur extinctum. Primum illud antiquum pascha his miraculis coruscauit, & excluso fermento, præceptum est vt horum dierum celebritas ageretur in azymis: nec solennitatis huius gaudia seruilibus operibus fuscarentur, nec omnino aliqua tantæ sinceritatis gloriam malignitas inquinaret. Certa data est ex lege distinctio, quæ esset paschalis oblatio, & tempus, & locus, & modus, quando, vel vbi, vel quomodo sacra deberet hostia immolari. Victima, agnus, locus, vna per singulas familias domus: caro non elixa, sed assa, hora vespertina. Hæc cum eo tempore fierent in figura, quod nos in veritate agimus, typice loquebantur: & dirupto in Christi morte templi velamine, verus agnus solus inter filios hominum sine macula Christus ætate vltima, in qua mundi vesperascit conditio, ab vna populi Christiani familia in vnitate ecclesiæ assus in cruce, proiectis foras hæreticorum fermentis, sinceræ fidei solidata compagine, inconsumptibiliter editur, creditur, & tenetur. Noua & vetera sub hoc nomine conuenerunt: egreditur Israel de seruitute AEgypti, exit populus Dei de regno diaboli: baptizantur in nube & mari Hebræi, & iam spiritu sancto & sanguine Christi mundatur à peccatis populus Dei: ex diuersis familiis vna fit domus, vna fit tribus, vnus est cibus, significantia & significata, res & signa, virtus inuisibilis, & inuisibilia sacramenta sic faciunt vnum corpus, sicut caro & spiritus, & quod videtur, & nomine & virtute Christi corpus censetur. In hac rerum conuenientia honorificatus est Christus, & glorioſę laudis triumphos lætabunda hodie canit ecclesia, in lapide angulari consocians disiunctos olim parietes, quos in vnum

mira-

mirabilis artifex fuſo ſanguine glutinauit: & reprobato diu à malignis fidei fundamento, charitatis ſuæ nexibus diuiſas copulauit macerias, & redegit partes in totum, & multa in vnum: & facti ſunt vna domus confœderati parietes, & ſtabile fundamentum. Honorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis, victor mortis, ſpolians inferos, & captiuos prẽmittens ad ſuperos. Hucuſque per humilitatis gradus aſcendens, modo gloria & honore coronatus, nil mortale, nil paſsibile retinens, impaſsibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & reſurgentes in beatitudine conſtituit ſempiterna. Reſurrexerunt quidem ante Chriſtum, ſed in nomine & fide eius: ſub Helia viuente in corpore, vnus, & Heliſæo viuo & mortuo, duo qui obierant, ſed ad mortem quam guſtauerant, iterum redierunt: ſurrexit & Lazarus, & alij nonnulli ad imperium Chriſti: & aliquo tempore beneficio vitæ vſi, iterum ad funera rediere. Res quidẽ honorabilis & dominatio poteſtatiua fuit ad corpus exanime ſpiritum reuocare: ſed reſurrectionis huius, cuius ſunt in Chriſto primitiæ, incomparabilis eſt dignitas, quam nec ſequitur corruptela, nec diſſoluit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati ſumus in transfiguratione, quę facta eſt in monte prẽſentibus apoſtolis, Petro, & Iacobo, & Iohanne, quã do ſicut ſol reſplenduit facies ſaluatoris, & veſtimẽta eius candorem omnem exuperantia apoſtolorũ hebetauere conſpectum: ſed momẽtaneus ille decor imaginem, nõ ſpeciem: ſimilitudinem, nonſubſtantiã: partem non plenitudinẽ transformationis mirifice explicauit. Sed neque eandem gloriam quam ante oſtẽdit apoſtolis, reſurgens ilico oſtendit: ſed quod videre conſueuerant, hoc viderunt: & dilata eſt claritatis illius quam nobis pollicitus eſt, plenitudo, quę in ſe erat perfecta, & à nobis in nobis expectatur perficienda lucidior & ſincerior, quàm æſtimari poſsit ab aliquo, vel quàm illa etiam claritas intimauerit, cuius primitias in Chriſto transformato accepimus. Agunt in cæleſtibus hæc paſchalia gaudia ipſi angelici ſpiritus, & reſurgentis domini gloriam admirantur, lætantur, & delectantur in eo quod forma ſerui reuerſa ſit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depoſitæ altitudinis redierit maieſtatem. Sed & in hoc multiplicata ſunt gaudia, quod ab his pro quibus ſe humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatus eſſe commune, & partiri nobis ſuæ abundantiam voluit claritatis: vt poſt reſurrectionem corpus non adgrauet animam, ſed ſit caro ſine mole & põdere, agilis & mobilis, nullis clauſa obſtaculis, viſu & auditu penetrans omnia, & adtingens, quocunque voluerit ſine impedimento diſcurrens. Inerit reſuſcitatis corporibus nulli vanitati ſubiecta libertas: & quæ cogi nõ poſsit ad aliquid in nullo laborans, iam à ſpe educta, re ipſa perfruens, nulla expectatione ſuſpenſa, & in pace quietiſſima confirmata, omníſque expers formidinis in ſpiritalibus deliciis iugis illa permanſio reflorebit. *Quàm mirabilis eſt ſcientia tua Deus, confirmata eſt ſuper nos, nec poſſumus ad eam adtingere.* Hæc ſapientię tuę altitudo, qui mundum non ex præccdente materia, ſed ſolo verbi tui condidiſti imperio, creaturis vero corporalibus ex mundi eſſentia dediſti initium, ſuis incolis ſingula elementa adornans, hominem quem de mundo feciſti, cunctis in terra & aëre & aquis viuentibus prẽficiens, ita vt ſuo præpoſito ſingula in ſuo genere miniſtrarent: tu aliis vitam temporalem, aliis procuraſti perpetuã, admirabili ordine quædam mutans & renouans, & præfinito tempore metam inrationabilibus omnibus præfixiſti, & terminum quem tranſire non poſsit, diſſolutioni conditio deſtinata. Homo quia ex cæleſti & terrena materia compactus eſt, veſtitus extrinſecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te iubẽte, redderet terræ quod de terra adſumpſerat, & ad immaterialem originem reuerteretur ſpiritus: cuius natura diſſolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus conſumenda, ſecundum naturæ ſuæ rationem æternitatis non

poterant priuilegio perfrui: & quod ſibi iure non competebat, à conditore nequibat exigere: neque vlla eorum interrogatio ſuper hoc merebatur reſponſum. Sed tu optime domine, vltro gratiam volens dare ſpiritui, decreuiſti clementius, vt ex ſocietate & clientela quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret: & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps ſtudiorum, in recompenſatione miniſterij iterum dilecto accolæ conſociata pudica & pacifica rediret, nullas ſecum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & hoc domine ad cumulum beneficij addidiſti, vt inter legem carnis & ſpiritus nulla poſtmodum eſſet diuerſitas: nec poſt initum fœdus vlla iterum inter eos recrudeſcat rebellio, ſed per manum tuam reconciliatio ordinata ſtabilis in perpetuum perſeueret. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulſa de domo iterum coniugatur viro, non iam ancilla, ſed libera: & habitant vnius moris in domo murmurationibus conſopitis, quas olim compugnantes inter ſe concupiſcentiæ concitabant. Quis domine Deus conſiderare hæc opera tua ſufficit? & quis lutum coagulare poteſt in carnem? quis formare poteſt in hominem? quis infundere animam? quis reddere vitam? quis dare æternitatem? quis addere felicitatem? Ad hunc prouentum humana laborat creatio: hæc ſemper fidelium expectatio fuit. Hoc optabat rex ille humilis, qui ſe nouerat imperfectum, vt adderes conditioni tuæ quod deerat, & perficeres & ſolidares opus tuum, quod corruptibilitas & mortalitas aſsidue conuiciis multis ſolebant adfligere, & variis opprobriis conſueuerant infeſtare. Tu morti imperas & abſorpta elidit: inaneſcit corruptio, vbi æger, te medente, ſanatur. Guſtaſti mortem pro filiis hominum, vt qui tecum mortui erant, tecum viuerent, & participes tribulationum etiam conſolatione gauderent. Reſurrectio quidem communis eſt, & ante tribunal Chriſti neceſſe eſt in corpore iuſtos ſtare & impios, Dei hoc dictante iuſtitia, vt pietas & impietas in operatoribus debitis ſtipendiis donarentur: & qui finem habere contempſerunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis: & qui gloriati ſunt in cruce cum crucifixo regnãtes beatæ fierent perennitatis participes. Non ſunt participes huius gaudij, quos dãnat ambitio: non poteſt furtiuos habens loculos, paſchalibus ſolenniis intereſſe. Nihil proditor & venditor magiſtri, fermentator profanus commune habet cum azymis: omnis immundus in anima ad eſum huius agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur: calciatus pedibus & ad euangelizandum paratus, accinctus renibus & ſanctimonię deſtinatus, habens baculum in manibus, & feſtinans vt AEgypti deſerat idola, ſequens Moyſen, nec formidans viæ diſcrimina, quiſque purus & ſincerus ſine fraude homo verus accedat & edat: & ſecurus quod reſurgat, mortem optet, vt adtingat ad æterna gaudia, in quibus eſt vita noſtra ſurſum manens, & nos trahens ad bona cæleſtia, Qui viuit, &c.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

CELEBRATA in cruce ſolenni victoria, cum iam templum corporis ſui, quod perſecutio Iudæorum effoderat, dominus reparaſſet, noluit ſtatim ad patrem aſcendere, & glorificati corporis præſentiam inferre cæleſtibus: ſed neceſſaria diſpenſatione diſcipulorum infirmitati conſulens, vtiliter diſtulit, & quadraginta diebus in terra conuerſatus, & viſus eſt ſæpe, & locutus cum apoſtolis, & manducauit & bibit, & vulnera quæ ad dubietatem eorum tollendam, in corpore reſeruarat, & videnda & palpanda expoſuit, & impleta in ſe quæ in ſcripturis erant prædi-

prædicta, euidentia rerum edocuit. Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, vt recollectis quos in fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumentis adparens, mentes quæ diffidentia titubauerant, solidaret: nec esse phantasticum, sed verum corpus quod surrexerat, tam comessationibus quam contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio prȩcedens doctrina adfectibus firmaretur, immo vt discipulorum desideria recessionem eius corporalem ambirent, quia spiritalis præsentiæ plenitudo quam diu conspectu carnis præsens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus adsueti carerent, cum inhabitator spiritus sanctus eorum animas possidens, inuisibili accessu sinceriores eis adfectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro patrem luminum, & substantia rerum sperandarum proposita adparentia sepeliret: nec incertitudinis scrupulus supereſſet, cum dominus & magister, quem verum hominem probauerant, eis videntibus, cælum ascenderet: sed iam securi se crederent secuturos, nec esse impossibile, quin & ipsi in carne & spiritu ad superos transferrentur. Omnibus itaque ad tam delectabile spectaculum adgregatis, *Ascendo*, inquit, *ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Horum verborum auctoritas, cum iam eorum virtutem spiritus sanctus intimasset, omnem poterat excludere diffidentiam, & hilarescebant animi eorum paternitatis diuinę inlustrati honore, & fraternitatis Christi honorati cōsortio, cum audirent & crederent se filios Dei & fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inerat: nec iam quasi idiotæ & hebetes huic verbo adplaudebant carnaliter: sed subtilissime generationem & dignitatem creaturæ à voluntate & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem & similitudinem Dei in interiori homine videbant: & dinoscebant intellectu potius quàm visu, quam affinitatem habeant inter se pater & filius: & quia substantiuo & naturali filio filij adoptiui conformes à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia. Sanè huius generositatis consortium, secundum quam simul cum Christo filij Dei sumus, nobilitatem existentiæ nostræ exponit & intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omnino non posse patrem diſsidere à filiis, sed deiformibus tutum esse ad paternitatem accessum: nec posse pati ad hæreditatem possidendam dispositos in petitionibus diuinis repulsam, sed in quibuscunque filius filialiter genitorem adpellauerit, necesse est bonitatem largitoris iuste supplicantis prosequi voluntatē: maxime cum ipse pater est qui largiter iusta suggerat peti, quæ non differt benigne largiri. Et quidē paterna charitas bonis filiis & hęredibus maxime delectatur: & hoc glorię Christi vnigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suę non patitur esse solitariā magnitudinē sed addit fratres: non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes & consortes. Quod cum ipsum qui pater est, constet esse Deum, & eum Deum nostrum sicut & suum, filius adtestetur, in eo quod filij sumus, ipse nos possidet, in eo quod noster est Deus, quod nostrum est, ipsum cuius proprij sumus, proprie possidemus. Dico igitur domino meo, *Deus meus es tu*: & dicit mihi dominus meus, *Ego dominus Deus tuus.* Homo cuius Deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre. Si esurierit, non dicet tibi: eius est orbis & plenitudo eius, & magnitudinem eius cæli cælorum non capiunt: non infirmatur, non eget indumento vel cibo: omnia scit, omnia potest, omnia continet: in ipso omnes viuimus, mouemur & sumus. Quid tu ei quasi indigo conferes? te solum bonitate, non necessitate desiderat. Scriptum est, & ipso iubente tabulis in-

Ioan. 20.

Pſal. 117.

Pſal. 15.

Pſal. 49.

Deuter. 6. sculptum lapideis, vt diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anim a tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris: prope est merces tua, in manibus porrigitur præmium, esto tu dei, & erit tuus Deus tuus. Impar sanè commercium, precium inæquale: sed qui pro nobis triginta argenteis adpreciatus, intelligi voluit, quanta fuerit in precio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo, cum ipse exiguo argento emptus & venditus, tanto precio damnatos redimeret: vt dubium esse non possit, quin precij magnitudo superaret negocium: nec æquari posset damnum, quod omnino dānatio iusta meruerat, obedientiæ Christi, quæ gratis vsque ad mortem progressa est, & vltro soluit quod non debebat. His intellectis apostoli sicut filij prophetarum olim verum Heliam ascensurum sciebant, & horam illam præstolabantur gaudentes, nec iam anxiabantur parturientes, sed exorta lætitia parati erant prosequi recedentem, minime dubitantes quin & ipsi post modicum conuersationis huius, postquam de torrente passionis in via hac bibissent, exaltato capite & erecto, se ad cælestia dominum secuturos. Eleuatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus: sed naturæ diuinæ propria vsus virtute, carnem cælo intulit, & corpus glorificatum patris conspectibus præsentauit. Non indiguit vectoribus angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus: sed præcedentes & subsequentes adplaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cælos consonantiæ illius harmonia, thronis & dominationibus parantibus filio iuxta patrem consessum, cherubim & seraphim pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus & splendoribus supercælestibus, quos nec ardor perseuerans consumit, nec turbinis alicuius adflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cælestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Bethleemitis decantauerunt in sublimi præconia, modo expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad patrem solenniora obsequia impendebant, & festiuis adfectibus venerabantur hominem supra se sublimatum: quem gloria & honore coronauerat pater, & ad dexteram suam collocatum, hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine
Philip. 2. eius omne genu flecteretur, & super omne nomen, eius nomen excellentius coleretur. Quanta in eius susceptione in cælis iucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare, rei huius magnificentia omnem superat intellectum. Si linguis hominum vel angelorū quis eloquatur, vel ad hoc cuiuslibet elaboret acumen ingenij, vt definire velit quæ patris in reditu filij hilaritas fuerit: aut si forte illud sempiternum gaudium aliquod tunc admiserit incrementum, si stabilitatis æternæ se aliquo modo mutare possit immobilis magnitudo, scrutator ille maiestatis opprimetur à gloria, & verendum est ne dum vehementius exprimit verba quàm oportet, sanguinem pro lacte emungat. Attamen inuisibilem Deum visibilem filium recepisse ad dexteram suam, manifestum est, & humilitatem carnis nostræ throno iudiciario honoratam, paternæ complacuisse altitudini, duo genera gentium ciuitati supernæ, de qua gloriosa dicta sunt, deinceps adsignare, & esse supra mansionarios homines & angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Christi, hæc crucis & mortis stipendia, hic passionis labor promeruit, vt corpus humilitatis nostræ fieret corpori claritatis Christi conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Christo in cælestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vsque ad mortem tribulationum consortes. Hac die primum inuecta est cælis hæc nouitas inaudita, & gauisus

uiſus eſt pater hæreditate amplificata, ſobole multiplicata, promiſsionibus quas locutus fuerat in prophetis redditis & completis. Solum ad hæc quæ prædicta ſunt, reſtat iudicium, & examinationi vltimæ adhuc reſeruant antiqua oracula locum. De iudicio quippe & anguſtia Chriſto ſublato, ſupereſt poſt miſericordiæ tempora quæ ad finem feſtinant, vt iuſtitiam comitetur iudicium: & habeant ſinguli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo angeli Chriſto aſcendente teſtati ſunt, quia qui iudicatus abibat, iudex eſſet terribilis rediturus, & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conſpuerat, & prolata in medium inflexibili ſententia, occurrentibus ſaluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum ſequentur lamenta, illius vltimæ tubæ clangor quàm horribilis erit, continuus erit & ſuperfluus illarum lachrimarum decurſus, ſtridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miſeri viuent inter incendia, & inconſumptibiles flammę nudum corpus adlambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui ęſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos adfliget. Non miſerebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes: ſera erit illa confeſsio, & cum clauſa fuerit ianua, fruſtra carentes oleo adclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: ſemel Chriſtus deſcendit ad inferos, vlterius non deſcendet: non vltra videbunt Deum in tenebris ſigillati, inregreſsibilis erit illa ſententia, & immutabile iudicium, & ſtabit damnationis huius immobile conſtitutum. Exultabunt ſane ſancti in gloria, videbunt Deum & gaudebunt, lætabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & in felicitate iocundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt quam ſuauis ſit Deus, ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit, omne deſiderium eorum Chriſtus prędens implebit. Non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent amplius: perpetua ſanitas, felix æternitas, beatitudinis illis ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, non vltra vlla exſurget rebellio carnis, ſed totus hominis ſtatus pudicus & pacificus, ſana ex integro natura, ſine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ & corporis implebit adpetitus, ceſſabúntq; de cetero conſummatis omnibus miniſtratorij angelicarum virtutum diſcurſus: & impleta ordinatáque omnino ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixę & conſummatæ beatitudinis ſtatus. Ei igitur, ante cuius tribunal ſtabimus, qui nunc vultui dei adparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, vt pro nobis vellet naſci & mori, in prędenti quęſumus, vt ſit cura curandi nos, & nobis auctoritatem & poteſtatem iudicandi noſmetipſos & corrigendi concedat, vt in illo terribili iudicio ſuo inter electos adſciti & congregati, liberi à ſeruitute & captiuitate, cæleſtibus ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quæ ipſe diligentibus ſe repromiſit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit.

Lucæ 16.

DE SANCTO SPIRITV.

ADESTO ſancte ſpiritus, & paracleſin tuam expectantibus inlabere cælitus: ſanctifica templum corporis noſtri, & conſecra in habitaculum tuum: deſiderantes te animas tua præſentia lætifica: dignam te habitatore domum compone: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circunda varietatibus

virtutum: sterne pauimenta pigmentis, niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecus spirent odoramenta: affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quicquid tabidum est, quicquid corruptelæ seminarium, stabile & perpetuum hoc facias gaudium nostrum, & creationis tuæ renouationem in decore immarcesibili solides in æternum. Interfuimus sacræ verbi infantiæ, & puerperio virginis obsecuti sumus, cum cælesti militia gloriam decantauimus paruulo: confessi sumus omnipotentem, quem in cunabulis vidimus vagientem: circuncisionis celebrauimus sacramenta, & truncato præputio voluptatum, sanctimoniæ didicimus mancipari. Interfuimus baptismati saluatoris, & audita patris voce de cælis, ad obediendum Christo traditi sumus, & instructi cælitus, quomodo patrem & filium dilectio iungat & vniat, ita vt in ipsis nominibus intimetur distinctio personarum, & naturæ vnitas euidentissime innotescat. Sed & spiritum sanctum in specie columbæ inter illa mysteria vidimus & intelleximus, ex illa specie gemitus pœnitentiæ, & desideria contemplationis diuinæ, ex simplicitate cordis & innocentia vitæ immaculatæ incessanter prodire, & neminem nisi suspiriis huiusmodi præcedentibus, & inspiratione diuina monente, posse ad cælestia aspirare, vt suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto spiritu & causam habeant, & effectum, & materiam, & prouentum. Secuti quoque sumus in eremum dominum ieiunantem, & repulsa potenter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus cœnæ, & de calice domini bibimus, pedes lauimus, mortui sumus cum Christo, & ecce viuimus, prosequimur ascendentem, & præstolamur promissum nobis spiritum sanctum, cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuisibili magisterio nos doceat, & cælestibus instruat disciplinis: qui carnales hebetet sensus, & conterat adpetitus. Hic spiritus sanctus ab ipso mundi initio aquis legitur superfusus, non materialibus aquis quasi vehiculo egens, quas potius ipse ferebat, & complectentibus firmamentum, dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Huius sempiterna virtus & diuinitas cum in propria natura ab inquisitoribus mundi antiquis philosophis proprie inuestigari non posset, subtilissimis tamen intuiti sunt coniecturis compositionem mundi, compositis & distinctis elementorum adfectibus præsentem omnibus animam adfuisse, quæ secundum genus & ordinem singulorum vitam præberet & motum, & intransgressibiles figeret metas, & stabilitatem adsignaret & vsum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum essentiam, Animam mundi philosophi vocauerunt: putantes cælestia corpora, solem dico & lunam & stellas, ipsumque firmamentum, huius animæ virtute moueri & regi, & aquas, & terram, & aërem huius semine imprægnari: qui si spiritum, & dominum, & creatorem, & viuificatorem, & nutritorem crederent, omnium quæ sub ipso sunt, conuenientem haberent ad fidem accessum. Sed abscondita est à sapientibus & prudentibus tantæ rei maiestas, nec potuit humani fastus ingenij secretis interesse cælestibus, & penetrare ad supereſſentialis naturæ altitudinem, & licet intelligerent quod vere esset creatrix & gubernatrix rerum diuinitas, distinguere tamen nullo modo potuerunt quę esset deitatis trinitas, vel quę vnitas, vel quæ personarum proprietas. Superferebatur quidem elemento purificatorio spiritus sanctificator, iam tunc baptismi virtutem enuncians. Iam tunc illa præfigurabantur tempora, quibus arca Noe aquis inuecta diluuij viri iusti familiam conseruauit inlæsam, abolita generatione adultera, qui in filiabus hominum bestiali petulantia effrenes, impudenter se illis commiscuerant, nec diuinos, nec humanos in flagitiis publicis verebantur aspectus. Arcam illam quæ typum gerebat ecclesiæ, spiritus sanctus, & tunc re-

1. Ioan. 2.

Rom. 2.

gebat,

gebat, & adhuc regit, extra quam quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum: & impossibile est eum viuere, cui non superfertur spiritus vitæ, cuius viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fœcundat. Hic spiritus sanctus omnium viuentium anima ita largitate sua se omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabilia & inrationabilia secundum genus suum ex eo quod sunt, & quod in suo ordine suæ naturæ competentia agunt, num quod ipse sit substantialis anima singulis, & in se singulariter manens: de plenitudine sua distributor magnificus, proprias efficientias singulis diuidit & largitur, & quasi sol omnia calefaciens subiecta, omnia nutrit, & absque vlla sui deminutione integritatem suam de inexhausta abundãtia, quod satis est & sufficit omnibus, commodat & impartit. Hic spiritus rubri maris aquas siccauit, & suspensis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium, & AEgypti pulmentariis populum ad spiritalem eremi libertatem eduxit incolumem, & alimoniis cælestibus pauit, manna quasi rorem matutinum infundens graminibus, quod colligi iussum est ad mensuram. Aderat plena mensura per totam hebdomadam, vacante sabbati die, cui sexta præcedens dies consueti victus duplicans quantitatem, octauæ præfigurabat quietem, in qua absque labore & sollicitudine in deliciis epulabuntur electi, & saturabuntur in terra sua duplicia possidentes, corporis & animæ felici perennitate, & perenni felicitate ditati. Hic est spiritus sanctus, quem Magi in AEgypto tertij signi ostensione conuicti, cum sua defeciſſe præstigia faterentur, Dei digitum adpellarunt, antiquis philosophis eius intimarunt præsentiam defuisse. Et licet de patre & filio aliqua sensissent Platonici, spiritus tamen tumidus & humani adpetitor fauoris, sanctificationem intellectus diuini mereri non potuit, & vbi ad profunditatem sacramentorum ventum est, omnis eorum caligauit subtilitas, nec potuit infidelitas sanctitudini propinquare. Hic digitus Dei mundanæ iudex & vindex perfidiæ, noui tempore testamenti potenter expellit dæmonia: nec laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia: quod dicit, facit: quod iubet, implet: secreta indicat, pandit occulta, reuelat ignota, hebetat acutos, & perspicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primum conscripta, quinquagesimo die post egressum Israel de AEgypto in monte Sina Moysi est commendata: sed populus nequam, & gens duræ ceruicis, à quorum animis terror ille recesserat, quem mors ardens & flammea iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruscæ, & horrenda tonitrua nuper incusserant, in apostasiam conuersi, & de Moysi reditu desperantes, lege diuinitus missa indigni iudicati sunt: quia in oculis eorum Moyses frangens tabulas, tam verba quàm instrumenta comminuit & deleuit. Quinetiam sceleris vltione patrata, reuersus in montem ad dominum, quadraginta diebus ieiunans, & conloquens, tandem obtinuit vt ipse alias ex saxo ad instar priorum exciderit tabulas, in quibus eandem quæ in primis fuerat, scripturam insculperet & formaret. Factúmque est mirabili dispensatione superni iudicij, vt lex quam sanctus scripserat spiritus, deleretur: & quam manus humana restituit, in posterum teneretur. Quod ea ratione credi potest sic actum, vt populus prior secundum carnem ambulans & viuens, diuinis colloquiis & spiritalibus mandatis ostenderetur indignus: nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Porrò testamenti noui quę Christo euangelizante patuit veritas verbo Christi prolata, indissolubilis permansit, & solida deinde stabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita est, eo quod oblatam gratiam humiles susceperunt, & quod filius inter pauperes spiritu inuenit sibi domũ, in qua caput reclinaret, & merito reprobatos visibiles tabulę inuisibilis Dei indicant contemptores, & am-

Exod. 8.

Exod. 23.

pliori dignos honore incarnati verbi credulos auditores,& deuotos venera-
tores. Lex igitur à paſchalis agni immolatione die quinquageſimo datur, &
Pentecoſtes nomen tantæ rei ſolennitas ex lege accepit, in ipſo dierum nu-
mero ſacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus
ſepties reuolutus, quinquageſimum efficit, addita monade, qui præſentis ſe-
culi meta,& futuri initium, perpetuitatem ſub Octauæ nomine continens, ſic
præſentia terminat, vt nos ad perpetua introducat. Sacratus hic ſeptenarius
numerus à conditione mundi auctoritatem obtinuit: quoniam in ſex diebus
prima Dei opera patrata ſunt, & ſeptima conſecrata quieti, quaſi ſancta &
ſanctificans ſolennitate vacationis honorata,& ſpiritui ſanctificatori adtitu-
lata. Vnde & ceſſanti à ſeruilibus operibus populo iubetur vt diē ſabbati ſan
ctificet,& ſpiritui rectitudinis,& ſanctitudinis,& fortitudinis adſcribat, quod
directe, quod honeſte, quod viriliter incedit, quia totum ex eius conſtat du
catu, quod deuij diriguntur, quod impij conuertuntur, quod debiles confir-
mantur. Spiritus rectus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus principalis regit, componit,
conſummat & perficit quas inhabitat mentes,& corda quæ poſsidet: nec er-
rare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos poſſederit, quos
gladio potentiſsimę virtutis accinxerit. Septenarius iſte ex quaternario & ter
nario conſtans, cum in ſe propter prędictas cauſas honorabilis habeatur, ha-
bet ex partibus ſuis excellentiam maximam: quia artificis & materiæ videtur
exprimere & diſtinguere primarias ſubſtantias, vt ternarius creatorem pro-
pter trinitatem enunciet,& quaternarius creaturam propter quatuor elemē-
ta, quæ rerum omnium cauſæ ſunt & ſemina, ſub huius numeri breuitate cō-
cludat. Spiritus ſanctus à patre procedens, à patre & filio, quaternario ſuper-
fertur, & conditor benignus opus ſuum amplectitur, & diligit quod plaſma-
uit, & creaturam ſuam ſanctus ipſe ſanctificat & conſociat ſibi, & charitatis
nexu ſtatuit & conquadrat. His aliiſque ſecretioribus rationibus, quas inlu-
ſtrium virorum ſubtiliora ingenia indagarunt, ſeptenarius numerus in ſcri-
pturis ſanctis ſæpe ſacramentales cauſas complectitur,& ſimplex & multipli-
catus neceſſarios ad intelligentiam diuinorum operum parturit intellectus.
In hebdomadibus apud Hebræos dies ſeptimus Sabbatum, id eſt requies, ap-
pellatur, qui numerus non tam in ſeptimanis, ſed etiam obſeruatur in annis:
& annorum hedomada conſummata ſeptimus annus requietionis eſt, & ipſi
terræ Sabbatum imperatur: nec fas eſt cuiquam eo anno ſerere vel metere
quippiam, ſed quæ ſponte ſiue in terra, ſiue in vineis, vel in arboribus naſcun-
tur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoque ſeptimanę apud He-
bræos quinquageſimum annum faciunt, quem Iubileum adpellant, in quo
decreto legis, vt ſupra dictum eſt, fit terrę remiſsio,& ſeruorum libertas,& re-
ſtitutio poſſeſsionum, quas eatenus diſtractio alienauerat,& cetera huiuſmo-
di gratis ad hæreditatis ordinem reuertuntur. De numero ſeptenario cum
multa dicta ſint, plura ſuperſunt quæ in lege & euangelio præcipue commen-
dantur. Quinquageſimus itaque annus perficit iubileum, quinquageſimus
dies à paſcha pentecoſten facit, in quo vere ſpiritu ſancto infuſo apoſtolis, ad
hæreditatem cæleſtem à quo venundati ſub peccato exulabant, quos diabo-
lo domino mendicitas & egeſtas ſubiecerat, reuertuntur. Septem ſacerdota-
Ioſ. 6. libus clangentibus tubis, Hiericho conruit: ſeptem petitionibus orandum pa
trem filius docuit. Remiſsio peccatorum duplicato ſepties ſeptenario Petro
Leui. 15. mandatur. Leproſus ſeptimi diei inſpectione à ſacerdote iudicatur, ſummi
Matth. 14. ſacerdotis in ſeptem diebus conſecratio conſummatur. Dominus Ieſus Chri-
Pſal. 118. ſtus de ſeptem panibus quinque milia hominum reficit: & iuſtus quiſque Deo
Gene. 4. laudes per diem ſepties dicit. Ipſe dominus Ieſus ab Adam ſecundum gene-
Luæ 3. rationes, quas Lucas commemorat, ſeptuageſimus ſeptimus inuenitur, vt vl-

tionem

tionem in Lamech ſeptuageſiesſepties promulgatam veniens terminaret. Septem diebus in paſcha editur azyma: ſeptem diebus menſe ſeptimo tabernaculorum ſolennitas celebratur. In ſeptem annis templum à Salomone conſtruitur, ſeptem brachiis & totidē luminibus candelabrum adornatur. Celebramus tam nos quàm Iudæi quinquageſimum diem, ſed illi in typo, nos autem in veritate, non tam ſignificamus quàm agimus. Pentecoſten igitur celebrantes commemorauimus, quæ olim ſub Moyſe in veteri teſtamento ſunt acta, & quæ ſub Chriſto facta ſunt, poſt cuius aſcenſionem in cælos ſpiritus ſanctus viſibiliter ſuper apoſtolos in linguis igneis adparuit, & ad inſtar prioris ſeculi vniuerſitatem fidelium vnius labij eſſe voluit: vt quorum erat cor vnum & anima vna, vna eſſet & lingua: nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diuerſitas verborum, ſed euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, vt Græcis & Barbaris omnibúſque gentibus verbum euangelij ſic eſſet intelligibile, ac ſi in eorum auribus linguæ in qua nati erant idiomata reſonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Meſopotameni, & Arabes: hi omnes, dum Hebræa lingua apoſtoli prædicarent, locutio Iudaica enunciationis ſuæ articulos curſu conſueto euoluens nullo exponebatur interprete, ſed verbo eorum per ſpiritum ſanctum inerat virtus & gratia, vt habitantes Pontum & Aſiam, ſuam eſſe dicerent linguam quam audiebant, quaſi primitiuæ linguæ libertas ad antiquitatis reuerſa originem, confuſionis contumeliam euaſiſſet. Nec tantum apoſtolis collata eſt hæc gratia, ſed multitudini credentium idem ſpiritus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur ſe dilectio & verbum, & de calore ſpiritus ſermo feruebat ignitus. Iam omni timore excluſo, obedire, ſed Deo magis quàm hominibus publice profitebantur, & videbatur eis gloria, ſi pro Chriſto iniuriam paterentur. Ad hunc modum olim Moyſi iuſſum eſt, vt in viros ſeptuaginta, quos ipſe presbyteros iudicaret, de ſpiritu ſuo partiretur, vt in negociis partem gerent ſolicitudinis, quibus cum impoſuiſſet Moyſes manus, requieuit in eis ſpiritus ſanctus, qui non Moyſi ablatus eſt, quaſi ipſe ſine ſpiritu remaneret, vel idem ſpiritus ſecaretur in partes, ſed ſecundum menſuram donationis diuinæ quæ erat in Moyſe, gratia ſingularis facta eſt multiplex & communis, & data eſt multis in eo poteſtas, quod prius ſolius Moyſi diſponebat auctoritas. Sic Heliæ ſpiritum duplicem recepit Heliſæus, non quod in duas ſubſtantias idem ſpiritus ſit diuiſus, & duos propheta ſanctus habuerit ſpiritus, ſed quod populo Chriſtiano, cuius typum Heliſæus gerebat, accepto ſpiritu ſancto, data ſit poteſtas in opere & ſermone, & aſcendentem Heliam, id eſt Chriſtum, pio deſiderio proſecutus, fide claruerit & intellectu, & vita & ſignis & miraculis fulſerit & exemplis. Hic ſacrorum ordinum diſtributor reges creat & principes, ſacrat pontifices, eligit ſacerdotes. Hic ſapientia Salomonem, intellectu Danielem, Ioſeph cōſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen ſcientia, Dauid pietate, Iob timore proſequitur, & ſanctorum animas omnimodis fœcundat virtutibus, intantum adfectus pacificos prouehens, vt iam in cęlis noſtra ſit conuerſatio, diffuſa in nobis charitate per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hic in pudicis mentibus ſibi ſtatuit manſionem. Hic humiles & cęlibes habet domeſticos, abominatur ærarios, falſarios deteſtatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Ieroboam vendentem ſacerdotia cum apoſtatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à ſanctorum conſortio exhæredat, cuius deteſtabiles auſus vltrix ruina confundit & quaſſat. Hic Balaam ad maledicēdum conducto ſilentium imponit, & per aſinam redargutum, conliſo ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remiſit confuſum. Hic omnibus

Exod. 12. Leui. 23. Act. 2. Numer. 11. 4. Reg. 2. Rom. 5. 4. Reg. 5. 3. Reg. 13. Act. 8. Numer. 22.

ecclesiæ sacramentis interest, quæ ipse efficit & consummat. Hic peccata diluit, hic iustificat impios, & ad vitam reuocat mortuos. Hic discordes pacificat, & vinculo dilectionis adstringit & ligat. Hic nos cælo inuehit, & à mundi huius vanitatibus auulsos superni regni constituit hæredes, cuius summa est felicitas, quod corpus istud spiritali effectu cum angelis conuersabitur, nec vltra erit carnis & sanguinis aliquis adpetitus, sed erit omnium plena sufficientia, cognoscibilis Deus, & inhabitator spiritus sanctus.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM. CVII.

MIHI quidem fidelissime papa Laurenti, ad scribendum animus tam nō est cupidus, quàm nec idoneus, scienti non esse absque periculo, multorum iudiciis ingenium tenue & exile committere: sed quoniam, vt cum venia tui dixerim, temere in epistola per Christi me sacramenta, quæ à nobis maxima cum reuerentia suscipiuntur, adstringis, vt aliquid tibi de fide, secundum symboli traditionem rationémque cōponamus, quanuis supra vires nostras sit pondus præcepti (non enim me latet illa sententia sapientium, quæ probe admodum dicit, Quia de Deo etiam vera dicere, periculosum est) tamen si expositionis à te impositæ necessitatem orationibus iuues, dicere aliqua obedientiæ magis reuerentia, quàm ingenij præsumptione tentabimus, quæ quidem non tam perfectorum exercitiis digna videantur, quàm ad paruulorum in Christo & incipientium librentur auditum. Et quidem comperi nonnullos inlustrium tractatorum, aliqua de his pie & breuiter edidisse. Photinum vero hæreticum scio eatenus conscripsisse, non vt rationem dictorum audientibus explanaret, sed vt simpliciter & fideliter dicta, ad argumentum sui dogmatis traheret, cum in his verbis sanctus spiritus prouiderit, nihil ambiguum, nihil obscurum, nihil à reliquis dissonans poni: quia in his vere completur prophetia quæ dicit, *Verbum enim consummans & breuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet dominus super terram.* Esaiæ. 10. Nos ergo vel simplicitatem suam verbis apostolicis reddere & adsignare tentabimus, vel quæ omissa videntur à prioribus, adimplere. Sed vt manifestius fiat argumentum verbi huius, vt diximus, breuiati, causam qua hæc traditio ecclesiis data est, ab origine repetemus. Tradunt maiores nostri, quod post ascensionem domini, cum per aduentum sancti spiritus super singulos quosque apostolos igneæ linguæ sedissent, vt loquelis diuersis variísque loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ barbaræ inaccessæ viderentur & inuiæ, præceptum eis à domino datum hoc ad prędicandū Dei verbum ad singulas quasque proficisci nationes: discessuri itaque ab inuicē, normam sibi prius futuræ prædicationis, in commune constituunt, ne forte alij alio adducti, diuersum aliquid his qui ad fidem Christi inuitabantur exponerent. Omnes ergo in vno positi, & spiritu sancto repleti, breue istud futuræ sibi, vt diximus, prædicationis indicium, conferendo in vnum quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis ex causis adpellare voluerunt. Symbolum enim Græce, indicium dici potest & collatio, hoc est quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt apostoli in his sermonibus, in vnum conferendo vnusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quia illo tempore, sicut & Paulus apostolus dicit, & in Actis apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Iudæis simulabant se esse apostolos Christi, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prędicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. 1. Cor. 11. Act. 15.

ciantes. Idcirco igitur istud indicium posuere, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum a postolicas regulas prędicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferũt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latine vel signa, vel indicia nominantur, vt si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus, symbolum prodat, si sit hostis, an socius. Idcirco deniq; hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri credẽtium cordibus tradiderunt, vt certum esset, neminem hæc ex lectione quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri ergo, vt diximus, ad prædicandum istud vnanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuere, non sicut filij Noe discessuri ab alterutrum, turrem ex latere cocto & bitumine construentes, cuius cacumen pertingeret vsque ad cælum, sed munimenta fidei quæ starent aduersum faciem inimici ex lapidibus viuis, & margaritis dominicis ædificantes, quæ neque venti impellerent, neque flumina subuerterent, neque tempestatum ac procellarum turbines permouerent. Merito ergo illi abinuicem separandi, turrem superbiæ ædificantes, linguarum confusione damnati sunt, vti ne vnusquisque posset aduertere proximi sui loquelam: isti vero qui turrem fidei construebant, omnium linguarum scientia & agnitione donati sunt, vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Gene. 11.

Sed iam nobis etiam de ipsis aliquid contrectandum est margaritis, in quibus primo in loco fons & origo omniũ bonorum ponitur, cum dicitur, CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM. Verum priusquam incipiam de ipsis sermonũ virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto, quod in diuersis ecclesiis aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In ecclesia tamen vrbis Romæ, hoc non deprehendi tur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordium: & mos ibi seruatur antiquus, apud eos qui gratiã baptismi suscepturi sunt, publice, id est fidelium populo audiente, symbolum reddere, & vtique adiectiones vnius saltem sermonis, eorum qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ nouellæ doctrinæ sensus videatur excludi. Nos tamẽ illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi ecclesia per lauachri gratiam suscepimus. CREDO, ergo primo omnium ponitur, sicut & Paulus apostolus ad Hebræos scribens, dicit, *Credere enim primo omnium accedentem oportet ad Deum, quia & credentibus in se remunerator sit.* Hebr. 11. Sed & propheta dicit, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Esaiæ 7. Vt ergo intelligentiæ tibi aditus pateſcat, recte primo omnium te credere profiteris, quia nec nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, nisi se prius credat posse saluari: nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit vẽturos imbres, ad futurum quoq; solis teporem, quibus terra confota, segete multiplicata, frugem producat, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil deniq; est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, cũ sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis? Hæc autem idcirco in principiis præmisimus, quia pagani nobis obiicere solent, quod religio nostra quæ quasi rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat. Et ideo ostendimus, nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. Denique ideo & matrimonia contrahuntur, quia creditur succesſura posteritas: & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina. imperij quoq; insignia vnus suscipit, dum credit sibi vrbes & populos armatũ etiam

exercitum parituros. Quod si hæc singula nisi prius crediderit futura, nullus adgreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur? Sed videamus quid iam breuialis hic symboli sermo proponat. CREDO inquit, IN DEO PATRE OMNIPOTENTE. Orientales ecclesiæ omnes pene ista tradunt, CREDO IN VNO DEO PATRE OMNIPOTENTE. Et rursum in sequenti sermone vbi nos dicimus, ET IN CHRISTO IESV VNICO FILIO EIVS DOMINO, illi tradunt, ET IN VNO DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO VNICO FILIO EIVS, vnum scilicet Deum & vnum dominum secundum auctoritatem Pauli apostoli profitētes. Sed de hoc in sequentibus repetemus. Nunc interim quod ait, IN DEO PATRE OMNIPOTENTE videamus. Deus enim quod inopinari potest humana mēs, naturæ ipsius vel substātiæ quæ est super omnia, est adpellatio. Pater vero arcani & ineffabilis sacramenti vocabulum est. Deum cum audis, substantiam intellige, sine initio, sine fine, simplicem, sine vlla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Sine auctore est enim ille, qui omnino auctor est omnium. Patrem cum audis, filij intellige patrem, qui filius supradictus sit imago substātiæ. Sicut enim nemo dicitur dominus, nisi habeat vel possessionē, vel seruum cui dominetur: & sicut nemo magister dicitur, nisi discipulum habeat: ita & pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. Hoc ergo ipso nomine quo Deus pater appellatur, cum patre pariter subsistere etiam filius demonstratur. Quomodo sanè Deus pater genuerit filium, nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi huius arcanum, ne forte dum inaccessæ lucis fulgorē pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectū. Aut si putas in hoc omni genere indagationis nitendū, prius tibi propone quæ nostra sunt: quæ si consequēter valueris expedire, tunc à terrestribus ad cælestia, & à visibilibus ad inuisibilia properato. Expedi primo si potes, & explana, quomodo mens quæ intra te est, generet verbum, & quis sit in ea memoriæ spiritus: quomodo hæc cum diuersa sint rebus & actibus, vnum tamen sint vel substantia vel natura: & cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa seperentur. Et hæc quanuis in nobis & in animæ nostræ substantia habeantur, tamen tanto nobis occulta videntur, quāto & aspectui corporeo inuisibilia. De apertioribus requiramus. Fons quomodo ex se generat fluuium? quo autem spiritu rapidus fertur in fluentum? quid est quod dum vnum & inseparabile sit, & fluuius & fons, tamen nec fons fluuius, nec fluuius fons intelligi aut adpellari potest? & tamen qui viderit fluuium, videt & fontem? Exerce te prius in horum explanatione, & discute si potes, quæ habentur in manibus, & tunc ad horū sublimiora veniemus. Nec putes quod te statim de terra suadeam ascendere super cælos, sed prius te si placet ad istud firmamentum quod oculis patet, educam, & ibi si potes, naturam huius visibilis luminis discute. Quomodo ignis iste cælestis generat ex semetipso splendorem lucis: quomodo etiam producit vaporem: & cum sint tria in rebus, vnum tamen sunt in substantia? Quod & si hęc singula inuestigare potueris, scito adhuc diuinę generationis mysterium tanto esse differentius & eminētius, quāto creator creaturis potētior, quanto artifex opere suo præstantior, quanto ille qui semper est, eo qui ex nihilo cœpit esse, nobilior. Credendus est ergo Deus esse pater vnici filij sui domini nostri, non discutiēdus. neque enim fas est seruo de natalibus domini disputare. Contestatus est pater de cælis dicens, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Pater ipsum dicit esse filium suum, & ipsum audiri iubet. Filius dicit, *Qui me videt, videt & patrē meum:* &, *Ego & pater vnum sumus.* &, *Ego à Deo exiui, & veni in hunc mundum.* Quis est qui inter has patris

Matth.17.

Ioan.14.

& filij

& filij voces medium se discussorem interserat, & deitatē diuidat, adfectum separet, & substātiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum quod veritas dicit. Est ergo Deus pater, verus tanquam veritatis pater, non extrinsecus creans, sed ex eo quod ipse est filium generans, id est, quia sapiens, sapientiā: quia iustus, iustitiam: quia sempiternus, sempiternū: quia immortalis, immortalem: quia inuisibilis, inuisibilem: quia lux, splendorem: quia mens, verbum. Quod autem diximus, Oriētis ecclesias tradere vnum verum Deum, patrem omnipotentem & vnum dominum, hoc modo intelligendum est, vnum non numero dici, sed vniuersitate. Verbi gratia, si quis dicit vnum hominem, aut vnum equum, hic vnum pro numero posuit. potest enim & alius homo esse, & tertius, vel equus. Vbi autem secundus vel tertius non potest iungi, vnus si dicatur, nō numeri, sed vniuersitatis est nomen. Vt si exempli causa dicamus vnum solem, hic vnus ita dicitur, vt alius vel tertius addi non possit. vnus est enim sol. multo magis ergo Deus cū vnus dicitur, vnus non numeri, sed vniuersitatis vocabulo nūcupatur, id est qui propterea vnus dicitur, quod alius non sit. Similiter & de domino accipiendum est, quod vnus sit dominus noster Iesus Christus, per quē Deus pater dominatum omnium tenet. Vnde & sequens sermo omnipotentem pronunciat dominum. Omnipotens autē ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, sicut & Apostolus dicit, *Quia per ipsum creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates:* & iterum ad Hebræos scribens dicit, *Quia per ipsum secula instituit, & ipsum constituit vniuersorum hæredem.* Constituit autem quod ait, genuit intelligitur. Quod si per ipsum secula instituit pater, & per ipsum creata sunt omnia, & ipse est hæres omnium, per ipsum ergo & potentatum omnium tenet. Quia sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita & de omnipotente omnipotens natus est. Vt in Apocalypsi Iohannis de Seraphim scriptum est, *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth, & qui est, & qui venturus est, omnipotens.* Omnipotens ergo dicitur qui venturus est. Et quis est alius qui venturus est, nisi Iesus Christus filius Dei? His additur, INVISIBILI ET IMPASSIBILI. Sciendum est quod duo isti sermones ecclesiæ Romanæ symbolo non habentur: constat autem apud nos additos, hæreseos causa Sabellij, illius profecto quæ à nostris Patripassiana adpellatur, id est quæ patrem ipsum vel ex virgine natum dicit, & visibilē factum esse, vel passum adfirmat in carne. Vt ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur hæc addidisse maiores, & inuisibilem patrem atque impassibilem dixisse. Constat enim filium, non patrem, incarnatum, & ex natiuitate carnis filium visibilem & passibilem factum. Quantum autem spectat ad illam deitatis immortalem substantiam, quæ vna ei eademque cum patre est, ibi neque pater, neque filius, neque spiritus sanctus visibilis aut passibilis creditur. Secūdum vero dignationē carnis adsumptæ, filius & visus & passus in carne est. Quod & propheta prædixerat vbi ait, *Hic Deus noster, & non reputabitur alter ad eum. Inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Sequitur post hæc, ET IN CHRISTO IESV. Iesus Hebræi vocabuli nomen est, quod apud nos saluator dicitur. Christus à chrismate, id est ab vnctione adpellatur. Legimus enim in libris Moysi, quod Auses Naue filius, cum electus esset dux populi, commutato nomine de Ause Iesus cognominatus sit. Quo scilicet ostenderetur hoc esse nomen quod principibus & ducibus conueniret, iis dūtaxat qui salutem sequentibus se populis darent. Itaque & ille Iesus adpellatus est, qui eductum de terra AEgypti populum, & de erroribus eremi liberatum, in terram repromissionis induxit. Et hic Iesus dicitur, qui populū de ignoran-

Coloſ. 1.

Hebr. 1.

Apocal. 4.

Baruch 3.

tiæ tenebris eductum, & de mũdi erroribus reuocatum, introduxit ad regna cælorum. Christus quoque, vel põtificale vel regium nomen est. Nam prius & pontifices vnguento chrismatis consecrabãtur & reges, sed illi velut mortales & corruptibiles vnguento materiæ corruptibilis vngebantur: hic vero
Esa. 61. sancto spiritu perunctus, Christus efficitur, sicut scriptura de eo dicit, *Quem vnxit pater spiritu sancto misso de cælis.* Et Esaias præsignauerat dicens ex persona filij, *Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Quia ergo ostẽdimus quid sit Iesus, qui populum saluet: & quid sit Christus, qui pontifex factus sit in æternum, nunc ex consequentibus de quo dicantur ista, videamus. ET IN VNICO FILIO EIVS DOMINO NOSTRO. Per hoc docet nos, quia Iesus iste de quo diximus, & Christus de quo exposuimus, vnicus filius sit Dei & noster dominus. Ne forte putes quod humana ista vocabula terrenũ te aliquid doceãt, ideo subiungit, Vnicum hunc esse filiũ Dei dominum nostrum. Vnus enim de vno nascitur, quia & splendor vnus est lucis, & vnum est verbum cordis. Nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in diuisionem cadit, vbi qui nascitur, nequaquam à generante separatur. Vnicus est, vt menti sensus, vt sapientia sapienti, vt cordi verbum, vt forti virtus. nam sicut solus sapiens pater ab Apostolo dicitur, ita & solus filius Sapientia nominatur. Vnicus ergo filius est, & cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate, hoc quod pater est, omnia tamen hæc non sine auctore sunt patre, sed ex patre tanquam filius, sine initio, & æqualis habet, & cum ipse sit omnium caput, ipsius tamen auctor est pater generando sine initio. Quia nec pater præcedit filium, nec filius sequitur patrem in faciendo quasi adoptiuum, sicut nos. Filium sane cum audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis adsumas, sed memento hæc de incorporeæ dici substãtiæ natura simplici. Si enim, vt supra iam diximus, vel in eo quod cor generat verbum, vel mens sensum, vel lux ex se parit splendorem, nihil horum requiritur, nec vlla in tali generatione fragilitas cogitatur: quanto purius & sacratius de horum omnium creatore censendum est? Sed fortasse dicas, ista quam memoras in subsantiua est generatio. neq; enim lux subsantiuum profert splendorem, aut cor subsantiuum generat verbum. Filius autem Dei subsãtialiter adseritur generatus. Ad hæc primo omnium illud dicimus, quod etiam in ceteris rebus, cum proferuntur exempla, non per omnia similitudinem seruare possunt rei illius cui prębere putãtur exẽplum, sed vnius alicuius partis, pro qua videntur adsumpta, similitudinem tenent. Ver-
Matth. 13. bi gratia, vt cum in euangelio dicitur, *Simile est regnum cælorum fermento, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus:* nunquidnam putabimus regnum cælorum sic per omnia simile esse fermento, vt & subsantia illa ita palpabilis sit ac fragilis, vt & acida fieri possit & corrupta? sed ad hoc solum exemplum istud videtur adsumptum, vt ostenderetur ex parua prædicatione verbi Dei, humanas mentes fidei fermento posse coalescere. Similiter & cum dicitur, *Simile est regnum cælorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium adtrahit:* & in hoc nunquid putandum est, quod naturæ lini quo rete aptatur, ac nodis quibus maculæ nectuntur, regni cælorum subsantia per omnia conferatur? sed ad hoc solum videtur adsumpta comparatio, vt ostenderetur, quia sicut rete de profundo maris pisces adducit ad littus, ita de profundo huius seculi errore humanæ animæ regni cælorum prædicatione liberantur. Ex quibus constat exempla, non in omnibus his quorum exẽpla sunt, esse similia. Alioqui si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsæ potius res de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum est, quod nulla creatura talis esse potest, qualis creator eius. & ideo sicut sine exemplo est diuina subsantia, ita & sine exemplo est diuina maiestas. Tum etiam illud addimus,

dim⁹, quia omnis creatura ex nihilo est. Si ergo insubstãtiua sit illa quæ ignis est, ex sese creaturam quæ ex nihilo facta est, gignit, & conditionem in hoc seruat originis suæ: cur illius æternæ lucis subsãtia, quæ semper fuit, quia insubstantiuum in se nihil habuit, insubstantiuum ex se splendorem proferre non potuit? vt ideo recte vnicus dicitur filius. Vnicus enim & solus est, qui ita natus est. Nec comparationem aliquam potest habere quod vnicum est: nec similitudinem substantiæ in facturis suis habere potest ille qui factor est omnium. Hic ergo Iesus Christus filius vnicus Dei, qui est & dominus noster vnicus, & ad filium referri, & ad dominũ potest. Vnus est enim & vere filius, & vnus vere dominus Iesus Christus. ceteri quippe filij licet dicãtur filij, adoptionis tamen gratia dicuntur, non veritate naturæ. Et si dicuntur alij domini, concessa tamen, non ingenita potestate dicuntur: hic vero solus est vnicus filius, & solus vnicus dominus, sicut & Apostolus dicit, *Vnus pater* Ephes. 4.
Deus, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia. Igitur postea quàm propositus ordo fidei ineffabile sacramentũ filij de patris natiuitate exposuit, nunc ad humanæ salutis dignationem dispensationemq; descẽdit. Et hunc quem supra dixit vnicũ filium Dei, & dominum nostrum nunc dicit, QVI NATVS EST DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE. Hęc iam inter homines dispensationis natiuitas est, illa diuinæ substantiæ: hæc dignationis est, illa naturæ. De spiritu sancto ex virgine nascitur. Et iam in hoc loco mũdior auditus requiritur, & purior sensus. Huic enim quem dudum de patre natum ineffabiliter didicisti, nunc à sancto spiritu templum fabricatum intra secreta vteri virginalis intellige. Et sicut in sancti spiritus sanctificatione nulla sentienda est fragilitas, ita & in partu virginis nulla est intelligenda corruptio. Nouus enim huic seculo datus est hic partus, nec immerito: qui enim in cælis vnicus filius est, consequẽter & in terra vnicus est, quia & vnice nascitur. Nota sunt omnibus & in euangeliis decantata de hoc scripta prophetarum quæ dicunt, quod *Virgo concipiet & pariet filium.* Sed & partus ipsius mi- Esa. 7.
rabilem modum Ezechiel propheta ante formauerat, Mariam figuraliter portam domini nominans, per quam scilicet dominus ingressus est mũdum. Dicit ergo hoc modo, *Porta autem quæ respicit ad Orientem clausa erit, & non ape-* Ezech 44.
rietur, & nemo transibit per eam, quoniam dominus Deus Israel transibit per eam, & clausa erit. Quid tam euidens dici de consecratione virginis potuit? Clausa fuit in ea virginitatis porta, per ipsam introiuit dominus Deus Israel, & per ipsam in hunc mundum de vtero virginis processit, & in æternum porta virginis clausa, seruata virginitate, permãsit. Igitur spiritus sanctus refertur dominicę carnis & templi eius creator. Incipe hinc iam intelligere etiam sancti spiritus maiestatem. Contestatur enim & euangelicus sermo de ipso, quod cum loquenti angelo ad virginem & dicenti, quia *paries filium, & vocabis no-* Lucæ 1.
men eius Iesum: hic enim saluum faciet populum suum à peccatis suis: illa respondisset, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Dixit ei angelus Dei, Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Vide ergo cooperantem sibi inuicem trinitatem. Spiritus sanctus venire dicitur super virginem, & virtus altissimi obumbrare ei. Quæ est autem virtus altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia? Cuius autem hæc virtus est? *Altissimi*, inquit. Adest ergo altissimus, adest & virtus altissimi, adest & spiritus sanctus. Hęc est trinitas vbique latens, & vbique adparens, vocabulis personisq; discreta, inseparabilis vero substantia deitatis: quanuis solus filius nascatur ex virgine, adest tamen & altissimus, adest & spiritus sanctus, vt & conceptus virginis sanctificetur & partus. Verum hæc quia ex scripturis propheticis adseruntur, possunt forte Iudæos quanuis sint infideles & increduli, confutare. Sed pagani solent ri-

dere nos,cum audiunt prædicari à nobis virginis partum,propter quod paucis eorum obtrectationibus respondendum est. Omnis partus vt opinor, ex tribus constat. Si adultæ ætatis sit fœmina,si virum adeat,si non sit illius vlua vitio sterilitatis obclusa. Ex his tribus in hoc partu quem prædicamus, vnum defuit,vir scilicet: & hanc partem,quia qui nascebatur,non erat terrenus homo,sed cælestis,per cælestem spiritum dicimus,salua virginis incorruptione, completam. Et tamen quid mirum videtur, si virgo conceperit, cum Orientis auem quam Phœnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci vel renasci constet,vt semper & vna sit,& semper sibi ipsa nascēdo vel renascendo succedat? Apes certe nescire coniugia,nec fœtus nixibus edere,omnibus palàm est. Sed & alia nonnulla deprehenduntur in huiusmodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur diuina virtute ad totius mūdi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? Et tamen mirandum,cur hoc gentilibus impossibile videatur,qui credunt Mineruam suam de cerebro Iouis natam: quid ad credendū difficilius? aut quid magis contra naturā est? Hic fœmina est,hic naturæ ordo seruatur,hic conceptus,hic partus temporibus suis editur. Ibi nusquam fœmineus sexus, sed vir solus & partus. Qui illa credit,cur ista miratur? Sed & Liberum patrem de fœmore eius adserunt natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque,quam ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ vocant,de spuma maris,sicut etiam nominis ipsius compositio ostendit, credunt esse progenitam: de ouo natos Castorem Pollucemque confirmant: & ex formica Myrmidones, & alia mille sunt quæ quanuis contra rerum naturam venientia, ipsis tamen visa sunt credibilia,vt Deucalionis & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his segetem natam: & cum hæc tot & talia figmenta crediderint, vnū eis verbum impossibile videtur, quod adolescens fœmina diuinum germen, non hominis vitio,sed Deo inspirante conceperit. Qui vtique si ad credendum difficiles sunt, illis tot & tam turpibus mōstris fidem nequaquam commodare debuerant: si vero faciles sunt ad credendum,multo promptius hæc nostra tam honesta & tam sancta recipere, quàm illa tam indigna & tam fœda credere debuissent. Sed dicent fortasis, quia possibile si fuerat Deo vt virgo conciperet,possibile etiam fuerat Deo vt pareret: sed indignum eis videri, vt tanta illa maiestas per genitales fœminæ transiret egressus: vbi quanuis nulla fuerit ex virili commixtione contagio,fuit tamen ipsius puerperij obscœnę adtrectactionis iniuria: pro quo paulisper eis secundum sensum suum respondeamus. Si quis videat paruulum in profundo cœni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremis, vt ita dixerim, plantis ingrediatur cœnum, vt paruulum morientē liberet,pollutúsne à te accusabitur hic vir,quod paululum luti calcauerit? an vt misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed hęc etiam de communi homine dicta sint. Redeamus nunc ad naturam eius qui natus est. Quantum putas natura solis eo inferior est? quātum creatura sine dubio creatore. Intuere nūc solis radios,si in cœni alicuius voraginem dimittātur, nunquidnam aliquid inde pollutionis adquirit? aut obscœnorum inlustratio solis ducetur iniuriis? Ignis quoque natura,quanto est inferior his de quibus sermo est? Et nulla materia vel obscœna, vel turpis adhibita ei,ignem polluisse creditur. Cū ergo hæc ita esse in rebus materialibus constet,tu in illa supereminenti & incorporea natura quæ super omnem ignē & supra omne lumen est: pollutionis aliquid putas,aut obscœnitatis incidere? Tum deinde etiam illud aduerte: Nos hominem à Deo creatum de terræ limo dicimus: quod si obscœnitas Deo reputatur opus suum requirenti,multo magis ei reputabitur opus illud ab initio fabricanti: & superfluum est dicere, Cur per obscœna transierit, cum non possis dicere,cur obscœna

condi-

condiderit: & ideo obscœna hæc esse, non natura, sed obseruantia docuit. Ceterum omnia quæ sunt in corpore, ex vno eodemque luto formata, vsibus tantum & officiis naturalibus distinguũtur. Sed ne illud quidem ab absolutione vacare huius quæstionis omittamus, quod substantia Dei quæ per omnia incorporea est, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua media sit substantia spiritalis, quæ capax esse diuini spiritus possit. Verbi gratia, vt si dicamus, Lux omnia quidem mẽbra corporis illustrare potest, nullo tamen hoc nisi à solo oculo capi potest: solus enim oculus est qui capax sit lucis. Et filius ergo Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed in anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, & in secreta rationabilis spiritus arce, verbum Dei capiente, absque vlla quam suspicaris iniuria, Deus natus est ex virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, vbi sanctificatio spiritus inerat, & anima quæ erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi dicas impossibile, vbi aderat virtus altissimi. nihil de humana fragilitate cogites, vbi plenitudo inerat deitatis. CRVCIFIXVS SVB PONTIO PILATO, DESCENDIT IN INFERNA. Docet Apostolus Paulus, inluminatos debere esse oculos cordis nostri ad intelligendum quæ sit altitudo diuinitatis, latitudo, & profundum. Altitudo ergo, & latitudo, & profundũ, descriptio crucis est, cuius eam partem quæ in terram defixa est, profundũ adpellauit. Altitudinem vero illam, quæ in aërem porrecta, sublimis erigitur: latitudinem quoq; illam quæ distenta in dexteram læuamq; protenditur. Cum ergo tot species mortis sint, quibus de hac vita exitus dari hominibus solet, quid vult nos Apostolus inluminatos corde scire rationem, cur ex his omnibus crucis potius species ad mortem delecta sit saluatoris? Vnde sciendum est, quod crux ista, triumphus erat: triumphi enim insigne est trophæum, trophæum autem deuicti hostis indicium est. Quia ergo aduenies Christus, sicut Apostolus dicit, tria pariter sibi regna subiecit: hoc enim indicat vbi ait, *Quia in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* & hæc omnia sua morte vincebat. Conueniens mysterio mors quæsita est, vt in aërem sublimatus, & aëreas subiugans potestates, victoriam de his supernis & cælestibus traderet: expensas autem manus tota die, sanctus propheta dicit, *Tetendi manus tota die ad populum incredibilem,* qui est in terra, vt incredulos contestaretur & inuitaret credentes: eam vero partem quæ sub terram demergitur, quod inferna sibi regna subiiceret. Et enim vt breuiter aliqua etiam de secretioribus perstringamus, ab initio Deus cum fecisset mundum, præfecit ei & prępositi quasdam virtutum cælestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat in Deuteronomij cantico vbi dicit, *Cum diuideret excelsus gentes, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei:* sed horum nonnulli, sicut & ipse qui princeps adpellatus est mundi, datam sibi à Deo potestatem non his quibus acceperant legibus temperarunt, nec humanum genus diuinis obedire præceptis, sed suis parêre præuaricationibus docuerunt. Et hinc aduersum nos peccatorum chirographa scripta sunt, quia vt propheta dicit, *Peccatis nostris venũdati sumus.* Precium nanque animæ suæ vnusquisq; consequitur, cum concupiscentiæ satisfecerit. per istud ergo vnusquisque chirographum ab illis rectoribus pessimis tenebatur, quod Christus detraxit aduenies, & hac eos potestate denudauit, idque sub ingenti mysterio Paulus indicat, cum dicit de eo, *Delens quod aduersum nos erat chirographum, & adfigens illud cruci suæ, traduxit principatus & potestates, triumphans eos in semetipsos.* Rectores ergo illi quos humano generi præfecerat Deus in tyrannidis contumaciam versi, impugnare commissos sibi homines adgressi sunt, & peccati præliis debellare. Sicut Ezechiel propheta my-

Ephes. 5.

Philip. 2.

Esa. 65.

Deut. 32.

Coloss. 2.

Ezech.30. sticis designat eloquiis cum dicit, *In illa die procedent angeli festinantes exterminare Aethiopiam, eritque inter eos perturbatio in die Aegyti, quoniam ecce venit.* Recte ergo cos omnipotentia nudatos Christus dicitur triumphasse, ablatamque ab eis potestatem hominibus tradidisse, sicut ad discipulos suos dicit ipse in
Lucæ 10. euangelio, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Illos itaq; qui accepta potestate male abusi sunt subiectis quondam suis, subiicit crux Christi. Nos vero, hoc est humanum genus, edocet primo omnium vsque ad mortem resistere aduersum peccatum, & libenter interitum pro pietate suscipere. Tum deinde & obedientiæ nobis in hac eadem cruce proponit exemplum, sicut illis qui aliquando rectores
Philip.2. nostri fuerant, posuit contumaciæ pœnas. Audi ergo, quomodo Apostolus vult per crucem Christi obedientiam nos docere, *Hoc*, inquit, *sentite in vobis quod & in Iesu Christo, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu repertus vt homo, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quia ergo ille magnus magister est qui fecerit & docuerit, ideo obedientiam quæ piis morte etiam suscepta seruanda est, docuit ipse prius pro hac moriẽdo seruari. Sed fortasse terreatur aliquis in huiuscemodi doctrina, quod quem pauloante cum Deo patre diximus sempiternum, ac de eius substantia esse progenitum, quemque regno, æternitate & maiestate vnum cum Deo patre esse docuimus, nunc de eius morte tractemus. Sed nolo terrearis fidelis auditor, paulopost istum quem audis mortuum, rursum videbis immortalem: mors enim ab eo mortem spoliatura suscipitur. Nam sacramentum illud susceptæ carnis, quod supra exposuimus, hanc habet causam, vt diuina filij Dei virtus, velut hamus quidam erat habitu humanæ car-
Ibidem. nis obtectus. Et sicut ante Apostolus dixit, *habitu repertus vt homo*, principem ergo mundi vt inuitare posset ad agonem, cui ipse carnem suam velut escam tradidit, vt hamo eum diuinitatis intrinsecus teneret insertum, & effusione immaculati sanguinis, qui peccati maculam nescit, omnium peccata deleret, eorum duntaxat qui cruore eius postes fidei signassent. Sicuti ergo hamum esca conseptum si piscis rapiat, non solum escam ab hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca aliis futurus educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortẽ corpus Iesu, nõ sentiens in eo hamum diuinitatis incluſum: sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuo, & disruptis inferni claustris, velut de profundo extractus traditur, vt esca ceteris fiat. Quod ita futurum sub hac eadem figura & Ezechiel dudũ propheta signauerat dicens,
Ezech.32. *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram: campi implebũtur de te, & constituã super te omnes volucres cæli, & saturabo ex te omnes bestias terræ.* Sed & propheta
Psal.73. Dauid dicit, *Tu confregisti capita draconis magni, & dedisti eum in escã populis Aethiopum.* Et Iob de eodem mysterio similiter protestatur, ait enim ex persona Dei
Iob. 40. loquẽtis ad se, *Aut adduces draconem in hamo, aut pones capistrũ circa nares eius?* Non ergo damno aliquo aut iniuria diuinitatis Christus in carne passus est, sed vt per infirmitatem carnis operaretur salutem in medio terræ. Diuina natura in mortem per carnẽ descendit, nõ vt lege mortaliũ detineretur à morte, sed vt per se resurrecturus ianuas mortis aperiret: velut si quis rex pergat ad gentẽ, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo adligatos, deuictaq; carcerẽ intret, in quo vincti detinebãtur, soluat cathenas, vincula, seras & claustra cõminuat, & vinctos in remissionẽ educat, & eos qui sedẽt in tenebris & in vmbra mortis luci ac vitæ restituat. Ergo dicitur rex fuisse quidẽ in carcere, non tamen ea conditione qua ceteri qui tenebantur inclusi: sed illi quidẽ vt pœnas soluerent, hic vero vt absolueret pœnas. Cautissime autẽ qui symbolum tradiderunt, etiam tempus quo hęc sub Pontio Pilato gesta sunt, designaue-

runt,

runt, ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret. Sciendum sane est, quod in ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additū, DESCENDIT AD INFERNA, sed neq; in Orientis ecclesiis habetur hic sermo: vis tamē verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur. Sed quoniam tibi erga scripturas diuinas amor & studium subiacet, sine dubio dicis mihi oportere hæc magis euidentibus scripturæ diuinæ testimoniis adprobari. Quanto enim maiora sunt quæ credenda sunt, tanto idoneis magis & indubitatis testibus indigent. Vera quippe est & cōsequens hęc propositio: sed nos tanquam scientibus legem loquētes, testimoniorū siluam breuitatis causa relinquimus, pauca tamen ex multis, si etiam hoc requiritur, adhibeamus, sciētes studiosis quibusq; in scripturis diuinis latissimum testimoniorum pelagus patere. Primo ergo omnium sciendum est, quod ipsa ratio crucis non omnibus vna eademq; est, sed aliud gentibus, aliud Iudæis, aliud credētibus sapit, sicut & Apostolus dicit, *Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Iudæis* 1. Corin. 1. *quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et alibi, *Verbum enim crucis pereūtibus quidem stultitia est, his vero qui salui fiūt virtus Dei est.* Iudæi ergo quibus ex lege traditum fuerat, Christum in æternū mansurum, scandalum patiebātur de cruce eius, quia resurrectionem eius recipere noluerunt. Gentibus autem stultitia videbatur, Deum mortem suscepisse, quia ignorabant mysteriū carnis adsumptę. Fideles vero, qui & natum & passum in carne receperant, & à mortuis resurrexisse, merito virtutem Dei credebant esse, quæ vicerat mortem. Primo ergo hoc ipsum quod Iudæi quibus prophetæ hæc prædixerant, non essent credituri, sed illi qui nunquam hæc à prophetis audierant, audi quomodo per Esaiam prophetico sermone signantur, *Quibus non est*, inquit, *annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent*. Quod autem his qui meditabantur legem Dei à pueritia vsque ad senectutem, non credentibus, ad gentes esset omne mysterium translatum, idē Esaias hoc modo prædicit, *Et faciet*, inquit, *dominus Deus sabaoth omnibus gentibus in monte isto inueniri lætitiam: bibent vinum, vngentur vnguēto in monte isto. Tradet hæc omnia gentibus.* Hoc enim consiliū Dei omnipotentis super omnes gentes. Sed dicent fortasse nobis illi qui se iactāt in scientia legis, Blasphematis qui sic dicitis dominum corruptioni mortis subiectum & passioni crucis fuisse. Legite ergo quod scriptum habetis in Lamētationibus Hieremiæ vbi dicit, *Spiritus vultus nostri Christus dominus comprehensus* Thren. 4. *est in corruptionibus nostris: in quo diximus, sub vmbra eius viuemus in gentibus.* Audis quomodo propheta dicit Christum dominum comprehēsum esse, & pro nobis, id est pro peccatis nostris corruptioni traditum. In cuius vmbra quoniam populus ille Iudæorū permansit incredulus, abiectus est, dicit, quia viuemus nō in Israel, sed in gentibus. Quod si operosum nō videtur, quàm possumus breuiter singula quæ in euangeliis referuntur, qualiter in prophetis prędicta sunt designemus, vt hi qui prima fidei elemēta suscipiunt, testimonia hęc habeāt in corde scripta, vt nulla eis vnquā de his quę credunt ambiguitas inimica surripiat. Edocemur per euāgeliū, quod Iudas vnus de amicis & conuiuis Christi tradiderit eum: audi hoc quomodo prēnuncietur in psalmis: *Qui man-* Psal. 40. *ducat*, inquit, *panes meos, ampliabit aduersum me supplantationem.* Et alibi, *Amici* & 37. & 54. *mei, & proximi mei, aduersum me adpropinquauerunt & steterunt.* & iterum, *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Vis videre quomodo molliti sunt? *Venit*, inquit, *Iudas ad Iesum, & dixit ei, Aue rabbi, & osculatus est eum.* Per Matth. 26. molle ergo osculi blandimētum execrabile iaculū proditionis infixit. Vnde & dominus ad eum dixit, *Iuda osculo filium hominis tradis?* Triginta argenteis au- Lucæ 22. dis eum adpreciatū esse cupiditate proditoris: audi & de hoc propheticā vocem: *Et dixi*, inquit, *ad eos, Si bonum est in conspectu vestro, date mercedem meam.* zacha. 11.

aut abite. Et post hæc, inquit, *Accepi triginta argenteos, & misi eos in domum domi-*
Matth.27. *ni in conflatorium.* Nonne hoc est quod in euangeliis scribitur, quia Iudas pœnitentia ductus reportauit pecuniam, & proiecit eam in templo, & discessit? Bene autem mercedem suam dicit, velut imputãtis & exprobrantis adfectus. Etenim tam multa opera bona apud eos egerat. Cæcos eorum inluminauerat, claudis pedes, paralyticis gressum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro iis ergo omnibus bonis mercedem restituunt ei mortem triginta argenteorum existimatione pensatam. Refertur item in euangelijs quod vinctus
Esa.3. sit. Prędixit hoc sermo propheticus per Esaiam dicens, *Væ animæ ipsorum, quia cogitauerunt cogitationem pessimam aduersum seipsos dicentes, Adligemus iustum, quia inutilis est nobis.* Sed dicet aliquis, Nunquid hæc de domino intelligenda sunt? nunquid dominus ab hominibus teneri poterat, & ad iudicium pertrahi? Et de hoc te idem propheta conuincet: dicit enim his verbis, *Ipse dominus in iudicium veniet cum senioribus & principibus populi.* Iudicatur ergo ipse dominus secũdum prophetæ testimonium, & non solum iudicatur, sed etiam flagellis cędi-
Esa. 53. tur, & palmis in faciem verberatur & conspuitur, & omnem pro nobis perfert indignitatis iniuriam. Et quia hæc stupenda erant omnibus cum prædicarentur ab Apostolis, idcirco etiam ex persona ipsorum propheta exclamat & dicit, *Domine quis credidit auditui nostro?* Incredibile enim est vt Deus Dei filius ista pertulisse dicatur. Et ideo prædicuntur per prophetas, ne qua credituris dubitatio nasceretur. Ipse ergo ex sua persona Christus dominus di-
Thren.5. cit, *Dorsum meum dedi flagellis, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non auerti à confusione sputorum.* Scribitur etiam illud inter ceteras passiones eius, quod adligantes eum duxerunt ad Pilatum: præsignauit etiam hoc propheta vbi dicit, *Et adligantes eum duxerunt ad xenium regis Iarim:* nisi si obiiciat aliquis & dicat, sed Pilatus non erat rex. Audi ergo quid in sequentibus euangelium refert, *Audiens,* inquit, *Pilatus eum esse de Galilæa, misit eum ad Herodem, qui erat tunc rex in Israel.* Et bene addidit nomen Iarim, quod est siluester. Non enim erat Herodes de domo Israel, nec de illa vinea Israelitica, quam eduxerat dominus de AEgypto, & plantauerat in cornu in loco vberi, sed erat siluester, id est ex silua alienigenarum. Et ideo siluester adpellatur, quasi qui de Israeliticæ vitis nequaquã palmitibus pullulasset. Sed & quod ait propheta, *xenium,*
Lucæ 23. conuenienter aptauit. Tunc enim Herodes & Pilatus, vt euãgelium testatur, ex inimicis in concordiam reuocati sunt. Et velut reconciliationis suæ xenium, vinctum sibi inuicem mittebant Iesum. Quid interest, dummodo Iesus vbique dissidentes reconciliet, pacem reparet, concordiam reddat? Vnde etiam de hoc scriptum est in Iob, *Dominus reconciliat corda principum terræ.* Refertur item quod cum Pilatus vellet eum dimittere, omnis populus clamauerit, *Crucifige crucifige eum:* Prænunciat hoc Hieremias propheta dicens ex per-
Ibidem. Hiere. 12. sona domini ipsius, *Facta est,* inquit, *hæreditas mea mihi sicut leo in silua. Dedit super me vocem suam, propterea exosus sum eam. Et propter hoc,* inquit, *dereliqui domum meam.* Et iterum alibi dicit, *Super quem aperuistis os vestrum, & aduersus quem relaxastis linguas vestras?* Cum iudicaretur scribitur tacuisse. Multæ de hoc scriptu-
Psal. 37. ræ testantur, in psalmis dicitur, *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes.* & iterum, *Ego autem sicut surdus non audiebã, & sicut mutus non aperiens os suũ.* Et iterum alius propheta dicit, *Sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est.* Imposita scribitur coro-
Canti.3. na spinea. Audi de hoc in Canticis Canticorum super iniquitates Hierusalem mirantis de iniuria filij, patris vocem, & dicentis, *Exite & videte filiæ Hierusalem coronam qua coronauit eum mater sua.* Sed & de spinis ita alius propheta
Esa. 5. commemorat, *Et expectaui vt faceret vuam, fecit autem spinas, & non iustitiam, sed clamorem.* Veruntamen vt mysterij secreta cognoscas, oportebat eum,

inquit,

inquit, qui peccata mundi venit auferre, etiam terrę maledicta purgare, quæ protoplasto peccante, sententiam præuaricationis acceperat, dicente domino, *Maledicta terra in operibus tuis: spinas & tribulos producet tibi.* Propterea ergo spinis coronatur Iesus, vt prima illa condemnationis sententia solueretur. Ad crucem ducitur, & in ligno totius mundi vita suspenditur. Vis & de hoc propheticis testimoniis confirmari? audi Hieremiam dicentem, *Venite, & iniiciamus lignum in pane eius, & conteramus eum de terra viuentium.* Et iterum, Moyses velut deflens eos dicit, *Et erit vita tua suspensa ante oculos tuos, & timebis per diem & noctem, & non credes vitæ tuæ.* Sed transcurrendum nobis est: iam enim præpositæ breuitatis excedimus modum, & breuiatum sermonem longa dissertione distendimus, pauca tamen addemus, ne penitus quod cœpimus præteriisse videamur. Scribitur Iesus in latere percussus, aquam simul & sanguinem profudisse. Hoc quidem mysticum est: ipse enim dixerat, quia *flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ.* Sed produxit & sanguinem, quem petierant Iudæi venire super se & filios suos. Produxit etiam aquam, vt credentes diluat: produxit & sanguinem, qui condemnet incredulos. Potest tamen etiam intelligi, quod duplicem gratiam baptismi figurauerit, vnam quę datur per aquam baptismi: aliam quæ per martyrium profusione sanguinis quæritur: vtrunque enim baptisma nominatur. Quod si & hoc quæris, cur non ex alio membro, sed ex latere potius produxisse dicatur aquam & sanguinem? videtur mihi in latere per costam mulier indicari, quia fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa, processit: fons redemptionis ac vitæ de secũdi Adam costa producitur. Scriptũ est, quod in passione eius ab hora sexta vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt. Accipe de hoc prophetæ testimonium dicentis, *Occidet tibi sol meridie.* Et iterum Zacharias propheta, *In illa,* inquit, *die non erit lux, sed frigus & pruina erit in vno die, & dies ille notus domino, & neq; dies, neque nox, & ad vesperam erit lux.* Quid tam euidens à propheta dici potuit? Vt iam hæc nõ tam futura prædici quàm narrari præterita videantur? etiam pruinã & frigus prædixit. Propterea enim Petrus calefaciebat se ad ignem, quia frigus erat, & frigus patiebatur, non solum temporis, sed & fidei. Addidit etiam, *Et dies illa nota domino, & neque dies neque nox.* Quid est, *neque dies neque nox?* nonne aperte de insertis diei tenebris, & reuocata rursum luce differuit? Non fuit illa dies: neque enim cœpit ab ortu solis. neque integra nox fuit: nõ enim peracto diei cursu, spacia debita vel ab initio suscepit, vel ad vltimum terminata perduxit, sed fugata per impiorum facinus lux reparatur ad vesperam. Post horam enim nonam depulsis tenebris sol redditur mundo. Et iterum alius de hoc ipso testimonium dicit, *Obscurabitur super terram in die lux.* Docet euangelij prædicatio quod etiam milites diuiserunt sibi vestimenta Iesu, & supra tunicam eius miserunt sortem. Hoc etiam curæ fuit spiritui sancto prophetarũ vocibus protestari, cum Dauid dicit, *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sed nec de illa quidem veste quam dicuntur milites inludentes induisse eum, id est de veste coccinea, prophetę siluerũt. Audi enim quid dicat Esaias, *Quis est iste qui venit de Edom, rubor vestimentorum eius ex Bosor? Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumentum tuum tanquã à torculari calcato?* Vnde & ipse respondit, *Torcular calcaui solus filiæ Sion.* Solus est enim qui peccatum non fecit, & abstulit peccata mundi. Si enim potuit per vnum hominem mors introire, quanto magis per vnum hominem, qui & Deus erat, potuit vita restitui? Refertur etiam quod aceto potus sit, vel vino myrrhato, quod est amarius felle. Audi quid de hoc propheta prædixerit, *Et dederunt,* inquit, *in esca mea fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Atque respondens iam tunc Moyses dicebat de populo illo, *Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum de Gomorrha. Vua*

Gene.3. Hiere.11. Deut.28. Matth.28. Ioan.7. Amos 5. zacha. 14. Marci 14. Matth.27. Psal.21. Esa.63. Psal.68. Deut.32.

eorum vua fellis, botrus amaritudinis ipsis. Et iterum exprobrans eos dicit, *Populus stultus & non sapiēs, hæc domino retribuisti?* Sed & in Canticis canticorum eadem prænunciantur, vbi etiam hortus in quo crucifixus est designatur: dicit ergo,

Canti.5. *Intraui in hortum meum, soror mea sponsa, & vindemiaui myrrham meam.* Vbi euidēter vinum myrrhatum quo potatus est declarauit. Spiritum post hæc scribitur reddidisse: prænunciatum fuerat & hoc per prophetam dicentē ex persona filij ad patrem? *In manus tuas commendo spiritum meum.* Sepultus quoque

Thren.3. perhibetur, & lapis magnus positus ad ostium monumenti. Accipe etiam de hoc quid propheticus per Hieremiam sermo prædixerit, *Mortificauerunt,* inquit, *in lacu vitam meam, & posuerūt lapidem super me.* Euidētissima hæc sepulturæ eius indicia propheticis vocib⁹ designata sunt: accipe tamē & alia: *A conspectu,* inquit, *iniquitatis ablatus est iustus, & erit in pace locus eius.* Et alibi, *Et dabo malignos in sepulturā eius.* Itē aliàs, *Recubans dormiuit vt leo, & catulus leonis, quis suscitabit eum.* Sed & quod in infernum descendit, euidenter prænūciatur in psal-

Psal.21.& 29 & 38. mis vbi dicit, *Et in puluerem mortis deduxisti me.* & iterum, *Quæ vtilitas in sanguine*

Matth.11. *meo dum descendo in corruptionem?* & iterum, *Descendi in limum profundi, & non est substantia.* Sed & Iohannes dicit, *Tu es qui venturus es,* (in inferno sine dubio) *an*

1.Pet.3. *aliū expectamus?* Vnde & Petrus dixit, quia Christus mortificatus carne, viuificatus autem spiritu, *In ipso,* ait, *& eis qui in carcere inclusi erant, descendit spiritibus prædicare qui increduli fuere in diebus Noe:* in quo etiam quid operis egerit in inferno, declaratur. Sed & ipse dominus per prophetam dicit, tanquam de

Psal.15. futuro: quia *non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* quod rursus prophetice nihilominus ostendit impletum cum dicit, *Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.*

Sequitur post hæc TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS. Resurrectionis quippe gloria in Christo clarificauit omne quod prius infirmū & fragile videbatur. Si tibi pauloante non videbatur esse posibile vsque ad mortem veniſse immortalem, aspice nunc, quia qui deuicta morte resurrexisse dicitur, non potest esse mortalis, sed bonitatem in hoc intellige creatoris, quia eousque ille miserando descendit, vsquequo tu peccando deiectus es. Nec creatorem omnium de hoc impossibilitatis accuses, vt ibi putes opus eius caduco lapsu potuisse concludi, quo ille id reparaturus peruenire nō posset, Inferna & superna nobis dicuntur, qui certa corporis circunscriptione conclusi, intra præscriptæ nobis regionis terminos continemur. Deo autem qui vbique est, & nusquam deest, quid infernum est, aut quid supernum? Veruntamen in adsumptione corporis etiam ista complētur. Resuscitatur caro quæ deposita erat in sepulchro, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam, *Quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Redit ergo victor à mortuis, in-

Ioan.12. ferni secum spolia trahens: eduxit etiam eos qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat, vbi ait, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad meipsum traham.* At-

Matth.27. testatur autem euangelium de hoc cum dicit, quia *monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt & adparuerunt multis, & ingressi sunt sanctam ciuitatem.* Sine dubio ingressi sunt ciuitatem illam de qua Apo-

Gal.4. stolus dicit, *Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omniū nostrum.*

Hebr.2. Sicut & ad Hebræos iterum dicit, *Decebat enim cum propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentē auctorem salutis eorum per passiones consummari.* Igitur consummatam passionibus carnē humanam, quæ in mortem

Ephes.1. ceciderat per protoplasti lapsum resurrectionis virtute reparatam, in dextera sedis Dei altissimi conlocauit. Vnde & Apostolus dicit, *Qui simul consuscitauit nos, simúlque sedere fecit in cælestibus,* hic enim erat figulus, qui vt Hiere-

Hiere.18. mias docet propheta, *Vas de manu sua conlapsum & confractum, rursum eleuauit manibus suis, & reformauit sicut placuit in conspectu eius.* Placuit autem vt corpus

quod

quod mortale & corruptibile ſuſceperat, de ſepulchri petra leuatum, & immortale atque incorruptibile effectum, iam non in terrenis, ſed in cæleſtibus & in patris dextera conlocaret. Plenæ ſunt de his ſacramentis ſcripturę veteris teſtamenti. Nullus ſuper his propheta, nullus legislator aut pſalmographus ſiluit, ſed omnis pene ſacra de his loquitur pagina: & ideo ſuperfluum videtur immorari nos ad congregãda teſtimonia: pauca tamen & admodum pauca ponemus, ad ipſos fontes diuinorum voluminum remittentes eos qui potare abundantius cupiunt. Dicit ergo ſtatim in pſalmis, *Ego dormiui, & ſomnum cœpi, & reſurrexi, quoniam dominus ſuſcepit me.* Et iterum in alio loco, *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus.* Et alibi ſicut iam ſuperius diximus, *Domine eduxiſti de inferno animam meam: ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Et in alio loco, *Quoniam conuerſus viuificaſti me, & de abyſſo terræ iterum reduxiſti me.* Euidentiſsime autem in octogeſimo & ſeptimo pſalmo de eo dicitur, *Et factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.* Non dixit homo, ſed ſicut homo. Sicut homo enim erat, quia etiam deſcenderat in infernum: ſed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri non poterat. Et ideo in vno natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ maieſtatis oſtẽditur. Oſeæ autem propheta etiam de tertia die manifeſtiſsime prænunciat hoc modo, *Sanabit nos*, inquit, *poſt biduum: in die autem tertia reſurgemus & viuemus in conſpectu eius.* Hæc autem ex perſona eorum dicit, qui cum ipſo die tertia reſurgentes, de morte reuocantur ad vitam: & ipſi ſunt qui dicunt, *Die tertia reſurgemus, & viuemus in conſpectu eius.* Eſaias vero aperte dicit, *Qui educit de terra paſtorem magnum ouium.* Sed quod & mulieres viſuræ eſſent reſurrectionem eius, ſcribis & phariſæis & populo non credentibus, etiam hoc prædixit Eſaias his verbis, *Mulieres quæ venitis ab ſpectaculo venite: non enim eſt populus habens intellectũ.* Sed & de illis quæ poſt reſurrectionẽ perrexiſſe ad ſepulchrum dicuntur, & quæſiſſe eum, & non inueniſſe, ſicut de Maria Magdalene refertur veniſſe ante lucem, & non inuento eo flens dixiſſe ad angelos qui aderant, quia *tulerunt dominum, & neſcio vbi poſuerunt eum:* etiam de hoc ita prædicitur in Cantico canticorum, *In cubili meo quæſiui, & non inueni eum.* De illis quoque quæ inuenerunt eum, & tenuerunt pedes eius, prædicitur in Cantico canticorum, *Tenebo eum, & non dimittam eum quem dilexerit anima mea.* Hæc interim pauca de multis breuitati ſtudentes poſuimus, plura & relinquentes.

Pſal. 3. Oſeæ 6. Eſa. 40. Eſa. 32. Ioan. 29. Cant. 5.

ASCENDIT IN CAELOS, SEDET AD DEXTERAM PARRIS: INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS. Conſequentia breuitatis in fine ſermonis hęc continet, in quibus quod dicitur quidẽ palam eſt, ſed requiritur quo ſenſu intelligi debeant quæ dicuntur. Nam aſcendiſſe & ſediſſe, & vẽturum eſſe, ſi ſecundum dignitatem diuinitatis intelligas, aliquid per hoc humanę fragilitatis videbitur indicari. Conſummatis etenim his quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captiuitate reuocatis, aſcendere memoratur ad cælos, ſicut propheta prædixerat, *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: illa ſcilicet dona, quæ Petrus in Actis apoſtolorum de ſpiritu ſancto dicebat, *Exaltatus ergo dextera Dei, effudit hoc donum quod vos auditis & videtis.* Donum ergo ſpiritus ſancti hominibus dedit, quia captiuitatem, quam prius diabolus per peccatũ deduxerat in infernum, Chriſtus per mortis ſuæ reſurrectionem reuocauit ad cælum. Aſcendit ergo ad cælos, non vbi verbum Deus ante non fuerat: quippe qui erat ſemper in cælis, & manebat in patre: ſed vbi verbum caro factum ante non ſederat. Denique, quia nouus iſte ingreſſus portarum cæli ædituis & principibus videbatur, videntes naturam carnis cælorum ſecreta penetrantem, dicunt ad inuicem, ſicut Dauid plenus ſpiritu enunciat, *Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus fortis &*

Ephes. 4. Act. 2. Pſal. 23.

potens, dominus potens in prælio. Quæ vox vtique non propter diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad dexteram Dei ferebatur.
Psal. 64. Dicit & alibi idem Dauid, *Ascendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ.* In voce enim tubæ moris victorum est redire de prælio. De ipso quoque &
Psal.17. alias dicitur, *Qui ædificat in cælo ascensum suum.* Etiam alibi, *Qui ascendit super cherubim & volauit super pennas ventorum.* Sedere quoque ad dexteram patris, carnis adsumptæ mysterium est: neque enim incorporeæ illi naturæ conuenienter ista absque adsumptione carnis adduntur: neque sedis cælestis perfe-
Psal.92. ctum diuina natura, sed humana conquirit. Vnde & dicitur de eo, *Parata sedes tua domine extunc, à seculo tu es.* Parata ergo à seculo sedes est, in qua dominus Iesus sessurus erat is, in cuius *nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium*
Psal.109. *& infernorum: & omnis lingua confitebitur ei, quia dominus Iesus Christus in gloria Dei patris est,* de quo & Dauid ita refert, *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Quæ tamen dicta domi-
Matt.22. nus in euangelio differens dicebat ad pharisæos, *Si ergo Dauid in spiritu dominum vocat eum, quomodo filius eius est?* Per quod ostendit se secundum spiritum dominum, secundum carnem filium esse Dauid. Vnde & ipse dominus iterum
Matth.26. 1.Petr.3. dicit, *Veruntamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris filij Dei.* Et Petrus apostolus dicit de Christo, *Qui est in dextera Dei, sedens in cælis.*
Ephes.3. Sed & Paulus ad Ephesios scribens, *Secundum operationem,* inquit, *potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & sedere faciens in dextera sua.* Quod autem veniat iudicaturus viuos & mortuos, multis quidem diuinarum scripturarum testimoniis edocetur: sed priusquam prophèticis hæc eloquiis prædicta doceamus, illud necessario arbitror admonendũ, quod ista fidei traditio quotidie nos vult de aduentu iudicis esse sollicitos, vt actus nostros ita præparemus, velut reddituri imminenti iudici rationem.
Psal.111. Hoc enim erat quod & propheta dicebat de viro beato, quia *disponit sermones suos in iudicio.* Quid autem dicitur iudicare viuos & mortuos, nisi quod alij viui, alij mortui ad iudicium veniant? sed animę simul iudicabuntur & corpora: in quibus viuos animas, corpora mortuos nominauit. Sicut & ipse dominus
Matt. 10. in euangelio dicit, *Nolite timere eos qui corpus possunt occidere, animæ autem nihil facere possunt: sed timete potius eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Nunc iam paucis si videtur, etiam per prophetas hæc prædicta esse doceamus. Plura autem testimonia cum volueris, ipse tibi de scripturarum lati-
Malach.3. tudine congregabis: dicit ergo Malachias propheta, *Ecce venit dominus omnipotens, & quis sustinebit diem aduentus eius, aut quis sustinebit aspectum eius? quia ipse ingreditur sicut ignis conflatorij, & sicut herba lauantium: & sedebit conflans eos, & purgans sicut argentum & sicut aurum.* Vt autem euidentius agnoscas, quis sit iste
Dan. 7. dominus de quo hæc dicuntur, audi quid & Daniel propheta prænunciat, *Videbam,* inquit, *in visu noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniens, & vsque ad vetustum dierum peruenit, & in conspectu eius oblatus est: & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non præteribit: & regnum eius non corrumpetur.* Ex his ergo edocemur, non solum de aduentu & iudicio, sed & de potestate eius & regno: quia potestas eius æterna sit, & sine corruptionis fine sit regnum, si-
Lucæ 3. cut in euangelio dicitur, *Regni eius non erit finis.* Vnde valde alienus à fide est, qui regnum Christi dicit aliquando finiendum. Scire tamen debemus, quod salutarem hunc Christi aduentum conabitur inimicus ad decipiendum fideles quosque callida fraude simulare, & pro filio hominis qui expectatur venturus in maiestate patris sui, filium perditionis in prodigiis & signis mendacibus præparare, vt pro Christo, mundo huic introducat antichristum. De quo & ipse dominus in euangeliis prædixit Iudæis, quia *ego veni in nomine patris*

mei,

mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, & ipsum recipietis. Et iterum dicit, *Cum videbitis abominationem desolationis in loco sancto, sicut dicit Daniel propheta, Qui legit, intelligat.* Daniel ergo de aduentu erroris istius plenius & latius in suis visionibus edocet: ex quibus valde operosum est exempla nunc ponere, quia satis amplis narrationibus dilatantur. Et ideo scire de his plenius volentem ad ipsas magis recensendas remittimus visiones. Sed & Apostolus de eo dicit, *Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi discessio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollit se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam ipse sit Deus.* Et paulo post, *Et tunc reuelabitur,* inquit, *iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit inluminatione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus.* Et iterum paulo post, *Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati.* Propterea ergo prophe ticis & euangelicis atque apostolicis vocibus nobis prænunciatur hic error, ne quis pro aduentu Christi aduentum credat antichristi. Sed & ipse dominus dicit, *Cum dixerint vobis, Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere: Venient enim multi pseudochristi & pseudoprophetæ, & seducent multos.* Sed quomodo demonstrabitur iudicium veri Christi, videamus, *Sicut fulgur,* inquit, *de oriente resplendet vsque ad occidentem: ita erit aduentus filij hominis.* Cum ergo aduenerit verus dominus Iesus Christus, sedebit, & iudicium statuet: sicut euangelium dicit, *Et segregabit oues ab hœdis,* id est & iustos ab iniustis. Sicut & Apostolus scribit, quia *omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis sui, prout gessit, siue bona, siue mala:* iudicabimur autem non solum pro gestis, sed & pro cogitatis, secundum quod & ipse Apostolus dicit, *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die quo iudicabit Deus occulta hominum.* Sed de his ista sufficiant. Post hoc ponitur in ordine fidei, ET IN SPIRITV SANCTO. Ea quæ in superioribus paulo latius de Christo sunt tradita, ad incarnationis vel passionis eius mysterium pertinẽt. Quæ dum media intercedunt personę ipsius cooptata, sancti spiritus commemorationem paulo longius reddiderunt. Ceterum si solius diuinitatis ratio habeatur eo modo quo in principio dicitur, CREDO IN DEO PATRE OMNIPOTENTE. Et post hæc, IN IESV CHRISTO FILIO EIVS VNICO, DOMINO NOSTRO: ita iungitur, IN SPIRITV SANCTO. Illa vero omnia quæ de Christo memorantur, ad dispensationem carnis, vt diximus, spectant. Igitur in sancti spiritus commemoratione adimpletur mysterium trinitatis. Sicut enim vnus dicitur pater, & alius non est pater: vnus dicitur & vnigenitus filius, & alius vnigenitus nõ est: ita & spiritus sanctus vnus est, & alius non potest esse spiritus sanctus. Vt ergo fiat distinctio personarum, adfectionis vocabula secernuntur, quibus ille pater intelligatur, ex quo omnia, & quia ipse non habeat patrem: filius vero tanquam qui ex patre natus sit, & spiritus sanctus tanquam de Dei ore procedens, & cuncta sanctificans. Vt autem vna eadémque in trinitate diuinitas doceatur, sicut dictum est, in Deo patre credi adiecta præpositione IN, ita & in Christo filio eius, ita & in spiritu sancto memoratur, Sed vt manifestius fiat quod dicimus, ex consequentibus adprobabitur. Sequitur nanque post hunc sermonem, SANCTAM ECCLESIAM, REMISSIONEM PECCATORVM, HVIVS CARNIS RESVRRECTIONEM. Non dixit, In sanctam ecclesiam, nec In remissionem peccatorum, nec In carnis resurrectionem. Si enim addidisset, IN, præpositionem, vna eadémque vis fuisset cum superioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, vbi de diuinitate fides ordinatur, in Deo patre dicitur & in Iesu Christo filio eius, & in spiritu sancto: in ceteris vero vbi non de diuinitate, sed de creaturis ac my-

Dan. 9.
Coloss. 2. Ephes. 5. 1. Ioan. 3.
Matth. 24.
Lucæ 17.
Matth. 25. Rom. 14.
2. Cor. 5.

ſteriis ſermo eſt, IN prępoſitio non additur, vt dicatur, IN ſanctam eccleſiam, ſed ſanctam eccleſiam credendam eſſe, non vt in Deum, ſed vt eccleſiam Deo congregatam: & remiſsionem peccatorum credendam eſſe, non in remiſsionem peccatornm: & reſurrectionem carnis, nõ in reſurrectionem carnis. Hac itaque prępoſitionis ſyllaba creator à creaturis ſecernitur, & diuina ſeparantur ab humanis. Is ergo ſpiritus ſanctus eſt, qui in veteri Teſtamento legem
2. Timo 3. & prophetas, in nouo vero euangelia & apoſtolos inſpirauit. Vnde & Apoſtolus dicit, *Omnis ſcriptura diuinitus, inſpirata, vtilis eſt ad docendum.* Et ideo quæ ſunt noui ac veteris teſtamenti volumina, quę ſecundum maiorum traditionem, per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur, & eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc loco euidenti numero, ſicut ex patrum monumentis accepimus, deſignare: itaque veteris Teſtamenti primo omnium Moyſi quinque libri ſunt traditi, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: poſt hoc Ieſu Naue, Iudicum ſimul cum Ruth: quatuor poſt hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant: Paralipomenon, qui dierum dicitur liber: & Eſdræ libri duo, qui apud illos ſinguli computantur, & Heſter: prophetarum vero Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel: præterea duodecim prophetarum liber vnus: Iob quoque, & pſalmi Dauid ſinguli ſunt libri: Salomonis vero tres eccleſiis traditi, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum. In his concluſerunt librorum numerum veteris teſtamenti. Noui vero, quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis: Actus apoſtolorum, quos deſcripſit Lucas: Pauli apoſtoli epiſtolas quatuordecim: Petri apoſtoli epiſtolas duas: Iacobi fratris domini & apoſtoli vna: Iudæ vna, Iohannis tres, Apocalypſis Iohannis. Hæc ſunt quæ patres intra canonem concluſerunt, & ex quibus fidei noſtræ adſertiones conſtare voluerunt. Sciendum tamen eſt, quod & alij libri ſunt qui non ſunt canonici, ſed eccleſiaſtici à maioribus adpellati ſunt: vt eſt Sapientia quæ dicitur Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filij Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus adpellatur: quo vocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas cognominata eſt. Eiuſdem ordinis eſt libellus Thobiæ, & Iudith & Maccabæorum libri. In nouo vero Teſtamento libellus, qui dicitur Paſtoris ſiue Hermes, qui adpellatur Duæ viæ, vel iudicium ſecundum Petrum: quæ omnia legi quidem in eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero ſcripturas Apocryphas nominarunt, quas in eccleſiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, vt dixi, tradita, quæ opportunum viſum eſt hoc in loco deſignare ad inſtructionem eorum qui prima ſibi fidei elementa ſuſcipiunt, vt ſciant ex quibus ſibi fontibus verbi Dei haurienda ſint pocula. Tenet deinde traditio fidei ſanctam eccleſiam. Cauſam iam ſuperius diximus, cur non dixerit etiam, In ſanctam eccleſiam, ſed ſanctam eccleſiam. Hi ergo qui ſupra in vno Deo credere docti ſunt ſub myſterio trinitatis, credere etiam hoc debent, Vnam eſſe eccleſiam ſanctam, in qua vna eſt fides, & vnum baptiſma, in quo vnus Deus creditur pater, & vnus dominus Ieſus Chriſtus filius eius, & vnus ſpiritus ſanctus. Iſta eſt ergo ſancta eccleſia, non habens maculam ac rugam. Multi enim & alij eccleſias congregarunt, vt Marcion, & Valentinus, vt Ebion, vt Manichæus, vt Arrius, & ceteri omnes hæretici. Sed illæ eccleſiæ non ſunt ſine ma-
Pſal. 25. cula aut ruga perfidiæ. Et ideo dicebat de illis propheta, *Odi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* De hac autem eccleſia quæ fidem Chriſti in-
Canti. 6. tegram ſeruat, audi quid dicit ſpiritus ſanctus in Canticis canticorum, *Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta genitricis ſuæ.* Qui ergo hanc fidem in eccleſia ſuſceperit, non declinet in concilio vanitatis, & cum iniqua gerẽtibus non introëat. Concilium nanque vanitatis eſt, quod ait Marcion, qui negat patrem

trem Christi Deum esse creatorem, qui per filium suum fecerit mũdum. Concilium vanitatis est, quod Ebion docet, ita Christo credi debere, vt & circuncisio carnis, & obseruatio sabbati, & sacrificiorum solennitas, ceteræque omnes obseruationes secundum literam legis teneantur. Concilium est vanitatis, quod Manichæus docet. Primum, quod se paracletum nominauit: tum deinde, quod mundum à malo factum dicit, Deum creatorem negat, testamentum vetus repudiat: vnam bonam, aliam malam naturam sibi inuicem aduersantes adserit: coæternas Deo animas hominum secundum Pythagoricos, in pecudes & animalia & bestias redire per diuersos nascẽdi circulos adstruit: resurrectionem carnis nostræ negat: passionem domini & natiuitatem non in veritate carnis, sed in phantasiis fuisse confirmat. Concilium vanitatis est, quod Paulus Samosatenus, & post eius successor Fotinus, qui adseruit Christum non fuisse ante secula natum ex patre, sed ex Maria cœpisse: & non eum Deum hominem natum, sed ex homine Deum existimat factum. Concilium vanitatis est, & quod Arius atque Eunomius docuit, qui filium dei non ex ipsa patris substantia natum, sed ex nihilo creatum volunt, & filium dei habere initium, & minorem esse patre: sed & spiritum sanctum non solum minorem esse, sed & mittendarium adserunt. Concilium vanitatis est & quod illi aiunt, qui filium quidem de substantia patris fatentur, sanctum vero spiritum separant & secernunt, cum vtique vnam eandémque virtutem & diuinitatem ostenderit trinitatis saluator in euangelio cum dicit, *Baptizate gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.* Et est aperte impium separari ab homine quod diuinitus iungitur. Concilium vanitatis est & hoc, quod olim congregauit pertinax & praua contentio, adserens quidem Christum carnem humanam suscepisse, non tamen animam rationalem: cum vtique & carni, & animę & sensui, & menti vna eadémque salus à Christo collata sit. Sed & illud concilium vanitatis est, quod Donatus per Africam traditionis ecclesiam criminando contraxit, & quod Nouatus sollicitauit, lapsis pœnitentiam denegando, & secundas nuptias non iniri: eas etiam, si necessitas exigit, condemnando. Has omnes ergo velut congregationes malignantium fuge, sed & eos si qui illi sunt, qui dicuntur adserere, quod filius Dei non ita videat, vel nouerit patrem, sicut ipse noscitur & videtur à patre: vel regnum Christi esse finiendum, vel carnis resurrectionem non integra naturæ suæ substantia reparandam: futurum Dei iustum erga omnes negare iudicium: diabolum à debita absolui damnatione pœnarum. Ab his, inquam, omnibus fidelis declinet auditus: sanctam vero ecclesiam teneat, quæ Deum patrem omnipotentem, & vnigenitum filium eius Iesum Christum dominum nostrum, & spiritum sanctum concordi & consona substantiæ ratione profitetur, filiúmque Dei natum ex virgine, & passum pro salute humana, & resurrexisse à mortuis in eadem carne qua natus est credit, eundémque venturum iudicem omnium sperat, in qua & remissio peccatorum, & carnis resurrectio prædicatur. Verum de remissione peccatorum sufficere deberet sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat, vbi indulgentia principalis est causa? Et tamen cum terreni regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur diuina largitio? Solent enim cum irrisione dicere aduersum nos pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putamus crimina quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari: & aiunt, Nunquid potest qui homicidium cõmisit, homicida non esse? aut adulter non videri, qui adulterium perpetrauit? Quomodo ergo huiuscemodi criminum reus, sanctus vobis effici videtur & purus? Sed ad hæc, vt dixi, melius fide quàm ratione respondeo. Rex enim est omnium qui hoc promisit, terræ cælíque dominus est qui hæc pollicetur. Vis vt ei qui me hominem ex terra fecit, non credam, quòd ex criminoso me fa- Matth. 20.

ciat innocentem: & qui me cum essem cæcus fecit videre, vel cum essem surdus audire me fecit, qui mihi claudo reddidit gressum, innocentiam mihi perditam non poterit reparare? Vt tamen veniamus ad ipsius naturæ testimonium, Occidere hominem non semper criminosum est, sed malitia, non legibus occidere criminosum est. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & recte fit, sed animus male consulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus effectus est, & in quo origo fuit vitij, corrigatur, cur tibi non videar posse innocens effici, qui prius fueram criminosus? Si enim, vt supra ostendimus, constat quod non in facto, sed in voluntate sit crimen: sicut mala voluntas auctore malo dæmone, peccato me & morti fecit obnoxium, ita in bonum voluntas mutata auctore bono Deo, innocentiæ me reddit & vitæ. Similis causa & in ceteris criminibus. Et hoc modo fides nostra non inuenitur naturalibus rationibus aduersari, dum remissio peccatorum, non gestis quæ mutari non possunt, sed animo quem de malo in bonum verti posse certum, deputatur. Sed vltimus iste sermo, qui resurrectionem carnis prænunciat, summam totius perfectionis succincta breuitate concludit. Quanuis etiam de hoc non solum à gentilibus, sed etiam ab hæreticis fides impugnetur ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis omnimodo negat, & Manichæi, sicut superius ostendimus. Sed & isti, qui Esaiam prophetam dicentem quidem, *Resurgent mortui, & suscitabuntur qui in monumentis sunt*, audire noluerunt, nec Danielem sapientissimum omnium protestantem, quia *tunc resurgent qui sunt in terræ puluere, hi quidem in vitam æternam, hi autem in opprobrium & confusionem æternam.* Inde vel in euangeliis quæ recipere videntur, discere debuerunt à domino saluatore nostro Saduceos docente dictum, *Quod autem resurgant mortui, non legistis quomodo dicit Moyses in rubo: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus autem non est mortuorum, sed viuentium.* In quo etiam quæ sit & quanta resurrectionis gloria, in superioribus memorauit, cum dixit, *In resurrectione autem mortuorum neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.* Resurrectionis ergo virtus angelicum hominibus confert statum, vt qui de terra resurrexerunt, non iterum in terra cum pecudibus, sed in cælo cum angelis viuant: quos tamen ad hoc ratio vitæ prioris admiserit, illos scilicet qui iam non carni seruiunt, sed animæ suæ, carnem castis pudicitiæ frenis in obedientiam sancti spiritus subiugauerunt, & omni eam vitiorum labe tenuatam, & ad spiritalem gloriam sanctificationis virtute mutatam, angelorum quoque meruerint consortiis misceri. Sed infideles reclamant & dicunt, Quomodo potest caro quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, maris etiam quæ interdum profundo sorbetur, fluctibúsque dispergitur, recolligi rursum & reintegrari in vnum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam interim responsionem sermonibus Pauli faciamus, dicentes eis, *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius ceterorum seminum: Deus autem dat illi corpus prout vult.* Quod ergo in seminibus quæ tu in terra iacis, per annos singulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ Dei lege seminatur in terra, in futurum esse non credis? Cur quæso te, tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non credas? An non censeas, cum videas quod etiam mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putet? Nec tantum quidem concedimus ei qui fecit hominem, quantum homo qui ab ipso factus est, adsequi potest? Et cum auri esse propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longe disparem, ferri quoque & plumbi diuersas in terra species terræ latere, mortale de-

Esaiæ 26.
Dan. 12.
Exod. 3.
Matth. 22.
Lucæ 20.
1. Cor. 15.

le deprehendat ingenium: diuina virtus inuenire posse ac discernere non putabitur vniuscuiusque carnis proprium sensum, etiam si videatur esse dispersus? Sed adhuc tentemus animas quæ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adiuuare. Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hæc indiscreta seminet, vel passim spargat in terram, nonne vniuscuiusque seminis quocunque loco fuerit satio, competenti tempore secundum naturæ suæ speciem germen producit, & statum suæ formæ suíque corporis reparat? Ita ergo & vniuscuiusque carnis substantia, quanuis varie & diuerse dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ inest vnicuique carni, immortalis est, quia immortalis animæ caro est, ex eo tempore quo seminatis in terram corporibus primum veri dei voluntati adrisit, collectum de terra, & adtractum substantiæ suæ sensum reddit ac reparat in illa specie, quam mors aliquando dissoluerat. Et ita fit vt vnicuique animæ non confusum, aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparetur: vt consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideo satis cauta & prouida adiectione symboli ecclesia nostra docet, quæ in eo quod à ceteris traditur, CARNIS RESVRRECTIONEM, vno addito pronomine tradit, HVIVS CARNIS RESVRRECTIONEM. Huius sine dubio, quam is qui profitetur, signaculo crucis fronti impositio contegit, quo sciat vnusquisque fidelium carnem suam si mundam seruauerit à peccato, futuram vas esse honoris, vtile domino ad omne opus bonum paratum: si vero contaminata fuerit in peccatis, futuram esse vas iræ ad interitum. Iam vero de ipsa resurrectionis gloria, & de promissionum magnitudine, si quis plenius scire desiderat, omnibus pene diuinis voluminibus inueniet indicari, ex quibus nos commonitionis tantummodo gratia pauca in præsenti loco memorantes, finem iuncti à te opusculi faciemus. Igitur Apostolus Paulus quod resurgant mortui, talibus adserit argumentis dicens, *Quod si resurrectio mortuorum non est, ergo* 1.Cor.15. *nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, vacua est & fides nostra.* Et paulo post, *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur, vnusquisque autem in suo ordine: initium Christus, deinde hi qui sunt Christi in aduentu eius, deinde finis.* Et in consequentibus addit etiam hæc, *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in* Ibidem. *ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Sed & ad Thessalonicenses nihilominus scribens dicit, *Nolo au-* 2.Thessal.4. *tem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent. Nam & si credimus quia Iesus mortuus est & resurrexit, ita Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui relicti sumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu, in voce archangeli, in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relicti sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & ita semper cum domino erimus.* Verum ne existimes hæc Pauli solius quasi prædicatione nouella signari: audi quid etiam Ezechiel propheta olim per spiritum san- Ezech.37. ctum prælocutus sit, *Ecce*, inquit, *ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris.* Iob quoque mysticis redundans totus eloquiis, audi quàm Iob 14. euidenter resurrectionem prædicet mortuorum, *Est*, inquit, *arboris spes: si enim abscissa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nunquam deficiet: quod si senuerit, in terra erit radix eius. Si autem in petra mortuus fuerit truncus eius, odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem quasi nouella. Vir vero si mortuus fuerit, abiit: & mortalis si ceciderit, vltra iam non erit?* Non tibi videtur in verbis his cum quodam

pudore arguere homines & dicere, Itáne eſt ſtultum hominum genus, vt cum videant abſciſſæ arbori truncum pullulare de terra, & lignum emortuum iterum vitam recipere, ipſi nec lignis ſimile aliquid de ſemetipſis, nec arboribus opinentur? Vt autem ſcias quod velut interrogantis, quomodo, legendum ſit quod dixit, *Mortalis autem cum ceciderit, non reſurget?* de conſequentibus probat. Subiungit nanque ſtatim, *Si autem mortuus fuerit homo, viuet.* Et paulo poſt dicit, *Expectabo vſque quo iterum fiam:* & iterum idem dicit, *Qui reſuſcitaturus eſt ſuper terram pellem meam, quæ hæc nunc haurit.* Hæc quidem dicta ſunt ad comprobationem profeſsionis noſtræ, qua confitemur in ſymbolo, Huius carnis reſurrectionem. Quod enim adiunctum eſt, HVIVS, vide quàm conſonum ſit omnibus his, quæ de exemplis diuinorum voluminum memorauimus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob, quæ ſuperius expoſuimus, cum dicit, quia *Suſcitauit pellem meam, quæ hæc nunc haurit,* id eſt, quæ iſta tormenta perpetitur, nonne aperte huius carnis dicit reſurrectionem futuram? HVIVS, inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta nunc ſuſti-
1. Corin. 15. net. Sed & apoſtolus cum dicit, *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem,* nunquid non corpus ſuum quo-
1. Theſſal. 4. dammodo contingentis, & digito palpantis eſt vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus eſt, reſurrectionis gratia incorruptibile erit. Et nunc quod mortale eſt, immortalitatis virtutibus induetur, vt ſicut Chriſtus reſurrexit à mortuis, vltra iam non moritur, neque mors ei vltra dominabitur: ita qui & in Chriſto reſurgunt, nec corruptionem ſentiant vltra, nec mortem, nec natura carnis abiecta, ſed de conditione eius & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod reſurget à mortuis incorruptibile & immortale non ſolum iuſtorum, ſed etiam peccatorum. Iuſtorum quidem, vt ſemper poſſint permanere cum Chriſto: peccatorum vero, vt abſque internecione ſui debitas luant pœnas. Quod autem iuſti ſemper cum domino Chriſto permaneant, iam & in ſuperioribus edocuimus, vbi oſtendimus quia apoſtolus dicit, *Deinde nos qui viuimus, qui relicti ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ita ſemper cum domino erimus.* Nec mireris, ſi ſacroſancta ſanctorum corpora in tantam gloriam reſurrectionis mutabuntur, vt in occurſum domini ſuſpenſa nubibus & aëre vectata rapiantur, cum ipſe Apo-
Philip. 3. ſtolus exponens quantum conferat Deus his qui diligunt eum, dicat, *Qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme fieri corporis filij charitatis ſuæ.* Nihil ergo abſurdum eſt, ſi ſanctorum corpora dicantur nubibus in aëra ſuſtolli, cum ad formam corporis Chriſti quod in dextera Dei ſedet, dicantur eſſe
Epheſ. 2. reformanda. Sed & hoc ſanctus Apoſtolus, vel de ſe, vel de ceteris ſui loci, vel meriti addit & dicit, *Quia coexcitauit nos cum Chriſto, ſimúlque fecit ſedere in cæleſtibus.* Vnde cum hæc & horum ſimilia quàm plurima in repromiſsionibus habeat reſurrectio iuſtorum, non erit iam difficile credere etiam illa quæ
Sap. 3. prophetæ prædixerunt, quod *iuſti fulgebunt ſicut ſol, & ſicut ſplendor firmamen-*
Matth. 13. *ti in regno Dei.* Quid enim difficile videbitur eos fulgorem ſolis habituros, & ſiderum ac firmamenti huius ſplendore decorandos: quibus vel vita & conuerſatio angelorum Dei paratur in cælis: vel confirmandi dicuntur ad gloriam corporis Chriſti: ad quam gloriam ſaluatoris ore promiſſam, reſpiciens
1. Cor. 15. ſanctus Apoſtolus dicit, *Quia ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Si enim verum eſt, ſicut certe verum eſt, quod iuſtos quoſque & ſanctos angelorum conſortiis ſociabit diuina dignatio, certum eſt quod & corpora ſanctorum in ſpiritalis corporis gloriam vertat. Nec hoc contra naturalem cor-
Gene. 2. poris rationem videatur eſſe promiſſum. Si enim ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, quod accipiens Deus limum terræ plaſmauit hominem, credimus: & hęc eſt natura corporis noſtri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem: quid

tibi

tibi aut absurdùm, aut cõtrarium videtur, si eisdem rationibus quibus lutum profeciſſe dicitur in corpus animale, in corpus proficere ſpiritale credatur? hęc quidem atq; his ſimilia multa inuenies in ſcripturis diuinis de reſurrectione iuſtorum. Dabitur autẽ & peccatoribus, vt ſupra diximus, incorruptionis & immortalitatis de reſurrectione conditio: vt ſicut iuſtus Deus miniſtrat ad perpetuitatem glorię, ita peccatoribus ad prolixitatẽ confuſionis miniſtret & pœnæ. Sic enim propheticũ definit eloquiũ, cuius & paulo ante meminimus, vbi dicit, *Et multi reſurgent de terræ puluere: hi quidem in vitam æternam, hi autem in confuſionem & opprobrium æternum.* Si ergo intelleximus qua veneratione deus omnipotens pater dicatur, quóue ſacramento dominus noſter Ieſus Chriſtus vnicus filius eius habeatur, & qua perfectione ſanctus ſpiritus eius nominetur, atq; ſancta trinitas vnum ſit per ſubſtantiam, ſed effectu perſoníſq; diſcreta, quid etiã partus virginis, quid verbi in carne natiuitas, quid ſacramentum crucis, quid vtilitas diuini ad inferna deſcenſus: quid reſurrectionis gloria, & animarũ de infernis reuocata captiuitas: quid etiam aſcenſus eius ad cælum, & venturi iudicis expectatio? ſed & ſanctæ eccleſiæ aduerſum cõgregationes vanitatis, qualis haberi debeat agnitio, qui ſacrorũ voluminũ numerus, quęque hęreticorũ vitanda conuenticula: & quod in peccatorum remiſsione diuinæ libertati nequaquã ratio naturalis obſiſtat: & vt carnis noſtrę reſurrectionem nõ ſolum diuinę voces, ſed ipſius domini & ſaluatoris noſtri exemplum, & conſequentia naturalis rationis adſignet, ſi inquam hæc ſecundũ traditionis ſupra expoſitæ regulã conſequenter aduertimus, deprecemur vt nobis & omnibus qui hæc audiunt, concedat dominus fide quã ſuſcepimus cuſtodita, curſu conſummato expectare repoſitam coronã iuſtitiæ, & inueniri inter eos qui reſurgunt in vitam ęternam, liberari vero à confuſione & opprobrio ſempiterno: per Chriſtum dominum noſtrum, per quem eſt Deo patri omnipotenti cum ſancto ſpiritu gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

CYPRIANI DE MONTIBVS SINA ET SION ADVERSVS IVDAEOS. CVIII.

PROBATIO capitulorum, quæ in ſcripturis deificis cõtinentur, quæ in veteri teſtamento figuraliter ſcripta ſunt, per nouum teſtamentum ſpiritaliter intelligenda ſunt, quæ per Chriſtum in veritate adimpleta ſunt. Nobis enim per Ieſum Chriſtum ſpiritalis intellectus datus eſt, ipſo Ieſu dicente, *Vobis quidem datum eſt intelligere ſacramenta Dei, aliis autem in ſimilitudinibus.* Marc. 4. Inuenimus in euangelio KATA Iohannem ſcriptum eſſe, *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt,* quę lex Moyſi in monte Sina data eſt. Verum iterum inuenimus ſcriptum, *De Sion enim exiet lex, & verbum domini ab Hieruſalem.* Quatenus hoc intelligere debemus, vtrum Sina mons, vbi à Deo Moyſi lex data eſt, & Sion mons vnde lex exiuit, an vnũ ſint, an vero alter ſit Sina mons, & alter ſit Sion mons. Inuenimus enim hæc nomina duorum montium eſſe Hebraica: verum Latina interpretatio nominum differentium ab inuicem oſtendit aliud eſſe Sina montem, & aliud montem Sion. Hæc eſt interpretatio de Hebraica lingua in Latinam: Sina mons interpretatur, Tentatio æterna & odium: æque & Sion interpretatur, Tẽtatio exacerbationis & ſpeculatio. Vides ergo in Hebraica interpretatione non ſibi ſimilare, ſed neque eſſe vnum montem, ſed potius duos inuicem à ſe differentes gratia & honore. Præterea cum dicat Dauid propheta in pſalmo ſecundo, *Ego autem cõſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, adnuncians imperium eius,* ecce quatenus montem Sion ſanctum deſignat. Vnde manifeſtum eſt montem Sion cęleſtem eſſe & ſpiritalem, & Sina eſſe terrenum. nihil enim poteſt, quod in terra eſt, eſſe ſanctum, cum Ioan. 1.

totus mundus, propter facta mala à diabolo sit maculatus, dicente Iesu, *Odit*
Ioan. 7. *me seculum, quia & ego illud, quia mala facta sunt illius.* Ex qua re quicquid est in hoc seculo terreno, sanctum esse non potest. Sion autem, montem ex prophetico dicto constat esse sanctum & spiritalem. In quo monte Christus sanctus filius Dei rex constitutus est, adnuncians voluntatem, & imperium Dei & patris sui: & Sina montem terrenum esse in arida terra constitutum, qui est in Syria Palæstina, vbi est terra Iudæa, vbi est ciuitas illa interfectrix prophetarum, ante cuius portam Christus à Iudæis crucifixus est in horto, quæ ciuitas dicitur Hierusalem per Esaiam prophetam, spiritaliter vero execrata & derelicta. Nec immerito & Deus ex eodē monte Sina terreno, per Moysen adhuc in carne terrena primi hominis positum, populo Iudæorum terreno & carnali, legem à Deo accepit illis tradendam, digitis sacris scriptam in duabus lapideis, licet digitis sacris, tamen digitis in figura carnis, quasi populo carnali & durissimo, sicut fuerunt tabulæ lapideæ durissimæ, in quibus tabulis legem acceperunt. Ideo in duabus significans ex vnitate populi diuidi in duas partes, partem quæ saluatur, & partem incredulam quæ perit, dicente angelo
Gene. 29. ad Rebeccam vxorem Isaac, *Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori.* Rebecca vero figuram portat ecclesiæ, sicut Isaac vir eius, typum in se portabat Christi. Ergo cum dicit, *Duæ gentes in vtero tuo sunt*, quia & de gentibus duas partes futuras designabat, partem idololatriæ deditam, & partem credulam viuentem per fidem, hanc vnam partem gentium designat in vtero ecclesiæ permanere generationem in æternum in figura Rebeccæ: & partem populi infidelium Iudæorum à ventre tunc Rebeccæ diuidi & separari à natiuitate ecclesiæ. Hæc fuit præfiguratio in Genesi per angelum spiritaliter adnunciata. Hęc vero nomina eorum montium talem habent interpretationem in lingua Latina, demonstrantem veritatem, qui sunt hi duo montes Sina, vel Sion: quod quidem post paululum dicturi sumus. Ita enim hanc veritatis interpretationem probauimus, de principio generis humani venientem. Ita enim omnipotens Deus ab initio mundi, & deinceps omni homini nascendi dedit tempus, & nati nomina à parentibus suis accipiebant, non quidem ex se, sed à Deo mēte impellebantur. Qui antequā fiant, præscius futurorum, quales post incrementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore vegeti in nominibus Hebraícis designabantur. Quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designabat veritatem: sicuti tunc temporis in patriarchis completum est, secundum primi hominis carnem ex terra & limo esse ex ipso protoplasto probamus veritatem. Nomen accepit à Deo Hebraice. Adam, in Latino interpretatur, Terra caro facta, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno
Esa. 40. comprehendit, sicut scriptum est, *Palmo mensus sum cælum, & pugno comprehen-*
Gene. 2. *di terram, & finxi hominem ex omni limo terræ. ad imaginem Dei feci illum.* Oportuit illū vt ex his quatuor cardinibus orbis terræ nom ē in se portaret Adam. Inuenimus in scripturis per singulos cardines orbis terræ esse à cōditore mundi quatuor stellas cōstitutas in singulis cardinibus. Prima stella orientalis dicitur, ΑΝΑΤΟΛΗ: secunda occidentalis, ΔΥΣΙΣ: tertia stella aquilonis, ΑΡΚΤΟΣ: quarta stella, meridiana dicitur, ΜΕΣΗΜΒΡΙΑ. Ex nominibus stellarum numero quatuor, de singulis stellarum nominibus tolle singulas literas principales, de stella Anatole, Α: de stella Dysis, Δ: de stella Arctos, Α: de stella Mesembria, Μ. In his quatuor literis cardinalibus habes nomen Adam. Nam & in numero certo per quatuor literas Græcas nomen designatur, ΑΔΑΜ, hoc modo, Α. Μ Ι Α, id est vnum. Δ. ΤΕΣΣΑΡΑ, id est, quatuor. Α. Μ Ι Α, id est vnum. Μ. ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΝΤΑ, id est quadraginta. Ex quibus resultat numerus quadragenarius senarius, passionem carnis Adæ designans, quam

carnem

carnem in ſe figuralem Chriſtus potauit, & eam in ligno ſuſpendit. Quæ caro dominica à Deo patre Ieſus vocata eſt. Spiritus ſanctus qui de cælo deſcendit, Chriſtus, id eſt vnctus Dei viui à Deo vocatus eſt, ſpiritus carni mixtus Ieſus Chriſtus. Hic ergo numerus XLVI. paſsionem declarat, eo quod ſexto milleſimo anno hora ſexta paſſus à mortuis reſurgens, quadrageſimo die in cęlos aſcendit: vel quia Salomon quadraginta ſex annis templum Deo fabricauerit. In cuius templi ſimilitudinem, Ieſus carnem ſuam eſſe dixit, dicens Phariſæis, *Deſtruite fanum iſtud, & ego in tribus diebus excitabo illud.* Et Phariſæi dicebant, *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt fanum iſtud, & hic in tribus diebus excitabit illud? Dicebat autem Ieſus fanum de corpore ſuo.* Deinde Abel filius Adæ nomen accepit Hebraicum, deſignans fratris interfectionem, & parentum luctum. Item Enoch, qui ante diluuium Deo iuſtus complacuit, & ideo de iſto mundo in carnis ſuæ natiuitate viuus tranſlatus eſt in loco vbi Deus ſcit, ex quo loco conſummatione mundi innouari habet in hoc mundo, vnde etiam tranſlatus eſt ad confundendum & reuincendum Antichriſtum, à quo interfecti, martyria ſua complebunt viuentes in æternum in ſecula ſeculorum. Et ideo Enoch interpretatur, Innouatus. Deinde Iob iuſtus, qui ante diem iudicij meruit voce iudicis laudari, & ideo diabolo deuicto & ſuperato, Iob interpretatur, Chariſsimus Dei. AEque & Abraham in ſua natiuitate à parentibus ſuis Abram vocatus eſt: tentatus vero à Deo fidelis inuentus eſt, & à Deo benedictus pater multarum gentium conſtitutus eſt, & ideo immutato nomine à Deo Abraham vocatus eſt, interpretatur autem Pater multorum populorum. Ecce interim de multis probationibus pauca diximus, vt ad duorum montium nominum peruenientes interpretationes, eorum montium nomina probemus, qualiter deſignata ſint ad noſtram inſtructionem, vt ex hac interpretatione nominum intelligamus montem Sina eſſe terrenum, & montem Sion eſſe cæleſtem. Spiritaliter interpretatur Sina, Tentatio æterna, & odium: & mons Sion, Tentatio exacerbationis æternæ & ſpeculatio. Ita intelligitur, cum dicitur mons Sina, Tentatio æterna & odium, eo quod ex eo monte Moyſes legem acceperit populo duriſsimo & contumaci. Per quam legem tentati à Deo æterno, & inuenti ſunt non poſſe eandem legem ſuſtinere in perpetuum, exinde Deo in odium conuerſi ſunt. Ideo in nomine montis Sina, vnde legem acceperant, interpretatio nominis deſignauit populum tentatum à Deo, & in æternum odium eſſe conuerſos: ideo dicitur Sina, Tentatio æterna & odium. Inuenimus in ſcripturis eos eſſe à Deo tentatos, ita poſitum, dicente domino ad Moyſen, *Exeat populus iſte, & colligant ſibi diurnum in diem: & tentabo eos an poſsint legem meam ſuſtinere, an non:* & tentati à Deo per legem, inuenti ſunt ab ea lege alieni. Exinde Deo in odium æternum conuerſi ſunt, & completa eſt interpretatio Sina. Manifeſtat vero & Moyſes, per quem eos Deus per legem tentauit, in Latino interpretatur ſimiliter Moyſes, Tentatio Dei, & inuentio, per quem tentati à Deo inuenti ſunt alieni à legis obſeruatione: ideo in æternum deo in odium cõuerſi ſunt. Hoc odium in ipſo genere Iudęorum ſcriptum inuenimus, dicente Iſaac de duobus ſuis filiis, Eſau maiore, & Iacob minore dicens, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Eſau vero maior, piloſus fuit totus, inquit, quaſi corium piloſum, in figura populi maioris impietate delictorum ſuorum conſtitutus. Et Iacob fuit lenis & minor in figura populi nouellioris, qui ex dicti audientia per credulitatis fidem ex aſpredine ſeculi in lenitatem conuerſus eſt ad Chriſtum dominum, & Dei filium. Ecce probauimus per ſcripturarum fidem, populum maiorem & vetuſtiorem eſſe Deo in odium conuerſum, ſecundum interpretationem montis Sina dicentis, Tentatio æterna & odium. AEque & Sion mons ita interpretatur, Tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Hæc

Ioan. 2. Matth. 26. Exod. 16. Gen. 27.

vero interpretatio Latina, ligni ſacri paſsionem deſignat, dicente Salomone
Sap. 2. de ipſa paſsione dominica, *Contumelia & tormento interrogemus illum, vt ſciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam ipſius, & tentemus quæ ventura ſunt illi. Si enim vere filius Dei eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum: morte turpiſsima condēnemus illum. Hæc cogitauerunt & errauerunt, et excæcauit illos malitia ipſorum, & non intellexerunt ſacramenta Dei.* Ecce tētatores Iudæos. Item
Pſal. 05. ſcriptum eſt, *Et tentauerunt Deum in loco inaquoſo.* Speculum vero altitudinem
Cant. 1. ligni declarat, dicente Salomone, *Poſuerunt me velut cuſtodiam pomarii*, eo quod in horto in ligno confixus inter duos latrones pependit, & de altitudine ligni ambos ſpeculabatur in figura duorum populorum malefactorum, gētes in ſeculi mala facta iacentes, & Iudæos interfectores prophetarum. Hi ſunt duo populi malefactores, quorum figuram in ſe portabant duo latrones, inter quos pepēdit innocens. Vnus blaſphemabat, alius vero confeſſus eſt, quia innocens iniuriam patitur. Ieſus autem ambos ſpeculabatur de ligno ſpeculatorio blaſphemum & confeſſorem: confeſſorem ſaluauit, & blaſphemum perdidit, ſicuti de duobus populis fecit. Perſecutores derelicti, qui in æternæ mortis ſententia ſibi non crediderint, ſi ſic de ſeculo exierint, perient. Gentes vero ad ſe conuerſæ fidem ſibi habentes, quia filius Dei eſt, ſaluatæ videbunt in æterna ſecula ſeculorum imperatorem & regem ſuum. Verum in ipſa paſsione pendens in ligno, duas partes populi proſpiciens ſpeculabatur, de alto ligno partem populi, qui viderant virtutes eius mirabiles & deificas, patientem illum. Alij iniurias dolentes plorabant, alij vero Iudæi inridentes,
Matth. 27. de arundine caput eius quaſſabant, blaſphemantes & dicentes, *Aue rex Iudæo-*
Ioan. 19. *rum: vbi eſt pater tuus? veniat & liberet te de cruce.* Exinde exacerbatus pater, fecit cælum patefieri, & tonitrua facta ſunt, & tenebræ inſuſtinibiles, terra cōmota, patefacta ſunt ſepulchra & corpora, foras emiſit, velum templi ſciſſum eſt in duas partes, & à tanto fragore cæli & terræmotu omnes qui ſtabant ante lignū, alij dolentes, alij vero blaſphemantes, inludentes, proſtrati in faciem iacuerunt, trementes tanquam mortui. Tunc Iudæi intellexerunt ſe offendiſſe dominum, & in luctum conuerſi ſunt, & fuit exacerbatio. Eo enim tempore quo in ligno infixus pependit: dies fuerunt azymorum, qui ſunt dies feſti Iudæorum. Eo die metuentes factum eſſe terræmotum, & cæli fragorem, proſtrati facie in terra, plangentes, in luctum conuerſi ſunt, & in ipſa ſua paſsione
Amos 8. 1. Macca. 1. Pſal 136. compleuit propheticum dictum, *Et conuertam dies feſtos eorum in luctum, & cantica eorum in lamentationem.* Ante enim cum captiui detenti eſſent Babylone, dicebant illis Babylones, *Cantate nobis cantica de canticis Sion*, & Iudæi lamentantes captiuitatem ſuam dicebant ad Babylonios, vt diximus, lamentantes ſe, *Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?* Ecce quatenus completa eſt interpretatio montis Sion, Tentatio exacerbationis & ſpeculatio. vnde manifeſtum eſt montē Sion ligni ſacri regnum in ſanctitate iuſtificatū, dicente Dauid, *Adnunciate regnū Dei in gentibus, quia dominus regnauit de ligno, & tranſiuit in gentibus.* De quo regno ligni regalis idem propheta dicit, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montē ſanctum eius, adnuncians imperium eius.* Quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in ſua paſsione pendens in ligno compleuit. Pontius Pilatus infuſa mente à Deo accepit tabulam & titulum, & ſcripſit tribus linguis, Hebraice, Græce, & Latine, *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum*, & in capite ligni clauis tabulam cum nomine regis Iudæorum confixit. Tunc manifeſtauit propheticum dictum, eo quod ſpiritaliter mons Sion crux
1. Cor. 1. eſt, quæ eſt virtus Dei apoſtolo Paulo dicente, *Crux Chriſti non credentibus, ſtultitia eſt: credentibus autem crux virtus Dei eſt.* & iterum dicit, *Nos autem adnunciamus vobis Chriſtum, & hunc crucifixum. Iudæis quidem ſcandalum, ſtultitiam autem gentibus. ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Sic

vero

vero & alius propheta declarat lignum passionis dominicæ esse montem Sion sanctum, in spiritu ita dicens, *Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus:* dextera læuaq; extensis, manibus clauis fixis, innocentiam demonstrans. Ideo dicit, *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, & non iurauit subdole proximo suo: hic accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Omnis passio hominum in terram cadet, hæc sola passio crucis stantem demonstrat. Vnde verum dicimus montem sanctum, lignum esse passionis. Inde *innocens manibus, & mundo corde,* hoc dicto prophetico Iudæos redarguebat, qui Moysen præponerēt Christo domino illius, eo quod Moyses cum in montem Sina ascēdisset, vt legem Iudæis acciperet, innocens manibus & mundo corde non fuit. Neque enim mundo corde, eo quod AEgyptium calce percussit in AEgypto, & mortiferauit eum, cū manibus suis eum in arena obruerit. Christus autem in montem sanctum ascendit, lignum regni sui, vt moreretur à Iudæis, quanquam ipse aliquem hominum nō mortiferaret, nisi solum diabolū inimicum generis humani. Exinde in montem ascendens innocens & mundo corde, & ideo propheta dicit, *Quis ascendet in montē domini, & quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Et declarauit montem Sion sanctū, esse sanctam crucem, dicente æque propheta, *De Sion exiet lex, & verbum domini ab Hierusalem.* Lex Christianorum, crux est sancta Christi filij Dei viui, dicente æque propheta, *Lex tua in medio ventris mei.* Percussus in lateris ventre de lancea, sanguis & aqua mixtus profusus fluebat: vnde sibi ecclesiam sanctam fabricauit, in qua legē passionis suæ consecrabat dicente ipso, *Qui sitit veniat & bibat. Qui credit in me, sicut scriptum est, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Itē in psalmis, *Et erit velut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ecce verbum, propheticum fructum resurrectionis die tertio spiritaliter intelligendum dicētis, *De Sion enim exiet lex,* hoc est, de ligno regali, *& verbum domini ab Hierusalem,* quæ est ecclesia. Caro ligno cōfixa emisit verbum dominicum dicens, HELI HELI. Et adimpletū est propheticum spiritale ante dictum, *De Sion exiet lex, & verbū domini ab Hierusalem.* De qua dicitur in Apocalypsi, *Vidi Hierusalem de cælo descendentem nouam ciuitatem,* quadratā per quatuor euangelia, habentē duodecim fundamenta duodecim prophetarū, duodecim portas duodecim apostolorum, per quorū annunciationē, Christiani in hanc ciuitatem sanctam & nouā introierunt, quæ spiritalis est ecclesia. Ecce probauimus per omnium scripturarum deificarum fidem duos montes Sina in terra, & Sion in cęlo, duorum testamentorū portare figuram, veteris Sina, & noui Sion. Ex quibus duobus montibus vide & duo testamenta, his posteriori tempore demōstratos & declaratos duos populos, veterem & priorem Iudæorum, & nouum & posteriorē populum Christianorum: Iudæos terrenos, qui terram promissam à Deo acceperunt carnales, & Christianos cælestes, qui regna cælorū à Deo promissa accepturi sunt in futuro seculo. Caro enim Christianorū spiritalis, & immortalis erit. Aliā probationem veritatis scripturis positam ex ea veritate cælestem & spiritalem facimus figuratam comparationem de huiusmodi conuersione. Diximus enim montis sancti Sion, quod lignum regale & sacrum haberet interpretationem de Hebraico, in Græco vel Latino, Tentatio exacerbationis vel speculatio, eo quod de ligno speculabatur ante se stantes bonos & malos. Ita inuenimus ipsum saluatorem per Salomonem speculum immaculatū patris esse dictum, eo quod sanctus spiritus Dei filium geminatum se videat pater in filio, & filius in patre, vtriq; se in se vident, ideo speculum immaculatum. Nam & nos qui illi credimus, Christum in nobis tanquam in speculo videmus, ipso nos instruente & monente in epistola Iohannis discipuli sui ad po-

Psal. 23.

Esa. 2.

Ioan. 7.

Apoca. 21.

pulum. Ita me in vobis videte, quomodo quis vestrum se videt in aqua aut
Sapien. 7. in speculo, & confirmat Salomonicum de se dictum dicens, *Qui est ſſ ecu-*
Ioan. 15. *lum immaculatum patris.* Verum etiam & vitem veram se esse dixit, patrem suum agricolam. Si ergo Christus vitis vera, vtique constat quia & nos qui in illo credimus, & ipsum induimus, sumus vitis vera, quæ est vinea domini-
Canti. 1. ca: & Christus custos vineæ suæ dicente Salomone, *Posuerunt me custodem in vinea.* Inuenimus vero in cõuersione huiusmodi in similitudinem spiritalem figuraliter esse vineam habentem dominum & possessorem suum. Tempore vero maturo prope dies vindemiarum ponunt in vineam custodem, puerum in alto ligno media vinea confixo: & in eo ligno faciunt speculum quadratum de arundinibus quassatis, & per singula latera quadraturæ speculi faciũt cauernas ternas, quæ faciũt cauernas duodecim. Per quam quadraturam cauernarum custos puer omnem vineam perspiciens, custodiat, cauens, ne viator ingrediens vineam dominicam sibi assignatam vexet, vel fures vuam vineæ conculcent. Quod si importunus fur egens, in vineam voluerit introire & vuam demere, illic puer sollicitus de vinea sua deintus de speculo dat vocem maledicens & comminans, ne in vineam viator fur audeat accedere, dicens, Rectũ ambula. Fur autem timens vocem pueri sibi comminantis, refugit de vinea, speculum videt, vocem audit, puerum intus in speculo sibi cõminantem non videt: timens post viam suam vadit. Hic cõuersus secularis simulatur gratiæ spiritali. Ita est enim & in populo deifico, sicut in vinea terrena. Vinea dominica & spiritalis, plebs est Christianorũ, quæ custoditur iussu Dei patris à puero Christo in ligni speculo exaltato. Quod si viator diabolus perambulans viam secularem, si ausus fuerit de vinea spirituali hominem de plebe dominica separare & vexare, statim à puero cælesti correptus, & spiritalibus flagris emendatus, exulans ad centesimam effugit in locis aridis & desertis. Hic est custos puer filius dominicus, qui vineam suam sibi à patre commendatam, saluandam & reseruandam accepit, de quo Esaias prophe-
Esa. 42. ta canit dicens, *Ecce puer meus, filius meus dilectiſſimus, super eum ponam ſpiritũ meum,*
Matth. 12. *& iudicium gentibus nunciabit, non clamabit neque contendet: Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non collocabit, quoaduſque expellat in contentione iudicium, & in nomine eius gentes credant.*

ORATIO PRO MARTYRIBVS, BEATI CYPRIANI MARTYRIS. CVIIII.

HAGIOS, hagios, hagios, sancte sanctorum pater patrum nostrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus prophetarum, Deus Apostolorum, Deus virginum, Deus bene viuentium, Deus credentium, Deus & pater domini nostri Iesu Christi filij tui, te inuocamus supplices pariter & deprecamur, te fili vnigenite & sapientia patris quæ ante omnia secula ex corde patris nata es, & ex tẽpore carnem sine peccato induisti ex virginali vtero & sanctissimo beatę & glorioſæ Mariæ virginis, da supplicantibus nobis sancti desiderij spiritale incrementum, & cordis integritatem præstare dignare, vt lauachro salutari recreatum pectus, delictis carnalibus incolume persistat, nec polluatur in perpetuum. Petimus fide inlibata, mente incorrupta, deuotione robusta, operatione, seu di lectione continua, vt in ecclesia tua sancta nos florere permittas, quoniam tibi flectimus genua, & curuamus ceruices, cui angeli & archangeli, milia milium martyrum, chorus apostolorum, & prophetarum gloria exultant: cui omnes aues laudes cantant: linguæ confitentur cælestium, terrestrium & infernorum.

fernorum. Tibi omnes aquæ in cælo, ſub cælo confitentur: te inſenſibilia ſentiunt: tu es ſolus,& præter te neque extra te nemo. Te quæſumus domine pater omnipotens, qui ſoli filio conſpicabilis es, cui angeli & archangeli obtemperant,& tibi domine pater: te oramus, vt tribuas nobis mentem integram,innocentiam puram,ſinceritatem deuotam, conſcientiam ſanctam, puram,ſobriam,caſtam, contra omnes inſidias ſeculi glorioſa fide degẽtem: contra diaboli minas, & carnales inlecebras munitum pectus concedas: ne violenti & cruenti hoſtis letalibus laqueis implicemur, vt ſignum ſalutis æternæ incolume ſeruemus. Aufer à nobis omnẽ ſeculi inluuiem, omnemq; diaboli perſuaſionem. Laqueetur,concidat,& ſuperetur à nobis,& amoueatur,ſicut à Sara famula tua Aſmodeus dęmon nequiſsimus,extinctus per angelum ſanctũ tuum Raphael: & ſicut Thobiæ adfuiſti, ita mihi adeſſe digneris:& vt tribus pueris in camino, & Danieli miſericordiam præſtitiſti, ſic circa nos famulos tuos facere digneris. Qui mortuos ſuſcitaſti,& cæcos inluminaſti,ſurdis auditum,mutis eloquium, claudis greſſum, leproſis ſanitatẽ dediſti: ita & da famulis tuis, qui te tota virtute mentis credimus natum, paſſum,venturũ iudicare viuos & mortuos. Adſiſte nobis:ſicut apoſtolis in vinculis,Teclæ in ignibus,Paulo in perſecutionibus,Petro in fluctibus. Qui ſedes ſuper ſeptem thronos ad dexteram patris,reſpice nos & libera de æternę mortis interitu:vnus in vno, pater in in filio, filius in patre,ſpiritus ſanctus, per quem, & cum quo eſt tibi in ſancta eccleſia honor,virtus,claritas,maieſtas, poteſtas, benedictio, immortalitas, & nunc & in æternum, ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO CYPRIANI, QVAM SVB DIE PASSIONIS SVAE DIXIT. CX.

DOMINE ſancte pater, hagios, Deus hagie, & hagie Deus meus: quis enim maior te? tibi gratias & laudem gero Deus Abrahæ, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, qui fuiſti ante mundi conſtitutionem, Deus viuorum qui venturus es iudicare viuos & mortuos: qui es Deus verax,qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim & perſpicis abyſſos, qui vides cuncta priuſquam naſcantur, qui habes poteſtatem occidere, & rurſum reſtituere, qui habes poteſtatem & de arido viride facere. Tu omnium dominus, dominator, libera me ab hoc ſeculo, & exaudi me orantem, ſicut exaudiſti filios Iſrael de terra AEgypti, & non tibi crediderunt, nec famulo tuo Moyſi. Væ peccatis meis. cum eleuaueris confringere terram, ſub qua fiſſura petrarum me abſconſurus ſum ab ante virtutem tuam? Cui monti dicturus ſum, Cade ſuper me: & cui colli, Tege me ab ante metum domini, cum te leuaueris confringere terram? Rogo domine ſubueni mihi, noli tamen ſecundum actum meum me iudicare: nihil enim præceptis tuis parui. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ionam de ventre ceti,ſic exaudias me:& eiicias me de morte ad vitam,ſicut Niniuitæ induerunt cinerem & cilicium, & pœnitentiam egerunt. Exomologeſin facienti ante cõſpectum tuum pro vniuerſis peccatis meis, tu qui es amator pœnitentiæ,miſerere mei. Sed & Dauid Dicit, *Domine propter nomen tuum dele peccatum meum.* Et ego deprecans maieſtatẽ tuam, dele vniuerſa peccata mea, & exaudi me orãtem, ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Miſaelem:& miſiſti angelum tuum cum nimbo roris, & confeſſus eſt Nabuchodonoſor præpoſitus regni, quoniam tu es rex regnantiam,& do

Pſal.50.

minus dominãtium, qui ſolus habes immortalitatem, & lucem habitas inac-
1. Timo. 6. ceſsibilem, quem nemo hominum videt, nec videre poteſt. Exaudi me oran-
tem, ſicut exaudiſti Danielem de lacu leonum, & miſiſti Abacuc prophetam,
Dan. 14. & attulit ei prandium, & dixit, *Prande prandium, quod tibi miſit dominus.* Et dixit
Daniel, *Non relinquet dominus quærentes ſe.* Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti
Thob. 6. Thobiam & Saram, dum orarent in atrio domus ſuæ: tũc obtulit pro eis Ra-
phael angelus orationes eorũ: ſic & tu exaudias preces meas, & admittas ad
aulam ſanctam tuam orationes meas, & continenter mittas angelum tuum,
qui deleat vniuerſa delicta mea, ſicut deleſti ſpiritum immundum à Sara filia
Dan. 13. Raguel: & inlumines cor meum, ſicut inluminaſti oculos Thobiæ. Exaudi me
orantem, ſicut exaudiſti Suſannam inter manus ſeniorum, ſic & me liberes
ab hoc ſeculo, quia tu es amator puræ conſcientiæ. Exaudi me orantem, ſi-
2. Reg. 10. cut exaudiſti Ezechiam regem Iudæ, & deleſti ab eo infirmitatem: ſic & à me
auferas infirmitatem carnis: & augeas mihi ad fidem, ſicut illi auxiſti annos
quindecim ad vitam. Libera me de medio ſeculi huius, ſicut liberaſti Teclam
de medio amphitheatro, libera me ab omni infirmitate carnis meæ. Te de-
precor pater maieſtatis, qui in fine temporum miſertus es noſtri, mittens no-
bis Ieſum Chriſtum filium tuum dominum Deum ſaluatorem noſtrũ, natum
ex Maria virgine de ſpiritu ſancto, annunciante Gabriele augelo, per quem
nos liberaſti de periculo mortis imminentis. Et te deprecor filium Dei viui,
Ioan. 2. qui feciſti tanta mirabilia, qui in Cana Galileæ de aqua vinũ feciſti propter
Iſrael: qui cæcis oculos aperuiſti, qui ſurdos audire feciſti, qui paralyticos ad
ſua membra reuocaſti: qui ſoluiſti linguas blæſorum, dæmonio vexatos ſa-
naſti, claudos currentes feciſti, velut ceruos: mulierem de profluuio ſangui-
nis liberaſti: mortuos ſuſcitaſti: ſuper aquam pedibus ambulaſti, qui Petro la
benti manum tradidiſti: qui mare fundaſti, & terminos ei poſuiſti, & dixiſti,
Iob. 38. *Hucuſque venies, & hic te confringes in virtute tua.* Te deprecor filiũ Dei viui pro-
pter vniuerſa commiſſa mea, qui es in cælis, filius in patre, & pater in te in
ſempiternum, qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim, ſedẽ honoris tui. Ti-
bi adſiſtunt angeli & archangeli, numerus innumerabilis, timentes & pauen-
tes honorem & virtutem tuam, clamantes voce magna, & dicentes, *Sanctus,*
Matth. 7. *ſanctus, ſanctus, dominus Deus Sabaoth.* Tu ipſe nobis teſtamentum feciſti, *Petite,*
& accipietis: pulſate, & aperietur vobis. Quodcunque à patre meo petieritis in nomine meo,
ego à patre peto vt accipiatis. Ego peto vt accipiam, quæro vt inueniam: ego pul-
ſo vt aperiatur mihi, ego in tuo nomine peto, vt tu à patre petas, & detur mi-
hi. Paratus ſum propter nomen tuum victimam ſanguinis fundere, & quod-
cunque tormẽtum ſuſtinere. Tu es domine adiutor meus & defenſor, defen-
de me ab aduerſario meo. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu di-
xiſti, *Quod credentes petieritis per orationem, dabitur vobis.* Omnis homo mendax, tu
es verax. Sicut tu repromiſiſti, poteſtatem habes domine dare mihi omne ſa
cramentum cæleſte, vt dignus ſim faciem ſanctorum tuorum videre. Spiritus
in me operetur, voluntas ſpiritus ſancti fiam, quoniam tibi ſpopondi fidem
omnibus diebus vitæ meæ, qui paſſus es ſub Pontio Pilato, bonam cõfeſsio-
nem, qui crucifixus deſcendiſti, & cõculcaſti aculeum mortis, qui dixiſti: Vbi
eſt aculeus mortis, vbi eſt mors quæ regnabat. Deuicta eſt mors, deuictus eſt
inimicus diabolus. Tu reſurrexiſti à mortuis, & adparuiſti apoſtolis tuis, ſe-
des ad dexteram patris: qui venturus es iudicare viuos & mortuos. Tu do-
minaberis, libera me de manu quærentis animam meam. Per nomen tuũ li-
bera me ab aduerſaria poteſtate, vt opem des vincendi inimicũ meum, quo-
niam tu es potens adſertor, & aduocatus precum, & petitionum noſtrarum
animarum. Die ac nocte interpelles pro peccatis meis, orationẽ meam per-
feras ad patrẽ tuum. Et tu domine ſancte pater digneris reſpicere ſuper pre-

ces

ces meas, sicut respexisti super munera Abel. Digneris me liberare ab igne & pœna perenni, & ab omni tormento quod parasti iniquis: per bonum & benedictum Iesum Christum saluatorem nostrũ, per quem tibi laus, honor, virtus, gloria, in secula seculorum, Amen.

CYPRIANI, DE DVODECIM ABVSIONIBVS SECVLI. CXI.

PRIMVS abusionis gradus est, si sine bonis operibus sapiens & prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera à prędicationis verbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim fit efficax constituẽtis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi adfixerit audientis, præsertim cum & ipse doctor si in vitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis vulneribus adhibere paruipendit. Vnde & ipse dominus in euangelio de doctrina pariter & bono opere instruere volens discipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens, *Quod si sal euanuerit, in quo salietur?* hoc est si doctor errauerit, à quo iterum doctore emẽdabitur? *Et si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Si nanque oculus, à videndi officio desierit, quis à manu, vel à pede, vel à reliquo corpore illud ministerium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ subiaceant, si plurimis perditionis occasionem abundantius præstent. Nam & ipse Salomon dum multæ sapientiæ transgressionem incurrit, totius Israeliticæ plebis regni dispersionem solius sui merito præstitit. Quibus ergo cõmittuntur multa, maiora perdunt, si non recte dispensauerint rectoris sui munera quæ perceperunt. Cui enim plus committitur, ab eo plus exigitur. Et seruus qui domini sui voluntatem intelligens non facit, acrioribus flagellis grauioribusq; vindictis vapulabit. Matth. 5. Secundus abusionis gradus est, si sine religione senex esse inueniatur. Cui cum multa membra exterioris hominis veterascunt, vires animi, id est interioris hominis membra incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare senibus competit, quos præsentis seculi florida ætas transacta deserit. Sicut nanque in lignis ipsa reproba arbor comparet, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet, sic & in hominibus ipse reprobus est, quem flos iuuentutis deserit, & tamen in sui corporis senectute bonorum operum maturos fructus proferre paruipendit. Quid enim stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quãdo totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, etiam homo interior qui non senescit, his omnibus adgrauatur. Et hæc omnia ruituram iamiamq; domum corporis cito prænunciant. Quid ergo supereſt, nisi vt dum huius vitæ defectus adpropiat, nihil aliud quàm cogitare quomodo futura habitatio prospere comprehendatur, quisque senex adpetat. Iuuenibus enim incertus huius vitæ terminus instat, senibus vero cunctis maturior ex hac luce exitus breuiter concordat. Cauẽdæ ergo sunt homini duæ particulæ, quæ & in illius carne non veterascunt, & totum hominem secum ad peccatum pertrahunt, cor videlicet & lingua: quia cor nouas semper cogitationes machinari non desinit: lingua impigre loquitur quodcunq; machinari cor senserit. Caueat ergo senilis ætas, ne istæ iuuenescentes particulę totam sui harmoniam deci-

piant,& per res ineptas reliqui corporis grauitatem ne inludant. Vnicuique enim considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit, vt hoc agat quod nec vitam,nec ætatem,nec ministerium vile reddat. Tertius abusionis gradus est,si adolescens sine obedientia deprehenditur,quo mundus à recto rationis ordine deprauatur. Qualiter nanq; in senectute aliis ministerium imperabit,qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit? Vnde & in prouerbiis apud veteres habetur, quod Dominari nequeat, qui prius alicui seruitutem præbere denegat. Propter quod & dominus Iesus in temporibus suæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non perueniret,obedienter ministrationem parētibus suis præstitit. Sicut ergo in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur: ita etiam in adolescentibus obsequium & subiectio & obedientia rite debetur. Quapropter & in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris & matris honor imperatur: quia quanuis carnalis pater non superuixerit, aut indignus fuerit,alicui tamen patri digno & viuenti paternus honor vsque ad dignam ætatem à filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per scripturas diuinas patres vocantur,hoc est,natura,gente,admonitione,& ætate. De pa-
Gene. 31. tre nanque naturali Iacob ad Laban loquitur, *Nisi timor patris mei Isaac adfuisset,tulisses omnia quæ mea sunt tibi.* Gente vero pater dicitur, quãdo dominus
Exod. 3. de rubo ad Moysen loquebatur, *Ego sum,* inquiens, *Deus patrum tuorum, Deus Abraham,Deus Isaac,Deus Iacob.* Ætate autē & admonitione pariter pater di-
Deut.32. citur,cum Moyses in cantico Deuteronomij loquitur, *Interroga patrē tuum, & annunciabit tibi,maiores tuos, & dicent tibi.* Quòd si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit, admonenti tamen seniori adolescentis obedictia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in senectute adparebit,qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcunq; etenim homo laborauerit, hoc & metet. Omnis nanque disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitię. Sicut ergo fructus non inuenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non adparuerit, sic & in senectute honorem legitimum adsequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauerit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine disciplina, adolescēs sine obedientia est: quoniam & ipsa obedientia quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget,quæ sui normam studij à Christo domino sumpsit,qui obediēs patri vsque ad mortem,mortem autem crucis,ignominiam libēter sustinuit.

Quartus abusionis gradus est,Diues sine eleemosyna, qui superflua vsus sui quæ custodienda in posterum recondit,indigentibus & nihil habentibus non distribuit: per quod efficitur,vt dum in terra quæsita diligenti cura custodit,cælestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum do-
Matth.19. minus Iesus adolescentem diuitem qui eum de imperfectione interrogauerat,ita respondens inuitauit, *Si vis perfectus esse,vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Quem thesaurum nullus vnquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per semetipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non sinit. Diues nanque etsi multa congregauerit,his frui solus nequaquam poterit,quia vnius hominis natura multis rebus non succurrit. Quid ergo stultius est,quàm propter vnius hominis victū & vestitum, totam regni cælestis perdere perennem iocunditatem, & æternos inferni cruciatus absque consolationis præstolatione subire? Quod igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. Omnia enim quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem

non

non videntur, æterna sunt. Quandiu nanque temporales sumus, temporalibus temporalia deseruiunt, & cum hinc transierimus, æternis æterna solatia præstabunt. Idcirco non debemus diligere ea quæ non semper habebimus, præsertim cum expertem rationis auarum diuitem thesauri & sui agri, & omnia quæ habet, ostendant, quia toto cordis intuitu illas res amat quę nunquam se diligunt. Si etenim aurum & argentum, & agros, & vestimenta, & cibos, & metalla, & bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo à ratione longius est, quàm diligere quod te amare non valet: & negligere illum qui tuæ dilectioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus à Deo præcipitur, quia proximus vicem sui amoris potest rependere, quod mundus non potest vel minime posse non dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum dominus præcepit, vt illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo diues cupidus qui vult æternas habere diuitias, distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diligit, non vendit, nemo potest emere quod cupit. Auari nanque ideo in iudicio à rectissimo iudice nuncupantur maledicti, quia cum præteribant eorum habitacula non dicebant, *Benedictio domini super vos, benedicimus vobis in nomine domini.* Infelices ergo sunt auari diuites, qui propter res transitorias, in æternam damnationem dilabuntur: & è contrario *beati sunt misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Felix est ergo misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed adfectum Deus requirit. Quintus abusionis gradus est, Fœmina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat & custodit in viris prudentia, sic & in fœminis cunctos honestos actus nutrit & fouet & custodit pudicitia. Pudicitia nanq; castitatem habet, auaritiam refrenat, lites deuitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciuiam castigat, ebrietatem cauet, verba non multiplicat, gulę concupiscentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit, & omnes virtutes, & quicquid coram Deo & bonis hominibus laudabile est, nutrit. Impudica nanque vita nec laudem ab hominibus in præsenti seculo, nec remunerationem à Deo expectat in futuro. Pudica vero vita famam bonam inter homines habet, & de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur & consentit, & assiduis scripturarum meditationibus & eloquiis animum figit. Bonorum præcedentium exempla custodit, & inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiæ exercitatio, id est corporis habitu & superficie, & animi adfectu interno. Per exteriorem modum, iuxta Apostolum, coram hominibus exempla: per interiorem modum coram Deo prouidemus opera bona. Pudicitia nanque corporis est, alienas res non adpetere, & omnem immunditiam deuitare: ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana & falsa non loqui: habitum per omnia ordinatum, compositionemq; cõuenientem tam capillorum quàm vestiũ sicut decet habere, cum indignis cõtubernia non inire, supercilioso intuitu neminem adspicere, vagari oculos non permittere, pompatico & inlecebroso gressu non incedere, nulli inferior in incepto bono opere adparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, bonis non inuidere, senes non inridere, meliori non cõtrouersari, de his quę ignoras non tractare, & ea quæ scis non omnia proferre: hæc enim proximis amabilẽ hominem reddunt, & Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia enim animæ est, plus propter Dei oculos, quàm hominum omnia bona facere, adpetitiones turpium cogitationum compescere, omnes meliores se esse æstimare, nemini

Psal. 118.

inuidere, de semetipso nihil confidere, Dei semper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, hæretica prauitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire, Deo soli adhærere, castitatem internæ mentis Deo Christo offerre, omnia accepta opera bona mortis tantum termino finire, præsentes tribulationes animi fortitudine negligere, paruipendere in terra, præter proximos nihil amare, cuncti amoris sui thesaurum in cælo constituere, & pro omni bono actu mercedem à Deo in cęlestibus sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœrentium, augmẽtum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia. Sextus abusionis gradus est, Dominus sine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsis secularibus dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet: sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur, Qui dum seueritate iudicij peccantes filios non coërcuit, in eorum vindictam dominus velut consentienti ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorẽ scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur dominus pariter & metuatur, ordinatio minime constare illius potest. Per beneficia ergo & adfabilitatem procuret vt diligatur: & per iustas vindictas, non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim nisi bene fixus firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnis qui consentit vitio, cito deperit. Quidam nanque per dominandi officium plus Deo adpropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses nanque accepto populi ducatu, familiarius Dei locutionibus vtebatur: Saul vero filius Cis, postquã sceptra regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui Dauid sedem obtinuit, Deus illum vltra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditauit. Econtrario vero Hieroboam seruus Salomonis, postquam regni domus Dauid occupauit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, deuerterat. Per quæ exempla euidenter ostenditur quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod vtrunque intelligitur, eos qui ad meliora conscendunt, per virtutem animi & Dei auxilium posse id facere: & eos qui ad deteriora deuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Vnde & dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel aduersitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest, hoc primitus animi tota intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omnino non dubitet. Si nanque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere eius dominatum: *non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum principibus populi sui: & deponit potentes de sede, & exaltat humiles,* vt subditus fiat omnis mundus Deo,

1. Reg. 2.

& egeat

& egeat gloria Dei. Septimus abusionis gradus est, Christianus contentiosus. qui cum participationē nominis Christi per fidem & baptismum susceperit, contra Christi dicta & propositum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contēditur, aut propter propriam eius rei dilectionem de qua agitur: aut propter alterius amorem, quæ sub odiosa specie latet, adpetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animoso compugnantium conflictu cum odiosa res sit, propter amorē victoriæ & libertatis peragitur, & multæ aliæ dilectæ species sub odioso labore vel formidine satis contentiose expetuntur. Vnde patenter intelligitur, nihil contendi posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet & subsequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsente ex quacunque causa contendit, perspicue ostendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Iohannem spiritussancti sermones interdicunt? qui ait, *Nolite diligere mundum,* 1. Ioan. 2. *neque ea quæ in mundo sunt?* Mundi enim amor & Dei pariter in vno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cælum pariter & terram nequaquam conspiciunt. Sed requirendum est, si vere in mundo aliquid sit quod amari debeat, & quid sit ille mundus quem diligi diuina eloquia vetāt. Terra ergo cum nascentibus ex ea, & metallis, & animantibus, & pulchritudine vestium, & oblectationibus ciborum, & iis quæ ad hæc pertinent non diligi præcipitur: sed proximus, propter quē hæc omnia facta sunt, hic amari iubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non mansura, ad cælestem patriam pergentes comitari nequeunt. Proximi vero velut mansuri regis cohæredes, semetipsos licenter inuicem diligunt. Quod ergo semper in mundo non manet, & cum mundo pariter deficiet. Ipse mundus non amari præcipitur, proximus autem qui est pars regni cælestis in terra, & inter ima elementa à regni cælorum adpetitoribus non incongrue amatur, dum in suprema illa patria in æternum cohæres habebitur. Propterea vero mundus præsens non diligi imperatur, ne à Dei dilectione alienus seculi dilector quisque efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur Christianus qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoq; eius similitudinem habere debet. Christianus enim nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur. De Christo vero per prophetam ita scribitur, *Ecce filius* Esa. 42. *meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo sibi anima mea, ponam spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem eius.* Ecce Christus non contendit, neque clamauit, & tu si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas ne abusiuus in ecclesia Christianus existas: suis enim sectatoribus Christus præcepit, *Nolite vocari Rabbi, vnus est enim* Matth. 23. *magister vester.* qui est Christus: *& patrem nolite vocare super terram, vnus est enim pater vester, qui in cælis est.* Omnes enim vos fratres estis, quibus ad supplicandum imperauit, cum diceret, *Sic autem orabitis, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. Frustra enim contendit patrem se habere in terra, qui patrem & patriam profitetur habere se in cælo. Cuius patriæ nemo possessor efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur. Octauus abusionis gradus est, Pauper superbus, qui nihil habēs, in superbiam extollitur, cum econtrario diuitibus seculi non superbe sapere per apostolū Paulum imperetur. Quid ergo stolidius potest fieri, quàm illum qui per infimam miseriam velut in terrā abiectus, extremus & humilis incedere & contristari debuerat, supercilioso superbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitiū lapsi corruerunt, qui in summo cæli cōditi erant culmine. Quid ergo vult quasi potens in terra superbire, qui præ omnibus hominibus debuerat humilis adparere? Sed ne de paupertate sua tristitiā habeāt, quid à Deo recepturi sunt pauperes adtendāt: ipse etenim inquit, *Beati pauperes spiritu,* Matth. 5.

quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Recta nanque diſpenſatione miſericors iudex cæli regnum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abſtulit, vt ipſe diues in cæli ſede adpareat, qui in terra penitus nihil procurat. Cauendum ergo pauperibus eſt, ne dum per egeſtatem & neceſsitatem terrenum regnum prætereunt, per mentis etiam imprudentiam cælorum regna amittant. Cum enim Dei diſpenſatione paupertatem neceſſariam acceperint, in ipſorum arbitrio pendet, vtrum pauperes ſpiritu ſint. Non enim quibuſcunque pauperibus cæli regna promittuntur, ſed his tantummodo quibus diuitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis, pauper ſpiritu adpellatur: qui cum egenus foris cernitur, nunquam in ſuperbiam eleuatur: quoniam ad adpetenda regna cælorum plus valet mentis humilitas, quàm præſentium diuitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene diuitias poſſeſſas habent, poſſunt pauperes ſpiritu adpellari: ſuperbos autem, nihil habẽtes, haud dubium eſt beatitudine paupertatis priuari. De quibus vtriſque ſancta ſcriptura ita loquitur, *Eſt quaſi dives nihil habens, & eſt quaſi pauper cum in multis diuitijs ſit.* Quaſi pauper ergo in multis diuitiis, eſt dives humilis ſpiritu: & nihil habens quaſi dives, eſt pauper ſuperbus mentis adfectu. Nobilis ergo inopia eſt mentis humilitas, & ineptæ diuitiæ ſunt animorum enormitas. Prouidendum ergo eſt pauperibus, vt ſemetipſos quales ſint intelligant, & quia rebus conſequi quod cupiunt non valent, mentis tumore ſuperbire deſinant. Nonus abuſionis gradus eſt, Rex iniquus. Etenim regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Inde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet: nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt ſubiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Quoniam *in iuſtitia regis exaltatur ſolium, & in veritate regis ſolidantur gubernacula populorum.* Iuſtitia vero regis eſt neminem iniuſte per potentiam opprimere, ſine perſonarum acceptione, inter virum & proximum ſuum iuſte iudicare, aduenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non ſinere, eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, iuſtos ſuper regni negocia conſtituere, ſenes & ſapientes & ſobrios conſiliarios habere, magorum & ariolorum phytoniſſarumq; ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuſte contra aduerſarios defendere, per omnia in Deo confidere, proſperitatibus animum non eleuare, cuncta aduerſa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impie agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas cibum non guſtare. *Væ enim terræ cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt.* Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & regem ad cæleſtia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non ſecundum hanc legem diſpenſat, multas nimirum aduerſitates imperij tolerabit: idcirco enim pax ſæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno ſuſcitãtur, terrarum quoq; fructus deminuuntur, & ſeruitia populorum præpediuntur, multi & varij dolores proſperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt, hoſtium incurſus prouincias vndiq; vaſtant, beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempeſtas aëris & hiemis turbata rerum fœcũditate, maris miniſteria prohibent, & aliquando fulminum ictus ſegetes & arborum flores, & pampinos quoſque exurunt. Super omnia vero regis iniuſtitia non ſolum præſentis imperij faciem fuſcat, ſed etiam filios ſuos & nepotes, ne poſt ſe regni hæreditatem teneant, obſcurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Iſrael dominus

Prouer. 13.

Eccleſi. 10.

nus de manibus filiorum eius disperſit. Et propter iuſtitiam Dauid regis, lucernã de ſemine eius ſemper in Hieruſalem reliquit. Ecce quantũ iuſtitia regis ſeculo valet, intuentibus perſpicue patet. Eſt enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudiũ hominum, temperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatiũ pauperum, hæreditas filiorũ, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat rex, quod ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis ſi iuſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes nanque quoſcunque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe modo plagali in illa futura habebit. Decimus gradus abuſionis eſt, Epiſcopus negligens, qui gradus ſui honorem inter homines requirit, ſed miniſterij ſui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non cuſtodit. Primum nanque ab epiſcopo quid ſui nominis dignitas tenet, inquiratur, quoniam cum epiſcopus Græcum nomen ſit, ſpeculator interpretatur. Quare vero ſpeculator ponitur, & quid à ſpeculatore requiritur, dominus ipſe denudat cum ſub Ezechielis prophetæ perſona epiſcopo officij ſui rationem denunciat, ita inquiens, *Speculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, nunciabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non annunciaueris, vt reuertatur impius à via ſua, ipſe quidem impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris, & ille non fuerit reuerſus, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſed tu animam tuam liberaſti.* Ezech.3. Decet ergo epiſcopum qui omnium ſpeculator poſitus eſt, peccata diligenter adtendere: audiens ergo & poſtquam adtenderit ſermonem, ſi potuerit & actu corrigere: ſi non potuerit, iuxta euangelij regulam ſcelerum operarios declinare. *Si enim*, inquit in euangelio dominus, *peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos teſtes, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum: ſi illos non audierit, dic eccleſiæ: ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Matth.18. Tali ordine expellendus eſt quicunque doctori vel epiſcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulſus fuerit, ab alio aliquo doctore vel epiſcopo non debet recipi: de ſacerdote nanque ſcriptum eſt in lege, *Viduam aut repudiatam non accipiat vxorem.* Leui.21. Qui ergo illum excommunicatum à catholico illo non permittente ſibi iungit, iura ſacerdotij ſancti, quod Chriſtianorum genus electum eſt, excedit. Hac ratione epiſcopum ad eos quibus in ſpeculatione poſitus eſt, eſſe oportet. Ceterum vero qualis in ſemetipſo eſſe debeat, Paulus Apoſtolus exponit, vt ad gradum epiſcopi veniens *ſit ſobrius, prudens, caſtus, ſapiens, modeſtus, hoſpitalis, filios habens ſubditos cum omni caſtitate, teſtimonium habens bonum ab his qui foris ſunt, proferens doctrinæ fidelem ſermonem, antequam epiſcopus ſit, non plures habens vxores quàm vnam. Non percuſſor, non bilinguis, non ebrioſus, non neophytus, vt per hæc ipſe oſtendat in opere, quod alios docet in ſermone doctrinæ.* 1.Timo.3. Caueant ergo negligentes epiſcopi, quod in tempore vindictæ dominus per prophetam conqueritur dicens, *Paſtores multi demoliti ſunt populum meum, & non paſcebant gregem meum paſtores, ſed paſcebant ſemetipſos:* Ezech.34. ſed potius procurent hi quos conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, dare illis cibũ in tempore ſuo menſuram tritici, purã ſcilicet & probatam doctrinã, quatenus veniente domino mereantur audire, *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituã: intra in gaudium domini tui.* Matth.25.

Vndecimus abuſionis gradus eſt, Plebs ſine diſciplina, quæ cum diſciplinæ exercitationibus nõ ſeruit, communi ſe perditionis laqueo conſtringit. iram etenim domini abſq; diſciplinæ rigore nõ euadit. Atq; idcirco pſalmiſtæ vocibus indiſciplinatæ plebi prædicatur, *Adprehendite diſciplinã, ne quãdo iraſcatur dominus.* Pſal.2. Diſciplina vero morum eſt ordinata correctio, & maiorũ præceden-

tium regularum obſeruatio: de qua diſciplina Paulus apoſtolus ita loquitur, dicens, *In diſciplina perſeuerate, tanquam filiis vobis offert ſe Deus.* Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti eſtis? omnes enim adulteri & non filij eſtis. Qui ergo adulteri ſine diſciplina ſunt, & cæleſtis regni hęreditatem non capiunt: ſi filij autem paternæ diſciplinæ correctiones ferunt, & hæreditatem quandoque recipere poſſe non deſperent. De qua etiam diſciplina Eſaias quidem indiſciplinatæ plebi prædicat, dicens, *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere.* Et ad eadem pſalmiſta conſona voce pſallit dicens, *Declina à malo, & fac bonum.* Infelix ergo eſt qui abiicit diſciplinam. Audet enim extra milites aliquid, qui dominum crucifigentes non eius ſciderunt tunicam, qui eccleſiæ Chriſti ſcindit diſciplinam. Sicut enim tunica totum corpus prę-ter caput tegitur, ita diſciplina omnis eccleſia, præter Chriſtum qui caput eſt eccleſiæ & ſub diſciplina nō eſt, protegitur & ornatur. Ipſa enim tunica contexta deſuper fuerat per totum, quia eadem diſciplina eccleſiæ à domino de cælo tribuitur & integratur. De qua dominus cum ad patrē aſcendiſſet, poſtquam reſurrexit à mortuis, ad apoſtolos ſuos loquitur dicens, *Vos autem ſedete hic in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Tunica ergo corporis Chriſti, diſciplina eccleſiæ eſt: qui autem extra diſciplinā eſt, alienus eſt à corpore Chriſti. *Nō ſcindamus igitur illam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit,* id eſt non ſoluamus quicquam de mandatis domini, ſed vnuſquiſque in eo in quo vocatus eſt, in eo permaneat apud dominum. Duodecimus abuſionis gradus eſt. Populus ſine lege, qui dum Dei dicta, & legum ſcita contemnit, per diuerſas errorum vias eundem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis ſub perſona præuaricatoris populi humanum genus propheta ita deplangit. *Nos autem ſicut oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit:* de quibus viis etiam eadē ſapientia loquitur per Salomonem, *Multæ viæ videtur hominibus rectæ, & nouiſſima earum deducunt ad mortem.* Quæ vtique multæ perditionis vię tunc incedūtur, cum vna regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinat, per negligentiam deſeritur. De qua ſcilicet dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti denunciat, *Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me.* Ad quam viam omnes homines communiter inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum,* vbi nō eſt Iudæus & Græcus, maſculus & fœmina, ſeruus & liber, barbarus & Scytha, ſed omnia in omnibus Chriſtus: omnes enim vnum ſunt in Chriſto Ieſu. Dum ergo Chriſtus finis legis eſt, qui ſine lege ſunt, ſine Chriſto fiunt: Igitur populus ſine lege, populus ſine Chriſto eſt. Abuſiuum ergo in temporibus euangelij populū ſine lege fieri, quando apoſtolis in cunctas gentes licentia prædicationis data eſt, quando tonitruum euangelij per cunctas ſeculi partes intonuit, quando gentes quæ non ſectabantur iuſtitiama, dprehenderunt iuſtitiam, quando qui longe fuerant, facti ſunt prope in ſanguine Chriſti: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Chriſto, quando eſt tempus acceptabile & dies ſalutis, & tempora refrigerij in conſpectu altiſſimi: quando vnaquæque gens habet teſtem reſurrectionis, quando ipſe dominus proteſtatur dicens, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Non itaque ſimus ſine Chriſto in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in futuro.

Hebr. 12.

Eſa. 1.

Pſal. 36.

Lucæ 24.

Eſa. 53.

Prouer. 14.

Matth. 11.

Matth. 28.

DE RE-

DE REVELATIONE CAPITIS BEATI IOHANNIS BAPTISTAE. CXII.

NARRAT Iosephus vinctum fuisse Iohannem Baptistam in castello Macheronta, ibíque caput eius truncatum fuisse, ac denuo sepultum in Sebaste ciuitate regionis Palæstinæ, quæ quondam Samaria est adpellata. Post longum vero tempus monumentum eius pagani inuaserunt, & ossa per campi planitiem disipauerunt, rursumq; collecta, igne concremauerunt, & postea per agros cremata proiecerunt. Postea vero aduenerunt quidam monachi religiosi viri, de Hierosolymis ad locum eiusdem monumenti, audientes ea que Iohanni acciderant, & quicquid potuerunt ex ossibus illius colligentes ad patrem suum Iosephum detulerunt Hierosolymam, & ille transmisit ea cum aliis viris religiosis Athanasio Alexandriæ pontifici fidelissimo. Ibíque miro modo fuerunt seruata, vsque ad tempus Theophili eiusdem vrbis episcopi. Qui Theophilus iubente Theodosio principe, omnia idolorum fana in illa regione Christo fauẽte destruxit, & ecclesiam miræ magnitudinis construxit, & in honorem eiusdem sancti Iohannis Baptistæ consecrauit, & illius ossa quæ sibi direxerat suprascriptus Athanasius in eadem ecclesia, congregatis sibi vicinis pontificibus, ex omni parte cateruatim omnibúsque ordinibus clericorum & populorum honorifice constituit. Igitur accedente paschali festiuitate decollatus est Iohannes Baptista, imperante nequissimo Herode, qui dari saltanti puellæ caput eius iussit, & multo post decollationem eius, accedente illo anno quo constructa est ecclesia in nomine eius, & ossa eius ibidem collata à Theophilo pontifice, iubente Theodosio principe, in honore eius consecrata est quarto calendas Septembris. Solennitas nanq; eius mirifice est consecrata in dedicando. Caput autem illius tunc temporis repositum adhuc erat in loco quo illud in absconso vxor Herodis deposuerat, nemine sciente postquam à filia in disco suscepit. Si quis omnia plenius voluerit scire, chronicam Marcelli principis legat, & ibi reperiet duos monachos ab oriente in Hierusalem veniisse causa orationis, in tempore Marciani imperatoris. Quibus monachis in visione angelica dictum est, Ite ad palatium Herodis, qui quondam hic fuit perfidus princeps, introëuntes prospicite diligenter, & vbi fumum à terra ascendentem videritis, fodientes ibi caput Iohannis Baptistæ incunctanter inuenietis. Et ita fecerunt, & cum magno honore clanculum secum Hierosolymam deportauerunt. Et non multo post à latronibus raptum est: mittentes in quodam specu, ibidem dimiserunt, donec idem Iohannes Christo auxiliante cuidã viro religioso nomine Marcello sacerdoti, qui in eodem specu morabatur vt eremita, reuelauit dicens, Accipe caput meum, quod in hoc specu depositum est à latronibus, & defer illud Iuranno episcopo, qui nunc præest Alexandriæ ciuitati post Theophilum Deo charum, vbi reliquiæ corporis mei requiescunt. Et sic fecit Marcellus Christo annuente. In eadem igitur solennitate collectionis reliquiarum illius & translationis, & ecclesiæ consecrationis adlatum est caput Iohannis Baptistę ad ciuitatem Alexandrię à Marcello presbytero, & datum Iuranno episcopo, quarto calendas Septẽbris. Et Iurannus suscepit illud collocans mirabiliter in eodem loco perpetim custodiendum. Et ideo hodierna festiuitas collectio beati Iohannis Baptistæ, non decollatio nominanda Christo annuente, sed inuentio ac reuelatio capitis eius. Iámque idem vir domini Iurannus episcopus, & Marcellus sacerdos feliciter ad dominum ex hoc mũdo in pace migrauerant. Annis euoluentibus non plurimis, cuidam viro religioso sacerdoti ac monacho Felici

nomine, qui orationis gratia ab occidentali parte in illis diebus Hierosolymam adierat, angelica visione dictum est, Felix surge concitus & pergens ad ciuitatem Alexandriæ, inuenies ibi ecclesiam in honorem sancti Iohannis Baptistæ consecratam, vbi caput eius cum tribus paruulis innocentibus reconditum est. Quod accipiens, transfer in partes Galliarum in regione Aquitaniæ, in loco quem tibi ostẽdero. De qua visione certus expergefactus reuerendus senex gaudio amplissimo repletus, pergens ilico vbi iussus fuerat, sicuti ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori sui itineris grates innumeras rependit. Properánsque ad locum, thesaurum sibi à Deo destinatum in vnius sportellæ concluſit sinu. Statimque retro iter arripiens iunctis sibi sociis septem fratribus suis, qui cum eo ibi erant, vallánsque omnem regionem illam, perueniens ad litora maris, inuenit nauem cum remigibus ac gubernaculis à Deo paratam: quam ingressus est cum thesauro & magni precij margaritis. Igitur fratres & socij eius descendentes cum eo in naui, gratias agentes in hymnis & laudibus Deum benedicentes, alta petunt æquora. Cúmque in mare iter agere cœpissent, Felix eleuatis oculis ad cælum palmas tetendit dicens, Domine Iesu Christe, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & profundum abyssi intueris, qui super vndas maris siccis pedibus ambulasti, & Petrum mergentem manu erexisti, & Paulum ter de naufragio liberasti: libera nos de magnis fluctibus huius pelagi, vt viuentes benedicamus nomen tuum in secula. Mittere etiam domine dignare sanctum angelum tuum de cælis, vt sit dux itineris nostri, sicut fuit quondam patribus nostris, quando eduxisti eos de terra AEgypti in fortitudine magna, & in manu tua valida, & perduc nos recto itinere ad locũ optatum, ad sanctas & pretiosas margaritas collocandas. Hæc & his similia orante beato Felice, ecce nubes lucida descendit super nauem, & de medio nubis egressa est columba ad instar niuis, & super puppim nauis immobilis perstitit, tam in die quàm in nocte, vsque dum in partes Aquitaniæ ad litus maris Oceani pertingerent. Cúmque non longe à terra se esse cognouissent, diuerterunt ad portum qui adpellatur Angolismensis, qui est situs in pago Alnensi. Ibíque exeuntes de naui ad terram, pauliſper requieuerunt. Mouentes autem ex eodem loco quasi miliaria duo, inuenerunt eminus corpora mortuorum, regem videlicet Vuandalorum cum omni exercitu suo iacentem super faciem terræ, vt opinor quasi viginti milia virorũ. Quoniam egressus fuerat idem populus crassa ceruice de vagina sua per mare cum classe magna, & ventus vehemens inruit in eos, & transuexit in partes occidentis in supradictum portum Angolismensem. Nunciatúmque est Pipino regi Aquitanorum, quod gens Vuandala regnum eius inuaderet. Misitque in omnes terminos Aquitanorum ac Xanctonicæ, necnon Angolismæ, siue in omnes terminos eorum, vt contra eos pergerent ac dimicarent, quia idem rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alnensi super fluuium Vultonna, in palatio qui vocatur Engeriacus, inter medios fines Pictauorum ac Xanctonicæ. Denique cum idem rex Pipinus cum omni multitudine armatorum occurreret hostibus suis, fecit dominus salutem magnam omni exercitui suo, ita vt nullus euaderet ex hac multitudine, qui non cæde vastaretur. Supradictus autem rex videns sibi à domino auxilium de cælo fuisse præstitum, & vltorem de inimicis, ita vt non minuerentur de exercitu suo, nisi viginti viri quos præ ceteris valde diligebat, quos accipiens singulis deposuit feretris, lætus pro victoria, mœstus pro amissorum funeribus exercitum reuocat, pergere cupiens ad propria. Cúmque ab hac cæde quasi quatuor miliaribus disiuncti essent, figere tentoria imperat, pressusque somno stratum suum parari in papilionibus iubet. Tunc pro lassitudine somno ingruente vox diuina oblata est, dicens ad eum, Cur te piger somnus

mnus ita presit? noueris magni viri Iohannis Baptistæ caput ex transmarinis partibus ab Oriente cum tribus paruulis innocentibus ad hunc pagum deferri, & propter eius meritum in hoc prælio diuinitus victoriam tibi à domino esse conlatam. Respondit ei rex Pipinus in visione dicens, Si tanta beneficia propter eius meritum in me vigent, indica mihi quid agam: aut quemadmodum inuestigare vel inuenire potero eum? Respondit ei vox diuina, dicens, Ecce post tergum tuum sequuntur te septem fratres in habitu peregrinorum, & vnus qui ceteris præesse videtur, Felix vocatur. Vade in occursum eorum cum paucis, & in humilitate cordis benigne suscipe. Adornatísque pretiosissimis margaritis, pacifice tecum ducere coneris, & videbis magnalia Dei. Vir autem domini Felix, visa tanta multitudine cæsorum corporum, pauore perterritus, tamen de adiutorio Dei confisus, confortat socios, & vt paulisper iter agerent, admonet. Diuertentésque ex aduerso paruulum sibi statuerunt habitaculum, vt eadem nocte vsque mane in eodem permanere potuissent. Prædictus autem rex Pipinus à somno euigilans, intra semetipsum cogitare tacitus cœpit ex visione quam viderat, quid agere deberet, recogitans quia in antiquis est sapientia, & multorum præteritorum prudentia. Mittensque concitus accersiri iubet virum prudentem, ac in omnibus operibus pollentem, nomine Felicem, vt de tanta manifesta visione dominum pulsarent, vt eis salubre consilium suggerere dignaretur. Igitur consilio inuentum est, vt exutis vestibus & calciamentis suis in cinere & cilicio nudis plantis incedentes, sicuti oraculo diuino admonitus fuerat, obuiam famulis Dei procederent. Cúmque se mutuo conspexissent iacentes, tam ipse quàm omnes qui aderant, proni in terram tam diu adorauerunt, quoadusque famuli Dei ad locum vbi iacebant, pertingerent. Cúmque dominum benedixissent, & se inuicem salutassent, osculum pacis sibimet dederunt. Leuantésque se à terra, lachrimabiliter interrogabant se inuicem, qua causa hæc quæ viderant & audierant, accidissent. Vir autem domini Felix cuncta intelligens à Deo esse manifesta, retexit historias, quemadmodum Hierosolymis iuerit orationis gratia, & thesaurum suum absconditum diuina misericordia ei reuelauerit, & facta oratione cum omnes respondissent, tamen eleuatis Felix preciosissimis margaritis, capite scilicet Iohannis Baptistæ & reliquiis sociorum eius beatorum martyrum innocentium, cum hymnis & laudibus psallentium dirigit chorum. Quo audito cunctus exercitus qui in castris erat, quasi vnus vir ei obuiam processit numero triginta milia virorum. Exequias vero mortuorum qui in prælio corruerant, secum deferentes, petebant auxilium à domino per præcursorem suum Iohannem, vt cuius reliquiæ deportarentur diuina gratia manifestare dignaretur, promittentes se tantam fidem habere, vt quicquid peteretur, sanctus Iohannes domino annuente, tribuere posset. Adprehendentésque sportellam, in qua beati Iohannis Baptistæ caput continebatur, singulis feretris imposuerunt mortuos tangentes. Miro atque inæstimabili modo mox vt tetigit ossa iacentium, vita per mortuum mortuis reddita est. Surrexerunt autem eadem hora ab officio funeris viginti viri, tam celeriter ac si à somno essent excitati, & qui à flentibus amicis portabantur ad tumulandum, iisdem gaudentibus ad vitam redirent. Videns autem rex Pipinus & cunctus exercitus magnalia quæ circa eos dominus gesserat per præcursorem suum Iohannem Baptistam, plaudentes manibus benedicebant dominum, qui fecit mirabilia in cælo & in terra. Vir autem domini Felix & socij eius gaudio repleti, vna cum rege Pipino & exercitu eius leuantes caput beati ac præcellentissimi præcursoris Christi Iohannis Baptistæ, & beatorum innocentium, cum gaudio & lætitia iter agere cœperunt. Cúmque nulla mora fieret in eundo, peruenerunt ad quandam villam, quæ adpellatur

Vultronia. Cúmque ibidem pauliſper quieuiſſent, obuius eis quidam cæcus factus eſt, qui ſtatim ſanus effectus eſt per beatiſsimi præcurſoris merita. Cúmque de eodem loco eis moueri placuiſſet, arripiunt iter per viam quæ ducit ad paludem cognomen Matheuallis. Cúmque eis aliquantulum ibi requieſcere placuiſſet, ecce quidam debilis pedibus qui ſe erigere omnino nequibat, rependo ſe trahens obuiam eis proceſsit. Iámque propinquantes ad locum quo tendebãt, ſuper fluuium Vultonna ad palatium nomine Engeriacum peruenerunt. Audiens autem omnis populus, à maximo vſque ad minimum, à viro vſque ad mulierem, omnes ſimul in vnum conglobati, obuiam eis proceſſerunt. Cúmque ibidem ante palatium regis Pipini veniſſent, in baſilica beatiſsimæ & glorioſiſsimæ ſemper virginis Mariæ, cum magno feruore & ſtudio, ilico ad cuſtodiendum depoſuerunt. Lætatúſque eſt vniuerſus populus lætitia magna, & celebrauerunt ſolennitatem huius diei quarto calendas Septembris, & reuerſi ſunt vnuſquiſque ad habitacula ſua. Igitur beatus Felix & ſocij eius cum venerando rege inter cetera dominum deprecabantur, vt eis ſalubre conſilium ſuggereret, quónam in loco ſancta membra locarent. AEdificantéſque baſilicam, & in ea ciborium cum ſex columnis marmoreis mirifici operis bene compoſitis nõ longe à Vultonnę litore, ſed vt arbitror centum ſtadiis. In quo cum aromatibus & plurimis bonis odoribus condientes caput beati Iohannis Baptiſtæ almi præcurſoris Chriſti, & beatorum trium innocentium corpora ſimul in hoc ciborio concluſerunt. Domino autem auxiliante hoc ędificium completum eſt feliciter. Fecit etiam idem rex fontem ductorium, qui à duobus ferè miliariis per profundiſsimos terræ meatus ad palatium eius ductus decurreret, & vt in ipſam baſilicam per ferrum & æs introduceretur, ac ſubtus ciborium per concauam marmoream columnam ebulliret: ibíquè ſacri baptiſmatis ablutio fieret, ſicque iterum ad primos aditus reflecteretur. Conuocans igitur rex Pipinus & beatus Felix pontifices & ſacerdotes, omnéſque patriæ nobiles, benedicentes eccleſiam, atque in honore eiuſdem Iohannis Baptiſtæ dedicando mirifice conſecrantes, & prædiis ac poſſeſsionibus ſuis à progenitoribus ſibi dimiſsis eam nobiliter dotauerunt. Ordinatíſque omnibus neceſſariis, monachos ibidem Deo in perpetuum ſeruituros ſtatuerunt. Poſtmodum multa domino mirabilia operante per famulum ſuum Iohannem Baptiſtam. Tandem vero metam narrationi ponentes, oremus immenſitatem bonitatis Chriſti, vt ſua potenti dextera ſuffultos nos ad æternæ quietis ſtationẽ perducat, qui viuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula.

DISPOSITIO COENAE CYPRIANI. CXIII.

QVIDAM rex nomine Ioel, nuptias faciebat in regione orientis, in Chana Galileæ: is inuitauit plures vt cœnam eius confrequentarent. Igitur qui temperius loti in Iordane, adfuerunt in conuiuio. Tunc commundauit Neeman, aquã ſparſit Amos, Iacobus & Andreas adtulerũt fœnum, Matthæus & Petrus ſtrauerunt, menſam poſuit Salomon, atq; omnes diſcubuerunt turbę. Sed cũ iam locus recumbentium plenus eſſet, qui ſuperueniebant, quiſque prout poterat, locum ſibi inueniebat. Primus itaque omnium ſedit Adam in medio, Eua ſuper folia, Cain ſupra aratrum, Abel ſuper mulgarium, Noe ſuper arcam, Iapheth ſuper lateres, Abraham ſub arbore, Iſaac ſuper aram, Loth iuxta oſtium, Iacob ſuper petram, Moyſes ſuper lapidem, Helias ſuper pellem, Daniel ſuper tribunal, Thobias ſuper lectum, Ioſeph ſuper modium, Beniamin ſuper ſaccum,

Dauid

Dauid ſuper monticulum, Ionas ſuper terram, Pharao in arena, Lazarus ſuper tabulam, Ieſus ſuper puteum, Zacchæus ſuper arborem, Matthæus in ſcamno, Rebecca ſuper hydriam, Raab ſuper ſtuppã, Tecla ſuper feneſtram, Suſanna in horto, Abſalon in frondibus, Iudas ſuper loculum, Petrus ſuper cathedram, Iacobus ſuper rete, Sampſon ſuper columnam, Heli ſuper ſellam, Rachel ſuper ſarcinam. Patiens ſtabat Paulus, & murmurabat Eſau, & dolebat Iacob, Iob ſolus ſedebat in ſtercore. Tunc porrexit Rebecca pallium, Iudith coopertorium, Agar ſtragulum. Sem & Iaphet cooperuerunt recumbentes. Inlatus eſt guſtus cœnæ, & accepit cucurbitas Ionas, olus Eſaïas, betas Iſraël, morum Ezechiel, ſycomorum Zachæus, citrium Adam, lupinos Daniel, pepones Pharao, carduum Cain, ficus Eua, malum Rachel, prunum Ananias, bulbos Lia, oliuas Noë, ouum Ioſeph, vuas Aaron, nucleos Symeon. Dedit acetum Ionas, accepit oxygarum Ieſus Chriſtus. Deinde ſuperuenit Iacob cum filiis ſuis, & Laban cum filiabus ſuis, & ſederunt ſuper lapides. Venit & Abraham cum domeſticis ſuis, & Moyſes cum cetera turba, & ſederunt foris. Tunc reſpiciens Rex inuitatos ſuos, ſic ait: Quiſque voluerit veſtrum venire in veſtiarium meum, dabo ſingulis cœnatorias veſtes: tunc aliqui ierunt, & acceperunt. Primus itaq; omnium accepit Zacharias albam, Abraham paſſerinam, Loth ſulphurinam, Lazarus lineam, Ionas ceruleam, Tecla flammeam, Daniel leoninam, Iohannes triclinam, Adam pelliceam, Iudas argyrinam, Raab coccineam, Herodias cardinam, Pharao marinam, Enoch cælinam, Agar variam, Dauid proneruicam, Helias aëriam, Eua arborinam, Iob biplagiam, Eſaïas meſotropam, Maria ſtolam, Suſanna caſtalinam, Moyſes conchylinam, Abel purpuream, Leui ſpartacinam: Thamar colorinam, Azarias carbaſinam, Aaron murrinam, Iudith iacinthinam, Cain ferrugineam, Abiron nigram, Anna perſicinam, Iſaac natiuam, Paulus tharſicam, Petrus operariam, Iacob alethinam, Ieſus columbinam. At vbi diuiſit veſtem, Rex reſpiciens eos, ſic ait, Non ante cœnabitis, niſi ſinguli ſingulas vices feceritis: atque ita ſibi præcepta diaconia conſummauerunt. Primus itaque omnium ignem petiit Helias, ſuccẽdit Azarias, lignum collegit Iephthe adtulit Iſaac, concidit Ioſeph, puteum aperuit Iacob, hyſſopum porrexit Sephora. ad lacum ſtabat Daniel, aquam adtulerunt miniſtri, hydriam portabat Rebecca, vinum protulit Noë, vtrem portabat Agar, adtulit argentum Iudas, vitulum adduxit Abraham, adligauit Raab, reſticulam porrexit Ieſus, pedes copulauit Helias, ferrum tradidit Petrus, eliſit Daniel, occidit Cain, ſubportauit Abbacuc, ſuſpendit Abſalon, pellem detraxit Helias, ventrem aperuit Hermocrates, mediana ſuſpendit Thobiàs, ſanguinem effudit Herodes, ſtercus proiecit Sem, aquam adiecit Iaphet, lauit Heliſęus, partes fecit Phalech, numerauit Auſes, ſalem miſit Moleſſadon, oleum adiecit Iacob, in focum impoſuit Antiochus, coxit Rebecca, prior guſtauit Eua. Explicitiſque omnibus, omnes locis ſuis reſederunt: tunc intulit panes Saul, fregit Ieſus, tradidit omnibus Petrus, intulit lentem Iacob, ſolus manducauit Eſau, intulit intritam Abbacuc, totum comedit Daniel, fabam intulit Amelſad, prior guſtauit Miſaël. Sed quoniam hœdum coctum comederat Iſaac, & piſcem aſſum Thobias, cœpit tumultuari AEglom. Valde eſuriebat Daniel, panem petebat Hermocrates, non manducabat Iohannes, nihil guſtauerat Moyſes, ieiunus fuit Ieſus, micas colligebat Lazarus. Ceteri autem partes ſuas tenebant quas ex variis venationibus acceperant. Abraham vitulinam, Eſau ceruinam, Abel agninam, Noe arietinã, Sampſon leoninam, Eliſęus vrſinam: maiorem tamen partem tenebat Beniamin. Poſt modum dedit panes Pharao, omnibus diuiſit Ioſeph, diſcum intulit Herodes, partes compoſuit Rebecca, intulit Iacob, diſtribuit omnibus Noe. Primus ergo ſuſtulit Io-

hannes caput,cerebellum Abſalon,linguam Aaron,maxillam Sampſon,auriculam Petrus,oculos Lia,ceruicem Holofernes,arterias Zacharias,collum Saul,armora Agar,interanea Ionas, fel piſcis Thobias, cor Pharao, renalia Eſaïas,latus Adam,coſtam Eua,ilia Maria,ventrem Sara,vuluam Eliſabeth, adipem Abel,fœmora Abraham,caudam Moyſes, crura Loth,pedes Iacob, oſſa collegit Ezechiel:item Iacobus & Andreas intulerunt piſces:ſuſtulit itaque aſellum Ieſus,labeonem Moyſes,lupum Beniamin,mugilem Abel, murænam Eua,pellamydem Adam,locuſtam Iohannes, gladium, Cain, capitonem Abſalon , polypum Pharao, torpitudinem Lia , auratam Thamar, ſcaurum Agar , cantharidem Dauid, halecem Ioſeph , ſaxatilem Hieremias , vmbram Lazarus , ſoleam Iuda , hirundinem Thobias , argentillum Iudas,ſepiam Herodes,carnutam Eſau,glauculũ Ionas, alopidam Iacob,ſalpam Moleſſadon,denticem Eſaïas,araneum Tecla, coracinum Noë, rubellionem Rebecca, lacertum Golias, mænam Maria, & leonem Sampſon:poſuit & Ionas acetum,Moleſſadon ſalem miſit,prior intinxit Cain. Explicitíſque omnibus,dedit adipem Abel,mel Iohannes,lac Abraham, conſperſit Sara,dulcia fecit Ieſus,omnia perminiſtrauit Paulus. Sed quoniam aliquot genera vini habebant, paſſum bibebat Ieſus, Marſicum Ionas, Surrentinum Pharao , pellitum Adam , gaditanum Moyſes , creticum Iſaac , adrianum Aaron, arbuſtinum Zachæus,arſinum Tecla,albenſe Iohannes, campanum Abel,ſigninum Maria,florẽtinum Rachel.Sopitus iacebat Adam,ebrius obdormiuit Noë, ſatis biberat Loth, ſtertebat Olofernes , ſomnus tenebat Ionam,vigilauit prope gallum Petrus, ſuſcitabatur Ieſus, ſurgere quærebat Iacob,prior ſurrexit Lazarus. Tunc miſcuit ſcyphum Beniamin,intulit Martha , prior bibit Petrus. Sed quoniam vinum ſubduxerat Amelſad, & male miſcuerat Ionas , murmurabat Hermippus ,aquam bibebat Iohannes , vinum petebat Maria , non conſentiebat Suſanna , plenam ampullam ferebat Martha,ſitiebat Iſmael, ire volebat Thobias , alienum calicem bibere volebat Iacobus. Sublatiſque omnibus, aquam ad manus petebat Pilatus , tradidit Iudas,miniſtrabat Martha,effudit Hermocrates,linteum porrexit Martialis, intulit lucernam Eſaïas , gratias egit Simeon, benedixit Anna,intulit coronas Rachel, Dauid hyſſopum porrexit,dedit vnguentum Maria,perunxit Martha , poma intulit Adam, fauum porrexit Sampſon , cytharam percuſsit Dauid,tympanum Maria,pſalterium duxit Iubal,choreas duxit Iudith, cantauit Aſael, ſaltauit Herodias , laudes dedit Azarias , magia luſit Mambres,riſum fecit Iſaac,oſculũ porrexit Iudas,vale fecit Iothor. Et cum vellent diſcedere, reſpiciens eos Rex, ſic ait, Nunc per omnia diem nuptiarum celebrate,& frequentate,& demutate habitus,velut pompas facientes,ſic ite in domos veſtras. Placuit vero omnibus voluntas Regis,atque ita primus omnium procedit in magiſtro Ieſus,in cuſtode Iohannes,in retiario Petrus, in ſecutore Pharao,in venatore Mambres, in delatore Iudas,in hortulano Adã,in exodiario Eua,in latrone Cain,in paſtore Abel,in curſore Iacob,in ſacerdote Zacharias,in rege Dauid , in cytharœdo Iubal,in piſcatore Iacobus, in coco Antiochus, in aquario Rebecca, in furnitore Ananias, in beſtiario Tecla,in ſtupido Moleſſadon, in religioſo Salomon, in miniſtra Martha, in milite Vrias,in inſano Herodes,in famulo Cham, in medico Thobias, in ebrio Noe,in riſiculo Iſaac,in triſti Iob, in iudice Daniel,in fabro Ioſeph, in proſtituta Thamar , in formoſa Rachel, in odibili Lia, in domina Maria , in impio Loth, in aduerſario Amalech, in ſtructore Sem , in ruſticulo Eſau , in forti Golias, in piſtore Hieroboam.Sed quoniam contendebat Dina,aquam effundebat Aaron, & nudus erat Ionas, tunc ſolem petebat Auſes, vt ſiccaretur Berſabee. Pro quo facto, iuſsit eos Rex, ad ſe venire, qui venerunt

altera

altera die,& munera ei obtulerunt. Primus itaque omnium obtulit arietem Abraham, taurum Tecla, ouiculam Noë, camelum Rebecca, leonem Sampſon,ceruum Eſau,vitulum Ieſus, iumentum Iacob, currum Helias, veſtem Iudith,crines Berſabee, ligna Iſaac,frumentum Ioſeph,reſinam Ruben, pecuniam Abimelech, ſtrobilos Leui, capſam Moyſes, fauum Petrus, copias Abigea. Sed quoniam ante diem conuiuij, quædam de conuiuio ſubducta fuerant,iuſſu regis inquirebatur ab eis. Inuolauerat enim ſtragulum multicolorium Agar, ſigillum aureum Rachel, ſpeculum argenteum Tecla, ſciphum bibitorium Beniamin, annulum ſignatorium Thamar, cooperto-rium ſubſericum Iudith, lanceam regiam Dauid, alienam vxorem abduxerat Abimelech. Tunc iuſsit Rex, vt omnes qui fuerant in conuiuio, ducerentur ad tormenta. quo facto, primus omnium innocens decollatur Iohannes, occiditur Abel, foras proiicitur Adam, timens obmuteſcit Zacharias, fugit Iacob, quæritur Enoch, turbatur Abimelech, immutatur Nabuchodonoſor, deprecatur Abraham, transfertur Helias, ſupprimitur Dina, includitur Noë, impingitur Agar, ſuffigitur Ieſus, damnatur Daniel,accuſatur Suſanna,adligatur Ioſeph,occiditur Martha,tollitur Abbacuc, beſtiis datur Tecla, in fornacem mittitur Ananias, vinculis ſubſtringitur Sampſon, punitur Vrias, flagellatur Paulus, tenditur Eſaïas, expoliatur Ionas, lapidatur Hieremias, excæcatur Thobias: non credebant Moyſi, ſubducitur Abiron,ſuſpenditur Abſalon,confunditur Rebecca, tranſducitur Agar, arguitur Pharao, relinquitur Iſrael, abducitur Datan, deprimitur Coreb, copulatur Iſaac,mittitur Nathan, conuincitur Amalech, maledicitur Iudas, dehoneſtatur Mambres,cogitur Loth,interficitur Phinees, dimittitur Ofni, timens moritur Heli, comprimitur Dina, decipitur Eſau, ſubſtringitur Saul, dolet de facto Iob, interrogatur Eua, neſcio clamat Cain, tenetur & negat Petrus. Sed quoniam multorum conſcientia erat in furto, quod erat ſuſpiciens Raab, quærebatur Laban, infamabatur Suſanna, arguebat Iohannes, negabat Rachel, docebat Moyſes, plorabat Triphæna, obſeruabat Maria, adtendebat Oneſiphorus, triſtis erat Iob, iurabat Iacob,non credebat Pharao, mentiebatur Hieroboam, pauebat Suſanna, erubeſcebat Rebecca, plangebat Hieremias. Poſtmodum ſcrutatis omnibus, inuentum eſt furtum apud Beniamin, quod erat in conſcientia Ioſeph. Et poſteaquam probatum eſt Regi quod Agar filius Carmi,ſolus eſſet reus furti, iuſsit eum mori, donauitque eum omnibus. Tunc occaſione accepta, primus omnium calce eum percuſsit Moyſes, abiit in complexum Iacob, veſtem detraxit Tecla, ad terram eliſit Daniel, lapide percuſsit Dauid, virga Aaron, flagello Ieſus: medium aperuit Iudas, lancea transfixit Eleazar. Tunc iuſsit Rex vti qui mortuus eſſet, ſepeliretur,& vendidit agrum Laban,emit Abraham, Ioſeph monumentum fecit, & ædificauit Nachor, aromata impoſuit Maria, cluſit Noë, ſuperſcripſit Pilatus, precium accepit Iudas: quo facto gaudens clamat Zacharias,confunditur Eliſabeth,ſtupet Maria, ridebat de facto Sara,explicitiſque omnibus, domos ſuas repetierunt.

PRINCIPIO Dominus cælum terrámque creauit:
Nanque erat informis fluctúque abscondita tellus:
Immensúsque Deus super æquora vasta meabat,
Dum chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.
Has dum disiungi iussit de cardine, fatur,
Lux fiat, clarè & nituerunt omnia mundo.
Cum Dominus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem,
Accipit immensus verrentia littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulua retexit:
Arida mox posito narratur nomine terra:
Florea ventosis consurgunt germina campis,
Pomiferíque simul procuruant brachia rami.
Quarta dies generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine fingit.
Hæc elementa dedit subiecto insignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
At quinta accipiunt liquentia flumina pisces,
Et volucres varias suspendunt corpore pennas.
Sexta prægelidos in spiras lubricat angues,
Quadrupedúmque greges totos diffundit in agros:
Cunctáque multiplici mandauit crescere passim
Germine, & immensis errare & pascere terris.
Hæc vbi constituit diuina potentia iussu,
Rectorem inspiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat, Nostris hominem faciamus in vnguem
Vultibus adsimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc vno solo posset componere verbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
Inspirat brutum diuino à pectore pectus.
Quem postquam effigie formatum ceu sua vidit,
Metitur solum mordaces voluere curas.
Ilicet inriguo perfundit lumina somno,
Mollius vt vulsa formetur fœmina costa,
Atque artus mixtu gemino substantia firmet.
Inditur & nomen vitæ, quod dicitur Eua.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Coniugibúsque suis positis cum sedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quieuit,
Sacrata statuens venturi gaudia secli,
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet, indit
Adami à Domino donata prudentia solers.
Quem Deus adloquio, iunctam dignatur & Euam:
Crescite multimodo ventura in tempora partu,
Vt polus & plenæ vestro sint germine terræ:
Hæredésque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de cespite campi.
Hæc vbi disseruit, læta paradisus in aula

Instruitur

Inſtruitur, primíque aſpectat lumina ſolis.
Gignitur hæc inter pomis letalibus arbos,
Coniunctum generans vitæ mortíſque ſaporem.
AEdibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidóſque ſecat vndante ex fonte meatus:
Phiſon auriferis prædiues fluctuat vndis,
Conſpicuáſque terit rauco de gurgite gemmas:
Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens:
Perſpicuúſque vadis terram prælambit Euilat.
Poſt hunc AEthiopas Gæon adlapſus opimat.
Tertius eſt Tigris Eufrati adiunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum coniuge fida,
Atque opifex, tali formatur voce tonantis:
Ne trepidate ſimul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonſum ramo frondente creauit,
Solliciti ne forte malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino diſcreta ad munia ſucco.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos veſtis nec texerat artus.
Has inter ſedes & baccis mitibus ortus,
Spumeus aſtuto vincens animalia ſenſu,
Serpebat tacite ſpiris frigentibus anguis,
Liuida mordaci voluens mendacia ſenſu,
Fœmineo tentat ſub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Nunquid poma Deus non omnia nota ſacrauit?
E queis ſi ſtudeas mellitos carpere victus,
Aureus aſtrigero remeabit cardine mundus.
Illa negat, vetitóſque timet contingere ramos:
Sed tamen infirmo vincuntur pectora ſenſu.
Ilicet vt niueo iam mitia dente momordit,
Adfulſit nulla maculatum nube ſerenum:
Tum ſapor illecebram mellitis faucibus indens,
Compulit inſueto munus deferre marito.
Quod ſimul ac ſumpſit, deterſa nocte nitentes
Emicuere oculi mundo ſplendente ſereni.
Ergo vbi nudatum proſpexit corpus vterque,
Cúmque pudenda vident, ficulnis frondibus vmbrant.
Forte ſub occiduo Domini iam lumine ſolis
Agnoſcunt ſonitum, trepidíque ad deuia tendunt:
Tum Dominus cæli mœſtum compellat Adamum:
Dic vbi nunc degas? reſpondit talia ſupplex,
O Domine adfatus pauido ſub corde tremiſco
Magne tuos, nudúſque metu frigente fatigor.
Tum Dominus, Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfuſa die, liquidúmque ſerenum
Adfulſiſſe ſibi, ſolémque & ſidera cæli.
Protinus ira Dei turbatam territat Euam,
Auctorem vetiti dum quærit maximus acti:

Illa ſub hæc pandit, Serpentis ſuaſa loquentis
Accepi fallente dolo blandóque rogatu.
Nam ſua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narrauit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat geſta draconis,
Præcipiens cunctis inuiſum viſere monſtrum:
Pectore mox fuſo prorepere, tum ſola morſu
Pandere, manſuro quęcunq; in tempora bello,
Humanos inter ſenſus ipſúmque labantem,
Vertice vt abiecto pronus poſt crura virorum
Serperet, vt calcet dum labens cõminus inſtat.
Fœmina fraudigeris miſere decepta loquelis,
Præcipitur duro diſcrimine ponere partum,
Seruitiúmque ſui ſtudio perferre mariti.
Tu vero cui viſa fuit ſententia verax
Coniugis, immiti ceſsit quæ victa draconi,
Deflebis miſerum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſsis
Carduus, & ſpinis multum paliurus acutis,
Vt cum viſceribus laſsis & pectore mœſto,
Plurima ſollicitos præſtent ſuſpiria victus,
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Vnde geris corpus, terræ reddare iacenti.
His actis dominus trepidis dat tædia vitæ,
Deiectóſque procul ſacratis dimouet hortis,
Obuerſóſque locat, medióque eliminat igni,
In quo perceleri Cherubim euoluitur æſtu,
Dum calidus deferuet apex, flammáſque volutat.
Queis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Conſuit euulſas pecudum de viſcere pelles,
Operiens nudos calidis de veſtibus artus.
Ergo vbi coniugio ſeſe iam fidus Adamus,
Eſſe virum ſenſit, nomen genitricis amatæ
Exhibet vxori, bino qui germine factus
Continuo genitor, diuerſis nuncupat orſis.
Atque Cain hic nomen habet, cui iunctus Abelus:
Innocuas huius ſeruabat cura bidentes,
Aſt alius curuo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuo ferrent ſua dona tonanti,
Diſsimiles fructus ſenſu ſuadente dedere.
Nam prior vberibus fuerant quæ proſata glebis
Obtulit: aſt alius miti ſe deuouet agno,
Exta manu ſincera gerens adipémque niualem.
Confeſtímque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, ſi rectum viuas, & noxia cernas,
Degere non poſsis contracto à crimine purus?
Deſine mordaci fratrem diſperdere ſenſu,
Qui tibi ceu domino ſubiectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arua,
Atque vbi deprenſum deſerto in gramine vidit,

Elidit

Elidit geminis fraudans pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cælo ſpeculatus ab alto,
Diſquirit quónam terrarum degat Abelus:
Ille negat poſitum cuſtodem ſe fore fratris.
Cui Deus effatur, Nónne vox ſanguinis eius
Ad me miſſa ſonat, celſumque aſcendit ad axem?
Noſce igitur manſura tibi pro crimine tanto.
Nam modò quæ maduit germani ſanguine terra,
Inuiſo maledicta tibi commiſſa negabit
Semina, & adſumptis fructum non proferet herbis.
Torpidus vt multo collidens membra tremore.

EIVSDEM CYPRIANI SODOMA. CXV.

IAM Deus omnipotens, primiqui tempora ſecli
Vindice diluuio cunctis aboleuerat vndis,
Quas cælum ſparſit terræ, maris expuit æquor:
Hactenus & liquido pœnas decernere pactus
Excidio, quoties hiemes induceret aër,
Frenandis varium pluuiis mandauerat arcum,
Purpureo & viridi ſignantem nubila limbo:
Iridis huic nomen, propria eſt quæ fibula nimbis.
Sed recidiua hominum pariter cum gente ſecunda
Impietas, iterúmque mali noua pullulat ætas,
Excidio iam non imbres ſortita, ſed ignes.
Sic Sodomûm meruit tellus ardentibus vri
Facibus, & finis portendere ſigna futuri.
Effera luxuries illic inimica pudoris,
Inſtar legis erat, fugeret quam præſcius hoſpes,
Ante vel ad Scythicas, vel apud Buſiridis aras,
Exoptans per ſacra necem, cæſúſque cruorem
Fundere Bebrycium, & Libycas ſatiare paleſtras:
Antéque vel Circæa nouas per pocula formas
Sumere, quàm læſum Sodomis amittere ſexum.
Pulſabant cælum inuidia connubia mixta,
Inceſtu parili generis natura rebellis
In ſeſe, læſúmque viri cum corpore nomen.
Tempore ſed certo Deus omnia proſpeculatus,
Iudicat iniuſtos, patiens, vbi criminis ætas,
Ceſſandi ſpacium vis nulla coëgerit iræ.
Iámque dies vltrix aderat: duo de grege miſsi
Angelico, forma iuuenes, qui ſpiritus ambo
Diua miniſterio Domini mandata ferebant,
Succedunt Sodomis: illic de ſtirpe piorum
Tranſuena Loth aderat, ſapiens, iuſtíque colonus
Vnus erat meminiſſe Deum, ſolet vtilis arbor
In ſiluis latitare feras velut hoſpita fructu.
Is tunc pro porta reſidens, vix mœnia adibant
Cælicolæ, quanquam diuinos neſcius, vltro
Aduocat, adpellat, patrio veneratur honore,
Hoſpitióque vocat, longe ſtabulare parantes,
Eniſus longis precibus, pia pignora menſa,

Officiíſque probis ſtudio diſpungit amicos.
Nox requiem dederat, lux ſoluerat altera noctem,
Et Sodoma in foribus ſtrepitat conqueſta rudendum.
Loth contra ſupplex, Ne vos nunc pacta libido
Incendat iuuenes ipſam fœdare iuuentam:
Quo luxus genitura vocat? quo ſemina fruſtra?
Quo nullæ nuptant animæ, non luſtra colentes,
Non ſtabulis reduces, non vndis ſubter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,
Nec quæ per terram protracto corpore reptant.
Omne genus luxu genus eſt, ſed fœmina coniux
Omnibus, & nunquam cuiquam niſi fœmina mater.
Nunc ſi fas iuuenilis habet vaſtare pudorem,
Sunt intus natæ biiuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, iam dedita meſsi,
Digna cupido viris, tulerit quam veſtra voluptas:
Dedo pater, próque hoſpitibus penſabo dolorem.
Vulgus ad hæc demens, quiſnam tu, quantus, & vnde,
Qui nobis domineris, ait, legéſque recondas?
Tranſuena num rector Sodomorum, vt ingerat iras?
Nunc igitur tu te ipſe lues, quod noſtra cupido eſt,
Pro natis, próque hoſpitibus: ſatis vnus in omnes.
Dicta & facta ſimul: vulgi mora nulla furentis,
Turbidus hiberno vt dum voluitur impete torrens,
Riuorum numeros vno pede vehitur in omnes,
Si qua illic arbor rapidis offenditur vndis,
Haud manſura diu, quantum radice licebit
Crinitas durare moras, vbi ſubter adeſam
Perdit humum circunfoſſo iam caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi
Nutabat vinci propè iam: ſed diua poteſtas
Subuenit: angelici iuuenes de limine raptum
Reſtituunt tectis: demens ſed vulgus ibidem
Pœnarum auſpiciis interdum lumine multant.
Tunc decreta Dei reſerant, dignam adfore pœnam
De cælo Sodomis: ipſum meruiſſe ſalutem
Iuſtitiæ titulo. Quin ergo accingeris iſthinc
Feſtinare fugam, paritérque educere ſi quid
Gentis habes? nos exitium iam inducimus vrbi.
Loth generos citus adloquitur: ſed dura hominum mens
Credere deſpexit monitum, riſitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcendere tentat,
Et bicolor cæli facies de nocte diéque eſt,
Inſtabant iuuenes Chaldæam educere gentem
Ex Sodomis iuſtamque domum donare ſaluti.
Eia age Loth exſurge, tuámque adſume iugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito,
Præueniens Sodomûm pœnas. manibus quoque amicis
Producunt trepidos, atque hæc ibi cetera mandant,
Serua Loth animam: ne viſum in terga retrorſum
Vertere forte velis, cœptum vel ſiſtere greſſum

In montem

In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cæleſtes ne prius iræ
Opprimerent: alios igitur depoſcere portus
Adgreditur, paruam quam contra aſpexerat, vrbem.
Huc, inquit, contendo fugas: vix mœnibus extat,
Nec longè, nec magna, mihi fauete precanti.
Vrbis & ipſius pariter geſſere ſalutem.
Segor inde loco nomen vox barbara nouit.
Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Vltimus ille quidem, in Sodomamque incendia feruens
Infert. nam totos radios armauerat igni:
AEmula ſubſeritur caligo, includere lucem
Cœptans, atque globos confuſo intexere cælo:
Fumantes coëunt nubes, nouus inruit imber,
Sulfura cum flammis flagrantibus æſtuat æther,
Exuſtus crepitat liquidis ardoribus aër.
Hinc habet in falſo de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optaſſe paternos,
Nec valuiſſe leuem puerum frenare ſuperbos
Ignis equos, arſiſſe orbem, tunc fulmine raptum
Aurigam inlicitum planctum mutaſſe ſorores.
Viderit Eridanus, ſi qua illic populus albet,
Aut ſi quis plumat ſenio modulatior ales.
Hîc aliter verſæ mœrent miracula formæ.
Nanque comes coniux, heu me, male tum quoque legis,
Fœmina non patiens, diuina ad murmura cæli
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit,
Non habitura loqui quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſa & imago ſibi, forma ſine carne reſeruans,
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quinetiam ſi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore, ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.
Nuſquam ſunt Sodomi, nuſquam illorum impia lucent
Mœnia, cum dominis domus omnis inops ita nuſquam:
Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore fauillæ,
Hincque ſitu cano cineres incendia ſignant.
Occidit illa prior feritas. quàm proſpiciens Loth.
Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam ſi qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes, facile optima ſeſe
Promittunt oculis, pira, perſica, & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactu,
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.
Sic igitur cælo pariter terraque ſepultis
Nec mare viuit ibi, mors eſt maris illa quieti,
Quod nullos animat per anhela volumina fluctus,
Quodque etiam patrio nunquam ſuſpirat ab auſtro,
Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem

Squamigeram, læuíve cuti vel cortice ſeptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam.
Solum illic propria mentitur fruge bitumen,
Exuſti fuligo maris, quod viuidus ardor
Subter ſtagna coquens de ſulfuris & ſalis æſtu,
Temperat, inque picem dat terræ hærere marinam.
Inuehitur proprio cùm tempore pingue crematæ
Virus aquæ, ſpumiſque cutis ſuper æquora nigra
Texitur, adpellunt queis eſt ea captio mercis:
Adclinant laterum læues libramine lembos,
Vt ſemel impoſitam doceant conſcendere venam.
Nam ſe ſponte leuans adnabit inertis ad ora
Nauigij, preſſumque dabit præ munere largo,
Ni plaga contigerit quam menſis fœmina veſtit.
Ecce aliud monſtrum pelagi de clade notatur:
Cuncta illic immiſſa natant: natura receſsit
Mergendis data corporibus. ſi denique teſtæ
Luciferam narem ſiſtens qua ſpiritus igni eſt
Velificauit apex, flammæ ſi flamma perempta eſt,
Ibit ſubter aquas deſtructio naufraga lucis.
Hæ Sodomûm & Gomorûm ſignatæ in ſecula pœnæ
Gentibus iniuſtis, queis corpora dura timorem
Deſeruere Dei, cæleſtia iura tueri,
Inque vnum rerum dominum ſperare docebunt.

HYMNVS CYPRIANI DE CRVCE DOMINI. CXVI.

EST locus ex omni medium quē credimus orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt:
Hîc ego de ſterili ſucciſo robore lignum
Plantatum memini fructus genuiſſe ſalubres,
Non tamen hoc illis qui ſe poſuere colonos
Præbuit: externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc ſpecies vno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos,
Sicut plena grauis antennæ carbaſa tendunt,
Vel cum diſiunctis iuga ſunt ad aratra iuuencis.
Quod tulit hoc primo, maturo ſemine lapſum
Concepit tellus: mox hinc mirabile dictu,
Tertia lux iterum terræ ſuperiſque tremendum
Extulerat ramum vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis conformiter ille diebus
Creuit in immenſum, cælumque cacumine ſummo
Contigit, & tandem ſanctum caput abdidit alte:
Dum tamen ingenti biſſenos pondere ramos
Edidit, & totum ſpargens porrexit in orbem,
Gentibus vt cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui poſſe docerent.
Explicitis etiam mox quinquaginta diebus
Vertice de ſummo diuini nectaris hauſtum
Detulit in ramos cæleſtis ſpiritus aura.

Dulci

Dulci rore graues manabant vndique frondes.
Ecce ſub ingenti ramorum tegminis vmbra
Fons erat: hic nullo caſu turbante ſereno,
Perſpicuis inlimis aquis, & gramina circum
Fundebant lætos vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes populiq́ coïbant
Quàm varij generis, ſexus, ætatis, honoris,
Innuptæ nuptæq́ ſimul, viduæq́ nuruſq́,
Infantes pueriq́, viri, iuueneſq́ ſeneſq́.
Hic vbi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, auidis adtingere dextris
Gaudebant madidos cæleſti nectare fructus.
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ veſtigia fœda prioris
Detererent, corpuſq́ pio de fonte lauarent.
Ergo diu circunſpaciantes gramine molli,
Suſcipiunt alta pendentes arbore fructus:
Tunc ſi quæ ex illis delapſa putamina ramis,
Et dulces multo rorantes nectare fructus,
Veſcuntur, veros optantes ſumere fructus.
Ergo vbi cæleſtem ceperunt ora ſaporem,
Permutant animos & mentes perdere auaras.
Sæpe quidem multi renouatis mentibus ægros
Reſtituêre animos, & quæ ſe poſſe negabant,
Pertulerunt, fructumq́ ſui cœpêre laboris.
Multi etiam ſanctos auſi contingere fontes,
Diſceſſere iterum ſubito, retroq́ relapſi,
Sordibus & cœno mixti voluuntur eodem.
Multi vera bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penituſq́ in viſcera condunt.
Ergo quique ſacros poſſunt accedere fontes,
Et quos ſeptima lux optatas ſiſtit ad vndas,
Tingunt in liquidis ieiunos fontibus artus.
Sic demum inluuiem mentis, vitæq́ prioris
Deponunt labem, puraſq́ à morte reducunt
Inluſtres animas, cælique ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, & dulcia poma ſalutis:
Inde iter ad cælum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ cunctis credentibus. Amen.

CYPRIANI, AD QVENDAM ſenatorem ex Chriſtiana religione ad idolorum ſeruitutem conuerſum. CXVII.

CVM te diuerſis iterum vaniſq́ viderem
Inſeruire ſacris, priſcoq́ errore teneri,
Obſtipui motus: quia carmina ſemper amaſti,
Carmine reſpondens properaui ſcribere verſus,
Vt te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim te Matrem credere magnam
Poſſe deam dici, rurſuſq́ putare colendam,

Cuius cultores infamia turpis inurit?
Nanque ſacerdotes tunicis muliebribus idem
Interius ritum cultu exteriore fatentur:
Idque licere putant, quod non licet: vnde per orbem
Leuiter incedunt, mollita voce loquentes,
Lapſatoſque tenent extenſo pollice lumbos,
Et proprium mutant vulgato crimine ſexum.
Cumque ſuos celebrant ritus, his eſſe diebus
Se caſtos memorant: at ſi tantummodo tunc ſunt
Vt perhibent, caſti, reliquo iam tempore quid ſunt?
Sed quia coguntur ſaltim ſemel eſſe pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.
Quale ſacrum eſt vero quod fertur nomine ſanguis.
Nunc etiam dicis quod te non fecerit ætas,
Sed tua relligio caluum, caligaque remota
Gallica, ſit pedibus molli redimita papiro.
Res miranda ſatis deiectaque culmine ſummo,
Si quis ab Iſiaco Conſul procedat in orbem
Riſus oris erit: quis te non rideat autem,
Qui fueris conſul, nunc Iſidis eſſe miniſtrum?
Quódque pudet primo, te non pudet eſſe ſecundo,
Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos
Reſpondente tibi vulgo & lacerante ſenatu.
Teque domo propria pictum cum faſcibus ante,
Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam.
Hæc tua humilitas, ſed & humilitatis imago eſt.
AEdibus illa tuis ſemper monimenta manebunt.
Rumor & ad noſtras peruenit publicus aures,
Te dixiſſe, Dea erraui, ignoſce, rediui.
Dic mihi ſi valeas, cum talia ſæpe rogares,
Et veniam peteres, quæ tecum verba locuta eſt?
Vere mente cares, ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis, nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide: minus eſſes forte notandus,
Si tantum hoc ſcires, & in hoc errore maneres:
At cum vericolæ penetraueris oſtia legis,
Et tibi noſſe Deum paucis acceſſerit annis,
Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nilque colis, dum cuncta colis, nec corde retractas
Vera quid à falſis, quid ab vmbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis, cum te ſententia mutet:
Nam tibi ſi ſtomachum popularis mouerit aura,
Et Iudæus eris, totuſque incertus haberis.
Indulge dictis, ſapientia non placet alta:
Omne quod eſt nimium contra cadit: vnum operantur,
Et calor & frigus: ſic hoc, ſic illud adurit,
Sic tenebræ viſum, ſic ſol contrarius aufert,
Et pariter lædunt gelidum feruenſque lauachrum,
Eſca alitur corpus, corpus corrumpitur eſca,
Vimque ſuam minuit, ſi quid protenditur vltra.
Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris:
Si multum ſedeas, labor eſt. Maro nanque poeta

Pro

Pro pœna posuit, Sedet æternusque sedebit
Infelix Theseus: semper nocet vtile longum,
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant:
Sic nimium sapere stultum facit improba secta:
Me Dea sic docuit, moderamen amabile dixit.
Sed tu nec sectam modo, nec moderamina curas,
Mens autem stabilis nullo peruertitur æstu,
Ipsaque simplicitas nunquam mala cogitat vlla.
Hinc sincera fides æterna fide fruetur:
Et contra dolus longo cruciabitur igni.
Elige quid velis, vt digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam,
Vt leue crimen erit, si nolis noscere vera:
Non leue crimen erit, si cognita vera relinquas.
Sed te correctum forsan matura senectus
In melius reuocat satiatum erroribus istis.
Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
Tunc igitur cum te consulta reduxerit ætas,
Disce Deo seruare fidem, ne forte bis vnum
Incurras lapsum: quia vere dicitur illud,
Qui pedis offensi lapidem vitare secundo
Nescit, & incautus iterum vexauerit artus,
Imputet ipse sibi, nec casibus imputet illis.
Corrige delictum fidamine, corrige mentem.
Suffecit peccare semel, desiste vereri:
Non erit in culpa quem pœnitet ante fuisse.

VARIÆ LECTIONES QVÆ IN MANV SCRIPTIS CODICIBVS NOTATÆ sunt, & si quid aliud occurrit obseruatione dignum, auctore eodem Guil. Morelio typographo.

AD DONATVM. pag. 1.

VETVSTA *omnia quæ vidi exemplaria, ab hoc libro hácue epistola Cypriani opera inchoãt. Nam in quibusdam, Epistolæ nomine inscribitur: in quibusdam, Libri. In aliis tantum est,* CYPRIANI AD DONATVM. *Quid de hac epistola censeat Augustinus, habes in Prolegomenis. In quibusdam libris inscribitur, De erroribus mundi & contemptu eius. Apud Trithemiũ, De gratia dei ad donatum.* Bene admones) *Antiqui libri* Ammones, *itáque in reliquis casibus, vt semel adnotasse sufficiat.* Indulgente vindemia) *Liber antiquiss. omnium quos habui, scriptum habet,* Indultis vindemiis. Solennes ac statas) *Libri fere omnes manu scripti quos habut scribunt,* Statutas, *præter vnum in quo est,* Ac ratas tutasque. *sed non magni momenti liber est.* Studentibus fabulis) *id est scrius. sic Græci dicunt,* σπουδαζόντων μύθων. Ac ne colloquium nostrum) *Impressi libri,* Eloquium *quam lectionem repræsentant etiam nonnulli codices scripti.* Petamus hanc sedem) *citat Augusst. de doctrina Christiana lib.* IIII. Per arundines baiulas repunt) *Vnus liber scriptus,* serpunt. Animam simul & auditus instruit, & pascit obtutus) *Duo veteres,* Animus simul & auditus instruitur, & pascitur obtutus. Culminibus ingraueſcit) *In vno antiquo rectius scribitur,* Culmis. In iudiciis, concione pro rostris) *id est tam in genere deliberatiuo & concionali, quam iudiciali. Sic bona pars veterum codicum. Prius erat,* In iudicij contentione. *Vetus vnus,* In iudicio, contentione, pro rostris. Opulenta facundia volubili ambitione) *Antiquissimus liber,* Opulenta sit facundia, neque volubili iactetur, cum de domino Deo vox est. Vocis puræ sinceritas, *&c.* Eloquentiæ viribus nititur) *Aliquot exemplaria scripta,* Vtitur. Nec ad audientiæ popularis) *in antiquissimis duobus legitur,* Nec audientiæ popularis inlecebram culto sermone fucatam, *&c.* Ego cum in tenebris) Ergo *quidam manuscripti habent.* Hominem animo ac mente mutaret) *sic omnes veteres mei libri præter vnum, in quo scribitur vt erat in impressis,* Homo animum ac mentem mutaret. Quin impossibilis, aiebam) Quî possibilis, *duo veteres & ad finem clausulæ nota interrogationis.* Quod vel genuinum, situ materiæ naturalis obduruit) *Alia lectio in antiquo vno,* Quod vel genio situm materiæ. Hic stipatus clientum cuneis, & frequent.) *Alia lectio in tribus usque bonis libris antiquis,* Hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatur: pœnam, *&c.* Tenacibus semper inlecebris) *Addunt duo antiqui libri, alter,* Assuetum: *alter* editũ: *quibus non videtur opus esse.* Erroribus implicatus) *Impressi & aliquot scripti,* horroribus. Velut iam propriis ac vernaculis adfauebam.) *Pro* iam, *vetus vnus,* etiam. *vt pro* adfauebam, *aliquot antiqui,* fauebam. Scis ipse, nec prædico. In propriasque laudes odiosa iactatio est) *Impressi aliter distinguebant,* nec prædico in laudes meas. Ociosa iactatio est. *veteres quos habeo omnes, vt ego impressi distinguunt. in vno tamen est* Ociosa, *& in alio,* Odiosa vel iactatio. Sit tantum timor, innocentiæ) *Impressi addunt* in nobis, *quod in nullo veterum est.* Qui in mentes nostras) *Veteres libri omnes sic habent.* Quod *habent impressi. veterem scripturam sequimur, vt* Qui *ad nomen* Dominus *pertineat. Duo veteres codices habent,* Qui in mentes nostras inluxit. Ne accepta) *Impressi deprauate,* nec accepta.

Inlapsa firmitate vestigiis tuis: si in Deum) *Ita veteres multi. alij* vestigij tui. In medulla adolentium) *vetustus quidam,* in medelam dolentium. *Impressi,* adolescentiũ, *& scripti aliquot.* Ferocientibus) *Alia lectio in antiquo libro,* Ferocibus. Et pœna manifesta) *lectionem, quam impressi habebant, nulli de meis manuscriptis habent,* Sed pœna manifesta. *vt quod sequitur in illis,* Sed quod necdum corpus: *in his absque* Sed *legitur.* Vt quis expiatus & purus) Vt quis piatus, *Antiquissimus liber manu scriptus.* Inimici labe) *In vno veteri,* Lue. Diuini muneris) *Alia lectio in veteri codice,* Diuini numinis. Cum publice geritur) *id est, quia publicum est vel publice fit, nemo crimen putat: quod infra dicit.* Et cœpit licitum esse quod publicum est. Omni solitudine tristiorem) strictiorem, *antiquissimus liber.* Non tantum geritur, sed docetur) *In vno veteri est,* sed discitur. Et gloria est quod peremit) *Vnius codicis scriptura habet,* & gloriæ est.

Damnauit ad bestias) *duo posteriora verba non habent impressi, nec aliquot scripti libri.* Honesta satis forma) *Alias in antiquis,* Venusta. Viuentes in vltroneum funus) *Quidam antiquus non male,* Furentes. Hoc prò dolor, mater & redimit) *Alia lectio in quibusdam est antiquis,* matres redimitæ. Támque diris) *Addunt impressi* Sceleribus. *cui lectioni refragantur veteres libri. pro*

diris, *in quibusdam est*, duris: *in aliis*, diuersis. Ad diuersi spectaculi) A diuersis spectaculis, *in duobus antiquis scribitur.* Conspicies) *Alias in vetusto codice*, Conspicias. Turpitudinum magisterio) *In quibusdam scribitur*, Turpitudinis magisterium. Alimenta vitiorum) *Quidam codex scriptus*, incitamenta. Histrionicis gestibus) *Idem liber*, gestionibus. Contra fœdus iúsque nascendi) legémque nascendi, *scripti quidam.* Euitantur mares, honor) *In vno veterum scriptum est*, Hebetatur maris honor omnis in hominibus. In laudem crescit) *In eodem legitur*, & laudem consequitur. In illa sublimi specula substitutus) *Antea in impressis vitiose*, In illo sublimi speculo constitutus. Nec ipsis possunt placere) *Alia lectio*, nec illis. *Impressi vtranque exprimebant sine causa.* Quasi conscientia satis non sit) *In veteri vno scribitur*, quasi conscientiam suam non posse effugere satis non sit. Quod cum admiserint:) *In eodem libro*, & alios qui admiserint. Ore illo) *Addunt impressi*, polluto. *quod in nullis scriptis reperio.* Ab iniuriis lacessentibus) *Tres antiqui libri.* Lassescentibus, *vt ad personas referatur, non ad iniurias*, Iura præscripta sint) proscripta, *libri duo manu scripti.* Hic testamentum subiicit) *Quidam scripti*, testamentum subducit. Inimicus insimulat, calumniator, *&c.*) *Liber antiquus*, Inimicus insimulat, calumniatur, impugnat testes, infamat verum. Vbique grassatur. Inter nocentes innoxium, crimen est) *scriptus vnus*, Inter innocentes obnoxium crimen est. *Alter.* Inter innocentes innoxium, crimen est. Soli ibi qui damnentur) Soli tibi, *habent vetusta aliquot exemplaria.* Sed nos videamur) *Impressi*, ne nos. *quod in manu exaratis nullis reperio.* Virus occultum est) *Antiquiss. liber*, Occultatum est. Vbi epota res est) *Tres antiqui codices*, epotata res est. in quarto, epotatum est. Quot tumentium contumelioſa vestigia) Quæ, *bona pars librorum. in antiquiss. tamen est.* Quot, Auceps temporum palpator) *Impressi vitiose*, Anceps, *repugnantibus vetustis libris.* Sed & quos dantes opinaris) *Antiquiss. manu scriptus*, Sed & quod. Non cibus securos somnus ve contingit) *Impressi*, se curus, *quæ lectio nulla veterum scriptorum auctoritate nititur.* Atque ô detestabilis) *In antiquissimo est*, Atque instabilis. Fortunis angentibus) *Vetus codex*, augentibus. Cum indigentibus nulla partitio) *in vno*, participatio: *in alio*, portio *scribitur.* Sit licet satellitum manu septus) manus adeptus, *quidam in scripto habet.* Vt non sit & ipse securus) Vt *in plerisque deest.* Dignitatis & honorum) *Vnus liber iſque optimus*, & honoris. Oculos tollit) *Plures libri*, oculos suos. Intra suam iacere cõscientiam) Infra, *libri duo antiqui.* Quàm perennibus bonis) affluens *addit liber vnus scriptus manu.* Videre quæ in nos) *Antiquiss. libri lectio est. Alij quidam habent*, Viderit: *alij*, Videris: *nonnulli*, Viderísque quam in nos. Et gratuitum, de Deo munus, & facile est) *Antiqui omnes libri quibus sum vsus, hanc lectionem retinent, qua docet Cyprianus, Diuina munera non modo gratuita esse, sed etiam facilia. Eam sententiam cum quidam opinor, non intelligerent, verba alia interseruerunt, itáque imprimendum curarunt,* Sed gratuitum de Deo munus religioſa mente concipitur, & facile est. *eadem audacia duas sequentes sententias huic adtexuerunt. obidque pro* anima, diuina *suppoſuerunt, vt sensui suo omnia quadrarent.* Et præcioſi marmoris crustis) *Antiquissimus liber*, præcioſis marmorum crustis. Luminemus luce iustitiæ) Inluminemus, *vnus antiquus habet.* Nec pigmento patrietis) *idem liber & alius*, paries. Stabilem, quæ possessionis non habent veritatem.) *in vno scribitur*, Sterilémq;. Hoc manet) *Aliquot scripti*, Hæc manet. Hæc interim breuibus) *in quodam scripto*, breuiter. Mentem in Deum) *Multi libri*, in dominum. Fidem tutam, salutaribus) *Alias in scriptis*, Fidem tuam salutaris, *& c.* Inclinante iam sole) *legitur &* Inclinato, *in vno manu scripto.* Sonet psalmos conuiuium sobrium) psalmus *habent quidam libri scripti.* Adgredere hoc munus ex more) *Hunc locum ita scriptum habet vnus meorũ veterum*, aggredere hoc munus tuo ore magis. Pascat nos spiritalis auditio, delectet aures religioſa mulcedo.

AD DEMETRIANVM. pag. 7.

AD Demetriannm *Veteres quidam codices inscribunt*, Epistola ad Demetrianum. *est qui addit*, Paganum, sacrilegum. Aduersus Deum) *alias in antiquis*, aduersus Dominum. Magisterij diuini auctoritate) *in quodam veteri est*, magisterij diuini & nominis auctoritate. Ne inculcent eas pedibus suis) *Alias*, ne conculcent ea pedibus. *absque suis*, Vocibus malles tua personans impudenter) *Tres veteres manu scripti*, Vocibus insonans, malles tuas impudenter ingerere, quam nostras patienter audire: ineptum mihi videbatur. Inritus est, & nullius effectus est,) *Alias legitur*, Et nullus effectus. Indocilem) *Antiquissimus liber*, Indocibilem. Respondemus igitur) *quidam codices*, Respondeo. Odia tuis maledicis vocibus) *alias*, Odia tua. Quia ignarus Diuinæ cognitionis) *Antiquissimus liber*, Quàm ignatus diuinæ cogitationis. Robore eo) ipso *in quodam est.* Solita flagrantia est) *Vetustus quidam liber*, Solis tanta flagrantia est. Nec sic verna temperie sata læta sunt) *in antiquo*, vernante temperie. *in impressis*, verna de temperie, *&* vernali temperie. In amicitiis concordia) *aliquot codices antiqui*, In amicis. Quanta prius potuit) *in veteri quodam*, quantum. Iuuenta) Iuuentute, *alias.*

Exoletis

Exoletis cornibus ʃ exilis, *habet vnus liber antiquus*. Fit postmodum sterili senectute ʃ *Veteres duo*, Sterilis, senectute deformis. Hæc Christianis imputas ʃ *in plerisque vetustis* Hæc *non legitur*. In senectutem desinit ʃ *alias in auferendi casu*, in senectute. Quod sterilitates & fames, ʃ *in aliis libris est*, sterilitas *numero vnitatis*. Et hoc scias satis esse prædictum ʃ Satis esse *non est in aliquot vetustis libris*. In plagas generis humani, censuram. ʃ *prius erat*, plagas in generis humani censuram. *& quidam manuscripti*, In plagis. Iactat & clamitat ʃ *liber vnus antiquus*, latrat & clamitat. Mundi Dominus & rector ʃ *impressi antea*, dominus cognitor & rector. *& vnus antiquus*, Dominus conditor & rector. Audi loquentem, *& c.* ʃ dicentem, ipsum voce diuina instruentem nos & monentem, *Veteres habent quidam libri*. Et illi soli ʃ *alias* ipsi soli. Non erunt tibi dii alieni ʃ dij alii, *exemplaria vetera habent*. *& mox*, Post deos alios. Ne adoraueritis ʃ ne adoretis, *Vetus codex vnus*. Hæc dicit dominus omnipotens, eo quod domus ʃ *in vno scribitur*, Dominus Deus, Eo quod omnis domus. *quæ duo verba* Deus *&* omnis, *Biblia non habent*. Domuum vestrarum ʃ *Quidam codices*, Domuum eorum. Et super aliam non pluam ʃ Et super alteram, *nonnulli libri*. lxx. ἐπὶ δὲ πόλιν μίαν. Grando cædens ʃ *impressi*, cadens. Si fontem siccitas statuat. ʃ *alia lectio notatur in veteri*, obstruat. Idem Deus ʃ *veteres plurimi*, Dominus. Nec voluerunt accipere disciplinam ʃ *impressi*, nec voluerunt credere, nec accipere disc. *contra fidem codicum*, *& Bibliorum*. Diuinitus plagæ ʃ *antiquissimus liber*, Diuinitatis. Interc ederet ʃ *idem liber*, Intenderet. Maior in hominibus ʃ *antea impressi*, in omnibus. Tu enim Deo seruis ʃ *alias*, non seruis, *absque interrogatione*. *& mox*, Tu non famularis, *item absque interrogatione*. Nisi ad voluntatis impertiuni ʃ *Veteres quidam libri*, Obsequium. Nimius seruitutis exactor flagellas, verberas ʃ *liber antiquissimus*, Nimium seruitutis. *& pro* flagellas, *in impressis* flagellis, *vt cum verbo sequenti coniungatur*. Manet postmodum ʃ *duo libri antiqui*, maneat ergo necesse est postmodum. Cum volucribus cæli ʃ *antea in impressis*, Cum volucribus & volatilibus cæli. Et volatilibus, *nõ est in manu scriptus, nec in Osea*. Quasi ille qui non rapit ʃ *quidam codex*, rapuit. Solitudines diligunt ʃ *melius in alis*, deligunt. Metus nullus ʃ *vnus antiquus*, pauor nullus. Instinctu, rei veritas promitur, *& c.* ʃ *Est liber antiquus qui habet*, instinctore veritatis promitur. certa & manifesta ratione monstratur. Vnde nobiscum ʃ *quidam liber antiquus*, vnde nobis vobiscum. Persecutionibus flagellatis ʃ *alias* flagitatis. Saltem contentus esto ʃ *veteres aliquot libri*, Nec saltem contentus es. Et clamans crebris ac repetitis ʃ *sic optimi libri manu scripti. in aliis est vt & in impressis*, & clamem, & crebris ac repetitis. Et deos vestros ʃ *bonus codex habet*, & deos & deas. Sed ab illis potius coli debes & timeri vt dominus ʃ *quatuor postrema verba ex antiquis libris restituta sunt*. Spiritalibus flagris ʃ *quidam veteres* flagellis. *loquitur autem de exorcistis qui è corporibus dæmonia exorcismis eiiciebant, per inuocationem Christi, qui venturus esset iudicare viuos & mortuos. ea enim formula vtebantur, tum Græci, tum Latini*. Et cognosce ʃ *addit antiquus vnus*, & vide. Sub manus nostras ʃ *quidam veteres*, snb manu nostra. Nisi Deo soli ʃ *vnus codex addit*, omni potenti. Et incuruatus est ʃ *plerique libri absque præpositione*, curuatus est. Corpus incuruas ʃ inclinas, *in vno est*. Cum serpente quem colis, sternis ʃ Pro sternis *liber vnus manu scriptus*, inuoluis. Diaboli ʃ Zabuli, *veteres aliquot libri, quod semel adnotasse sufficiat. Quod enim* δῆ *Attica lingua dicit, hoc Dorica quæ Latinæ quam proxima est, ζᾶ effert. vt* ζαβάλλω, *pro* δῆ βάλλω, ʃ *&* ζάκορος *pro* δῆάκορος, *& c.* Pater misit *Vetus quidam*, Pater filium misit. Pro persecutione vindicta ʃ *Veteres libri aliquot in numero multitudinis*, Persecutionibus. In nostrum nomen ʃ in nos, *vnus è manu scriptis*. Vt memorias tacea mus ʃ *Veteres omnes ita habent, cum in impressis esset antea*, non teneamus. In tanta celeritate ʃ *alias*, velocitate. Ruinis rerum ʃ *optimus codicum veterum sic habet. In impressis antea erat*, ruinis regum. Dulcedinem computat & voluptatem ʃ computat voluptatum *antea in impressis erat*. Tecũ non dolere ʃ tecum æqualiter non dolere, *habebant antea impressi. aduerbium autem* æqualiter *nusquam in antiquis adparet*. Et non erunt nascẽtiæ in vineis ʃ *antea erat in impressis*, & non erit generatio in vineis. *Lectionem illam habent omnes veteres quibus sum vsus. in Abacuc est*, γρυπμάτα. Non præstabunt frumentum ʃ cibum *veteres libri*. Deficient à pabulo oues ʃ *antea male*, à stabulo. lxx. *enim habent*, ἀπὸ βρώσεως, *vt superius* βρῶσιν, *quod cibus est, non frumentum*. Et fidei stabilitate ʃ firmitate *alias in antiquis*. Tolerant, dum bona & prospera futura prospectant ʃ *antiquissimus liber*, Tolerando, bona, *& c.* Vt ex hoc opinetur omnia ista quæ accidunt ʃ *in impressis antea legebatur*, vt ex hoc opinetur non omnia ista quæ nunc accidunt, vobis inrogari. *Secuti sumus fidem codicum veterum*. Pro vobis interim fiunt ʃ *sic manu scripti libri. alias*, pro nobis. Velut clibanus ʃ *impressi addebant* ignis, *contra fidem veterum librorum, & lxx. interpretationem, quam Cyprianus perpetuo sequitur*. Vt pet deleantur ʃ *antea*, vt deleantur. lxx. εἰς ἐξάλειψιν. Transi per mediam Hierusalem ʃ *vetus liber*, per mediam Samariam & Hierusalem. lxx. δι' ἐλθὲ μέσον τῆς πόλεως καὶ μέσον τῆς Ἱερουσαλήμ. In quibus vos ibi eritis ʃ *Duo verba* Vos ibi, *restituta ex antiquis libris, quæ in versione* lxx. *reperiuntur, quæ phrasis Hebræorum est*. Mala accidere ʃ accedere *duo libri manuscripti*. Hanc iræ Dei censurã ʃ *le-*

gitur in veteri quodam,hanc iram, Dei esse censuram. Deum vel sero qu æritc *alias* cognoscite. De profundo tenebrosæ superstitionis emergere⁊ *Vetustus liber*, de profunda & tenebrosa nocte superstitionis. Salutis iter demonstramus⁊ *Tria vetusta exemplaria habent*, Salutaria itinera. Quando istinc excessum fuerit⁊ *bona pars vetustorum*, recessum fuerit.

AD FORTVNATVM. pag. 15.

IN FINE atque in consummatione mundi⁊ *Manu scriptus codex habet in accusandi casu*, Finem & consummationē. De præceptis dominicis⁊ *alias*, diuinis. In stadio num coronabitur⁊ *in nonnullis est*, non coronabitur. *in quibusdam neutrum legitur.* Sex millia annorū plene complentur⁊ *Ab Eusebij supputatione & aliorum veterum multum abest: & à Iudæorum plurimū. Passus est enim Cyprianus anno domini 259. Eusebij sententia, quem à mundo condito numerat 5457. & Hebræi 4203. pro* plene, *in quibusdā impressis est* pene. Si non sollicitū & toto corde vigilāte⁊ *Vetera duo exemplaria*, sollicito. Christus quem confitetur⁊ quē confitemur, *plerique veteres libri.* In vsum singulis proficit vtilitate multorū⁊ *in vetustis aliquot est*, in vsu singulis proficit vtilitate maiore. Pro voluntate cōficie⁊ *antiquiss. liber*, perficies. Militaris tubæ⁊ *ita manu scripti libri, cum impressi haberent*, turbę. Nos enim⁊ *alias*, nos tantū. Et omniū postulationum nostrarum precibus⁊ & omnibus, *codex habet antiquus.* Sic idololatriæ indignetur⁊ *Duo veteres*, idolatræ. *sic enim vbique idolatram & idolatriam scribunt, vt concisio sit de idololatra & idolatria. euphoniæ gratia, vt sæpe fit. Nos vbique integra vocabula impressimus, contra tamen quam scripti libri habeant, receptam iam scribendi consuetudinem sequentes. quod semel admonuisse sit satis: res est exigui momenti.* In fide & virtute⁊ *impressi antea*, & veritate. Et pœnas persecutionum⁊ *impressi*, pugnas. Ac ne expauescat quisquis⁊ *impressi* aliquis, & quis. *omnes manu scripti* quisquis: *quod positum est pro* quisquam, *vt alias sæpe* quisque *pro* quicunque. *quod & in Tertulliano frequens est. Scripturam autem manu scriptorum librorum sequi malui, quàm ad normam Grammaticorum singula corrigere vel potius peruertere.* Et quod plus accepturi sumus⁊ *libri quidam impressi, hoc, initium faciunt decimi tertij capitis. quod in vetustis libris non reperio, nec arbitror Cyprianum hoc voluisse. ait enim superius*, In nouissima parte ponendum quæ spes: *deinde sequitur*, & quod plus accepturi simus, *& c.* In psalmo cxiii⁊ *Eadem verba sunt in psalmo cxxxiij.* Neque nares ad percipiendum spiritum⁊ *vitiose erat in impressis*, neque aures. Nemo enim sibi similem⁊ *ita in vetustis libris & in Bibliis habetur. cum in impressis sit*, Nemo autem. Ipse quidem viui⁊ *Mire deprauati erant impressi qui habebant*, Ipse autem iuxta. Intelligant ab ipsis⁊ *Veteres tres codices manu scripti*, adtendant. lxx. προσάτωσαν. In Deuteronomio⁊ *Antiquus codex vnus*, sicut scriptum est. Alii absque me⁊ *in antiquo libro*, præter me, πλὴν ἐμοῦ. Videte videte quia ego sum⁊ *antiquorum librorum scriptura est. in pressi semel habent* Videte. *Deuteronomij 32. ἴδετε ἴδετε.* Ego occidam⁊ *alias* interimam. Non est qui eripiat qui eruat⁊ *in antiquiss. libro.* In medio cæli⁊ medio cælo, *vetus.* μεσουρανήματι. Dominus vnus est⁊ *ita Deuteron. 6, legitur. alias*, Deus vnus est. *Cyprianus perpetuo sequitur interpretes septuaginta: propterea quæ citat ex eis expendenda sunt.* Mandatis⁊ *alias* præceptis. In exodo⁊ *vetus codex addit*, legitur. Si dimittis illis delictum, *& c*⁊ *in antiquis libris & Exodo ita legitur vt impressi alias scribitur*, Delictum grande: si nautem sine me, & dele. Item in Regnorum libro primo⁊ *ita scribitur in omnibus manu scriptis libris: cum in impressis sit*, in Regum. *Hos libros autem* βασιλείας *inscripserunt omnes veteres, auctoritate septuaginta interpretum. Primus Hieronymus* Reges *interpretatus est. quod semel adnotasse sufficiat.* Eamus & seruiamus⁊ *Veteres libri tres optimi habent*, Eamus, videamus & seruiamus. *quod non addidimus, quia in Bibliis non legitur.* Et incendes ciuitatem igni⁊ *vitiose in impressis erat*, incendentes. Pro se non patienti⁊ *varie legitur in manu scriptis: in quibusdam* patienti, *in alijs* pati. *est & in quo*, patiendi. Dominus loquitur & dici⁊ *manu scripti duo*, Domino loquente & dicente. Super me⁊ *alias* plusquam me. Vt oues occisionis⁊ *in alijs est*, sicut oues victimæ. Circa Deum perfidus⁊ *veteres aliquot*, circa Dominum: *quæ varietas in duobus vocabulis Dei & domini, frequenter in codicibus reperitur, & adnotanda semper non videtur, cum vtro modo legas, vna & eadem sit sententia.* Respiciens solitudines ac laboris incōmoda⁊ solitudinis, *impressi.* Liberat populum⁊ *ita manu scripti at impressi*, liberauit. Quam obire in solitudine⁊ *alias* quam mori. Fidite & state & cernite⁊ *alias in impressis*, state fidentes & videte. *In Exodo est*, παρεστῆτε, σῆτε καὶ ὁρᾶτε. Apud Ezechielem⁊ *Antiqui libri constanter scriptum habent Iezechielem, & ita in reliquis casibus. lxx. itidem* Ιεζεκιήλ. Quando reuertatur à nuptiis⁊ *manu scripti plerique*, veniat, ἀναλύσῃ. Sed vnus accipit palmam⁊ *Veteres libri variant: quidam enim* coronam: *alij* brauiū *Græce est*, βραβεῖον. Hostiam viuentem⁊ *in plerisque est* viuam, *id est.* ζῶσαν. Scribe hoc in memoriam, in libro⁊ *ita veteres habent codices, & conuenit cum verbis in Bibliis. alias autem*, Scribe hoc vt sit in memoria, in libro, *eodem tamen sensu.* Ponit & dici⁊ *antiquus liber*, probat dicens. Flamma non comburet tē⁊ *alias* ignis. *Græce est* φλόξ. Deus tuus

sum

sunt] *melius aliquot habent antiqui*, Deus tuus sanctus Israel sum. In lætitiam veniet] *alias*, vertetur in gaudium, εἰς χαρὰν γενήσεται. Tunc tradent vos in pressuram] *alias* tribulationem, θλῖψιν. Non liberaretur omnis caro] *alia lectio*, non esset salua, οὐκ ἂν ἐσώθη. Et prodigia] *veteres libri antiquot*, Portenta, καὶ τέρατα. Coruscatio exit] *scribunt libri quidam*, quæ exit. quæ *non est in Matthæo*. Illuc congregabuntur] *alias*, colligētur, συναχθήσονται. Veniētē in nubibus] *duo veteres addunt*, cæli. *quod & in Græco est*. Hostia ipse fiat] *plerique veteres*, esset ipse. *vnus*, fieret. Dilectione concordes] *antiquus quidam liber*, dilectione Dei concordes. Non seruiemus] *plerique manuscripti*, deseruiemus. Septem fratrum numerus] *scripti aliquot libri*, septenarius. In primo Regnorum] *ita legendum, non* Regum, *vt supra notatum est*. Martyres enim quos dei filios in passione testatur] *ita vetusti omnes mei libri. in impressu erat*, martyres enim qui se Dei filios in passione testantur. Ne te existimes impune futurum] *vetusti libri*, impunitum futurum. ἀδῴους ἔσεσθαι. Sed vt Deo confiteretur vt Deum] *libri impressi*. Mensibus decem portauit] *veteres codices*, nouem. *itaque habetur*, 2. Maccab. 7. Et in ætatem istam perduxit] *vetusti aliquot libri*, produxit. In fidei veritate] *alias*, in fide veritatis. Neque enim iam aliud licebat] *sic in antiquis. alias*, decebat. Dolores corporis tolero] corporales *antiquissimus liber*. Per eadem passionum martyria pergamus] *in tribus vetustis scribitur*, per eadem, ad martyrij passionem pergamus. Seruiunt et] *impressi addunt*, die ac nocte. *quæ verba non leguntur in manuscriptis: sunt tamen in Græco*. Arduum putet, posse martyrem fieri] *alias* arduum putet esse, martyrem fuerit. Et quasi holocaustum hostiæ] *aliquot de manu scriptis*, holocausti hostiam. ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας. Et per angustiam spiritus gementes] *impressi*, Et præ angustia. *Græce est*, διὰ στενοχωρίαν πνεύματος. Habuimus in risu & similitudine] in derisum, & in similitudinem. Mors sanctorum eius] iustorum, *alij codices*, *& multis in locis hic auctor*. Portantes manipulos suos] rollentes gremia sua, *in impressis & aliquot scriptis*. Beati qui scrutantur martyria eius] *antiquus* perscrutantur. Martyria *antem dicit*, *quod* testimonia *alij vertunt*. Hoc idem loquitur, Vidi inquit] *antiquissimus liber*, id ipsum loquitur, Et vidi, inquit. Audiuisse se inenarrabilia] *vetus liber addit*, verba. Qui occulta fide] *codex antiquiss.* oculata fide. Ad superuenturam gloriam] *in quibusdam libris vetustis*, claritatem. Præmia diuina percipiat] *alias*, ad præmia diuina perueniat. Angelis adæquari] *alias*, coæquari. Quæ persecutio potest vincere?] *antiquus liber*, Quæ persecutiones possunt vincere? Cluduntur oculi] *cludendi verbum frequentius in vetustis libris reperias, quam claudendi: quod semel aduertisse satis sit*. Tam feliciter migrandi, *& c.*] *impressi sic habent*, Tam velociter migrandi quanta velocitas, ac terris repente subtraharis, & in regnis cælestibus reponaris. Hęc oportet mente contemplari & cogitatione, hæc die, *& c*. Vinci non poterit virtus ad prȩmium prompta] *antiquus liber*, vincere non poterit virtutem ad præmium promptam.

AD MOYSEM ET MAXIMVM. pag. 27.

HI MOYSES, *Maximus, Celerinus, & alij aliquot valde clari inter confessores extiterunt, ait Eusebius histor. Eccles. lib. vij. eo quod omnia tormentorum genera superauerunt. Tandem seducti sunt à Nouato: verum agnita eius fraude, ad ecclesiæ vnitatem redierunt. vide Epistolas, xxiij, xxx, xl, xliij.* Congressionibus Dei miles] *sic vetusti libri. impressi*, congressoribus, *&* congressibus. Diuinæ dignationis hortamenta] *antiquiss. liber*, ornamenta. Carcerem fidei & virtutis præeligitis], *alias*, carcerem fide & virtute præeligitis. Horribiles ceteris] *impressi*, horribiles carceris, *vitiose puto: vt mox, pro* Verna temperies, vna temperies. De paradisi deliciis adhærebant] *alias*, aderant. Iam purgati & conditi] *antea in impressis* probati & conditi. Quo longior vestra confessio] *Est & alia lectio*, vestra pugna. Cruciatus subteritur] obteritur, *alias*.

AD CLERVM ET PLEBEM DE AVRELIO, pag. 29.

AVRELII *huius meminit Cyprianus epistola lxxxiij. his verbis*, Aurelij quoque adulescentis tormenta perpessi, nomine, libelli multi dati sunt, *& c*. De ordinationibus clericorū] *alias*, In ordinandis clericis, *eodem sensu*. Gemino hic agone] *antiquus liber*, geminum hic agonem certauit. Factus est extortis] *bonus codex*, factus est fortis. Vos orationi frequenter obsistite] *antiquiss. liber*, orationibus.

AD MARTYRES ET CONFESSORES.

CONFESSORIBVS Iesu Christi] *antiquus liber*, in Christo domino nostro & in Deo patre. Cognita fide ac virtute vestra] ac veritate vestra, *plerique veteres libri*. Gloria-

tui ⁊ *duo antiqui*, gratulatur. *In impressis post* gloriatur, *repetitur*, gloriata. Certaminis prælium ⁊ *impressi*, præcium. Qui in nobis ⁊ *impressi*, qui præest in nobis. Sed vobis supplicia ⁊ *impressi*, sed vobis potius supplicia. Finem doloribus ⁊ *antiquus vnus*, finem dolorum. Quæstio grauior ⁊ *alias*, Laniena. Quoniam Deus præstat agonem ⁊ *Septuaginta*, καὶ πῶς κωλύω παρέχειν ἀγῶνα. *&* Hieronymus, quia molesti estis & Deo meo? *alia quàm quæ nunc habemus, secutus est Cyprianus exemplaria. legisse enim videtur* κωλύος παρέχῃ ἀγῶνα. Mappalicus ⁊ *eius in epistola meminit lxxxiiij.* Et ad coronæ gloriam ⁊ *alias*, ad coronam gloriæ. Participes eiusdem congressionis ⁊ *antiquus liber*, consensionis. Quæ plangit ruinas ⁊ *impressi*, plangunt. Victoriæ consummationem ⁊ *impressi*, consummatorem. Vel de operibus candidas, vel de sanguine purpureas ⁊ *antiquiss. liber*, vel de opera candidas, vel de passione purpureas.

DE ECCLESIÆ VNITATE. pag. 32.

TRACTATVM *nominant hactenus impressi. Augustinus, vt supra notauimus, Epistolam. Veteres libri*, de Ecclesiæ vnitate *inscribunt: impressi*, De simplicitate prælatorum. *Aliquot veteres*, Aduersus Nouatianum schismaticum de Ecclesiæ vnitate. *Vnus addit*, Catholicæ. *Augustinus* De Vnitate. Animus ante præstruitur ⁊ *antiquus liber*, præstituitur. Cæca & latebrosa ⁊ & illecebrosa, *vetus vnus*. Incauta credulitate ⁊ *vitiose in impressis erat*, crudelitate. Dum ad veritatis originem non reditur ⁊ *alias*, non reuertitur. Erunt soluta & in cælis ⁊ *vetustissimi duo libri addunt*. Super illum vnum ædificat ecclesiam, & illi pascendas mandat oues. Nec perueniet ad Christi præmia ⁊ *impressi*, nec pertinet. Vitam non tenet ⁊ *optimus liber*, vnitatem. Christi populus ⁊ *alias*, Christianorum. Et non sint in vobis schismata ⁊ *antiquus liber*, dissensiones. Non vngularum laceratione ⁊ *alias* vnguium. Simul filios edere ⁊ *sic codices omnes veteres. Pierius existimat legendum* educare. *Verum contra fidem manu scriptorum eorúmque veterum codicum, nihil mutandum censeo. Edere enim, in lucem producere, & excludere fœtum significat. quod Aristoteles* ἐκκολάπτειν, *& ἐκλυπεῖν dicit. Notum enim est, columbas vicissim ouis incubare, id est.* συνεπωάζειν. Legem circa omnia vnanimitatis, implere ⁊ humanitatis, *Pierius. sed refragatur veteres codices.* ὁμοιότητας *enim vult dicere*. Quorum tractatus pectoribus ⁊ *impressi*, tactus. Sed immo cumulantur ⁊ maculantur, *liber antiquus habet*. Partis memores, & partem subdole comprimentes ⁊ *impressi*, partim memores, & partim subdole corrumpentes. Atque pacati ⁊ *vitiose in impressis*, atque peccatoribus. *Idem vitium erat infra*, Neq; enim habere peccatum deum, *cum legendum sit* pacatum, *vel vt in alius est*, pacem apud Deum. Qui operamini iniquitate ⁊ *alias*, iniustitiam. Constitutus à domino ⁊ *antiquus vnus adijcit*, Ait enim deus.

DE ORATIONE DOMINICA. pag. 42.

LIBRVM *Augustinus adpellat, vt supra dixi: Fulgentius epistolam, & antiquissimus liber manu scriptus titulum facit*, Epistola de oratione dominica. *alius*, Liber de oratione dominica. Luce gratiæ inluminati ⁊ *alias in impressis*, lucis gratia. Deum de suo rogare ⁊ *vetus liber*, de suo ore rogare, *id est oratione ea quam suo ipse ore instituit*. Qui sic orauit ⁊ *alias*, rogauit. Dico vobis ⁊ *antiquus liber*, Amen amen dico vobis. Omnis qui se extollit ⁊ *vetus liber*, qui se exaltat. Et fratres suos nõ agnouerunt ⁊ *sic in Bibliis alias*, & filios suos. Eorum qui credunt ⁊ *addit liber antiquus*, in eum. Vos de diabolo patre ⁊ *idem addit*, nati. Væ gens peccatrix, *&c.* ⁊ *Veteres quidam libri in dandi casu*, Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis. Filij scelerati ⁊ *alias*, scelesti. In quorum exprobrationem ⁊ *alias*, exprobratione. Sic & nos Dei filios nuncupemus ⁊ *impressi*, sic & nos Dei filij nuncupemur. Nec sit degener ⁊ *alias*, nec degeneret. A quo Deus sanctificatur ⁊ *vetus liber*, A quo dominus sanctificari potest. Quotidiana sanctificatio ⁊ *alias*, quotidiana sanctificatione. Masculorum adpetitores ⁊ *antiquiss. codex*, masculorum concubitores, ἀρσενοκοῖται. Neque fraudulenti ⁊ *alias*, fraudatores, πλεονέκται. Et hęc quidam fuistis ⁊ *vetus exemplar*, Et in his quidam fuistis. *est enim legẽdum* quidam, *non* quidem. καὶ ταῦτά τινες ἦτε. *vt sit sensus, & si non omnes his vitiis maculati fuistis omnibus, aliquo saltem fuistis, vel hoc vel illo*. Hæc sanctificatio vt in nobis permaneat optamus ⁊ *citat Augustinus tom. 7. pag. 272. K. pro* permaneat, *vetus liber*, remaneat. Comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat ⁊ *codex vnus habet*, Noli delinquere, ne quid tibi deterius contingat. Qui se deo & Christo dicat ⁊ *alias*, dedicat. Et accumbent cum Abraham ⁊ & recumbent, *alias legitur*. Illic erit ploratio ⁊ fletus, *in antiquo libro*. Nam deo quis obsistit, *vetus liber*, resistit. Non est dilectio patris in illo ⁊ *vetus*, non est charitas. Patientiam, qua coronamur ⁊ *vitiose impressi*, conamur. Nostræ incolumitatis ⁊ *impressi*, nostræ voluntatis. Idololatriã ⁊ *veteres libri in numero multitudinis*, idolatrię. Prouocationes ⁊ *male in impressis erat*, procurationes. Non iam terra adpellentur ⁊ *impressi*, non iam terreni. In illis non credentibus fit voluntas dei

tas dei ⌈negatio non *desideratur in impressis.* Dum absteniti ⌈ *id est separati, & quod dicunt, excommunicati.* Pro absteniti *tamen in vno veteri est,* absentes. Prædicante & dicente ⌈ *alias,* & monente. Pro seculi vita ⌈ *addit vnus,* sumite & edite. Dum quis abstentus separatur ⌈ *in vno vetere,* Dum quis ad tempus separatur. Procul remaneat à salute ⌈ *idem liber,* maneat alienus. Fidei gratia ⌈ Fide gratiæ *duo veteres libri.* Nec in longum desiderij sui petitionem exrendere ⌈ *antea impressi,* nec in longum desideria petitionis nostræ extendere. Domino prescribente ⌈ *antiqui duo,* præsciente. Habentes itaque victū ⌈ *alias,* exhibitionem. *sic appellat quod Paulus δόξαν προφάς.* Incidunt in tẽrationẽ & muscipulam ⌈ *alias in numero multitudinis,* tẽtationes & muscipulas. Occulta deceptione ⌈ deprecatione *alias,* Eum dicit posse sequ ⌈ *veteres duo libri,* Hunc post se sequi. Cum scriptum sit ⌈ *antiquus liber,* cum de iusto scriptū sit. Tantum nisi deo ipse desit ⌈ *alias,* si deo ipse non desit. Interferas esurientes & rugientes ⌈ *ita veteres libri: impressi autem* & parcentes. Atque ô humanæ malitiæ detestanda crudelitas ⌈ *antiqui aliquot libri,* Atque quem humanæ malitiæ detestatur crudelitas, ferę parcunt, *&c.* Quam necessarie autem ⌈ *impressi prius,* Quàm autem necesse. Circa peccatores nostros pacta fecerimus ⌈ *ita veteres omnes libri. at impressi,* circa debitores. Vigore prædixit ⌈ proponit, *vetus codex.* Nec sacrificiū deus respicit dissidẽtis: & ab altari reuertẽtem ⌈ *impressi,* nec sacrifi. deus recipit. Dissidentẽ ab altari reuertentem, *&c.* Et deus possit esse placatus ⌈ *alias,* pacatus. Cum domino iudicabunt ⌈ *impressi,* vindicabunt. Iram animationis suæ ⌈ *In Esaia est,* ὀργὴν θυμοῦ αὐτοῦ, *id est iram furoris sui, siue excandescentiæ, iram furentem.* Ne in tentationẽ incidamus ⌈ veniamus, *in vno veteri. & mox,* ne intretis. Qui magisterio suo omnem precem nostram ⌈ *impressi,* omnem pacem nostram. Postulauit vt vos vexaret ⌈ *alias,* expetiuit. Vexaret *autem dicit, quod alij* cribraret. *Gellius, Qui & raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur. Græce est in Luca,* σινιάσαι. Vt & ipsi in nobis sint ⌈ *vetus liber,* vt & ipsi in nobis vnum sint. *sicque legendum est.* Volens scilicet plebem suam saluam fieri & in pace viuere ⌈ *impressi & aliquot scripti,* volens scilicet plebem suam vnire. Dicendo SVRSVM CORDA, & dum respondet plebs, HABEMVS AD DOMINVM ⌈ *Nota mysterij & sacri Christianorum ritum, ad hunc vsque diem in ecclesiis vsurpatum, vt missæ hinc intelligas antiquitatem & sanctitatem. iisdem verbis vsos etiam esse Hierosolymitanos, indicat Cyrillus Hierosolymorum episcopus: quod in eius Catechesibus quas cudo, facile reperies.* Testimonium reddens suis operibus ⌈ *alias,* sui operis. Et cum sepelires tu mortuos similiter ⌈ *impressi,* simpliciter. Suffocationes impotentium commerciorum ⌈ lxx. *vertunt* συναγωγὰς βιαίων συναλλαγμάτων, *id est obligationes violentarum cautionem. significat, ait Hieronymus, chartarum fasciculos in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno.* Sacrificium acceptum & placens deo ⌈ *antea in impressis,* sacrificio accepto & placente deo. Ad gratiam salutis ⌈ *antiquus vnus,* ad gloriam salutis. Cum de emundandis gentilibus ⌈ *alias,* emendandis. Lucis æternæ gratiam ⌈ *alias in veteri codice,* gloriam. Et in alis eius curatio ⌈ *vitiose impressi,* & in aliis. Nox reuoluta succedit ⌈ *impressi,* nox resoluta. Aut quando sol ei & dies non est ⌈ Aut quomodo, *alias.* Qui deserto lumine ⌈ *antiquus vnus,* qui derelicti à lumine solum diem. Sic nocte quasi in lumine vigilemus ⌈ *antiquus liber vnus,* solem & diem verum. In nocte quasi in lumine diei vigilemus.

DE MORTALITATE. pag. 52.

AVGVSTINVS *& librum & epistolam adpellat, vt supra dixi. Occasionem & argumentum huius libri præter ea quæ ex Eusebij chronico notaui, vide in vita Cypriani per Pontium eius diaconum: & intelliges quid fructus adtulit.* Erupit postmodum lues dira, *inquit,* & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros perimens populos, à sua quemq; sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuasit. Horrere omnes, fugere, *& c. sequitur,* Quid inter hæc egerit episcopus, scelus est præterire. Adgregatam primo in loco vno plebem de misericordiæ bonis instruit, *& c. deinde paulo post,* Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. multi qui angustia paupertatis, beneficia sumptus exhibere non potcrant, plus sumptibus exhibebant, compẽsantes proprio labore, mercedem diuitiis omnibus chariorem. *Vide reliqua.* Secularis vitæ ⌈ *antiquus vnus,* Seculi. Robur exerere ⌈ exercere *antiquiss. codex.* Quanta mediocritas nostra potest ⌈ *vetus liber,* sufficit. Ignauiam comprimat vt qui homo ⌈ *alias,* ignauia comprimatur, & qui homo. Diuina iam spirat ⌈ *alias* sperat. Nulla turbatio ⌈ *in aliis est,* contatio. Prænunciauit & cecinit ⌈ *alia lectio,* docuit. Cecinit *adludit ad vates, qui vaticinia sua canere dicuntur.* Qui vere iustus fuit ⌈ *male impressi,* qui viuere iustus fuit. Expuncta hac morte ⌈ *vetus liber,* expugnata. Assidua & molesta ⌈ *impressi interserunt,* & iugis, *quod in nullo veterum codicum reperi.* Vinolentia inuitat ⌈, *antiquus vnus liber,* violentia iritat. *superbiam potius violentia sequi vi-*

detur quàm violentia. Compelleris maledicere ¶ *veteres duo*, mala dicere. Nemo auferet ¶ *alias*, tollet. Nemo credit vera esse quæ promittit deus ¶ *alias*, futura esse. Et tu mente incredula perfidus fluctuas ¶ *antiquissimi duo codices*, per fidem fluctuas. Credentium magistrum ¶ *in veteri uno*, Credentium dominum & magistrum. Pressuris angentibus ¶ *antea impressi*, augentibus. Venenatis diaboli faucibus liberatum ¶ *Optimus liber vetustus*, venantis. Sic cum fœtu sterili terra iciuna est ¶ flatu sterili, *in impressis*. Sic cum inruptione hostili ¶ *alias*, incursione *male in impressis*, incursiue. Obpressa est ¶ *impressi*, possessa est. Similiter & argentum ¶ *subdunt libri duo manu scripti à multis annis*, Homines vero receptibiles in camino humiliationis. *quod in Græco est*, καὶ αὐθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως. Tanquam vna ex ineptis mulieribus locuta es ¶ *sic vetustiomnes libri: alias*, vna ex insipientibus. ὡς ἀφρόνων *in Græco est. Qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur, ait Cicero.* Multa & glorioſa præconia ¶ multa & religiosa, *in impressis.* Et cum sepelires tu mortuos similiter ¶ *in impressis* vt antea, *vitiose*, simpliciter. *est enim in Græco Thobiæ 12.* ὡσαύτως συμπαρῆμεν σοι. *intercidisse enim verba quædam in Cyprianos videntur. forte fuit ab eo scriptum.* similiter aderam tibi. *Et quod sequitur*, Et missus sum tentare te: & nunc, *vel vt in alis est*, Et iterum, *in Græco longe aliter habet. sic enim pro his ibi legitur,* οὐκ ἔλαβες με ἀγαθοποιὸν, ἀλλὰ σὺν ἐμοὶ νῦν καὶ νῦν ἀπέστειλέ με, *& c. id est*, nec latuisti me benefaciens, sed tecum eram: & nunc misit me. Deus non despiciet ¶ *alias*, despicit. ἐξουδενώ . Qui filium non potes ¶ *vetustissimus liber*, qui fratrem. De excedentibus charis ¶ *vetustus codex*, de credentibus. Offendicula ista ¶ *alias*, scandala. Nec foratur ¶ *male impressi*, feratur. Sed comprobant in dolore ¶ *ita veteres omnes libri. impressi*, corroborant. Contra tot impetus vastitatis ¶ *antiquus vnus*, vastationis. Inconcussis animi virtutibus ¶ *alias*, inconcussi animi. Stare rectum ¶ *alias*, erectum. Datur velocius tutela fidentibus ¶ *alias*, fidelibus. Excedunt ecce in pace tot cum gloria sua virgines ¶ in pace turæ, *alias in impressis.* Venientis Antichristi sæuientis, *antiquus vnus.* Recens & copiosus exercitus ¶ *in vno veteri non male*, & torosus ¶ Deo præuidente perspecta est ¶ *alia lectio*, Deo prouidente prospecta est. Infirmitate defessus ¶ *alio in libro*, depressus. Statu celsus ¶ *alias*, excelsus. Sed consulat in futurum ¶ *Quidam libri*, consulit, *impressi*, contulit. Nobis remanentibus ¶ *vetus liber*, remeantibus, *& mox*, sacerdotem dei. Nobis quoque minimis & extremis ¶ *impressi*, externis. Accersitione ¶ *ita semper in antiquis, cum sit in impressis*, accersione. Verbis præferre virtutē ¶ *impressi*, proferre. Et culpat ¶ *addit vetus codex*, fideles. In excessu suorum ¶ *alias*, in excussu. Ego sum resurrectio & vita ¶ & vita *non erat in impressis.* Et non moriemur in æternum, ad Christum ¶ *antiquiss. tres libri*, & non morituri, ad Christum. In æternis sedibus viuamus ¶ *postremum verbum bona pars codicum veterum non habet.* Secundum fidem veritatis ¶ *alias in antiquis* veri, *alias* verbi. De hoc contagio seculi ¶ *alias*, de hac contagione. Ne malitia mutaret intellectus eius ¶ *antiquus liber*, Mutaretur intellectus eius. *In Græco est*, intellectum eius, *quam lectionem in vno codice reperio.* De media iniquitate ¶ de medio iniquitatis, *codex antiquus, & Bibliorum hic liber.* Fluctibus violentis excitatis ¶ *alias*, fluctibus vi venti excitatis. Laqueis secularibus exolutos ¶ *alias* exutos. Iam de sua incolumitate secura ¶ *sic veteres omnes.* de sua immortalitate *impressi.*

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS. pag. 59.

SERMONEM *inscribunt libri impressi: diuus Augustinus epistolã, vt dixi, adpellat lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum his verbis*, Videamus quid de originali peccato quod per vnum hominem intrauit in mundum senserit Cyprianus, in epistola de Opere & eleemosynis ita loquitur. Nam cum dominus aduenies illa sanasset, *& c. Item aliquanto post*, Videamus ergo quid etiam in hoc Cyprianus in domino gloriosissimus senserit, quid ad instruendas ecclesias non vtiq; Manichæorum, sed catholicorum, nonsolum dixerit, verum etiam literis memoriæque mandauerit. In epistola de Opere & eleemosynis, Itaque fratres, *inquit*, dilectissimi, *& c. Aduerte autem consentire cum verbis Augustini inscriptionem veterum codicum*, De eleemosynis, *non*, De eleemosyna, *vt habent impressi.* Vt vulnera nostra curaret ¶ *alias*, sanaret. Vt moriens immortalitatem ¶ moriens *in plerisque libris scriptis non est.* Remissa peccatorum ¶ *remissam dicit suo more pro remissione.* Nec prius manus abluissent ¶ *alias*, lauissent. Extrinsecus diluendas ¶ *veteres libri tres* detrahendas. Quos præcio magno redemit ¶ præcio *non erat in impressis.* Immaculato corde ¶ *in antiquis libris aliquot*, pectore. Remedia salutaria ¶ *alias*, salubria. Et vestimenta tua cito orientur ¶ *apud septuaginta scriptum est*, ἰάματά σου. *i. sanitates tuæ. veteres nominis similitudine ducti*, ἱμάτια *legerunt, quod & Hieronymus notat.* Et hæc pro te exorabit ¶ *antea vitiose erat*, hic. *Ex Græco constat de eleemosyna dici, non de paupere*, Pro auertendis

malis,

malis, ac diuina ope impetranda ⌝ *Impressi libri habebant*, malis ac mitigandis *diuina ope*. Accessione ſatientur ⌝ *vetus vnus*, ſocientur. Petitiones noſtras ⌝ *alias*, precationes. Sic in Actibus Apoſtolorum ⌝ *variant libri veteres, nunc Actus, nunc Acta habentes, quod ſemel notatum ſit*, Quod in tabula iam lotum iacebat ⌝ *ex hoc loco & alius multis veterum conſtat lauari ſolita fuiſſe defunctorum corpora antequam tumulo conderentur*. Poſſeſſionibus incubemus ⌝ *alia lectio*. incumbamus. Vbi tinea & commeſtura exterminat ⌝ *Græce eſt βρῶσις, eruginem alij vertunt*. Et da pauperibus ⌝ *alias*, & da egenis. Homini negotiatori ⌝ *in duobus antiquis* negotianti. Supplebit ea, quæ ſanctis deſunt ⌝ *libri impressi addunt fide, quod nec in Græco, nec in vetuſtis codicibus reperitur*. Habentes autem exhibitionem ⌝ *exhibitionem dicit δίαιτας, id eſt alimenta ſiue cibos*. Fac tibi poſſeſſionũ terreſtrium Chriſtũ participem ⌝ *ſic libri veteres. in impreſſis prius erat*, fac tibi ex poſſeſſionũ terreſtrium prouentu Chriſtũ participẽ. Tenebris & nocte cæcati ⌝ *veteres libri tres* contenti. Sterilitatis atque infelicitatis ⌝ infidelitatis *vetus liber*. Hæc omnia deo dari *duo veteres*, hæc opera deo dari. Et viderit fratrem ſuum deſiderantem ⌝ *in veteri libro* eſurientem. *in Græco eſt χρείαν ἔχοντα*. De modico farinæ ⌝ *plerique manu ſcripti*, de modico farræ. Multorum purgandæ conſcientiæ ⌝ *impreſſi male habent*, precandæ. Peccata tergi ⌝ *alias*, tergeri. *Temporarius & infirmus* ⌝ *impreſſi, &* infernus. Iuuenior fui ⌝ *ita habent veteres omnes codices. alias* iunior. Et geminum ac duplex crimen admittis ⌝ ac duplex *additum ex antiquis libris*. Ire in tenebras ⌝ *antea erat in impreſſis*, in gehennam. Cuius editio deo ſpectante celebratur ⌝ *Vitioſe impreſſi habebant* edito deo. Si in gentilium munere ⌝ *corrupte impreſſi*, ſi in Euangelium. Vbi muneratio non quadriga vel conſulatus petitur ⌝ *vitiati erant impreſſi in quibus legebatur*, vbi muneratio non quadraginta vel conſulatus petitur. Inanis & temporalis fauor ⌝ *in quibuſdam eſt* temporarius. In medium proſilite ⌝ *impreſſi*, in remedium. Precio paſſionis & cruoris redemi ⌝ *ſic veteres libri. impreſſi*, & crucis. Longo labore quæſita ⌝ *alias*, longo tempore. Sumptuoſiſſimis ad paratibus ⌝ *male in impreſſis*, adparentibus. In iſtis muneribus meis ⌝ *lectio eſt in antiquis libris. pro* meis *erat in impreſſis*, hominum. In claritate ſua ⌝ *variant libri manu ſcripti, alias* gloria *habent alias* claritate *ſcriptum, quod ſemel notatum ſufficiat. frequentiſſime enim accidit*. Sitiui & dediſtis mihi potum ⌝ *veteres aliquot libri*, & poraſtis me. Nudus, & veſtiſtis me ⌝ *idem libri*, texiſtis me. In combuſtionem æternam ⌝ *alias* ambuſtionem. Diſpenſandam pauperibus quantitatem ⌝ *τὸ πουὸν, id eſt precium quanti ſua vendiderant. Ea lectio eſt veterum codicum: impreſſorum autem*, facultatem. Vbi fructus caperent ⌝ *in antiquiſſimo eſt*, carperent. Quo æquitatis exemplo ⌝ *alias* æqualitatis. Promiſſa contribuens ⌝ *alias* promiſſa retribuere. Hæc intelliguntur plena fide ⌝ *impreſſi*, hæc intelligant. Quo Chriſtianus adiutus præfert gratiam ⌝ *in alius libris eſt*, quo Chriſtianus iuſtus præ ſe effert gratiam.

DE BONO PATIENTIÆ. pag. 68.

CYPRIANVS *in epiſtola ad Iubaianum huius operis ita meminit.* Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & dominicam pacem habemus. Seruatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordiam ſacerdotij. Propter hoc etiam nunc libellum de Bono Patientiæ quantum valuit noſtra mediocritas, permittente domino & inſpirante conſcripſimus, quem ad te pro mutua dilectione tranſmiſimus. Sermo & ratio ſpiritaliter ⌝ *in alius libris*, & ratio ſalutaris. Sed veritate præferimus ⌝ *in quibuſdam vetuſtis*, ſed virtute. Grandeſcere copias meſſium ⌝ *antiquus liber*, candeſcere. Fructus miteſcere vinearum ⌝ *Duo libri manu ſcripti*, maturari. Nolo mortem morientis ⌝ *Sic in editione ſeptuaginta. quidam tamen veteres libri*, Nolo mortem peccatoris. Et iterum, Reuertimini ad me ⌝ *in veteri quodam ſcribitur*, Et iterum propheta, Reuertimini, inquit, ad me. Et qui ſententiam flectit aduerſus malitias inrogatas ⌝ *codex vetus*, malitiam inrogatam. *In Græco eſt, καὶ μετανοεῖν ἐπὶ ταῖς κακίαις*. Pœnitentia prodeſſe peccanti ⌝ *libri variant. quidam habent*, peccati. *alij* peccatori: *eſt qui*, pœnitenti. Immo innocentia ipſe & ipſe iuſtitia ⌝ *manu ſcriptus codex*, innocentia ipſa, ipſa & iuſtitia. Si conuerſi ad eum fuerint ⌝ *duo veteres*, ad eum venerint. Ad concordiam reuocat ⌝ *alias*, redigit. Et relegatus ⌝ *vetuſtus liber*, & exilio relegatus. Tot denique prophetæ ⌝ Tot deinde, *in pleriſque antiquis*. Ne manducares ⌝ *quidam libri*, ne tangeres, ex ea manducaſti. *quæ poſtrema tria verba in Bibliis quoque Græcis habentur*. Morte expuncta ⌝ *Bona pars codicum veterum*, expugnata. Lamentatur vitæ mortalis anxietates ⌝ *Tres libri antiqui aliter diſtinguunt, hoc modo*, Lamentatur vitæ mortalis anxietates. Hoſtis colluctationibus fatigamur ⌝ *veteres aliquot*, hoſtis conflictationibus. Sed fidite ⌝ *aliquot manu ſcripti*, ſed credite & fidite. *quæ lectio Græcis non conſentit*. Et mundo renunciauimus ⌝ *vitioſe in impreſſis*, renunciationis. Ne quis tentatio-

nibus) *tres antiqui libri repetunt*, impatiens, Ne quis impatiens tentationibus. Ad coronam & laudem ad quam proxime nititur) *In impressis erat*, & laudem iam proxima nititur. Quibus anima expugnatur & capitur, virtutum suarum propugnaculo reluctatur) *Antea erat in impressis*, quibus anima expurgatur & accipitur, virtutum suarum repugnando reluctatur. Æterna in regnis cælestibus) *Impressi libri*, æterna apud deum in regnis, &c. Ostendit inde illam perseuerare, &c.) *Alia lectio notatur*, Ostendit inde illã perseuerare vt tenaciter possit, qui norit omnia sustinere. Poterísne ista perficere, nisi tolerantiæ & patientiæ teneas firmitatem?) *alias legitur*, Non poteris ista perferre, nisi tolerantiæ & patientiæ teneas firmitatem. Fatigatur & quatitur) *Impressi*, & patitur. Infirmitate corporea) *Veteres duo*, corporali. Importantur labores) *alias*, dolores. Nec aliud magis iniustos discernit & iustos) *Antiquus vnus*, inter iniustos. Accedit vulnerum vastitas) *antiquus liber*, varietas. In coniunctis & maritatis) *veteres libri duo*, in coniugatis. Quæ incrementa spei sublimiter prouehit) *In vno veteri legitur*, sublimitate. Nec in illum extremi iudicij diem, &c.) *Manci erant hoc loco impressi, sic enim habebant antea*, nec illud in extrema parte reticendum est, vt in istis fluctuantis mundi &c. Quoúsque domine sanctus & verus) *Veteres quidam codices* sancte & vere. Requiescerent breui adhuc tempore) *Antiquissimus liber*, Sustinerent. ἵνα ἀναπαύσωνται. A fœditate sputorum) *impressi*, fœcunditate. Diuini præcepti memor) *alias* dominici præcepti. Omne genu flectatur) *In vno veterum*, curuetur.

DE ZELO ET LIVORE. pag. 76.

HIERONYMVS *Librum appellat, & Augustinus Epistolam. Impressi libri Sermonem inscribunt.* Charissimi denique) *In vno veteri erat*, dilectissimi: quid dum. Quando in pectus obrepat) *Antiquus liber*, vbi in pectus obrepsit. Et aliquid deuorare) *Veteres quidam codices*, & aliquem deuorare. *Pars aliqua membrorum*) *libri duo veteres*, pars aliqua murorum. Et faciles voluptates) *Alias*, voluntates. Christiani vigorem) *quidam veteres*, christianum. Lucra opponit) *In vno veteri legitur*, proponit, *In alio*, ostendit. Quamobrem fratres dilectissimi, *Alias*, charissimi. Quæ latenter obrepunt, *Vetus vnus*, subrepunt. Quo minus perspicitur hoc & grauius &c.) *quidam sic habent*, quoniam minus perspicitur, & grauius. Ad caput eius atque originem recurramus) *Alias*, reuertamur. Inter initia statim mundi) *Vnus non habet*, statim. *Et paulo post*, ille dudum angelica maiestate. Non prius alterum deiiciens) *codex vnus*, tam alterum deiiciens. Dum stimulante liuore) *Antiquus liber non habet*, dum. Immortalitatis eripuit) *Alias*, eripit. Est ipse qui decipit) *Impressi non habuerunt*, ipse. *In vno veteri erat*, qui & decepit. Liuore persequitur) *Vetus liber vnus addit post hæc verba*, dum diabolum qui zelat imitatur. *Ad consummationem facinoris.*) *In vno veteri*, ad consummandum facinus. Nec pœna delicti) *Alias*, iudicij. *Hinc in odium persecutionis*) *Antea impressi habuerunt*, hic in odium. Postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum) *Nonnulli codices sic habent*, postquam enim id quod sibi in visionibus per spiritum fuerat ostẽsum. Et ope ac dignatione) *Impressi habebant*, opere ac dignatione. *Pereuntis simul*) *Duo antiqui codices*, pereuntis semel. Quàm credere) *In vno veteri non sunt hæc duo verba.* Aperire potuerunt) *Alias*, erigere potuerunt. Quæ nos considerantes) *Antiquus liber*, quæ nunc Dicata deo) *Alias*, domino. Et vegetata pectora) *Nonnulli codices non habent*, & vegetata. Conferat sanitatem) *Impressi*, confert. Late patet zeli) *Vitiose impressi habebant*, cœli. Videns alterum ditiorem) *In duobus antiquis erat*, videns alterum in diuitiis auctiorem. In honoribus altiorem) *Alias*, auctiorem. Inflat superbia, exacerbat sæuitia) *Quidam sic habent*, inflatur superbia, exacerbatur sæuitia. Nec regere) *Alias*, vel regere *Atque ad schismata*) *Impressi non habuerunt*, ad. Animi tinea) *quidam codices*, animæ. Gemitur, & doletur) *In vno veterit erat*, ingemiscitur, & doletur, In adultero) *Alias*, adulterio. Prædoni rapacitatem *Duo antiqui libri*, prædonis. Et calamitas) *Vetus liber*, & infelicitas. In laqueum diaboli, *Quidam antiqui*, in laqueum mortis. Denique & apostolus Paulus) *Impressi non habent*, Paulus. Instruens & docens) *Nonnulli codices*, instruens & monens. Tanquam in die, *Antiquus liber*, sicut in die. Decenter ambulemus) *Quidam libri*, honeste ambulemus. Quid in zeli tenebras ruis) *Vitiose in impressis*, quid in cœli inuidiæ cæcitate, *in libro veteri*, in zeli cæcitate. Ambulat & non scit) *Alias*, nescit. Ego sum lux mundi) *libri veteres*. Lumen mundi. Relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius) *Quidam sic habent*, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quando & ipse doceat) *Impressi*, seu & ipse doceat. Quid inter monita salutaria & præcepta cælestia custodiendũ seruandúmque magis mandauit (*sic legebatur in impressis*, quid inter salutaria monita & præcepta cælestia custodienda seruandáque, magis mandauit. Nos quoque inuicem diligamus) *Antiqui duo*, nos quoque nos inuicem. Confessionis & martyrii) *Quidam libri*, confessoris & martyris. Quisquis

magn-

magnanimus) *Alias*, quisque. Et à zelo & liuore alienus est) *Nonnulli codices*, & zeli & liuoris alienus est. Spiritu plenus & natiuitate cælesti) *sic impressi*, spiritu plenus natiuitate cælesti. Lac vobis potum dedi, *Libri veteres*, lacte vos potaui. Infesta labes) *Alias*, infecta labes. Plenum deo & Christo) *Impressi*, plenum deo Christo. Paulus ponit & dicit) *Antiqui libri*, Paulus excitat & hortatur. Non quæ super terram) *Quidam codices*, non quæ terrena sunt, *quidam*, *non quæ in terra sunt*. Soboles subseciua respondet) *Quidam codices*, succidiua, *quidam*, successa. Sit in manibus diuina lectio, in sensibus dominica cogitatio) *Nonnulli codices sic habent*, sit ante oculos diuina lectio. *quidam sic*, sit in manibus bona operatio, in sensibus dominica cogitatio. *Fiducia* futurorum) *Antiquus vnus addit*, bonorum. Fraternitatis vinculo cohæredem) *Antiqui duo codices*, cohærentem. Quando tu ipse dimiseris) *Libri manu scripti*, quando aliis ipse dimiseris. Vt enim videre contingat) *In vno veteri*, vt enim venire contingat.

DE DISCIPLINA ET HABITV VIRGINVM. pag. 81.

A via recta) *Vetusti codices quatuor*, de via recta. Cum & deus) *In quibusdam libris*, quando & deus. Clarificate & portate) *Alias*, glorificate & portate. Vagari postmodum) *Antiqui duo*, peruagari. Obseruet, & curet) *In impressis erat*, obseruet, atque procuret. Humilitatis nostræ admodum conscii) *Antea impressi non habuerunt*, admodum. Per hanc angeli vocem) *In vno manu scripto*, per hanc euangelii vocem. Qui castrati sunt ab hominibus) *Antiqui duo codices*, qui coacti sunt ab hominibus. Cogitat ea quæ sunt mũdi huius) *In impressis non erat*, huius. *Non tantum corpore, sed & spiritu perseuerent*) *In vetustis codicibus*, corporaliter & spiritaliter perseuerant. *Ad speciem suæ formæ comi*) *Nonnulli codices*, ad speciem suæ formæ comam nutrire. Ambulandum est igitur) *Impressi non habebant*, igitur. Tunc respondet ad fidem nominis, sectatio veritatis) *Quidã libri*, respondebit. *Impressi*, sectator veritatis. Promittentes castitatem) *Alias*, sanctitatem. Item Petrus ad hæc) *Antiquus vnus addit*, beatus.

Præterit enim figura huius mundi) *Impressi*, habitus huius mundi. Lenocinia formarum) *In impressis fuit*, lenocinia fucorum. Amicta erat pallio purpureo & coccineo) *Quidã vetusti libri*, amicta erat pallium purpureum & coccineum. Grana dependeant grauia) *In impressis non erat*. grauia. Et genas mendacio ruboris inficere) *Impressi*, & genus. Sed nuptas puto) *Alias*, puta. Vel nigro puluere) *In vno veteri*, nigrore pulueris. Quod ornari te putas) *Alias*, armari. Qui sit ad domini caput similis) *In quibusdam vetustis*, qui domini capiti similis est. Crinem adultero colore mutasti ⌉ *Impressi*, crimen. Et inter illam lasciuientium libertatem ⌉ *Antiqui duo codices*, & in illa lasciuientium libertate. Theatra sunt fœdiora ⌉ *Alias*, theatro sunt fœdiora. Sic se expugnator inimicus ⌉ *Quidam vetusti codices*, impugnator. *Impressi*, Expugnatus. Sic flos virginum ⌉ *In libro veteri*, sic flos omnis virginum. Honor continentiæ ac pudor ponitur ⌉ *Alias*, ceditur. Nec brachia includantur de armillis, & monilibus, colla cathena preciosa ⌉ *Antea impressi*, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus, preciosa cathena. Carnis & seculi cogitatio ⌉ *Alias*, contagio. Facilis ascensus ⌉ *Quidam*, accessus. Vultis scire quo malo careat ⌉ *Nonnulli codices*, vultis scire quod malum euadat. *Nullus vobis de partu circa filios metus* ⌉ *Alias*, gemitus. Vestium quærat ornamenta ⌉ *Impressi*, ornatum. Et patrimonium baptismi ⌉ *Duo vetusti codices*, & patriam baptismi.

DE LAPSIS. pag. 89.

HVNC *tractatum Augustinus Epistolam appellat, Item Fulgentius, Eusebius librum: Cyprianus, inquit, & de lapsis librum magnificentissimè scriptum edidit, in quo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse à Christi visceribus tradidit.* Ecclesiæ reddita est ⌉ *Impressi*, tradita. Sanctis oculis ⌉ *Alias*, osculis. Desideratos diu ⌉ *Quidam antiqui libri*, desiderãtes diu. Illustres manus quæ non nisi diuinis operibus assueuerant ⌉ *Impressi*, assueuerant. Incorruptam stantium firmitatem ⌉ *Nonnulli codices*, incorruptam sanctorum firmitatem. Et sanitas priuata blanditur ⌉ *In quibusdam libris*, & sanctitas. Aut postmodum facere deberent ⌉ *Impressi*, aut semper facere deberent. Non in sacerdotibus religio ⌉ *Augustinus hunc locum citat contra cresconium, docens, non communicare quenquam cum peccatis malorum, etiamsi cum eis in communione sacramentorum maneat.* Non in moribus disciplina ⌉ *Quidam vetusti codices*, non in minoribus disciplina. Censura diuina ⌉ *Alias*, scriptura diuina. Et in iudiciis meis ⌉ *Antiquus liber*, & in viis meis. Et non laxabo illis ⌉ *Quidam codices*, & non liberabo eos. Lingua hæsit, sermo defecit ⌉ *Impressi*, sermo hæsit, lingua defecit. Quam libenter optassent ⌉ *Alias*, quam semper optassent. Ac ne quid deesset &c. ⌉ *Hunc locum citat Au-*

guſt. tomo 2. Iſto ſenſu, inquit, rectè intelligi poteſt quod ſcripſit beatus Cyprianus in Epiſtola de lapſis, cum eos qui tempore perſecutionis idolis immolauerant, arguit. Separamini qui fertis vaſa domini ⁊ *Impreſſi*, mundamini qui fertis vaſa domini. Nunc vngula effoderet ⁊ *In quibuſdam libris*, nunc vngulæ foderent. Semiuſti lateris viſcera ⁊ *impreſſi*, ſemiuſtulatis viſceribus. Putredinibus amputatis ⁊ *Alias*, putaminibus amputatis. Non quærunt ſanitatis pœnitentiã ⁊ *Impreſſi*, patientiam. *Remiſſionem peccatorum* ⁊ *In impreſſis non erat*, peccatorum. Et fecerunt ſibi deos aureos ⁊ *Hæc verba addita ſunt ex vetuſtis codicibus*. Sua deprecatione placauit ⁊ *Alias*, pacauit. Ad antiſtites & ſacerdotes dei ⁊ *Impreſſi non habuerunt*, & ſacerdotes. Quid perculſa ⁊ *Alias*, præcluſa. Vel locuta ⁊ *Antiquus liber*, vel polluta. Anima fatebarur ⁊ *In quibuſdam*, teſtabatur. Magis obaudiuit humano imperio ⁊ *Nonnulli codices antiqui*, magis obaudiuit ſeculari domino. Et ſimpliciter confitentes ⁊ *Impreſſi*, confitentur. Cruditates ſuas poſtridie eructat ⁊ *In impreſſis erat*, cupiditates ſuas poſtridie eructat. In ſacco ⁊ *Alias*, in cilicio. Qui ſeruas teſtamentũ) *libri vetuſti*, qui diſponis teſtamẽtum. Conſiliis obaudite melioribus ⁊ *Alias*, obedite. In tam grandi crimine ⁊ *Quidam libri*, in tam graui crimine. Errorem pro veritate ſuſcipiunt ⁊ *libri impreſſi*, errorem pro veritate ſumpſerunt. Poſſidentibus & veneno ⁊ *In impreſſis erat*, poſsidentibus & metuenda. Nolo mortẽ morientis, *Alias*, peccatoris. Indignantis offenſam ⁊ *Duo antiqui libri*, indignationis offenſam. Iterabit aciem) *impreſſi*, iterabit, in acie. Fortior poſt dolorem ⁊ *In libris impreſſis*, fortior per dolorem.

DE CONFESSIONE. pag. 100.

Et tuorum conſiliorum bonorum cohæredes ⁊ *libri impreſſi non habebant*, bonorum. Erret ſemper neceſſe eſt ⁊ *Nec impreſſi habebant*, ſemper. Profeſsione prodiderant ⁊ *Alias*, prodiderunt. Et neruos ſeueritatis ⁊ *In impreſſis*, & niſi vos ſeueritatis. Non profutura præſtentur ⁊ *impreſſi*, teſtentur. Reliquias & ruinas ⁊ *Non erat in impreſſis*, & ruinas. Propagatum videtur eſſe delictum ⁊ *Alias*, malum. Temporis iſtius ruinas ⁊ *In impreſſis*, temporibus iſtius. Turbent Eccleſiæ ſtatum ⁊ *Impreſſi*, turbare. Qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere ⁊ *Impreſſi*, qui foris poſſunt dilatione ſuſtineri.

AD CORNELIVM CONTRA HAERETICOS. pag. 107.

SACERDOTALIS diſciplinæ ⁊ *Alias*, cenſuræ. Et grauiſsima abſtentum ⁊ *In impreſſis*, obſtenſum. Et Ioſeph puer venierit ⁊ *Alias*, peruenierit. Permittat, quos diſponit coronari ⁊ *Quidam codices ſic habent*, permittit & coronat. Niſi eis dominus necare permiſerit ⁊ *In impreſſis non erat*, necare. Cùm moneat ſcriptura ⁊ *Impreſſi*, cùm occurrat & ſcriptura. Tanquam inferus ⁊ *Alias*, infernus. Ita enim ſemper ſcelera feſtinant ⁊ *In impreſſis aberat*, ſemper. Perſuaſione deiecit ⁊ *Antiquus liber*, perſecutione. Hi quinque cum paucis vel ſacrificatis ⁊ *Impreſſi*, ſacrificantibus. In vnum conſentientibus ⁊ *Alias*, conuenientibus. Auſi ſunt ſcriptis iactitare ⁊ *Antea impreſſi*, auſi ſunt, vt ſcribis, iactare. Atque ora firmarent ⁊ *Impreſſi*, maderent. Pertuſa mens ⁊ *In quibuſdam vetuſtis codicibus*, percuſſa mens. Dilectum veritatis) *Quidam codices*, intellectum. *impreſſi*, dilectionem. Aduerſum deum fa cinora) *In impreſſis*, apud Deum. Aut foris poſiti ad Eccleſiam) *Aberat in impreſſis*, poſiti. Et dabantur verba fallacia) *Nec in impreſſis erat*, dabantur. Putramina quædam) *Impreſſi*, putramina. Contra tales cluſam ſtare eccleſiam ? *Impreſſi non habent*, cluſam. Ac domini altare remouentibus ? *impreſſi*, ac de altari ſe remouentibus. Venerandúmque conceſſum ? *vetuſti codices*, venerandúmque congeſtum. Vt pectora, à delictorum tenebris ſoluta pœnitentię lumen agnoſcant ? *In impreſſis erat*, vt peccatores, à delictorum tenebris pœnitentiam agnoſcant. Quando perimamur ? *In duobus vetuſtis libris*, pereamus.

IN EPISTOLAM XIX. pag. 116.

VIDVARVM ac pupillorum ? *Impreſſi*, viduarum ac populorum. Hoſtis quietis, tranquillitatis aduerſarius ? *Impreſſi non habent*, hoſtis quietis. Et abortione properante ? *Impreſſi*, & partione properante.

IN EPISTOLAM XXIII. pag. 120.

ET ſanctitas non diſiungatur ? *Impreſſi*, & ſanctitas non iugiter. Fideli ſanitate repetiſſe ? *In impreſſis erat*, fidei ſanitate. Huius diei lætitiam ? *Impreſſi*, huius rei. Lætatus ſit omnis

nis fratrum numerus? *Antea impreßi libri*, lætus sit. Gerebatur? *Codex vnus*, celebratur. Quanto maius est gaudium? *Antea impreßi habuerunt*, quanto magis.

IN EPISTOLAM XXIIII. pag. 121.

QVOS tempestas inimica prostrauit? *Impreßi libri*, potestas inimica. Hortamur tamen? *Alias*, autem. Plus est quod adepus es? *In impreßus legitur*, quod adeptum est. Inflari audio aliquos & tumere audio? *Libri impreßi habuerunt*, & non timere audio. Ad victimam ductus est? *in quibusdam vetustis*, adductus est. Seculo renunciauimus? *Vetusti libri*, renunciaueramus.

IN TRACTATVM, QVOD IDOLA DII NON SINT. pag. 164.

QVOD in credentibus ratum sit? *In impreßis*, quod credentibus datum sit. Quæ primis fuerant? *Alias*, primitus. Ac recedentem spectare videatur? *In quibusdam vetustis codicibus*, sectari videatur. Et regum memoria seruata sit? *Quidam libri manu scripti*, & rerum memoria. Quod videas nihil protsus? *Impreßi sic habebant*, quos sæpius videas nihil pro suis. Irrepentes etiam, in corporibus occultæ mentes? *Antea impreßi habuerunt*, irrepentes etiam spiritus corporis occultæ mentis. Videas illos nostra voce & operatione, maiestatis occultæ, flagellis cædi, igni torreri? *Impreßi*, videas illos nostra voce & oratione occultè flagellis cedi, igni torqueri. Quando discedant? *In vno manu scripto legitur*, vnde discedant. Nec hoc tu de homine mireris? *Alias legitur*, nèc hic tu de homine mireris. Hic nec videri potest? *In impreßis legebatur*, hic enim videri non potest. Tactu purior est? *In quibusdam libris manu exaratis*, astu purior est. Sed illi negligentes disciplinæ? *Nonnulli vetusti codices*, sed illi negligentes, indisciplinati. Ex omni genere? *Alias*, gente. Multo fideliores, & melioris obsequij? *Impreßi non habuerunt*, & melioris obsequii. Indulgẽtię igitur huius & gratię disciplinæque arbitrei? *Nec hoc in loco impreßi habuerunt*, disciplinæque. Et doctor humani generis? *In libris manu scriptis*, & deductor humani generis. Hic in virginem inlabitur? *Alias*, delabitur. Deus cum homine miscetur? *Impreßi*, deus semper cum homine miscetur. Itaque cum Christus Iesus secundum à prophetis antè prædicta? *Antea impreßi*, itaque cum Christus secundum à prophetis prædicta. Inferos cedere? *Post hæc verba impreßi habuerunt*, vnum qui exercitiõ & exemplo hominis fungeretur, alterum qui dominum fateretur non intelligendo. Existimabant magum de licentia potestatis? *mpreßi*, existimabant magnum diligentia potestatis. Crucem eius & mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes? *Alias*, flagitarunt, *&*, flagitabant. Simul victus? *Quidam Vetusti codices*, simul vinctus. Vt denuo? *Vetusti duo libri*, vt de eo. Ad viam lucis? *In libris manu scriptis*, ad vitam lucis.

IN TRACTATVM DE VIRGINIBVS DEO DICATIS. pag. 168.

CONFESSAE sint, asseuerare se integras esse? *Aliter impreßi habuerunt*, cõfessæ sunt, asseuerare non decet se integras esse. Melius est nubant, quàm in ignẽ delictis suis cadãt? *In impreßis legebatur*, melius est vt nubant quàm in ignem deliciis suis cadant. Ex ea parte sua? *Alias*, ex ea parte sui. Nonne indignatur & fremit? *In vno manu scripto erat*, nonne indignatur, & remittet? Fortasis & gladium in manum sumit? *Quidam libri manu scripti*, fortasse & gladium in manu sumit. Et homo quicunque fecerit in superbia? *Vetusti codices*, & homo quicũque fecerit superbiam. Nec obtemperant salubribus præceptis? *Alias*, nec obtemperant consiliis salubribus. Turpiter consumentur? *Quidam libri antiqui*, turpiter pereant. Vt quantum potes consiliis salutaribus? *Alias*, salubribus. Nec sacerdetes dei ecclesiam domini contemnentes? *Vetusti quidam libri, ecclesiam domini contemnendo.* Dignatione nostri sermonis formauimus? *In impreßis*, firmabimus.

IN EPISTOLAM LVIII. pag. 170.

ET censura priore flexisse? *In impreßis*, fluxisse. Et prælium glorioſi certaminis in persecutione ferueret? *Vitiose in impreßis erat*, frueret. Nostræ vocis animandæ? *Quidã libri manu scripti*, nostræ vocis fortiter animandæ. Acies adhuc geritur? *In vno legebatur*, acies adhuc agitur. Quod & tu ipse tractasti prius esse ecclesiæ? *Libri impreßi*, quod tu ipse tractasti prius sanctæ ecclesiæ. Salubri moderatione? *Antiqui duo codices*, salubri moderamine. Eo quod sibi ecclesia cluderetur? *Antea impreßi*, abdicaretur. Ad rumpendam catholicæ vnitatis concordiam? *In impreßis antea fuit*, ad rumpendæ catholicæ vnitatis cõcordiam. De communi collatione placuerunt? *In duobus vetustis erat*, de communi conciliatione. Sed quid collegæ tui? *impreßi*, sed quid collegæ nostri. De vitæ & disciplinæ nostræ ra-

tione¶ *Quidam vetusti codices*, exploratione. *Impressi*, exemplo. Nec habeat ecclesiæ ordinationem¶ *In quibusdam libris manu exaratis*, ecclesiasticam ordinationem. Quod nos simplici corde¶ *In impressis fuit*, supplici corde. Communionem sacrilegam¶ *In vno veteri*, communicationem sacrilegam. Et domum totam periculi sui pactione protexit¶ *In impressis fuit*, perfunctione protexit. Ille qui intimos¶ *Impressi*, ille qui inquilinos. Libellaticos cum sacrificatis æquari¶ *In quibusdam libris*, libellos cum sacrificantibus æquari. Et cum dominus relictis nonaginta nouem sanis¶ *Impressi*, & cum dominus relictis sanis. Virum grauem non facile flecti oportere¶ *Quidam vetusti codices*, virum gratia non facile flecti oportere. Secularia opera¶ *Alias*, secularia desideria. Tum deinde quantum arrogantiæ tumor est¶ *citat Augustin. de bapt. contra donatistas.* Opto te frater charissime, semper bene valere in domino¶ *Hæc verba non erant in impressis.*

IN EPISTOLAM LXII. pag. 182.

AGNOSCENDA & amplectenda¶ *Impressi*, complectenda. Bonis confessoribus¶ *In impressis erat*, nobis confessoribus. Vincientibus firmior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus¶ *In quibusdam codicibus antiquis legitur*, vincentibus firmior victus, sublimior iudicantibus iudicaturus. De media morte subtractos¶ *Impressi*, de media nocte.

IN EPISTOLAM LXIIII. pag. 188.

QVAESISTI etiam fili charissime¶ *Impressi*, frater charissime. Quo minus vnusquisque quod putat sentiat¶ *In impressis fuit*, quod voluerit sentiat. Vt & aphronitris¶ *Impressi*, vt & sapone & nitris. Spiritalis gratiæ munus infundi¶ *Erat in impressis*, spiritualis gratiam muneris infundi.

IN EPISTOLAM LXVI. pag. 191.

ANIMADVERTO eundē te adhuc esse¶ *Nō habuerunt impressi*, eundem. Sacerdotes dei sine conscientia eius¶ *Impressi*, sine consensu eius. In ecclesia ordinari¶ *Quidam libri manu scripti*, in ecclesia coronari. Nam credere quod indigni & incesti sunt¶ *Impressi*, quod indigni & incerti sint. Principem plebis non maledices¶ *Exemplaria quædam vetusta habent*, principem populi tui. Iudicium dei & Christi in acceptum referat¶ *Antea in impressis fuit*, in apertum referat. Apes habent regem, & ducem pecudes, & fidem seruant¶ *In impressis aliter fuit*, apes habent regem & iudicem & ei fidem seruant. Super quem ædificata fuerat ecclesia, ecclesiæ nomine¶ *In impressis non erat, ecclesiæ nomine. & pro*, ædificata, *habuerunt*, ædificanda. Sed sit vtique connexa¶ *codex vnus*, confixa.

IN EPISTOLAM LXIII.. pag. 194.

AVGVST. *de doctrina Christiana librum vocat: Beatus Cyprianus submisso dicendi genere vtitur in eo libro vbi de sacramento calicis disputat. soluitur quippe ibi quæstio in qua quæritur, Vtrum calix dominicus, aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere.* Admonitos autem nos sciasˆ *Augustin. legit*, admonitos autem vos sciatis. Nisi botrus calcetur ante & prematur¶ *In quibusdam vetustis codicibus legitur*, nisi botrus calce feriatur & prematur. Vt virtutes meas exponeret¶ *Impressi libri*, vt virtutes meas annunciet. In qua nocte tradebatur¶ *Antiquus codex vnus*, antequam traderetur. Vnde ecclesiam, id est plebem in ecclesia constituram¶ *Manu scriptus liber*, id est populum in ecclesia constitutum. Nunquid ergo dominicum post cœnam¶ *In vno manu scripto sic habetur*, nunquid ergo dominicum calicem post cœnam.

IN EPISTOLAM LXXV. pag. 230.

SED omnes omnino hæreticos¶ *In impressis non fuit hæreticos*, Aut aliquos speciatim separatos posuit¶ *Liber vnus antiquus habet*, speciatim separans. A seipso ortus est¶ *Impressi*, à seipso ordinatus est. Si Christi poculo & ipse commixtus est¶ *Alias*, populo. Alterum sibi foris cōstituerunt¶ *Impressi*, instituerunt. Cum schismaticis esse posse¶ *Antiquus liber*, edere posse. Duces & auctores¶ *Vetusti duo codices*, duces ductores. Obnoxios omnes & culpæ & pœnæ futuros¶ *Aliter fuit in impressis*, obnoxios se deo & culpæ & pœnæ facturos. Qui fuerint eorum peccato contaminati¶ *Alias*, communicati. Qui hostes sacerdotum¶ *In impressis antea fuit*, hostias sacerdotum. Quod illic nec est, nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse¶ *Aliter habebant impressi*, quod illic nec esse, nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos,

DE

OBSERVATIONES.

DE ALEATORIBVS. pag. 303.

HVIVS *libri de aleatoribus meminit* Landulfus *de columna* Carnotensis *in breuiario historiali, bonámque partem eius citat. Item* Iacobus Philippus Bergomas *in supplemento chronicorum.* Et quod ad salutem¶ *Alias*, est quod ad salutem. Ipsa ad laudem¶ *Aliter*, quæ ad laudem. Quod est zabuli malum, & diaboli vulnus¶ *In alio libro erat*, quod est zabuli venabulum, & delicti vulnus. Illic rabidosa amicitia¶ *Alias*, rabiosa. Illic atrocissimi sceleris immanitas discordans¶ *Alius liber habebat*, fraternitas discordans. Opes auorum sudore quæsitas¶ *Alias*, sudoribus. Laqueus est ille mali, & supplantatio inimici¶ *In alio veteri libro erat*, alueus est ille mali, & supplantatio amici. Sine vlla fori calumnia¶ *Alius habebat*, sine vlla fori calumnia. Hinc deinde pauperes fiunt¶ *Aliter erat in quibusdam libris*, hinc demum pauperes fiunt. Instigatu sollius zabuli¶ *Alias*, instinctu. Qui enim artibus suis repleuerat¶ *Alias*, adimpleuit. Colendum diceret: sacrificandi sibi legem terminauit¶ *In vno erat*, colendum & sibi sacrificandum instituit. Certe qualis dementia aleatorum fidelium¶ *Alius sic*, O qualis dementia aleatorum, Se deuouent¶ *vnus addit*, inuite se deuouent. Et crimen immortale¶ *Alias*, & crimen mortale. Sed mandaciorum mandra¶ *In alio erat*, sed mendacij malitia.

PAGINA 332.

DIOCLETIANI¶ *Ante imperium* Diocletiani *passus est* Cyprianus *sub* Valeriano, *anno* Christi 259. *forte legendum*, Valeriani.

DE SINGVLARITATE CLERICORVM. pag. 342.

LANDVLFVS *de* Columna Carnotensis *in breuiario historiali, de* Origene *loquens*, Hic inter alia, *inquit, volumina quæ edidit, codicem de singularitate clericorum composuit, in quo de cohabitatione mulierum vitanda, pudicitiáque seruanda pulcherrime loquitur.* Aduersa est confidentia¶ *Alias*, aduersaria est. Quantos leones domuit vna infirmitas delicata¶ *In alio antiquo libro*, quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata. De magnis efficit prædam¶ *Vetustus alius habet, de magnis tantum & fortibus suam mixtam efficit prædam.* Quod forinsecus efficit infamari¶ *Alias*, qui illud permittit forinsecus infamari. Blasphemiam ingerit religioni, quam contulit¶ *Alias*, quam colit. Gluten est delictorum¶ *Alias*, glutinum est delictorum. Et expugnatio fortis infamiæ¶ *In alio antiquo libro erat*, & expugnatio fortis infamię. Et debellatio inquieta bellorum¶ & debellatio inquietantium æmulorum. Et libidinis cancer¶ *Alias*, carcer. Funus humanæ substantiæ¶ *Alius codex*, firmus status humanæ substantiæ.

DE ORATIONE PRO MARTYRIBVS. pag. 440.

DEVS virginum, deus bene viuentium¶ *In impressis non erat*, deus bene viuentium. Aufer à nobis omnem seculi inluuiem¶ *Alias*, pelle à nobis omnem seculi ingluuiem. In sancta ecclesia honor¶ *Quidam codices*, in sanctorum ecclesia honor.

DE ORATIONE QVAM SVB DIE PAISSIONIS SVAE DIXIT. pag. 441.

QVI fuisti ante mundi constitutionem¶ *Alias*, qui fuisti ante mundi dispositionem. Et perspicis abyssos¶ *Alias*, prospicis. Qui habes potestatem occidere¶ *Impressi non habent*, occidere. Et confessus est Nabuchodonosor¶ *Alias*, & confusus est. Dum orarent in atrio domus¶ *Quidam vetusti codices*, dum orarent in cubiculo domus. Qui fecisti tanta mirabilia¶ *In quibusdam vetustis libris*, qui fecisti tanta magnalia. Qui soluisti linguas blæsorum¶ *Alias*, qui sanasti linguas. Libera me ab aduersaria potestate¶ *Quidam libri manu scripti*, ab aduersaria parte. Christum saluatorem nostrum¶ *Alias*, salutarem.

OBSERVATIONVM FINIS.

INDEX.

rerum ac verborum ex B. Cypriani operibus magna cura ac fide collectus.

Aaron filii ob ignem alienum altari impositum terra absorbti sunt pag. 38.
aaron christi similitudinem præferebat in sacerdotio pagina 244.
abel iustus à fratre occiditur pag. 22
abel pacificus & iustus pag. 48
abel passionem iusti hominis initians pagina 71
abel primus propter iustitiam occiditur pagina 185
abel, parentum luctus pag. 437
abigere testates contrarias pag. 402
abiron contra mosem pag. 38
abluitur delictum si possessiones dimittantur pag. 293
ablutio pedum. pag. 393
aboleri pag. 6
abortiuæ traditiones pag. 396
abraham deo placuit vt placeret deo pagina 55
abraham, isaac & iacob meritis fidei ac iustitiæ à deo honorati pag. 55
abraham fundamentum fidei pag. 71
abrahæ conuiuium pag. 139
abraham imitandus fidei promptitudine pagina 185
abraham pater multorum populorum pagina 437
abruptius blasphemare pag. 227
absentari pag. 357
absorbuit terra datban, core, & abiron pagina 38
abstinere diaconum, pro amouere pag. 169
abstinere à communione extorres pag. 320
abusiones seculi pag. 443
acca meretrix dea reputata à romanis pagina 165
accepta fides nõ viuificat sed custodita pagina 121
accersitio pag. 26
accessus facilis quærentibus veritatem pagina 15
accinctos nos esse oportet pag. 40
accusatores in publico pag. 4
acetum rancidum radénsque palatum pagina 393
aceto potus est christus pag. 425
achar pag. 333
achias propheta ieroboam regi obuiam factus, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit pag. 34
acoluthus pag. 107
actibus nostris deum nos nunc videntem delectare debemus pag. 81
actus populo insinuandus pag. 143
actum est de episcopatus vigore pag. 107
aculeus peccati fœmina pag. 344
adam peccator paradiso eiectus est pagina 26
adam præcepti diuini immemor, & datæ legis transgressor vniuerso generi humano multarum calamitatum auctor fuit pagina 71.73
adam per euam seductus est pa. 344
adam quid designat in suis literis pa. 436
adamas hircino sanguine frangitur pagina 330
addictos cremabit ardens semper gehenna pa. 14
adelphius à thasualte pa. 223
adfauere malis pa. 2
adhærere cumulis pœnalibus pa. 5
adhæsisse belial est abnegasse christum pagina 337
adipisci parum est, plus est quod adeptus es seruare pa. 121
aditus insidiis præoccupandus est pagina. 361
adiuratio ecclesiastica in spiritus immundos, & torturæ in obsessis corporibus pagina 11
adiurati dæmones per verum deum voce ecclesiasticorum statim cedunt pa. 166
adlapsus indulgentiæ pa. 2
admissus ad domini munus pa. 5
admittere rationem pa. 7
adolescens sine obedientia abusio pagina 444
adoratores veri pa. 41
adrumetina colonia pa. 190
adtitulata pa. 412
aduentus christi à iudæis propter eorum

Peccata non intellectus pa. 167
aduentus christi ad iudicium propinquus temporibus cypriani credebatur pagina 129
aduersarius grassans pa. 3
aduersarius vetus est cum quo prælium gerimus pa. 16
aduersarius christi est qui cum christo non est pa. 116
aduersis ne consternamur pa. 12
aduersa mundi fortiter tolerare pa. 13
aduersis non frangi pa. 55
adulationem perniciosam esse pa. 2
adulationem, malum esse cognatum propinquúmque virtutibus pa. 384
adulteri non admittebantur ad pœnitentiam pa. 175
adulteras non sinetis viuere pa. 308
adulterium discitur, dum videtur pagina 3
adulterium oculis admitti pa. 325
adulterium mortale crimen est pa. 72
adulterium sollicite cauendum pa. 199
adulterium voluptas non est sed mutua contumelia pa. 310
adulterari non potest christi sponsa pagina 34
adulterare verbum dei impiis dogmatibus pagina 330
adunatio fraternitatis pa. 103
adunatio hominibus voluptatem maximam præstat pa. 146
adunata dilectio pa. 81
aduncatores quæstium pa. 386
aduocatum habemus christum apud patrem pa. 41
ægrum perire voluit qui censum pereuntis inuadit pa. 10
æger impatiens licet vociferetur, gratias tamen agit dum restitutam senserit sanitatem pa. 93
ægrorum animus solet respuere medici industriam pa. 298
æglom pa. 455
æmulatio vendidit ioseph pa. 77
æneus orbis pa. 325
ænigmata veteris literæ putruerunt pagina 396
æqualitas diuini muneris apud omnes pagina 138
æqualitatis sacramentum pa. 189
æqualiter perpeti aduersa pa. 13
æqualiter super bonos & malos dies nascitur pa. 69
aerem pestilens aura corrumpit pa. 9
aëria vestis pa. 455
æris sordidissimis opes admittere pagina 306
ærarium saturni pa. 165
ærarios abominatur spiritus sanctus pagina 413
æsculapius pa. 165
æstas frugibus torrendis apta pa. 8
æstas messium fertilitate fœcunda pagina 27
æstimator diuinæ potentiæ angustus & inualidus pa. 432
æstuans campus pag. 13
ætas integra pa. 3
ætas hominum vix ad centenarium numerum iam peruenit pa. 8
ætas omnis admonetur auditu fieri posse quod factum est pa. 3
ætas in senectutem non desinit pa. 8
ætas minor consummatur dignitate operis glorioſi pa. 183
æterna vita quæ pa. 213
æui superioris labes pa. 2
affectio probatur cum nulla præteritur occasio pa. 323
affectus impotentes sensum adimunt animo pag. 331
affluenter exuberare pa. 2
affluentia in diuitiis pa. 4
afflictiones vel ad disciplinam contumacium vel ad pœnam malorum à deo permittuntur pag. 9
africæ episcopi pa. 113
agapen firmiter exercendam pa. 273
agris flammas immittere pa. 202
aggeres extructi pecuniarum pa. 5
aggredi munus ex more pa. 6
agmen officiosum pa. 2
agnitio longa pa. 1
dei Agnitio in terris non est pa. 9
agnoscenda beneficia diuina pa. 182
agnoscere terrenum pa. 2
agnoscere crimen pa. 7
agnoscere deum pa. 9
agnus occisus imago christi pa. 14

agnus innocens christus pa. 358
agnus tutus non est cum lupo pa. 350
agon vnus pa. 28
agon cælestis pa. 30
agon cotidiæ celebratur pa. 159
agonisticam coronam adipisci pa. 10
agonotheta deus pa. 339
agricola decrescit in aruis pa. 8
agrippinus pa. 209
albescere in plumas oloris pa. 4
alea prodigus pa. 10
alea inuentum diaboli est pa. 304
alea est quam sequitur crimen ignobile pagina 304
aleæ tabula pa. 304
alea lusus nociuus est pa. 306
aleator quicunque est, christianus non est pagina 305
aleatorum animi pa. 303
aleatorum nequitia pa. 304
aleatrices manus i. aleæ tabulæ pa. 304
alethina vestis pa. 455
alexander magnus pa. 165
alienigenas succendi & cremari præcinit dominus pa. 13
alienus veritatis ac lucis pa. 1
alieni donantur bonis pa. 4
alimenta vitiorum pa. 3
alios ne detestemur ipsi grauioribus obnoxij criminibus pa. 338
altare profanum erigere pa. 145
altaria dei vel nulla sunt vel occulta pagina 11
altari vacantes pa. 128
altaribus placere debent qui de altaribus viuunt pa. 360
altissimi virtus ipse est christus pa. 419
altitudo latitudo & profundum descriptio crucis est pa. 421
amaricare dulcedines pa. 363
amaritudo cum dulcedine coniungi non potest pa. 35
ambitio volubilis pa. 1
ambitio delectat pa. 2
ambitio dormit in sinu sacerdotum pa. 387
ambulando non proficiet ad salutem qui salutari viæ non tenet veritatem pa. 32
ambulandum semper in lumine pa. 51
amelsad pa. 455
amictu clariore conspicuus pa. 5
amici castigandi & redarguendi pa. 93
amare compellimur pa. 6
amare pressuras & pœnas dementia est pagina. 53
amare sua pertinaciter pa. 217
amœnare oculos pa. 1
amatur quicquid non licet pa. 325
amor patrimonii cæcus decipit multos pagina 92
amores terreni pa. 4
amplificare precium pa. 3
anathema pa. 333
ancillata charitas pa. 356
andreas gaudens ibat ad crucem pa. 332
angeli ad vastationem mundi mittentur pagina. 14
angelos cum fœminis cecidisse pa. 355
angolismensis portus pa. 452
anguis metator antichristi pa. 295
angues prægelidos pa. 458
anima latinis flatus dicitur pa. 328
anima secum rixatur pa. 367
anima totum & perfectum concipere non potest pa. 147
animarum ratio communis pa. 9
anima coartata & concluſa pa. 10
anima cælum intuens pa. 6
animalia prona & ad terram depressa sunt pa. 12
animalis homo inter dominicæ cœnæ conuiuas non admittitur pa. 391.392
animatio diuina pa. 247
animatus in nouam vitam pa. 2
animare hominem dolore quo credatur extingui pa. 201
animosus homo parit lites pa. 152
animus oblectans pa. 2
animorum multum timidioribus & infirmis addere pa. 326
animi potentatus & vis ingens pa. 3
animum fortem martyrium postulat pagina 326
animi expiati potentia pa. 3
animi desipientes pa. 2
animus tumens & superbus pa. 95
animus immobilis pa. 26
animus quasi legitimus & perfectus auriga coerceat stimulos carnis pa. 310
animus vnus esse dicimur propter summun pa. 328
animorum consensum pa.

animus sibi bene conscius solo deo iudice contentus est pa. 100
animus dubius & incertus pa. 170
anna vidua sine intermissione orabat pagina 51
anna ecclesiæ typum portans pa. 42
anniuersaria commemoratio pa. 183
annonarum incrementa pa. 10
annus fatigans pa. 1
anni plus minus ducenti quadraginta iam fluxerant à passione christi temporibus cypriani pa. 330
antagonista debilior pa. 341
ante mortem ne laudes hominem quenquam pa. 142
anthropiani pa. 209
antichristus in homine veniet pa. 291
antichristi tempus adpropinquasse pa. 184
antichristi sunt omnes hæretici pa. 230
antichristus christianos impugnat pa. 104
antichristum sub vocabulo christi asserere pa. 33
antichristi tempus appropinquare iam cœpit pa. 15
antichristus minatur, sed christus tuetur pagina. 26
antiochus rex infestus antichristus pa. 23
antiquus horror de parricidiis & incestis pa. 3
antispiritus pa. 382
antistites immaculatos & integros eligere pa. 135
antrum iouis in creta videtur pa. 165
apelles pa. 148
apibus rex est vnus pa. 166
apes nesciunt coniugia pa. 420
aphronitris abluuntur sordes pa. 188
apocryphæ scripturæ pa. 430
apostatæ ad ecclesiæ pacem non possunt admitti pa. 178
apostatæ abominandi perfugæ pa. 336
apostatæ angeli pa. 86
apostatare pa. 105
apostolica obseruatio pa. 136
apostolos i. episcopos dominus elegit pa. 141
apparatus largior pa. 3
appelletiani pa. 209
appetere nihil pa. 5
apud homines deus suam bonitatem ac potentiam vult illustrari pa. 327
apud hæreticos omnia per mendacium agun-tur pa. 219
aquæ contradictionis pa. 327
aqua mendax & perfida pa. 210
aquæ populos gentiles significant pa. 198
aquam ad mensuram accipere pa. 296
aqua sola peccata purgare non potest pa. 228
aquæ testimonium vidit ioannes euangelista pa. 328
aqua quibusdæm in locis offertur in domi-nico calice pa. 197
aquileiensis ecclesia pa. 415
ad Aras diaboli venire pa. 173
arbiter profanus pa. 1
arbor alta radice fundata non mouetur pagina 55
arbor viridis & fertilis pa. 8
arbores infructuosæ, homines steriles pagina 62
arborina vestis pa. 455
arca noe typum gerebat ecclesiæ pa. 410
arcana dei perspici non posse pa. 284
arcessitio & arcessire pa. 295
arcta via est castitas pa. 376
arcta est via quæ ducit ad vitam pa. 169
ardere incendio mulierum pa. 355
ardere in amores terrenos pa. 4
in Ardui montis verticem celsiorem se subducere pa. 3
area frugibus plena pa. 27
argentarius pa. 296
argentillus piscis pa. 456
argumenta vitæ pa. 328
argyrina vestis pa. 455
arma externa pa. 10
arma cælestia quæ pa. 104
armorum excubantium tutela pa. 5
armatura multa diuinitus communitum animum martyrium postulat pa. 326
armora tollere pa. 456
arridet vt sæuiat pa. 5
arridentis nequitiæ facies pa. 5
arrius pa. 430.431
ars est occidere pa. 3
artes qui ignorat non *acile de artibus iudicat pa.* 364
aruinæ toris membrorum moles pinguescit.
vt saginatus in pœna, charius pereat pagina 3
arundines baiulæ pa. 1

aſcenſio domini pa. 406
aſcenſus ad magna facilis non eſt pa. 87
aſellus piſcis pa. 456
aſmodeus dæmon nequiſſimus pa. 441
aſpectus carnalis ſeculi nube cæcatur pagina 3
aſpectus triſtis atque auerſandus pa. 4
aſticere procul pa. 327
aſpides morbos ſibilant pa. 345
aſſecla deſertor pa. 5
aſſueſcere cœnis & largis dapibus pa. 2
aſtrologi pa. 359
aſtutus videns malum puniri, erudietur pagina 343
atræ veſtes pa. 57
attingere ex auctoritate redemptoris pagina 327
auaritia rapax eſt pa. 10
auaritia palam ſæuit pa. 10
auaritia inhiat in defunctis pa. 10
auarus eſt idololatra pa. 335
auari nuncupantur maledicti pa. 445
auceps temporum palpator pa. 5
aucta omnia ſeneſcunt pa. 8
auctor conſilii pa. 141
auctoramentum diaboli voluptas eſt pagina 336
auctoritas nunc non excuſatio vitiis datur pa. 323
auctoritas publica pa. 3
auctoritas probri blandientis pa. 4
auctorare ſe aleæ pa. 305
audacia maior pa. 9
audacia cum vitiis faciens pa. 4
audacia venalis pa. 4
audientia popularis pa. 1
audire delectat quid geri poſſit pa. 3
audire patienter pa. 7
audire neceſſitatis eſt pa. 243
auditio ſpiritalis pa. 6
auditoria literis reſonare pa. 349
auditu ætas omnis admonetur fieri poſſe quod factum eſt pa. 3
auditus mollior pa. 4
auditus ſalutaris pa. 6
auibus miniſtris pa. 4
augendus diaconus pa. 119
augurandum non eſſe pa. 288
auias fauces deligunt latrones pa. 50
aulæ regalis ſtlendore fulgentes pa. 5

aura popularis votis inanibus quæſita eſt pa. 5
aura peſtilens aerem corrumpit pa. 9
auræ ſalubres pa. 6
aurelius illuſtris adoleſcens pa. 29
aurelius à chullabi pa. 226
aurelius ab vtica pa. 223
aures ſurdæ ſalutaria præcepta non audiunt pa. 96
auribus minus credere pa. 128
auribus vulnera inferre pa. 85
aurium officium eſt, indifferenter vana atque vtilia perſpicere pa. 243
aurum quomodo fiat pa. 204
aurum exoleſcens pa. 6
auro alligatum teneri pa. 5
aurum ignitum a chriſto emendum pagina 63
aurum hæretici ſe dicunt eſſe pa. 311
auſes naue filius pa. 417
auſpicatum nihil niſi chriſtus proſperare fecerit pa. 326
auſpiciis domini noſtri ieſu chriſti quicquid ſuſcipitur feliciter ſuccedit pa. 326
authentica epiſtola pa. 161
authenticus apoſtolatus pa. 303
autumnus blandiens pa. 1
autumna fœcunda pa. 8
aymus ab auſuaga pa. 224
azarias ſacerdos pa. 38
azymus panis pa. 389

B

babylonii ignes pa. 137
baiulæ arundines pa. 1
bibat licet in gemma ſuſpirat in conuiuio pagina 5
balneas promiſcuas adire pa. 87
baptiſma vnum pa. 35
baptiſma primum credentibus dare pa. 16
baptiſma vetus ceſſaſſe pa. 252
baptiſma nullum extra eccleſiam pa. 219
baptiſma hæreticorum qui probant, noſtrum euacuant pa. 220
baptiſma hæreticorum apoſtoli non probarunt pa. 212
baptiſmata duo eſſe non poſſunt pa. 216
baptiſma non iteratur pa. 196
baptiſma nullum foris eſſe pa. 215

baptiſmus chriſti pa. 377
de Baptiſmo ſalutari ſcripturæ omnes ſibi teſtimonium reddunt pa. 220
ſine Baptiſmo ac delictorũ venia communicare non poſſumus pa. 219
baptiſmo eccleſiæ vnico baptizandos eſſe hæreticos quando ad eccleſiam venerint pa. 226
baptiſmus hæreticorum inlicitus & profanus pa. 219
baptiſmus pro miniſterio vel melior vel deterior non eſt pa. 377
baptiſmum non eſſe quo hæretici vtuntur pa. 234
baptiſmi ſacramentum mare rubrum fuit pa. 189
baptiſmum repeti prohibent ſcripturæ pagina 394
baptizare hæreticum non licet pa. 148
baptizare eum ſolum poſſe qui habeat ſpiritum ſanctum pa. 234
baptizari debere hæreticos & ſchiſmaticos in fonte perenni ad eccleſiam ſi venerint pa. 220
baptizandum eſſe omnem hominem ab hæreſi venientem pa. 219
baptizari neminem foris extra eccleſiam poſſe pa. 218
qui Baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius pa. 216
baptizati ab hæreſi pa. 148
baptizari parum eſſe niſi quis factis & opere proficiat pa. 280
barbam non vellendam pa. 288
barbæ effigiem corrumpere pa. 98
barba in viris corrupta pa. 90
baſilides pa. 134
bel idolum pa. 186
bella crebrius ſurgunt pa. 7
bella vbique diuiſa pa. 3
bellicum clangere pa. 201
bellua artifex eruditur pa. 324
bene agentibus bona ſunt omnia pa. 354
benedicendum deum circa omnia quæ accidunt pa. 277
benedictus deus veritatis pa. 229
beneficia diuina multa pa. 59
beneficia terreſtria pa. 2
beſtiæ imaginem qui non adorauerunt viuere cum chriſto pa. 26
beſtiarium pa. 456
bibere in gemma pa. 5
bibere vberius pa. 248
bifrons pa. 165
biplagia veſtis pa. 455
blanditur vt fallat pag. 5
blaſphemus hæreticus deum inuocat pa. 219
blaſphemata religio pa. 346
bona appellant ex quibus nullus illis niſi ad res malas vſus eſt pa. 5
bona perennia pa. 6
bonum operis & miſericordiæ pa. 271
boni & mali inter ſe mixti pa. 13
bonis & malis interitus non eſt communis pa. 56
bonis conueniendum pa. 289
boni ex malis pa. 393
bonos plus laborare debere pa. 274
breuiarium præceptorum cæleſtium pa. 268
breuiatum ſermonem faciet dominus pa. 49
breuiauit deus omnem precem noſtram ſalutari ſermone pa. 49
bruto ſapientiam offerre labor irritus eſt pagina 7
bubulum caput pa. 74

C

cachinnat tuſſis pa. 443
caduca ſunt quæcunque fucata ſunt pa. 6
cæcilius à bilta pa. 219
cæcitas thobiæ pa. 54
cæcitas mentium deteſtabilis pa. 5
cæcus cæcum ſi ducat, ambo in foueam cadunt pa. 226
cæco lumen offerre pa. 7
cæci oculos ad deum aperiunt pa. 33
cæleſte præſidium pa. 6
cæleſtis muneris nulla menſura pa. 2
cæleſtia tantum cogitanda pa. 275
cælina veſtis pa. 455
cælitus ſpiritu hauſto pa. 2
cælum imbribus cludi pa. 10
cæſariani pa. 248
cain munera deus non reſpexit pa. 36
cain iam peremerat fratrem cum munus offerret pa. 56
caina hæreſis pa. 315
calamitatis abſtruſæ fallacia pa. 5
calamitas ſine remedio eſt odiſſe felicem

pa.
calcatio torcularis pa. 78
calciati ſimus euangelico magiſterio pa. 196
calculus pa. 187
calendarium cuiuſuis excedere pa. 341
caligo profunda pag. 310
caligo malorum pa. 5
calicis domini poteſtas ac maieſtas pa. 3
calix domini non eſt aqua ſola nec vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur pa. 96
calix dominicus inebriat pa. 198
calix mixtus vino offeratur pa. 197
calpurnius pa. 195
calydonius pa. 295
canes foris remanſuros pa. 118
canum rabies pa. 311
canonici libri pa. 35
cantanda non ſunt amatoria nec turpia pa. 430
canos videmus in pueris pa. 85
fides Capax pa. 8
capilli deficiunt antequam creſcant pagina 2
capillis exterſit, oſculis infixis pa. 8
capi labe pa. 314
capiemus promiſſa dei cum ad eum venerimus pa. 3
capitolio eccleſia ne cedat pa. 13
capſenſis ciuitas pa. 115
captiuum corpus incuruare pa. 161
captiuos præmiſit chriſtus ad ſuperos pagina 12
captiui à barbaris redimendi pa. 405
capite deſectus pa. 321
carbaſina veſtis pa. 245
carbunculus ardens pa. 455
carceris ſqualor pa. 489
carcer æternus pa. 28
cardina veſtis pa. 9
carnalia mortem pariunt pa. 45
carnaliter natum pa. 286
carnificum crudelitas pa. 2
carnificinæ inſatiabilis rabies pa. 201
carnificinæ apparatus pa. 11
caro concupiſcit aduerſus ſpiritum pagina 332
caro inſenſibilis ſpiritu recedente pagina 346
caro chriſti eiici foras non poteſt pa. 366
caro terrena concupiſcit pa. 35
caro ſemper in lapſu eſt pa. 45
carpentis auxiliaribus euehi pa. 310
carthaginienſis eccleſiæ fides pa. 408
caſſius à macomadibus pa. 299
caſtalina veſtis pa. 122
caſtitas ſobria pa. 455
caſtitas munimen inuictum ſanctimoniæ pa. 2
caſtris ſpiritalibus pa. 360
caſtrorum horror pa. 6
caſtrati propter regnum cælorum pagina 3
caſtus à ſica pa. 169
cataclyſmus quid denotet pa. 222
cataphryges pa. 312
cataſta pa. 148
catechumenis ſubueniendum pa. 29
catechumenum peccare iam non debere pagina 297
cathedra ſacerdotalis pa. 289
catholica eccleſia vna eſt pa. 172
frater in Caua præſto eſt pa. 150
cauendæ fraudes pa. 3
cauponare verbum dei pa. 32
cauſa facit martyrem, non ſupplicium pagina 330
cauſale eſt omne quod fœmine eſt pa. 331
cauſidici bilingues pa. 345
cautio inanis non eſt quæ ad ſalutis viam conſulit pa. 386
celebritas omni ſolitudine triſtior pa. 82
celebrare paſſiones martyrum pa. 3
celerinus pa. 183
cenſores in ſemeipſos pa. 182
centenus fructus martyrum eſt pa. 4
cerdon marcionis magiſter pa. 87
ceſpes fœcundus pa. 227
ceſſanti nulla excuſatio pa. 1
ceſtus certamen pa. 66
chameuniæ monachum non abſoluunt pagina 323
charitatis laudes pa. 338
charitas fraternitatis vinculum eſt pagina 37
chirographum litura delere pa. 72
chriſtiani à chriſto pa. 329
chriſtianorum varia ſupplicia pa. 397
chriſtiani adprehenſi non reluctantur pagina 11
chriſtianum eſſe aut eſt crimen aut non 12

est pa. 11
christiani neque in vlla rerum clade mussitant pa. 13
christiani hominis non corona vna est pagina 80
christianus contentiosus, abusio pa. 447
christiani erimus cum christo simul glorioſi pa. 15
christianis imputas quod minuantur singula pa. 8
christi humanitas pa. 167
christus sol & dies verus pa. 188
christus vel pontificale vel regium nomen est pa. 418
christus deus inluminator & saluator generis humani pa. 259
christus manus & brachium dei est pa. 257
christus finis legis est pa. 450
christus sermo dei est pa. 257
christus angelus & deus pa. 158
christus missus ad nos reparandos pa. 12
christus inuictus est pa. 16
christus non relinquatur pa. 92
christum si fuerimus secuti quod est christus erimus pa. 168
christum primogenitum esse, & ipsum esse sapientiam dei pa. 256
ciborium pa. 454
cibum cum inimico sumere pa. 70
cibi fortiores pa. 3
cibi frugaliores & innocentes pa. 139
cibus terrestris non debet esse communis cum hæreticis pa. 232
cibus securos non contingit pa. 5
ciborum nimiam concupiscentiam non adpetendam pa. 285
cicatrix infidelis quam cito medicus induxit pa. 238
circenses romulus primus conso consecrauit pa. 324
circunciſio prima carnalis euacuata est pagina 251
circunciſio iudæorum pa. 372
circunciſio carnalis sacramentum est in vmbra pa. 138
cirrum in capite non habendum pag. 288
citrium pa. 455
clamor intemperans pa. 1
claritudo christi resplendens pa. 27
clarus à mascula pa. 225
classico nostræ vocis dei plebem erigimus pagina 15
claudi ad ecclesiam currunt pa. 33
claustra coercentia pag. 2
clausula orationis pa. 48
clementer influere pa. 2
clementia domini larga & abundans pagina 241
clementianus pa. 161
clementius hypodiaconus pa. 160
clericæ ordinationis gradus pa. 29
clerici ad lucrum magis proprii pag. 358
clerici cum fœminis ne commorentur pa. 342
clientium cuneis stipatus pa. 5
clinicos vocant apud hippocratem vel soranum pa. 188
cloacina dea pa. 165
coæquatio apostolica pa. 353
coartata anima pag. 10
cœmiterium pa. 248
cœnæ domini institutio pa. 388
cœnæ epulares pa. 2
cœnatoriæ vestes pa. 455
coercere rabiem pa. 7
cogitationis incertæ sollicitudo pa. 5
cogitare de crastino prohibemur pa. 46
vt Cognoscere deum possis te ante cognosce pag. 12
cogere ad confessionem pa. 2
si Cohæredes christi sumus, in pace maneamus pa. 40
colluctatio inter carnem & spiritum pagina 45
collyrium christi pa. 63
coluntur serpentes pa. 11
colorina vestis pa. 455
columba ter emissa ex arca quid significet pagina 312
columba simplex animal, & lætum non felle amarum, non morsibus sæuum pa. 35
comicæ inutiles curæ pa. 325
comitatus frequentior pa. 2
commeatum petere pa. 57
commeatum dare bonis pa. 182
commenta vana & fabulosa pa. 359
commercia nulla cum hæreticis copulentur pa. 116
comminatio dei aduersus eos qui idolis sacrificant pa. 18
commolita grana multa panem vnum faciũt pag.

communicationis ius accipere 155
communicare ſacrificatis 175
commune dedecus delectat 325
commune nihil eſt mendacio & veritati pag. 216
communia nobis omnia cum ceteris 54
compages corporis 2
compendio dolorum contentus 11
compendium gratiæ 1
compendium præceptorum 49
compendium rapinarum 10
compendia perniciosa 76
compendia diuina 188
comprimere impium 7
conamina humana parum possunt 114
concarnationis christi ſacramentum 257
cõcedere ea quæ in pernicie vertant decipere eſt pa. 156
conchylin veſtis 455
conchylio tingere 85
concordiæ laudes 36
concordiam qui rumpit aduersus christum facit 34
condignus eſt mercedem coronæ 236
conditio communis laborum ſecularium pagina 13
conducere cicatricem 101
confeſsionis honor 103
confeſsionum præconia 23
confeſsio delicata de christo 167
confeſsio fidei & laudis 130
confeſsio exordium gloriæ eſt 39
confeſsio & exomologeſis apud inferos non eſt pa. 178
confeſsio immunem non facit ab inſidiis diaboli 39
confeſsio publica & confeſsio priuata 90
confeſsio facit beatum 27
confeſsio quo longior hoc corona ſublimior pag. 28
confeſsione peccatorum glorificari deum 333
confeſſor factus iam noli peccare 121
confeſſores voce glorioſi 142
confeſſores christi extorres 30
confeſſores christi virtutis & honoris auctores 130
in Confeſſoribus non ſunt fraudes 39
confeſſorem eſſe quid 179
confeſſorum laus 318
confidentia aduerſa eſt quæ periculis vitam commendat 343
confirmare dubia 2
confiſcentur cæſariani 248
confitentibus dominum præmia magna conſtituta ſunt 91
confiteri errorem 143
confiteantur ſinguli delictum ſuum pagina 97
confiteri dominum primus eſt victoriæ titulus pa. 90
conflictatio in aduerſis probatio eſt veritatis pa. 55
congreſsionem fortem eſſe aduerſus diabolum pa. 291
coniugalitas caſtrata 357
conniuentes in crimine ſumus 335
conqueri de deo deſinat vnuſquiſque 10
conſacerdos vnanimis 171
conſcientiæ crimen graviſsimum 99
conſcientia vincitur humilitatis exemplo pa. 208
conſcientiæ vulnera cogitare 10
conſcientiæ latebras intueri 10
conſcientiæ iudex deus 24
conſcientiæ diſsimulatæ crimen 96
conſcientia coronatur in pace 26
conſciſcere ſibi necem, infirmitas eſt, aut ambitio, aut dementia 331
conſcij timent 10
conſcribere falſum teſtamentum 4
conſecutio non hominem ſeruat, ſed conſummatio 121
conſeſsio peſtilens ac furibunda 207
conſiliarius dictus eſt christus 371
conſilium de virginibus 88
conſilium inuicem participare 105
conſpicuus in auro 2
conſpicuus amictu clariore 5
conſtitutionarij 359
conſuetudinis vis 2
conſuetudo maior veritate non eſt 211
conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt pag. 229
conſuetudine non eſt, ſed ratione vincendum pag. 216
conſulendum paci communi 162
conſus fraudis deus 165
contactus pernicioſi 3
contactus terreni 3
contactus malorum 4

contagia non minus pœnitenda. 3
contentiones fugiendæ 122
continere eos quibus præsis facile est si te ipse
contineas 169
continenter tenere statum virginis 168
continentiæ virtus magna 88
continentia christum sequitur 83
continentiam ducere criminosam peius est
quàm mœchia 345
contradictorius libellus 359
contristandum non esse spiritum sanctum
pa. 275
contumaces nemo comitetur 127
conuenire duo vel tres 36
conuenire in vnum cum fratribus 42
conuenticula diuersa hæretici sibi constituunt
pa 36
conuertere oculos atque ora ad vrbes 3
conuicium qui facit, no- qui audit miser est
pa. 112
conuiuationes improbæ 354
conuiuium sobrium sonet psalmos 6
cor ferreum, saxeum, plusquàm adamanti-
num emollit sanguis christi 330
corda intuetur deus non munera 48
cordis est auditor deus non vocis 42
corax hominum immundorum figuram por-
tabat 312
corbonam restituere 63
core contra mosen 38
cornelius martyr. 128
cornelius 172
cornelius centurio 50
corona patientiæ 80
corporalis conditio communis 13
corporalis exercitatio ad modicum vtilis est
pa. 338
corpus eneruatum 3
corpus christi 198
corpus domini sanctum profanare 156
corpus extortum, excruciatum, excarnifi-
catum 236
corporum materia consimilis 9
corpora nostra membra sunt christi 177
corpus marcidum 5
corpus è terra possidemus 45
corpus impletur in succum 3
correptionem bonos quosque libenter audire
debere 290
corripit deus quem diligit 82
corripit deus vt emendet 181
corruptiuum induit incorruptionem 54
cothurnus tragicus 3
creatura vitis 197
creaturam omnem ex nihilo esse 419
credentium robur elanguit 40
credentes vere statim posse consequi 283
credentium magna fiducia est 319
credere accedentem ad deum oportet 415
credere sollicitudinis est 243
credere in christum 32
credere in deum quid 340
credendi vel non credendi libertatem in arbi-
trio positam 284
credendum deo qui omnino non fallit 14
crescens à cirta 221
crimen est inter nocentes innoxium esse 4
crimen nunquàm temporibus obruitur 3
crimen à nocente admittitur 10
crimen in voluntate est non in facto 432
criminationes falsas refutare 7
crinen mutare adulterinis coloribus 86
crocodilus colitur 11
crudelitas ingeniosa excogitat nouas pœnas
pag. 11
crudelitas stimulat 2
crucis signum 264
crux christi triumphus est 421
crux christi lex est christianorum 439
culpa secretior 4
cultus sermo 1
cultus plebeius ac simplex 2
cultus iugiter viuidus 6
cumulis pœnalibus adhærere 5
cuneus pastorum 368
cuneis clientium stipatus 5
cupiditatis insanæ profunda caligo 5
cupiditates qui tollit, metus tollit 309
cura facilior est vbi plaga perspicua 78
cura pauperum habenda 142
curricula mensium 27
currunt omnes, sed vnus accipit palman
pag. 31
cynocephali 11
cyprianus renatus nubem exuit 2
cyprianus græci sermonis gnarus 242
cyprianus papa 296
cyprianus episcopus christianorum pagi-
na 192
cyprianus à carthagine dixit 226

cypriani oratio 440.441

D

dæmoniacus exorcizat 219
dæmonia excludere 37
dæmonia de hominibus excutere 167
damnare ad bestias 3
damnant foris quod intus operantur pagina 4
damnari à damnato maior pœna est 358
dapes largæ 2
damna exhausta rei familiaris 5
dandæ laudes deo 89
daniel in leonum lacu 47
dathan contra mosen 38
datiuus à badis 221
dauid patientissimus 71
dauid in conspectu dei saltauit 323
dauid misericordem saul rex persequitur pagina 22
debitoribus vtrisque dominus debitum concedit 314
decimæ de patrimonio dandæ 40
dedecore nihil detestabilius 202
definibilis diuinitas non est 364
defunctis auaritia inhiat 10
deifica disciplina non est negligenda 137
deletio magna 304
delicata iactatio cum periculum non est 55
delictores grauissimi 139
delicto & merito nostro fieri vt laboremus pa. 283
delicta non intelligere ira dei est 112
delicta nunquam æui senio moriuntur 3
delicta mendaciorum 9
delicta religiosa fiunt miseris 4
delicta nostra reputemus 95
delicti summa nolle agnoscere quem ignorare non possis 166
delicta vbique flagrant 4
delicta omnia in baptismo deponi 287
delinimenta aurium 325
delinquendi nullus pudor est 10
delinquitur inter leges ipsas 4
dementes vitiorum furore 4
dementia est non cogitare quod mendacia non diu fallant 111
demetrius aleptiminus 223
deorbati zabuli caligo 305
deponere se ad cultum plebeium 2
depopulator matrimoniorum 107
deprecatorem pro peccatis nostris habemus christum 181
derideri deus non potest 97
desaltare græcæ libininis fabulam 323
desertores ecclesiæ 104
desertores dei 187
deseruire vtilitatibus 9
desiderare nihil de seculo potest qui seculo maior est 5
desolatorij carbores 399
desperatio meliorum pa. 2
detrahendum non esse 290
detrectare pœnitentiam 297
detriumphauit diabolus mundum 326
deuergit in occidua 8
deus quid 416
deus est christus 258
deus mortem non fecit 176
deus in principio fecit hominem fecit sua manu pa. 244
deus pacis & concordiæ magister 43
deus vel sero quærendus 14
deus vnus & verus est 7
deus quem diuitem fecerit nemo pauperem faciet 6
deus verax 137
deus vt est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor 102
deus indignari se dicit & irasci 9
deus nec quæritur nec timetur 11
dei iram crescere in pœnas generis humani pa. 10
dei est omne quod possumus 2
deum nihil latere 284
dei arbitrio & nutu cuncta geruntur 8
deum posse aduersa prohibere 10
dei nullus metus est 9
dij gentium 165
deos suos quos venerantur, imitantur pagina 4
diaboli opus est quodcunque mutatur 86
diabolus per exorcistas torquetur 189
diabolus hoc agit vt seruos dei laceret pagina 172
diabolus christum sæpe mentitur pagina 37
diabolus omnia genera tentandi vsu ipso edicit pa. 16

diaboli insidiæ fallaces pa. 176
diabolo nihil licere in hominem nisi deus permiserit pa. 288
diacones pa. 158
diaconi ecclesiæ ministri pa. 141
diaconia præcepta pa. 455
diana taurica pa. 165
dies nequissimus pa. 187
dies iræ & vindictæ pa. 75
diem pressuræ super caput esse pa. 184
dies expeditionis pa. 40
difficile non est posse martyrem fieri pagina 25
dignitas hominis summa pa. 6
digna dignis obtigerunt pa. 245
dilectionem fraternam religiose exercendam pa. 273
dilectioni dei nihil præponendum pa. 278
diligenda res homini quæ deo chara est pagina 69
dimidietas fœminarum pa. 358
dimittentur delicta si ipsi dimiserimus pa. 81
disciplinæ radices amaræ pa. 444
disciplinæ morum ordinata correctio pa. 449
disciplinam tenere omnes oportet pa. 169
disciplina recedente discedit & gratia pagina 121
disciplina est, vt perimere quis possit pa. 3
disciplinam dei in ecclesiasticis præceptis obseruandam pa. 287
disciplina incorrupta, sobria pa. 6
disciplina custos spei pa. 81
disciplina fundamentum religionis pa 82
discipuli sal terræ pa. 46
discipuli discunt & non faciunt pa. 186
discere parsimoniam pa. 2
discolatus pa. 397
discordantium inuicem rabies pa. 4
discordia ad regnum cælorum peruenire non potest pa. 37
discordiæ culpa passione non purgatur pagina 36
discretim sulcare pa. 489
dispendium militum pa. 12
dispensatoria humilitas pa. 379
dispersas toto orbe pugnas pa. 4
dissensionis fraternæ crimen pa. 48
dissimulanda veritas non est pa. 92
dissimulandi nunc locus non est pa. 155
distillat sudore modico pa. 8
diuersi spectaculi contagia pa. 3
diuertes inde oculos pa. 4
diuina tutela ad erigendum potest pa. 30
diuina natura in mortem per carnem descendit pa. 422
dives sine eleemosyna abusio pa. 444
dives peccator pa. 108
diuites continuantes saltibus saltus pa 5
diuites per diuitias pereunt pa. 92
diuites nolunt acquiescere domino pa. 246
diuites qua excusatione purgentur pa. 66
diuites stulti pa. 46
diuitem te sentiant pauperes pa. 84
diuitibus acrius inuidetur quam pauperibus pagina 362
diuitiarum sitis miseris pectoribus assidet pa. 367
diuitiæ non tantum contemnendæ sed etiam periculosæ pa. 46
diuitias multi habent quas suis vsibus negant sed pro cupiditate conseruant pa. 345
diuinitus vltiones sequuntur læsos pa. 13
diurnum cibum petere pa. 46
dare lucem ad cognitionem pa. 3
det nobis dominus secundum cor nostrum pagina 294
docuit christus & fecit pa. 186
docere indocilem pa. 7
docibilis episcopus pa. 229
doctor pacis pa. 42
doctores sectandi pa. 353
doctor si errauerit, à quo iterum doctore emendabitur pa. 443
doctrinas humanas sequi pa. 135
dolorem superare, corona dignum est pa. 332
dolorem fratrum proprium computandum esse pa. 321
domesticæ impugnationis tela grassantur 10
domicilia vestita pretiosi marmoris crustis 6
dominatio vana & impotens pa. 14
dominica potestas pa. 70
dominicæ orationis sacramenta pa. 43
dominari iure imperioso pa. 3
dominus baptizatur à seruo pa. 70
domino magis obtẽperandũ quàm cõseruo 292
dominus scrutator est renis pa. 31
dominus sine virtute, abusio 446
dominus solus colendus pa. 17.18
dominos mitiores esse debere pa. 288
dominus mundi & rector pa. 8

dominus maior ad protegendum quàm diabolus ad impugnandum pag. 21
domus laceratæ plagæ conscientiam feriunt pa. 5
donatiuum spiritus pa. 533
donatus à cibaliana pa. 224
donati hæresis pa. 431
donatulus à capse pa. 225
dormitio fœda & turpis pa. 169
dormitandum non est in precibus pa. 181
dormienti in ripa verendum est ne cadat pagina 343
dromadis vehi pag. 375
dubia confirmare pa. 2
ducamus hunc diem læti pa. 6
ductorius fons pa. 454
dulcedine aspersa in succos letales pa. 5
duodecim abusiones seculi pa. 443
duricordis & impia plebs pa. 242
duces plus quàm milites ab hostibus adpetuntur in pugna pa. 362
dyscola obstinatus pa. 367

E

ebion quid doceat pa. 431
ecclesia in episcopo & clero constituta est pagina 299
ecclesia hortus conclusus est pa. 230
ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur pagina 34
ecclesia prior sterilis pa. 253
ecclesia Christi vna est pa. 33
ecclesiæ non iungitur qui ab euangelio separatur pa. 94
ecclesia pulsantibus cludenda non est 105
ecclesiam à Christo non recedere pa. 110
ecclesia catholica vna est pa. 121
ecclesiæ cõemptores ethnici habentur 230
ecclesiasticus liber pa. 430
eculeus extendens pa. 4
eculeo corpus extensum pa. 204
edicta sacrilega & funesta pa. 26
efficaciter impetrare pa. 42
efficacibus precibus orare 40
electionem meruisse, summa malorum est pagina 337
elici remedium est & gradus ad recuperandam sanitatem pa. 337
eleazarus pa. 24
eleemosynis solis deum posse placari pa. 60
eleemosyna à morte liberat pa. 175
eleemosynis animas à morte liberari 61
eleemosyna munus bonum est 65
eleemosynis abluendæ sordes 59
elementa voluptatibus deseruiunt 9
elementa colenda non sunt 17
elementariæ dulcedines 363
eligere peiora 4
eliquare oleum 402
eloquentiæ viribus niti 1
emendari aduersis non vexari 55
emendat deus vt seruet 181
emergere de profundo superstitionis 15
eneruatum corpus 3
ennianus hypodiaconus 133
enoch translatus ad reuincendum antichristum 437
enormitas 365
ephrata 374
episcopatus indiuisus 33
episcopatum exambire 172
episcopus deligatur plebe præsente 136
episcopus negligens, abusio 449
episcopus omnium speculator 449
episcopi rerum secularium procuratores 90
episcopum vnum in catholica ecclesia esse debere 143
episcopi nomen sibi adsumere 35
epulares cœnæ 2
erratici lapsus 1
erratici spiritus 2
errandum non ideo semper est quia aliquando erratum est 215
erranti ignosci simpliciter potest 211
errorem pro veritate suscipiũt apostatæ 98
esaias sectus est 207
esau pilosus 437
esau de maioribus ad minora descendit 73
esculenter 345
etecusa 294
euangelica præcepta magisteria diuina 41
euangelium martyres facit 292
euangelium vbique consistit 95
euangelij dictatores angeli 368
euangelij corruptores 36
euaristus 144
eucharistia apud hæreticos non est 218
eucharistia vna alia melior non est 377
eucharistiam cotidie ad cibum salutis ac-

cipimus 46
eucharistia accipientibus tutela est 105
eucharistiam accipiendam cum timore & honore 289
eucharistiam accipere parum, nisi quis factis & opere perficiat 280
eucharistia dari sine exomologesi non debet 155
eucharistia in ore violato permanere non potuit 96
eucratius à thenis 222
eugenius ab ammedara 223
euirantur mares 3
eunuchi 357
exactor seruitutis nimius 9
exambire ad martyres 132
exambitus episcopatus 172
exarmatur fides 112
excedere sine pace 145
excubat ecclesia pro omnibus qui inuocant nomen domini 297.299
execrabiles esse qui sibi placeant 146
exempla fiunt quæ esse iam facinora desiterunt 3
exemplum viuendi in Christo datum nobis esse 282
exercere dominatum 9
exhibere se non posse 297
exhibuit se discipulis christus 329
exigere seruitutem de seruo 9
exigere dies in cilicio & cinere 294
exitus turpes 5
exserere robur pectoris 52
exerte atque aperte minari 76
exsufflare 336
exodiarium 456
exomologesin criminum facere 113
exomologesis apud inferos non est 174
exomologeses delicti fiunt apud presbyterum 158
exomologesis fit inspecta vita eius qui agit pœnitentiam 158
exomologesin facere debere dum in carne est quis 291
exomologesis criminis 93
exonerare se ponderibus 5
exorcista 150
exorcistæ quæstuarij 378
expiatum pectus 2
expirasse dicuntur qui vitam finierunt 328
expoliatio carnis 374
exprimere venerem 4
exprobranter insultare 358
expugnare conscientiam 3
expungi 301
extendere eiulantes 2
extinguere virus 2
extollit vt deprimat 5
extollentia 304
extra ecclesiam non est salus 34
extractus turbinibus 5
extraordinaria hostia 243
exuberare affluenter 2
exultanter gaudium excipere 120
exultant in domino Christiani 13
exuere repente ac perniciter 2

F

fabrica mundi admirabilis 325.326
facies nequitiæ lata est 5
facile est esse malum 366
facinora prisca 3
facere discimus dum consuescimus videre 325
factionis perditæ conuenticulum 113
factis operandum non verbis 289
facundia opulenta 1
fallacia calamitatis illecebrosa 5
falli deus non potest 24
falsarij 10
falsus testis non erit impunitus 152
falsa veris inuoluere 166
fames sollicitudinem cumulat 8
familia strepens 1
fascibus coli non moribus 5
fauentiam domini postulamus 27
fauor vulgi redemptus 5
faustinus 144
faustus à timida 224
ob Febriculam ad incantatricum remedia confugere 339
felicitatis est blandas corporis leges non nosse pa. 307
feliciſsimus seditionis signifer 110
felix à gurgitibus 225
felix à marazana 224
felix à maccura 223
felix à buslacenis 225
felix ab vthina 222

felix à bagai 221
felix episcopus 134
feris se obiicere 3
feralis lues 56
feriata quies 6
fermentarij ministri 388
fermentator profanus nihil commune habet cum azymis 406
festucam in alieno oculo facilius videmus quàm in nostro trabem 311
fictilia vasa confringere deo soli concessum est 130
fidelem non oportere ob alia delicta nisi ob nomen solum puniri 282
fidelem emendari & reseruari 284
fidelem gentiliter viuere non oportere 281
fideles disceptantes non debere gentilem iudicem experiri 283
fides est quæ pugnat & superat in martyribus 339
quantum Fidei afferimus, tantum gratiæ haurimus 2
fidem tantum prodesse quantum credimus pagina 282
non iam peccare Fidei esse 2
fidem nostram simplicem esse debere 284
fides vna 40
fidei vigor emarcuit ibid.
fides nunc nulla est ibid.
fidei robur maneat immobile 107
fides incorrupta domino munus acceptissimum 26
fides non erit sine præmio ibid.
fidentium robur manet immobile 175
fidendum esse in solum deum 275
fiducia futurorum bonorum 12
figmenta terrena ibid.
figuraliter scripta, spiritaliter intelligenda pag. 435
filius dei carnem hominis non aspernatur induere 70
filius dei substantialiter generatus 418
filius dei generatus secundum carnem 259
filij dei pacifici 40
filios non decet esse degeneres 69
filios habere cõsimiles hominibus lætum est & glorioſum 80
finctioſum nomen 305
finem mundi subito venire 289
finem doloribus coronæ dederunt 30
finis præcepti est charitas 356
firmitas stabilis 5
firmitate animi infirmitatem corporis vincere 13
fisco vindicare 248
flagrant vbique delicta 4
florida confessio 295
floret ecclesia virginibus coronata 175
florus 161
fluctus concitos retundere 7
fluxurarum exarmatio est castitas 360
focillare 158
fœminæ multos domuerunt 344
fœmina nulla cum clerico commaneat 363
fœminæ sexu suo fortiores 164
fœmina sine pudicitia abusio 445
fœminæ copulatio semper infesta est 345
fœminarum blandimenta vincere 343
fœmina viri portio est 83
fœnerare deo sua patrimonia 84
fœnerandum non esse 283
fœnerat deo qui miseretur pauperis 50
fomenta probrorum 3
fontem siccitas statuit 9
fornicationis delictum esse grauius 286
fortis nemo est suis viribus 45
fortiæ infirmantur 8
fortiter standum vt possimus vincere 291
fortunis angentibus incubare 5
fortunatianus 125
fortunatus à thuccabori 221
fortunatus pseudoepiscopus 110
forum insanum 4
fragrantia vini 345
fratres non lugendi 57
fratres à fratribus in persecutione non separari 103
frater fratrem adiuuans exaltabitur 174
fratres inuicem se sustinere debere 275
fratrem non circunueniendum 289
fraternitatem nemo fallat 33
fuci medicaminum 86
fugiendus ab ecclesia separatus 38
fugiendum in persecutione 92
fugiendum id quod aliis fuerit exitio 85
fulmina ignium coruſca per inapertam nubium noctem reluceſcunt 203
funambulus in excelso pendulus 384
fundimus preces pro arcendis hostibus 13
furax dementia 304

furaces mores 306
furaciſsimis vocibus iurare 305
furnitor 456

G

galli 358
gaudendum potius quàm dolẽdum cum moriuntur amici 53
gaudendum in perſecutionibus 185
gaudibundus & lætus 319
gehenna locus eſt ſæuiens 205
geminius victor 127
geminius à furnis 224
genas mendacio ruboris inficere 86
generatio baptiſmi 228
genitalis vnda 2
gentes exteræ hæ edes regni 245
gentes ad regnum cælorum peruenturas eſſe pagina 255
gentes in Chriſtum credidiſſe 254
gloriandum in nullo 274
gloriantur miſeri malis ſuis 3
gordius 142
græca certamina præſides ſuos habent dæmonia 324
grando vineam debilitat 9
gratia dei copulat quæ videntur eſſe diuiſa pa. 147
gratulandum aduerſis 55
gratulandum cum lupi de eccleſia ſeparantur pa. 35
grauius iudicari de his qui in ſeculo plus habuerunt poteſtatis 290
guſtus cœnæ 455
gyrari 403

H

hæreſes prædictæ 289
hæreſes inde obortæ ſunt quod ſacerdotibus non obtemperatur 109
hæreſis nulla romæ ſumpſit exordium 415
hæreticorum initia 141
hæreticus furor 120
hæretici minantur 107
hæretici ſoli in paradiſo non habitabunt pagina 193
hæretici interpretes falſi 36
hæretici de chriſtiano iudicare non poſſunt pag. 115
hæretici fugiendi ibid.
hæretici catholicos vocant hæreticos 209
hæretici multos ſecum decipiunt 38
hæreticos chriſti aduerſarios, antichriſtos pagina 226
hæreticus hoſtis altaris aduerſum ſacrificiũ chriſti rebellis, perfidus ſacrilegus, impius pagina 38
helias typum chriſti gerens 64
helias in ſolitudine paſcitur 62
helias in fuga alitur 47
helias auriga iſraelis 323
heliam achab opprimit 22
helias iuſſus relinquere ſolitudinem 355
heliſæus chriſtiani populi typum gerebat pagina 415
herbæ pallidæ & ieiunæ 9
hermes triſmegiſtus 166
hermippus 456
hermocrates 455
herodes ſilueſter 424
hiatu terræ abſorpti qui aduerſus Aaron, ſuperbierunt 140
hi: vita aut amittitur aut tenetur 15
hierarcha pius 392
hieremias lapidatus eſt 244
hieroboam 232
hiſtrio magiſter & doctor perdendorum puerorum 139
hiſtriones non nutrire, regium eſt 448
homicida qui fratrem odit 48
homicidium admittunt ſinguli 3
homo & deus de virgine natus 259
hominibus ſi placetur, dominus offenditur pag. 110
hominibus qui placent confuſi ſunt 83
hominibus placere chriſtiani non poſſunt pagina 170
homo in negata & vetita nititur 366
homo in quo fuerit macula non accedet offerre donadeo 235
hominem dei non commoueri mundi huius infeſtationibus 13
homo tyrannus plus poteſt quàm tyrannus pagina 336
homo deo eſſe non poteſt maior 94
homo primus de limo, ſecundus de cælo 88
homo occidtur in hominis voluptatem 3
homo non aliter moritur quàm extinguitur lucernæ

lucerna consumpto oleo 328
honestum est vicisse dedecus 310
honor deo dandus 228
honoratus à tucca 225
horrea in terris cluduntur 10
horrere mortem, naturæ est 332
horror antiquus de parricidiis & incestis 3
horror castrorum cruentus ibid.
hortensianus à laribus 221
hortus cõclusus est spõsa christi ecclesia 231
humanitus persecutiones lædunt 13
humani erroris est peccatum 2
humano furore quodcunque instituitur, impium est & sacrilegum 124
humiliare se ad deos falsos 12
humilis in primo suo aduentu christus 261
humilibus ignoscit deus 42
humilem respicit deus 121
humilitas fundamentum sanctitatis 370
humilitas trames strictus 376
humilitatem tenendam in omnibus 274
humilitas christi 142
humor quem phlegma vocant medici 328
hypodiaconus 117.119
iacere in tenebris 1
iacob fugatus à fratre 71
iactantia philosophorum 68
iactãter nec tumultuose operandũ esse 282
iactatio odiosa est in proprias laudes 2
iactura stulta & vana 5
iader à midila 224
iambus à germaniciana 223
iannes & mambres resisterunt moysi 37
ianuarius à vico cæsaris 222
ianuarius à lambese 220
ianuarius muzulensis 223
ianus vnde ianiculum & ianuarius mensis pa. 165
iarim. i. siluester 424
iason hebræus 242
iconium phrygiæ locus 149
idololatris non facile ignoscit deus 17.18
idololatria omnium ludorum mater 324
idololatria duplex, manifesta & occulta pagina 340
idololatriæ sic indignatur deus vt præceperit etiam eos interfici qui sacrificare idolis suaserint 18
idolũ concupiscentiæ suæ quisque colit 386
idolum, neque idolothytum est aliquid 537
idola dij non sunt 164
idola humanus error 12
idola inepta 11
idola gentiles deos putant 285
idolorum cibi mortiferi 93
idolorum reliquiæ respuendæ 89
idolis sacrificia sacrilega facere 126
idolis non sacrificandum 85
ieiunitas agri 206
ieiunium christi 381
ieiuniis insistendum 104
ieiunio adstigi scopulosæ sunt semitæ 376
ieiuniũ omnẽ carnis rebellionem edomat 382
ieiunas herbas gleba producit 9
iesus saluator 417
iesus christus deprecator pro peccatis nostris pag. 175
ignarus diuinæ cognitionis 7
igneæ linguæ 414
igne torrere stipulas leues, vt se altius grauida seges tollat 202
igniri sartagines 23
ignominia non est pati à fratribus 108
ignorantia veri quanta 85
quæ Ignoras non tractare 445
ignoscendum esse accepta iniuria 279
illaqueata oratio 200
illecebræ tenaces 2
illecebrosa fallacia 5
illices & faciles voluptates 76
illicit vt occidat 5
illustrius veritas patefacta 3
imaginem cælestem portare 80
imber sponte irrorat 6
imitandi boni sunt 81
imitari dominum in omnibus debemus 163
immeabile pelagus 378
immortalitatem deus pollicetur recedenti de hoc mundo 53
immundus quæcunque tetigerit immũda erunt pag. 218
impatientia hæreticos facit 74
impatientia apud impios clamosa & querula est 31
impetrabilis deus orantibus 43
impiamenta & contagia fratrum 126
impietas est matrem deserere 120
impium religione comprimere 7
implacabilis ad sacerdotes 95
implanator animam suam decipit 343

implanare seipsum ibid.
implere verbum dei quid 330
implicatis erroribus vitæ 2
impœnitentiæ mater impudicitia 307
impossibilis conuersio 2
impudentis est clamoribus strepere 42
impudenter sua ingerere 7
impudentia congruens impudicis 4
impudicitia semper detestanda 307
ab impudicus geritur, quod nec possit aspicere frons pudica 4
impugnatores ecclesiæ 120
impunitatem consequuntur mali 10
impunitas secura 9
inaudientia 300
incastratura 368
incerta victoria est inter hostilia arma pugnare 343
inconsumptibiliter 402
inconsumptibilis 388
incredulis æterna supplicia deus inrogabit pagina 14
incredulos iam esse iudicatos 280
increpiti vocibus nostris 170
incubare fortunis 5
incunctanter ad dominum venire 58
incunctanter operandum 99
incuruare se ante simulachra 12
indagines captionum numerosæ 360
indiligentiam parit securitas 2
indisciplinatos perire 169
induciæ solennes 1
inebriat calix domini sic vt sobrios faciat pagina 179
inefficax deprecatio 14
inemendabiles & proterui 114
inexcusabilis sententia 148
infans recens natus nil peccauit 139
infantium baptismus 138
infantes olim communicabant 96
infantia innocens ob christi nomen occisa est pag. 186
infantia omnipotens 369
infantilis infirmitas 371
infirmos visitandos 290
infirmitas nostra fortitudini sanctorũ comparanda est 353
infirmis non exhibetur misericordia 10
inflexibilis pertinacia 118
influere in mentes 2
infulæ honorum 5
ingenium exile 1
ingerere sua impudenter 7
inglorius & priuatus 2
inhumanitas fugienda 175
inimicos diligendos esse 283
iniquitas feralium criminum 10
iniurias non esse timendas 21
iniuriã patiuntur qui facere se credunt 112
iniuriata sacramenta 394
inlocacaliter apud se manet diuinitas 366
innocens qui vindicet non inuenitur 10
innocens nemo est 42
innocentes nocentibus cædi ibid.
innocentiam fidenter petere 288
innocentia seruanda 280
innocentiæ in foro decrescit 8
innocentia nec illic vbi defenditur, reseruatur pag. 4
innupta sit sancta corpore & spiritu 83
inopia nobilis est mentis humilitas 448
inopiæ ardor 10
inordinaliter credere 343
inquinari gestibus histrionicis 3
inremediales pœnæ 399
insanum litibus forum 4
inserere oculos secretis ibid.
insolenter sibi adsumere 142
insontes pœnis adquiescunt 12
instandum orationi 50
instructor operis 165
instruere animam & auditus 1
insubstantiuus splendor 419
insustinibiles tenebræ 438
intentabiles 344
inter christianos & philosophos plurimum distat pag. 174
interanea tollere 455
interaperta nubium nox 203
intercedit rebus humanis censura 9
interpolantur scripturæ ab hæreticis 312
interesse mœroribus 3
intimatum à deo 350
intimare salubriter hortamẽta vitalia 350
intransgressibiles figere metas 410
intueri turbines mundi 3
intuta custodia 348
inuicem discordantium rabies 4
inuolare aliena 246
inuolui nullis laqueis rei familiaris 47

inuidia inimica inquietat 5
inuidia diaboli mors introiuit in mundum pagina 77
ioannes præcursor ac prædicator 215
ioannis baptistæ humilitas 378
ioannes baptista vinctus in castello macheronta 451
iob sacrificia pro filiis offerebat 65
iob patientissimus 73
iob fortissimus 95
iob iustus 243
iob dei charissimus 437
ioel rex 454
ioseph venundatus à fratribus 71
ioseph pudicitiæ exemplum 308
iothor 456
iouinus 111
iracundia inflammat 2
iracundiam vincendam esse 275
ireneus ab vlulis 224
isaac typus christi 436
ischiasis 341
itinera latronibus clausa 3
iubaianus 219
iubere pacem infestis 2
iubileus annus 412
iudaicæ plebis insania 239
iudaici cordis obstinata duritia 242
iudaicus populus perfidus & ingratus 73
iudaicus populus diffidentiæ merito filiorum nomen amisit 242
iudæi ante filij dei erant 44
iudæi contumaces 240
iudæi liuore perierunt 77
iudæis primum erat apud deum gratia pagina 166.167
iudæi prophetas veros repudiabant, falsos admittebant 244
iudæi, plebs inhumana interfecerunt bene merentem suum 245
iudæos in offensam dei grauiter deliquisse, quod dominum deliquerint & idola secuti sint 249
iudæi infideliter christum spreuerũt & crudeliter necauerunt 43
iudæi solo christi sanguine saluandi 255
iudas proditor 39
iudex sententiam vendit 4
iudex venturus est christus 266
iudicem deũ subterfugere non possumus 97
iudicij die appropinquante censuram dei indignantis accendi 8
iudicij dies retro est 13
iudicium pater filio dedit 281
iudicium secundum tempora futurum 290
iudicandum temere de altero non est 279
iudicabit christus mundum 428.429
qui alios Iudicas esto tui iudex 10
iugum legis graue fuisse 291
iugum vetus euacuatur 252
iulianus à telepte 224
iulianus à marcelliana 225
iunius à neapoli 226
iuppiter non magis regno quàm vitiis princeps pag. 4
iurandum non esse 276
iura consensere peccatis 4
ius imperiosum 3
iura præscripta publico ære præfixo 4
iustitia iusti non liberabit eum 72
iustitia opus est 37
iustitia dei quærenda 62
iustitia in iudicio decrescit 8
iusti vocantur ad refrigerium 56
iusto nihil deest 47
iustorum vestigia sequenda 24
iustorum multæ pressuræ 164
iustum dei iudicium 69
iuuenta nouella & vegeta 8

L

labefactare veritatem 137
labeo piscis 486
labes animorum 2
labes morum 3
labor est & periculum in viuendo 234
labor lætus per quẽ securitas inuenitur 202
labore sollicito custodire pecuniam 5
laborandũ nobis est vt frumentum esse possimus pag. 130
lachrimæ profundantur ex oculis pœnitentium pag, 237
lachrimis magis quàm verbis opus est 90
lachrimæ exordium vitæ 71
lætitia moras ferre non potest 29
lætitia credentium in die iudicij 14
lambesitana colonia 111
laminæ stridentes 204
lanas colorare non docuit deus 85

lapides coluntur 11
lapis angularis 404
lapis dictus est Christus 262
lapsu voluntario se prosternere 91
lapsis laxanda pœnitentia 175
lapsi clementer tractandi 178
lapsos in ecclesia reducere 124
lapsorum pœnitentia vana non est 315
lapsorum mentes classico quodam vocis animandæ 170
lapsis spes salutis deneganda non est 105
lapsis non temere communicandum 171
lapsi quidam ecclesiam se volunt esse pagina 299
lapsi pœnitentes in statum pristinum reformantur 160
lapsi non reiiciendi 174
lapsis spes salutis deneganda non est 311
lapsi à deprecando domino non recedant pagina 126
laquearia auro distincta 6
laricis penuria 327
largitio in clientes 5
largæ dapes 2
latebram & quietem tenere 141
latium à latebra 165
latro confitens & labro blasphemus 400
in Latronibus scelerum aliqua verecundia pagina 10
latrones duo, duos populos designabant pagina 438
latus christi transfossum 425
latus clausum ac protectum numeroso stipatore 5
lauachrum profanum 230
laudare nos non possunt qui recedunt à nobis pag. 173
in Laudem crescit ex crimine 3
laxamentum in vinculis 133
lectionis officium 29
lectio assidua 6
lenitate furentem cohibere 7
lenocinans malum 3
lenocinantes fuci 86
lentescentibus filis aurum errat ad speciem pagina 204
leo de tribu iuda 196
ad Leonem petitus in circo 109
leucius à thebeste 222
leucothea 165
leue iugum domini 291
leuitæ 127
leuare se ponderibus 5
lex prior cessauit 251
de Legibus nullus metus est 4
libellati cognomen abominandum 336
libellaticos cum sacrificatis æquari non oportere 173
libellaticos admitti 174
libellis conscientiam maculare 170
libelli idololatriæ 134
libri veteris testamenti 430
liber à contactibus terrenis 3
liberum esse ab iniuriis 4
liberi arcentur hæreditatibus ibid.
liberari à malo omnes petiones complectitur pag. 48
libido luminum 3
libidinem subegisse continentiæ palma est pagina 80
liboſus à vaga 222
libram ecclesiæ tenere 144
lib ratum consilium 138
ligamina quæstionum euadere 359
lignum apud mauam 81
lignum possionis 439
ligari foris aliquid non potest 210
ligari in terris quæ in cælis ligata essent 105
linguæ subdolæ locatores 386
lingua continenda 118
literarum exemplum transmittere 297
litibus calumniosis inquietare 5
litteus à gemellis 226
liuoris malum fugiendum 76
lolium inter cultas segetes dominatur 14
longinus 119
loquacitate tumultuosa iactare 42
loquendo dementis insaniam prouocare 7
loquendum cum hæreticis non est 288
lubrica spes est inter fomenta peccati sperare salutem 343
lucere tenebrosa 2
lucianus à rucama 223
luciusab ausafa 225
luciusà membressa 224
lucius à castragalbe 220
ad Lucra impia temerarij 10
ludus gladiatorius 3
luminemus luce iustitiæ hanc domum 6
lugendum non est 58

Lugduni faustinus consistens 144
luna tenuatur cornibus exoletis 8
lupanaribus prostituta 4
lupus latitat sub vestitu ouium 79
luporum feritas 35
lupi rapaces qui sint 316
lusus cotidianus nobis sit cũ pauperibus 306
luxuriæ vacatio 360
luxurioſi obtutus 349

M

macarius 120
macchabæi fratres ſeptem 22
maculoſos emundauit chriſtus 246
magdalenes lachrymæ 395
magia luſit mambres 456
magicis artibus qui vtuntur, chriſtum abnegant pa. 337
magiſter vnitatis deus 42
magiſter magnus eſt qui facit & docet 422
magnalia multa cum miraculo facere 84
magna magnis aduerſitatibus laborant 446
magna minuuntur 8
magi erant viri ſiderum inſpectionibus aſſueti 374
maieſtas nominis dei minui non poteſt 201
maiorem natum non temere accuſandum pagina 288
male viuendo nihil boni mereri 10
maledicendum non eſſe 276
maledictus homo qui ſtem habet in homine pag. 94
maledici regnum dei non conſequentur 108
maligni quid dicant non eſſe curandum 171
mala tempore multiplicantur 8
mala multiplicari in nouiſſimis temporibus pag. 8
malum omne facilius vincitur quàm voluptas pag. 309
qui ad Malum motus eſt mendacio fallente, multo magis ad bonum mouebitur veritate cogente 7
malis ſuis miſeri etiam gloriantur 3
mali quod iure non poſſunt temeritate perficiunt 107
malorum miniſteria ſæpe bonis ſuffragantur pag. 378
malos vitandos eſſe 289
malos quiſquis non imitatur offendit 4
mali recipiendi curandique 114
mamonæ magis amator quam animæ 62
mancipi obtemperantlarone 192
mandata domini ſequenda & gerenda teneamus pa. 240
mandata dei reiiciemda non ſunt vt traditio hominum ſtatuatur 41
mandra mendaciorum 306
mane ſacrificium offerendum 199
mane orandum eſt 51
manichæus paracletum ſe nominauit 431
manna æqualitatis ſacramentum 189
manſionarij homines 408
manus impoſitio 155
manus imponi in pœnitentiam 226
mappalicus martyr 292
marcelli principis chronica 451
marcellus à zama 224
marcion cerdonis diſcipulus 148
marcionis blaſphemiæ 210
marcionitæ 209
marcus à mactari 223
maria. 295
marmorum cruſtæ de effoſis montibus eruuntur pag. 8
mars adulter 4
martialis 134
martianus arelate conſiſtens 144
martyr græce, teſtis latine 327
martyr ſtatim non eſt qui occiditur 331
martyr eſſe non poteſt qui in eccleſia non eſt pag. 36
martyrem eſſe quid 179
martyr ſummus fuit chriſtus 329
martyrum mortes glorioſas laudibus proſequi pag. 236
martyres euangelium non faciunt 292
martyres verecundos eſſe 24
martyres ſunt qui iam non ſibi viuant neque mundo 338
martyrum ſanguis potens 332
martyrum omnium non eſt par alacritas in tormentis 332
martyres chriſtiani numerari non poſſunt pag. 24
martyrum innumerabilis populus 59
martyrium primus initiauit abel 48
martyrij inſtar eſt, peccatorem martyris petitione meruiſſe ſaluari 243
martyrium non eſt in noſtra poteſtate, ſed

dei pag. 56
martyrium non esse martyrium nisi vita præcedens testimonium deo reddiderit 334
martyrii bonum 277
martyrium delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiæ magister, domus vitæ pa. 201
martyrium nihil admirabile haberet nisi adesset sensus dolorum 331
martyrium optare est odisse seculum 207
martyrii dignitas 200
martyrium consummatio & status vitæ, fundamentum fidei, præsidium salutis 200
martyrium duplex 326
mater & virgo 369
mater ecclesia 30
mathatias legis dei vindex 137
mathematici 359
matrimonium cum gentilibus non iungendum pag. 286
matrix ecclesiæ catholicæ 190
à Matrice quicquid discesserit seorsum viuere non poterit 40
matrona quæ pudica ad spectaculum processerat de spectaculo reuertitur impudica 3
matthæus quidam 119
mauri reges colunt 165
mauritaniæ duæ sibi cohærentes 190
maximus presbyter 119
mediana suspendit thobias 455
mediator est christus inter nos & patrem pag. 260
medicina ne minor sit quàm vulnus 102
meditari vsum & peritiam virium 16
medullitus exæstuare 55
melchisedech typus christi 195
melicertes 165
melior est iniquitas viri quàm mulier benefaciens 351
memento vnde ceciderit 159
memorias tacere antiquas 12
mendacia non diu fallunt 111
mentis ignauia est ad lucem de tenebris non venire 12
mensura nulla est in capessendo munere cælesti pa. 2
à Mensurantium diuisione se continere 301
mentiendum non esse 290
mercenarios non oportere esse pastores 296
merces manet iustos post passiones 25
mercedem mercenario cito reddendam 288
mercedem fidei & deuotionis exoluere 187
mereri impetrare 28
merita iustorum 187
meritorum defensione releuari 162
merita martyrum plurimum posse 94
merita conscientiæ ponderemus 95
meritis misericordiæ peccata purgari 60
merita mercedem accipiunt 37
merita nostri operis 50
merita singulorum inspicere 157
meritorum incrementa 27
meritis æstimandus 29
mesotropa vestis 455
messius hypodiaconus 117
metallorum natura 318
metus in christo infirmitatem humanam declarabat 399
milites præcepta imperatoris seruant 156
militibus glorioſum est hoste deuicto redire in patriam triumphantes 26
militum christi candida cohors 89
milites christi mori non timent 103
militum vires toto hortatu & pleno impetu excitandæ 170
miles idoneus esse non potest qui non exercitatus prius in campo fuerit 16
minis ad ecclesiam non regreditur 114
minimis cum datur christo datur 64
minima etiam non fieri sine permissu dei 191
ministri perfidi 90
minora esse quæ in seculo patimur quàm sit præmium quod promissum est 278
minus de nostris viribus sentiendum 353
minus est dedecoris nunquàm ad præconium laudis accessisse quàm de fastigio laudis ruisse pag. 100
minus stimulari voluptatibus si voluptates absint 343
minuatur quicquid in occidua deuergit 8
minuta duo 64
miracula in morte christi 329
miracula testimonium reddunt deo 283
miseri gloriantur malis suis 3
misera humanitas 353
misericordia diuina potens est medelam dare pag. 157
misericordes ad regnum vocari 62
misericordes oportere esse episcopos 314.315
moabites propheta 375

modesti tacent 10
modica qui spernit paulatim cadit 351
mœchæ 304
mœchatio sanctitatis velamento vestita 345
mœchis locus pœnitentiæ olim non dabatur pag. 175
molessadon 455
molliscit diu senio vsurpatum 2
monachi qui vere sunt monachi martyres sunt pag. 338
monnullus à girba 221
mons sina 435
montanus hæreticus 148
morborum populantium strages 203
mori timeant perfidi 55
moriendum nobis semel est 108
mori lucrum 331
moriendo mortem subegisse 236
moriendi vna conditio 9
morientium vulnera operiuntur 93
mors infertur, sed immortalitas sequitur 26
mortem timere eius est qui ad christum nolit ire 52
mors integriorem facit vitam, deducit ad gloriam 201.206
morte hominum clarificari deum 331
morte neminem contristari debere 284
mors domini potentior quàm vita 332
mors christi pro peccatis nostris sacrificium fuit 404
mors peccatorum mala 316
mors non timenda 53.55
mortui sepeliunt mortuos 43
mortuorum spolia adipetere 10
mortuos rursus animare 167
mortalitas nobis communis cum ceteris 54
mortalitas salutaris excessus 55
mortiferauit ægyptium moyses 439
mortificanda esse membra 361
moyses presbyter 131
moyses, tentatio dei & inuentio 437
moyses ab ingrato populo contemnitur 71
mugit litibus forum 4
mulgarium 454
mulier baptizans 150
à Muliere initium peccati 344
mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris 310
mulierem ornari seculariter non debere 282
mulierem in ecclesia tacere debere 283
mulierum tristitiæ & gemitus 88
mulierum comitatus decebat apostolos 354
mulierum sodalitas gluten est delictorum 347
multiloquentia vitanda 290
multiplex diuina sapientia per multos distribuitur 147
multorum delicta redimenda sunt 65
multorum saluti prouidendum 171
multa vana & incerta opinionibus ventilantur pag. 247
mundanda domus munditia spiritali 316
mundus odit christianum pag. 58
mundus in defectione & in fine est 8
mundis omnia munda sunt 138
mundus quatitur & vrgetur 7
mundus nutat & labitur 58
mundum iam senuisse 7
mundi vnus est rector 166
muneratio 66
munerarius 65.66
munera abel 48
munus de deo & gratuitum & facile est 6
murmurandum non est in aduersis 54
murrina vestis 445
mussitandum nunquam 277
mutare propositum suum obstinati nolunt pag. 235
mutuis pecuniis se obruere 304
myrrhatum vinum 425.426

N

naricus acolutha 162
nascendi sors eadem 9
natalis ab oea 226
natiuitas christi 368
natiuitas omnis commota est in domini passione 245
natiuitas secunda spiritalis est 228
natiuitas in ortu suo ad finem properat 8
naufragalis ignominia 360
naufragasse multos cum volunt in naui fragili nauigare 344
nauis forti compage solidata non foratur 55
nauis liberanda est de periculosis locis 168
necessitati temporum succumbere 171
neeman 454
negociationis inlicitæ nundinas aucupari pag. 157
nemo fide præsentiũ in futurum consulit 10

nemo ad innocentiam conuertitur 9
neminem sine sorde & sine peccato esse 284
nemo sine peccato esse potest 60
nemo diu tutus periculo proximus 168
nemo in opere suo extolli debet 283
nemo se fallat 94
nequitiæ facies læta 5
nequitia noxia, sedentaria & pigra 304
nicephorus acoluthus 116
nicomedes a segermis 221
nicostratus 131
niniuitæ allophyli 315
ninus 161
nixibus edere fœtus 420
noe deo sacrificium obtulit 134
noe iustissimus 95
nolite locum dare diabolo 168
nomina adulterata fingere 230
nomen dei in se semper gloriosum 327
nostra nihil interest a quo aut quando perimamur pa. 115
nouatianus 104
nouatianenses 209
notabiliter per publicum incedere 84
nouati hæresis 451
nouatus schismatis incendium seminauit 117
nouatus à thamogade 220
noua non sunt quæ nunc accidunt 22
nouus homo 2
nouum vinum cum christo bibemus 197
noxale malum 459
nudis pedibus cruda hieme per asperas niues ire pag. 150
numeria 194
numesianus à thubunas 220
numidicus presbyter 194
numidia 111
nuptiale signaculum 361
nummaria quantitate redimere 321
nummos signare saturnus primus instituit pag. 165

O

obedientia omnium disciplinarũ mater 444
oblationes desiderare 126
oblatio pro dormitione 128
oblatrare aduersus deum 7
obscœna esse non natura, sed obseruantia 421
obsequia sacrilega respuere 163
obstetricum manus & oculi sæpe falluntur pag. 168
obesse mali non debent bonis 106
obtemperandum ostensionibus iustis 105
obtendere præstigias 113
obtentus excusationis 241
occasiones impuras auertere 360
occidere hominem non semper criminosum est pag. 432
occidere, peritia est, vsus est, ars est 3
occidi posse non vinci 114
octauæ quies 411
oculare cæcos & ignaros 167
oculus solus capax est lucis 421
oculi hominum insatiabiles 356
oculos habere nec videre 201
oculi erigendi ad cælum 12
oculi vngendi collyrio christi 63
oculorum lineamenta depingere nigri pulueris ductu 98
odiuntur qui diligunt christum 244
odisse christianis non licet 15
odisse antequàm nosse 166
odia prima ex liuore 77
odio erunt boni 280
odium seculi sustinuit christus 186
odoramenta gloriosam famam vocat scriptura pa. 333
offerre pro lapsis 157
oleam detruncat turbo 9
oleo antiquitus sacerdotes sacrabantur & reges pa. 397
oleum peccatoris non vngat caput tuum 218
olim tumultuarie nomina rebus imponebantur pa. 363
omnes deum sequamur 15
omnes de se bene volunt sentiri 384
omnia apud hæreticos inania & falsa 218
omnes vnum sumus in christo 450
omnibus per omnia placendum est 174
omnes meliores se esse æstimare 445
operarij fructuosi 62
operatio iusta 2
operemur bonum dum tempus habemus 67
ophitæ 209
opera iustorum plurimum posse 94
opera suam habent facundiam etiam tacente lingua 335
operum retributio 135
opera iusta 4
61

ope-

operibus suis satisfacere 155
opinionibus variis agitari 170
oportebat christum pati non vt sentiret mortem, sed vt vinceret 167
optatus confessor 161
oratio iugis non cesset 80
oratio cum ieiunio bona 50
oratio à christo nobis data spiritalis est 41
oratio pacifica, simplex, spiritalis 43
oratio est efficax præcedente ieiunio 383
orationibus insistandum 291
oratio bona est cum ieiunio & eleemosyna 61
oratio facilior est ad impetrandum quod in pressuris petitur 320
orbis mader mutuo sanguine 3
ordinati ab hæreticis inter laicos recipiendi pag. 220
ordinatio iusta & legitima 135
ordinatio & ecclesiæ ratio per temporum & successionum vices decurrit 299
ordinationes clericorum 29
ordinatio in clericis seruanda 35
ordinari nonnunquàm indignos 135
ordines sacros non renouari 394
originale peccatum 374
orare modestis precibus congruit 42
orandũ aliter non est quàm christus docuit 41
orabat dominus pro delictis nostris 49
oramus instanter pro pace ac salute 13
orandum pro lapsis 102
orandum sine intermissione 51
orandum pro omnibus 181
orantibus sermo sit cum disciplina 41
orta omnia occidunt 8
os homini sublime dedit 12
ore sacrilego oblatrare aduersus deum 7
ostanes 166
ouem abalienatã & errabundã recipere 216
ouis & agnus christus dictus est 262
oues dominicas in gregem colligere 145
oues morbidæ gregi admiscendæ nõ sunt 114
oues plebem suam appellat christus 79
ozias rex 38

P

pacificos esse oportere 47
paconius 168
palabundi iudæi vagantur 167
palabundæ oues 119
paleæ à frumento separantur 35
palpator temporum auceps 5
paludamenta talaria 386
panis calix christi 255
panis vitæ christus est 46
panis angelorum omne delectamentum habens pagina 391
panis vnius compage solidatum corpus christi pag. 198
papa cyprianus 296
papiscus alexandrinus 242
paracletis 409
paradisi fontes 211
pardisus dei testibus floret 202
paradisus patria nostra est 58
paradisus locus amœnus 206
paradisus christianos inuitat 13
paralyticos restringere 167
paralysis 341.16
parati ad omnia esse debemus 164
parentibus obsequendum 287
parricidalis dilectio persecutores adunat 356
parricidialia arma suscipere 105
parsimoniam discere 2
participia fœminæ cauenda sunt 348
partitio cum indigentibus nulla 5
partus omnis ex tribus constat 420
paschæ solennia 162
paschalis agnus 391
passerina vestis 455
passim discurritur, rapitur, occupatur 10
passiones christi consummãtur mortibus martyrum 330
passio domini est sacrificium quod offerimus pag. 199
passionis & sanguinis christi signum 14
passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam 26
pastores à pecore pati aliquid non possunt 303
pastores ventri suo, quæstui, & ambitioni seruientes 330
pastor bonus animam ponit pro ouibus ibid.
pastores diligentes esse oportere 296
pastores sibi creditas oues curare debent 106
pastores veteres cessasse 252
pastoris liber 430
pater nobis vnus est 43
patri carnali & terreno renunciandum 43
patres asseros circa filios esse nõ oportere 287
patri qui maledixerit morte moriatur 214
patrem deum habere non potest qui ecclesiam

non habet matrem 34
patres quatuor modis dicuntur, natura, gente, admonitione, & ætate 444
patientem ad hoc deum esse vt reformemur pag. 281
patientia impatientem vici 7
patientiæ laudes 68
patientia fortis & religiosa apud christianos pag. 13
patientia iob 54
patientiæ virtus late patet 174
patientia christi magna 70
patientiam tenendam iniuria accepta 290
patientia necessaria est 73
patientia bona custodit & repellit aduersa pa. 72
patientia præcedit coronam 71
patria relinquenda 92
patriarchæ & prophetæ typum christi gerebant pag. 71
patriarchæ primi qui 56
patrimonij facienda iactura 92
patrimonium grande tentatio est 85
patripassiani 209
patripassiana hæresis 417
patronus præuaricatur & decipit 4
paucitas statium exigua 182
paucorum tormenta exempla sunt omnium pag. 96
paula sarcinatrix 320
pauli samosateni hæresis 431
paulus ab obba 224
paulum apostolum ecclesia non haberet si christus patiens non fuisset 70
pauperibus qui dat nunquàm egebit 62
pauperum cura habenda 133
pauperis qui miseretur deo fœnerat 50
pauper christus discipulos diuites aspernatur pag. 369
pauper superbus, abusio 447
pauper humilis, pauper spiritu dicitur 448
pax nostra sacrificium deo maius est 48
pax vera falsæ pacis mendacio tollitur 112
pax neganda non est 106
pacem quærere debet filius pacis 40
pax ecclesiæ reddita est 89
pacem christus nobis dedit 36
pax in moriendo & resurgendi securitas 285
pax populorum, tutamen patriæ 449
peccatorem deus non audit 126
peccator est qui fratrem cædit 112
peccatores sumus 47
peccatores oportet orare 49
peccatores vocantur ad regnum 246
peccata sanantur satisfactionibus 112
peccatum in deum nullam habet veniam 305
peccatum tollere plus est quàm peccata 329
peccatis nullus retardetur 15
peccata dominus debita appellat 47
peccata separant à deo 10
peccatorum remissa in baptismo datur 60
peccantem publice obiurgandum 288
non iam Peccare fidei esse 2
peccatur inter iura 4
pectus brutum 458
pecuniam suam dicunt quam velut alienam custodiunt 5
pecuniam spernere de auaritia triumphus est pag. 80
pecuniam non adpetendam 286
pecuniam seruare quæ seruata non seruat 63
pecuniam qui diligit non amat deum 380
peierarium 296
pelagianus à luperriana 223
pellamys piscis 456
penates 165
pentecostes nomen 412
penuria esse nulla iam poterit cum semel pectus cælestis sagina saturauerit 6
perquàm graue est si epistolæ veritas mendacio aliquo corrupta est 161
percussor infestat 5
perire non potest nisi quem constat esse perituru pa. 117
periculosum est de deo etiam vera dicere 414
periculosum esse in diuinis rebus si quis cedat iure suo 215
pericula etiam à fratribus imminere 108
peritia in artibus decrescit 8
pernicies hausta grassatur 5
persecutiones ad hoc fieri vt probemur 20
persecutio examinatio est peccati nostri 181
perseuerandum esse in virtute 20
perseueranti immortalitas datur 88
persicina vestis 455
peruenire ad deum patrem nisi per filium non potest 266
peruicax iram sibi exaggerat 176
pedes compedibus & trauersariis cuncta abundi pag. 319

pestes & lues fidei 35
petitio cæca & incerta 157
petamus & accipiemus 180
petrus apostolus dignatione domini fundamentum ecclesiæ 70
petri humilitas in ablutione pedum 395
petrus ab hippone 225
petulantia lapsorum fratrum immoderata pag. 298
phantasma confingere 148
pharao 189
pharisæi oratio 42
pharisæorum iustitia 339
philosophiæ secularis prauitas 104
philosophia inanis vitanda 174
philosophorum patientia falsa est 68
philosophi inquisitores mundi 410
phinees zelator 211
phlegma humor quidam naturalis 328
phœnicem orientis auem sine coniuge nasci pag. 420
photinus hæreticus 414
pie viuere qui volunt, persequutionem patientur pa. 338
pigmenta innocentiæ 6
pilatus purificauit manus 245
pingamus domum pigmentis innocentiæ 6
pipinus aquitanorum rex 452
piscis labeo, vmbra, carnuta, salpa, rubellio pag. 456
pisces multi generis 456
placendum est diuinis oculis 42
placere hominibus non licet 345
placeat vnusquisque proximo suo 346
qui Placent deo citius istinc eximi 58
placemus deo dum nullam pro iniuria vicem reddimus 15
placendum deo non hominibus 284
plagæ inrogantur diuinitus 9
plagiarii castitatis 355
plasma dei adulterari non debere 86
plebs singulorum vitam plenissime nouit 136
plebs sine disciplina, abusio 449
pleuritis 341
plus ab eo diligi deum cui in baptismo plura peccata dimittuntur 291
podagra 341
pœna non est cum christo iacere 319
pœnitenti clementer ignoscit deus 99
pœnitentia nisi in morbis necessaria non est pag. 238
pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus pag. 178
pœnitentia crimine minor non sit 99
pœnitentiam agit qui præceptis & sacerdotibus dei obtemperans est 158
pœnitentiam plenam agere 169
pœnitentia nulla sera est in isto adhuc mundo manenti 15
pœnitentia prodesse non potest peccanti 69
pollianus à mileo 221
polycarpus ab adrumeto 220
pompaticus gressus 206
pompeius & cæsar affines 166
pomponius à dionysiana 224
pondus maximum argenti & auri 5
pontificum successiones non sunt hæreditariæ pag. 397
populatione luis humanum genus vastatur pag. 8
populus sine lege, abusio 450
poduli duo prædicti sunt 253
porcis & canibus sanctum exponere 7
porta virginis clausa 419
portenta venerantur 11
porticus vitea 1
portus salutaris statione fundatur 5
possessiones relinquendæ 293
possident ad hoc tantum ne possidere alteri liceat 5
possideri magis quàm possidere diuitias 5
possidendi concupiscentiam non adpetendam pag. 286
posse omnia deum facere 164
posteriora ne adtendamus 181
potens est dominus misericordia sua indulgentiam dare 215
potestas ecclesiæ 148
potestas peccatorum remittendorum apostolis data est 151
potestas dupliciter aduersum nos datur 48
potestas terret quos facit esse terribiles 5
præceps est nimium qui transire contendit vbi alium conspexerit cecidisse 342
præcepta diuina velut arma suggerẽda sũt 16
prædo vastat 5
præscimus futurorum indicia 2
præponendum christo nihil est 17.19
præpositi timendi & honorandi 192
præputij truncatio 374

prærogatiuam communicationis habere 289
prærogatiua martyrum adiuuari 158
præſumptio ſacrilega 130
præſumptio eſt humanam traditionem diuinæ diſpoſitioni anteponere 227
præter proximos nihil amare 446
precandum non ſolum pro ſe 42
preces noſtras ventilare non decet ibid.
precioſa mors ſanctorum 163
presbyteri euangelii immemores 157
presbyterium ſubminiſtrare 293
presbyterium contrahere 143
preſſuras mutua charitate releuare 104
primitiuus compresbyter noſter 120
primus felicitatis gradus eſt, non delinquere pag. 112
primus à migirpa 219
primi chriſtiani domos & fundos venundabant 40
principalia dæmonia 149
priuatianus à ſufetula 221
priuatus à ſufibus ibid.
priuatus hæreticus 111
priuilegium indulgentiæ 298
priua ſententia 142
probare deus vult ſuos 90
probari nos deus voluit 181
probroſitatis ſpolium eſt caſtitas 360
proditores fidei 120
prolatores 359
prolectat aures religioſa mulcedo 6
promereri deum obſequiis noſtris 320
pronuba ſanctitatis eſt caſtitas 360
properandum ad fidem & ad conſecutionem pag. 289
propheta alius in ſcripturis ſicut moyſes pro miſſus 253
prophetas iudæi interfecerunt 250
prophetias nouas vſurpare 148
protomartyres in ordine ſanctorum primum habent locum 376
protoplaſtus 83
prouidentia vbicunque fuerit, fruſtrantur vniuerſa contraria 361
proximo non eſſe inſidiandum 290
prudentia prudentium reprobabitur 68
pſalmos ſonet conuiuium ſobrium 6
pſeudobaptizati 220
pſeudoepiſcopum facere 111
pſeudoprophetæ fugiendi 35
pſeudopropheta & hæreticus idem ſunt 149
publicæni oratio 42
publicanus concuſſor 246
publice chriſtum confiteri 293
quod Publicum eſt, cœpit licitum eſſe 4
publica nobis & communis oratio eſt 42
pudentianus à cuiculi 225
pudicitia ornamentum nobilium eſt 446
pudicitia omnes actus honeſtos in fœminis nutrit 445
pudicitia non in ſola carnis integritate conſiſtit 83
pudicitiæ locupletes laudes 307
pudicitiæ clauſtra tenenda ibid.
pudica non eſt quæ affectat animum alterius mouere 310
pudor peccati deformis eſt ibid.
pudorata cum fœminis negocia peragere 355
pueri tres in fide fortes 50
puerorum innocens ætas 155
puerorum in camino ignis oratio 43
puer vineam cuſtodiens 440
pugna aduerſus diabolum cotidie geritur 53
ad Pulpitum poſt cataſtam venire 29
puppianus 192
purgari de terrena fece 6
puſillus à lamaſba 225
putramina colligere 113

Q

quadrans nouiſſimus 175
quadrãtes duos mittere in gazophylaciũ 64
quærendus deus in ſupernis 12
quæſtionibus rei torquentur 11
quæſtionem duriſſimam tolerare 30
quæſtionati & torti confeſſores 193
qualitates & genera delictorum cogitare 157
quare chriſtus ſub veſperam obtulit 199
querimonia falſa 8
quicquid patimur peccata noſtra meruere pag. 9
quicquid licet non eſſe faciendum- 289
quies & tranquillitas tenenda 322
quies feriata 6
quietus à burug 222
quintus ab aggya 225

R

raab eccleſiæ forma 34

rabi-

rabidosa amicitia 304
rabies sæuit inuicem discordantium 4
rachel visum principium sonat 365
radiare tenebras 27
raphael angelus 50
rapacitas inquietat 2
rapinæ cruentæ 10
raptus puerorum 4
rarus est qui hominum iudicia conspuat 384
rebaptizari 208
rebecca figuram portat ecclesiæ 436
rebellio nulla in cælis 327
rebelles contra deum 187
recedendum à delinquentibus 40
recedendum ab eo qui inordinate & contra disciplinam viuit 287
recensere carmine facinora prisca 3
reclinatorium in stabulo 368
recompensatio ministerii 404
rectos nos deus fecit 12
refrænari intra spatia 2
redimendos fratres esse 321
redintegratio fraterna 130
rediuina libido 309
refrigerium in flammis inuenere pueri 332
regeneratio cælestis viuificat mortalem 15
regnum dei in proximo est 52
regnum non capit geminos 166
regnum dei christus 44
regnum dei non esse in sapientia mundi 287
reintegrare hominem 46
relegatus ob confessionem nominis 318
religio vera subuertitur falsis superstitionibus pag. 11
remedium salutare est prævenire potius quàm præueniri 361
remissa peccatorum percipitur in aquæ baptismo pa. 16
remissa peccatorum 43
remissio facta per sacerdotes apud dominum grata est 97
remissionem peccatorum dare 94
remunerationis dies 134
renum exulceratio 341
renalia tollere 456
renasci denuo 1
renatus cyprianus nubem exuit 2
renati & signo christi signati sunt 14
renunciare mundo 58
reparare in nouum hominem 2
replere euangelium quid 330
repulsorium 359
resistendum vsque ad mortem aduersus peccatum 422
resticulam porrexit iesus 455
resurrectio nostra christus 44
resurrectio carnis 432
resurrectio christi 403
resurrectionem domini celebramus 199
resurrectio christi gloriosa 426
retro aspicere 181
reualescere ad fidem 174
reuelatio capitis ioannis baptistæ 451
rei torquentur in quæstionibus 11
rex iniquus, abusio 448
rex in æternum regnaturus christus 266
risus signum est animi facilis & remissi 310
rogatianus à noua 224
romanorum dii 165
romulus peierante proculo deus romanis factus est 165
rudimenta fideliter tractare 331
rura infinita ac sine terminis 5
ruffinus 131
rusticitatis peritia agrum exercere 178

S

sabbatum.i.requies 412
sabellius 417
sacerdos summus iesus christus 198
sacerdotes vice christi vere funguntur, qui id quod christus fecit, imitantur 198
sacerdotibus sacrilegus irascitur 95
sacerdos dei 104
sacerdotes oportet esse integros & immaculatos pa. 235
sacerdotibus ingens honor dei dignatione conceditur 108
sacerdotem qui spernit, deum spernit 109
sacerdotes dei sententia ordinari 109
sacerdotum copiosum corpus 145
sacerdotes ærarii 386
sacerdotum æmuli 36
sacerdotes fecit christus 193
sacerdotibus qui resistit dei ordinationi resistit pag 210
sacerdotibus obtemperandum 169
sacerdotibus dum obtrectatur ad hæreses prosilitur 78

Sacerdotibus non religio deuota 90
Sacerdotes honorandi 140.141
Sacerdos plebe præsente deligatur 135
aduersus Sacerdotes christi qui facit cum christo non est 38
Sacerdotes prophani & maculati 137
Sacerdotia inlicita vindicare 151
Sacerdotium vetus cessasse 253
Sacramentum crucis 81
Sacramentum diuinæ dispositionis 118
Sacramentum fidei non esse profanandũ 283
Sacrificans diis eradicabitur 91
Sacrificatis in exitu subueniri 174
Sacrificia hæreticorum tanquàm panis luctus pag. 233
Sacrificiũ quod offertur passio domini est 199
Sacrificia pro mortuis offerre 183
Sacrificium pro dormitione celebrare 127
Sacrificia nefanda committere 170
Sacrificium vetus euacuatur 252
Sacrificium dissidentis non respicit deus 48
Sacrificia diuina cum dei sacerdote celebrare pag. 41
Sacrificiorum in ludis genera monstrosa 324
Sacrificium deo spiritus contribulatus 55
Sacrificia cotidie celebrare 106
Sacrificia malorum accepta non esse 290
Sacrificii dominici sacramentum præfiguratũ in melchisedech 195
Sal terræ dicuntur episcopi 303
Sale corrosorio carnis perfricare pruritus 373
Sal si euanuerit, in quo salietur? 443
Salomon peccans 48
Salsugo ambitionis bibulam animam occupat pag. 367
Salus falsa temeritate quorundam promittitur pa. 99
Salus extram ecclesiam non est 214
Salus omnibus in signo crucis 265
Salutator matutinus superbas fores obsedit 5
Samaria 232
Samuel sacerdos 140
Sanctificatio christianorum 44
non Sanctificatur deus orationibus nostris 44
Sanctificare pro glorificare 327
Sanctitatis pondus singulariter sustinendum pag. 347
Sanctum tenere intra conscientiam nostrã 7
Sanguis hircorũ vmbra erat & typus futurorũ pag. 329
Sanguis christi non aqua est sed vinum 195
Sanguinem & aquam è latere profluxisse quid significet 329
Sanguine christi homines salui fient 14
in Sanguine vita consistit 328
Sapiens timẽdo declinabit ab omni malo 343
Sapientiam bruto offerre labor irritus 7
Sapientia impia philosophorum 333
Sapientia dei christus est 257
Sapientia falsa philosophorum 68
Sapientia & iactantia sine operibus abusio est pag. 443
Sara filia raguel 442
Sartago libidinum 373
Satan omnium turpitudinũ adinuẽtor 386
Satisfacere deo dum facultas adest 15
Satisfactione nostra placandus dominus 94
Satisfactionibus immorari 126
Satisfactionibus plenis deũ deprecemur 317
Satisfactionibus delicta redimuntur 112
Saturnus literas primus impressit 165
Scelus nunquàm obliuione sepelitur 3
Scelus non tantum geritur sed docetur 3
Scelus vindicta sequitur 12
Scelera semper festinant 111
Scelus scelerati super eum erit 177
Scenici ludi cereri & libero dicati 324
Schisma non faciendum 288
Schismata fugienda 34
Schismaticos semper inter initia feruere 177
Scripturæ cælestes leguntur potius ab hæreticis quàm intelliguntur 312
Scorpii & serpentes in sicco præualent, in aquã præcipitati nihil possunt 189
Scrutator maiestatis opprimetur à gloria 408
Secessus studiosis aptus 1
Secrete orandum 42
Sectanda patientia 69
Secularia pericula non esse timenda 296
Seculi laqueis liberatos non debere denuo ad seculum reuerti 19
Seculo qui renunciauit, nullum seculi diem nouit 89
Securitas vna solida & firma & perpetua 5
Securitas patientes facit 12
Securitas indiligentiam parit 2
Securus non est qui securos non sinit esse subiectos 5
Sedentaria nequitia 304
Sedere carnis assumptæ mysterium 428

Segmentata strata 392
Semel vincit qui statim patitur 27
Seminemus plurimũ ne parum metamus 67
Senectus sterilis 8
Senex sine religione abusio 443
Senes minus valent in senectute 8
Sententiæ episcoporum de hæreticis baptizandis 219
Sententia plus ponderis habebit quæ nulli alteri se debebit nisi sibi 323
Sentire antequam discere 1
Separari dilectionem spiritus non sinit 27
Separamini à contagione pestifera 343
Sepelienda martyrum corpora 297
Septenarius numerus 412
Septimus annus requietionis est ibid.
Sequi christum non possunt qui patrimonij vinculo tenentur 92
Serenianus præses acerbus 149
Serenitas quomodo fiat 326
Sermo dei christus 49
Sermo nobiscum est 10
Sermo nõ habens fructũ deum promereri non potest 50
Sermo vt cancer serpit 35
Sero in æternam pœnam credent qui in vitam æternam credere noluerunt 14
Seruire euangelio 160
Seruire ventri i. ventrem colere 335
Seruitute nihil fœdius 202
Serui dei opprimuntur 10
Seruus non est maior domino suo 122
Seruum domini non oportet litigare 354
Serui probitas redundat in gloriam heri 327
Seruos cum crediderint plus dominis carnalibus seruire debere 287
Seruos oportet esse obsequentes 69
Serui vigiles christo donãte regnabimus 41
Sestertia centum milia nummûm 321
Sex milia annorum complentur ex quo hominem diabolus impugnat 16
Sexagenarius fructus virginum est 87
Sidus turbidum arboribus nocet 94
Sigillati in tenebris non vltrà videbunt deũ pagina 409
Silentio spernere errantis imperitiam 7
Simeon iustus 53
Simon leprosus 395
Simplex de deo sermo non fucatus 1
Simplices cum prudentia esse debere 289
Simplicitatem cordis diligit deus 242
Simulachra seruum dei adorare non debere pagina 173
Simulachra facta manuhominis 11
Simulachra inepta 12
Sina mons, tentatio & odium interpretatur pag. 435.437
Sina terrenus mons, sion cælestis 437
Sinceriter sinceritas seruanda est 350
Singulares singularibus adhærere 354
Singularitas clara est omnibus & exserta pagina 361
Singularitas clericorum 341
Singularitas laboriosa 360
Singuli student augendo patrimonio 90
Singuli delicta sua recognoscant 181
Sion mons 435
Siue viuimus, siue morimur, domini sumus pagina 332
Sobrietas, tutissimum cordis munimentum est pa. 341
Socratis dæmonium 166
Sodomitæ iudicati 400
Sol verus christus est 51
Sol sponte radiat 6
Sol in occasu suo radios minus claro splendore iaculatur 8
Sol oriens illuminat mundum 27
Solatium in morte non accipit qui se non cogitauit esse moriturum 176
Solitudo celebritas omni Solitudine tristior 3
Solio opus est ad abluendum corpus 188
Solitudo discruciat trepidos inter diuitias 5
Solui foris aliquid non potest 210
Soluere non licet minima de mandatis 198
Solus dominus misereri potest 94
Solus non est cui christus comes est 185
Somnus securos non contingit 5
Somniorum obscura dissoluere 309
Somnia quibusdam videntur ridicula 193
Spectacula christianorum quæ sint 326
Spectacula cruenta turpia 4
Spectacula vitanda 323
Spectaculorum voluptas ad remissionem animi adpetitur ibid.
Spectaculi frustrantis voluptate 5
Spectacula dæmoniorum esse inuenta 324
Sperare sola cælestia 27
Spem futurorum esse 283
Spem nolle immortalitatis excipere 12

ſpei robur viget apud nos 13
ſpei noſtræ prævaricatores ſumus 57
ſpinis quare coronatur ieſus 425
ſpiramenta terræ cæca 202
ſpiritalia ad vitam ducunt 286
ſpiritaliter recreati & renati 51
ſpirare dicuntur qui viuunt 328
ſpiritum ſanctum in igne frequenter adparuiſſe 290
ſpiritus ſine aqua operari non poteſt 220
ſpiritus ſanctus coniungit 379
ſpiritus rectus, ſanctus, principalis regit, componit, conſummat & perficit quas inhabitat mentes 412
ſpiritus licentia ſua potitur 2
ſpiritus nobis datus eſt cuſtos 362
ſpiritu creati & renati ſumus 13
ſpiritu magis quàm carne viuentes ibid.
ſpiritus largiter profluens 2
ſpiritus dominus & creator & viuificator & nutritor 410
ſpiritus cæleſtia & diuina quærit 45
ſpiritus ſanctus non de menſura datur 188
ſpiritus nequam ſcorpij & ſerpentes appellantur 189
ſpiritus ſanctus per baptiſma accipitur 196
ſpiritus immundi & erratici 2
ſpiritus immundi torquentur à chriſtianis
ſpiritalibus flagris 11
ſpiſſamenta humorum 397
ſplendor diuturnus 6
ſponſa non eſt adultera & fornicaria 151
ſponſa chriſti incorrupta & pudica 34
ſponſus chriſtus eccleſiam habens ſponſam pag. 263
ſportulantium fratrum honor 127
ſputamina inſultantium 70
ſtabulum à latronibus obſeſſum 145
ſtabularius ibid.
ſtatius à ſicilibba 223
ſtatuncula ſimulachra 305
ſtella quæ magis apparuit 374
ſtephanus hæreticus 147.148
ſtephanus domini exemplo orat pro lapidantibus 331
ſtephanus pro interfectoribus veniam poſtulabat 72
ſtibium diaboli 63
ſtimulatus domini 242
ſtipatore numeroſo clauſum latus 5
ſtipatus clientum cuneis 2
ſtipendium peccati mors eſt 336
ſtipes deſiderare 126
ſtoicorum ratio 174
ſtragulum multicolorium 457
ſtrobili ibid.
ſtrophæ agentium 324
ſtrues defoſſæ 5
ſtudentes fabulæ 1
ſtudium contradicendi 7
ſtupefacere corpus certis artibus 331
ſubactus mundus 28
ſubcineritius panis 64
ſubdole pacem petere 10
ſubducere ſe in virtutem 3
ſubitatos novæ rei pavore trepidaſſe 104
ſublimes materiæ ſubtilium ingeniorum exigunt tractatores 364
ſublimitas de potentiore exigit pœnas 5
ſubſeciua ſoboles 80
ſubſtantiuum verbum 418
ſubſtitutus in ſpecula 4
ſuccedaneos plures pro vno ſuggerere 139
ſuccedanea ordinatio 232
ſuccedit hiemi verna temperies 27
ſuccidanea progenies 239
ſuccis herbarum tingere 85
ſuccus viſcerum 8
ſudatur quandiu iſtic viuitur 71
hoc Sis tantum quod eſſe cœpiſti 2
ſummum delictum eſſe quod perſecutio coëgit 155
ſuffucare oculorum extremitates 310
ſuperbia inflat 2
ſuperſtitionibus vanis relictis religio vera cognoſcitur 8
ſuperſtitione ſubuertitur religio 11
ſupplantatus perſecutionis infeſtatione 105
ſupplantare dei ſeruos 103
ſupplicia plura quàm membra ſunt 4
ſupplicia iniquorũ ante oculos habere 187
ſurdo ſermonem offerre 7
ſurdi auditum admittunt 33
ſurgere in eccleſia contra eccleſiam 137
ſuſanna pudicitiæ exemplum 309
ſenſus in deum 2
ſuſpirat in conuiuio bibat licet in gemma 5
ſuſurrones maledictos eſſe 290
ſymbolum trinitatis 150
ſymbolum apoſtolorum 414

ſymeon iuſtus 240
ſynagoga hæreticorum 151
ſynagoga vetus 253

T

tacentur quædam vtilius 323
tacere vltra non oportet 7
taciturnitatis periculum 155
temerarij tractatores 364
templum dei qui violat, deum violat 177
templum vetus ceſſaſſe 252
templum dei eſt totus mundus 166
templa dei ſumus 44
temporalis æui finis 13
in Temporibus nouiſſimis aduerſa variari 8
temulentia adeo communis eſt vt non habeatur pro crimine 335
tenaces illecebræ 2
tenebroſa lucere ibid.
tenebræ horribiles atque funeſtæ 27
tenere viam iuſtitiæ 2
teneri operatione iuſta ibid.
tentamenta procurare 347
tentatio iuſtos probat 55
tentationes variæ ſunt 304
tentari homines à deo vt probentur 277
tentari vnumquenque quantum poteſt ſuſtinere 289
ternarius numerus trinitatẽ declarat 50.51
terra ſitu pulueris ſqualleſ 9
teſtamentum falſum ſubiicere 4
teſtamentum nouum datum eſſe 252
teſtamentum domini aſſumere quid 199
teſtimonia humana non ſunt expectãda 29
teſtimonium triplex in terra 328.329
teſtimonium veritas premitur 70
teſtimoniis falſis in Theatris cõſpicies quod tibi & dolori ſit & pudori 3
theatra virginibus fugienda 87
thebanorum rupta fraternitas 166
theſaurus ſecurus non eſt cũ latrone 350.351
theſauri cæleſtes recondendi 61
thobias 50.54
thurificati cognomen abominandum 336
thurificatis communicare 170
timens deum non metuit hominum ſæuitias pag. 331
tam ille Timere cogitur quàm timetur 5
timere bene plus expedit quàm male fidere pag. 34
timorem eſſe fundamẽtum ſtei & fidei 279
timor innocentiæ cuſtos 2
tinctio inlicita & profana 149
tingere ſuccis herbarum & conchyliis lanas pa. 85
tolerantiam iuſti ſemper habuerunt 54
tolerandum & perſeuerandum 71
tormentorum vis 93
tormenta gehennæ requiem vel finem habere non poſſunt 14
tormenta patienter ferenda 71
tormenta lanientia ac longa iteratione cruciantia 162
torti torquentibus fortiores 30
torus mollior alto ſinu 5
toris aruinæ membrorũ moles pingueſcit 3
totis viribus ac toto corde in deum ſuſpenſus pa. 2
toxicatum viſcus 347
traditio dominica ſeruetur in calice offerendo 195
traditionem ſuam ſtatuere 124
traditio vana & inefficax hæreticæ inſtitutionis 178
traditio diuina contemnenda non eſt 38
traditum eſt nobis quod ſit vnus deus 229
traiectores negociorum 380
tranquillitas vna placida & fida 5
tranſpunctionis ſpiritum dat deus 112
tranſpunctæ mentis alienatio 98
trauerſariis & compedibus pedes cunctabundi 319
ad Trianfacta vſque aſcendiſſe 294
triennio iugiter ac dolenter plangere 162
trinitas 50
triplex teſtimonium à chriſto accepimus, triplex illi teſtimonium reddamus oportet pagina 329.331
triſtitia carere omnes optant 53
triticum non rapit ventus 35
trophæa victricia reportare 26
turbo oleam detruncat 9
tunica non conſutilis declarat eccleſiæ vnitatem 34
tunica chriſti, diſciplina eccleſiæ eſt 450
ad Turcam profugere 336
turpis turpes infamat 4
tutamentis ſpiritalibus munianus nos 187
tutela ſtabilis & inconcuſſa 6

tutor deus 48
tyrannus dei sacerdotibus infestus 172

V

Vacat malos esse 10
Vacare ad discordias 142
Valentiniani 209
Valentinus resurrectionẽ carnis negat 432
Valere vigore & robore 8
Valerianus 247
Valetudo frangitur morbis sæuientibus 8
Valetudo morbida hominem consumit 9
Vasa aurea & argentea 177
Vasa figuli probat fornax 55
Vastitas pestilens 94
Velificare 360
Venæ pauperes breuiantur in dies singulos pagina 8
Venalitas 379
Venantius à tinisa 224
Vendere iubet dominus, & emimus tamen pagina 40
Venefici 10
Venenum qui bibet difficile viuet 343
Venerarius 305
Venerantur monstra 11
Venia confitenti datur 15
Veniam peccatis largitur deus solus 94
Veniri ad patrem non posse nisi per filium pagina 279
Ventrem colunt quem habent pro deo 335
Ventosi campi 458
Venundabant prædia christiani primi 67
Venus impudica 4
Venus calua 165
Verbis præferre virtutem 57
Verbis impiis obstrepere 7
Verba manibus expedire 325
Verbum caro factum est 371
Veritas ab erroneis hominibus non comprehenditur 391
Veritatis ratio habenda est 90
Veritati libenter obsequendum 215
Veritas vna est 216
Vernacula mala 2
Verna temperies rosis læta floribus coronata pag. 27
Versipellem vitare fallaciam 359
Verulus à rusticade 225
Vescimur in sudore vultus nostri 398
Vesicæ exulceratio 341
Vespere orandum 51
Vestimenta terrena christo demus 67
Vestis alba emenda 63
Vestis passerina, triclina, argyrina, cardina, cælina, proneruica, aeria, biplagia, mesotropa, castalina, spartacina, colorina, carbasina, persicina, alethina 455
Veteris hominis viam fugere 32
Vexillarius 299
Via arcta & angusta est quæ ducit ad vitam pa. 87
Vicarias literas mittere 163
Vicarios substituere 139
Vicaria ordinatione apostolis succedunt episcopi pa. 192
Vicem malis non reddendam 279
Vicissitudo cõuenientium minuit inuidiam pagina 302
Victor presbyter 137
Victor ab assuris 225
Victor à gor 223
Victor ab octauo 225
Victoricus à thabra 222
Videre christum gaudere est 53
Viduas probatas quasque honorandas 288
Viduam & pupillos protegi oportere 290
Viduarum curam habere 162
Vigilanter orandum 181
Vigilius sanctissimus 239
Vigilare oculis & corde dormire 50
Vigilandum ad obseruanda præcepta 40
Vincentius à thibari 223
Vincere ratione 11
Vincere naturam, gratiæ est 332
Vindemia foris premitur 28
Vinea fallit 13
Vinea spiritalis, plebs est christianorũ 440
Vinea domini erat israel 197
Vineam debilitat grando 9
Vinolentia temulentus 10
Vinum passum, marsicũ, surrentinum 456
Vini aliquot genera ibid.
Vinum de aqua in nuptiis christus fecit 197
Vinum mixtum, id est, calicem domini aquæ & vino mixtum 195
Vir iracundus exaggerat peccata 152
Viri prohibentur induere muliebrem vestem pagina 139

Virum in fœminam frangere 3
Virgas & flagella sentimus, qui deo non placeamus 180
Virginitas probrosa 357
Virginitas immaculata cedit sanguini 207
Virginitas regno dei destinatur 83
Virginitatis bonum 281
Virginitas affectionibus omnibus soluta est pagina 308
Virginum habitus 87
Virginum quo sublimior gloria maior & cura est 82
Virgines comptæ turpitudinem meruerunt pagina 85
Virginem nõ decet iactare diuitias suas 84
Virgines christo dicatæ cum masculis viuere non debent nedum dormire 168
Virginum merces magna 88
Virgines fatuæ quæ 339
Virgines cum masculis mansisse 168
Virgo non tantum esse, sed & intelligi debet & credi 83
Virtius presbyter 123
Virtutes religiosæ 6
Virtutis præmium grande 88
Virtus peccati lex 350
Virtutes aliæ ab aliis virtutibus differunt pagina 353
Virtus nostra in infirmitate perficitur pagina 55.329
Virus occultum est malorum blandientium pagina 5
Virus venenorum 2
Vis naturæ & consuetudinis 2
Viribus omnibus elaborandum vt cum christo gaudeamus 26
Viriculas suæ naturæ contemplari 332
Vita domini plurimis fuit offendiculo 329
Vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur 26
Vita æterna quid 49
Vita virtutum 2
Vita hominis militia 53
Vita noua 2
Vita hominum longæua 8
Vitæ prouidendum dum licet 14
Vitæ breuitas 8
Vita maculatur compendio rapinarum 10
Vitea porticus 1
Vitis vera 195
Vitiis auctoritatem præstare, malum 323
Vitandi lupi 125
Vitandi hæretici 38
Viuere qui fecit docuit & orare 41
Viuere christus est 331
Viuimus deo non mundo 13
Viuendum non est pro arbitrio suo 168
Viuentes in vltroneum funus ornantur 3
Vltionem deo relinquendam 290
Vltro se præficere 35
Vltroneum funus 3
Vnanimes in domo 35
Vnanimis & concors dei populus 235
Vncinas ostentare 336
Vnctio chrismatis 396
Vnda genitalis 2
Vngi necesse est eum qui baptizatus sit 218
Vngulæ laniantes ac pulsantes 30
Vngularum pœna 295
Vnitatis ecclesiæ origo 33
Vnitas firmiter tenenda 33
Vnitatem qui non tenet, dei legem non tenet pa. 34
Vnitas scindi non potest 40
Vniuersis pacem dare 293
Vnus non numeri sed vniuersitatis est nomen pa. 417
Vnus timens melior est quàm mille filij impij pa. 114
Vnus grex & vnus pastor 34
Vnus deus est, & vna ecclesia 40
Vnusquisque rapere festinat 10
Vnumquenque in peccato suo reum teneri pagina 177
Vnumquenque habere debere curam suorum pa. 288
Vnusquisque proprium donum habet 353
Voluisse deo fecisse est 327
Volucres deus pascit 63
Voluntas dei fiat in nobis 45
Voluntati dei obtemperandum 279
Voluntatis crimen 93
Voluntatem domini cognouisse, & in opere cessasse periculosum 306
Voluntatem satis esse in opere & eleemosynis etiamsi per mediocritatem minus fiat pagina 273
Voluptaria visio 1
Voluptatem vicisse voluptas est maxima pagina 309

Voluptas esca diaboli est 336
Vorax pœna 14
Votiuum negocium 306
Vota deo reddenda 280
Votis inanibus popularis aura quæsita est pagina 5
Vocibus perniciosis non temere credendum pagina 124
Vocibus maledicis seminare odia 7
quicquid Voce delinquitur, minus est 4
Vox de domino & deo 1
Vrbanus confessor 120
Si ad Vrbes oculos conuertas, celebritatem offendas omni solitudine tristiorem 3
Vrgenter nunciare 110
Vrgere Verberibus 2
Vsura pœnarum maior exigitur 5
Vsurpatum senio Vetustatis 2
Vtendum diuitiis ad bonas artes 84
Vua poculis profutura 28
Vuandalorum rex 452
Vulgaritatis destructio est castitas 360
Vulgus in multis deum naturaliter confitetur 166
Vulnus aperiendum & secandum est 93
Vultonna fluuius 452
Vultus hominum ad cælum erectus 12
Vxorem à Viro non recedere 289
Vxores à Viris suis diligendæ 308

X

xenium regis iarim 424
xistus 248

Z

zabuli inuentum alea est 304.305
zachæus 61
zacharias antistes dei 114
zacharias sacerdos interficitur 22
zelare graue crimen 76
zelotypi disciplinæ christi 295
zeli multiplex & fœcunda pernicies 78
zelus Vnde 77
zelum dei habere 297
zeli pernicies late patet 77
zelo dominante captiuum esse 78
zetus 144
zizania in ecclesia 130
zosimus à tharassa 224
zoticus 144

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

